BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
H
28

XLIX
H
75

ANNALES MINORUM CONTINUATI

A

F. JOSEPHO MARIA DE ANCONA

Ex Obſervantium Familia.

ANNALES MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM

A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

Ab anno MDLIII. usque ad annum MDLXIV.

CONTINUATI

A

F. JOSEPHO MARIA DE ANCONA

Ex Observantium Familia.

TOMUS XIX.

ROMÆ MDCCXLV.

Typis Jo: Baptistæ Bernabò, & Josephi Lazzarini. X *Superiorum permissu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

NAPOLI

SANCTISSIMO

D. N. D.

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. RAPHAEL A LUGAGNANO
Totius Ordinis Minorum Miniſter Generalis

FELICITATEM.

EA eſt, BEATISSIME PATER, *apud omnes eximiæ Doctrinæ tuæ laus, ac celebritas, ut cupientem me in obſequii mei argumentum Volumen iſtud partem Franciſcanæ Hiſtoriæ complectens ſacratiſſimo tuo*

No-

Nomini inſcribere, a propoſito revocaſſet, niſi comes tam ſublimis ſapientiæ tuæ humanitas metuenti addidiſſet animos, ac prope ſpopondiſſet, gratum Tibi fore opus, quod, licet, non magnam, aliquam tamen afferre poſſet utilitatem litterariæ Reipublicæ, cujus profectui inter graviſſimas Apoſtolici Principatus curas, ac in ſumma temporum acerbitate ſtudere non ceſſas. Quamquam enim Te doctiſſimum Principem, ac in omni diſciplinarum genere verſatiſſimum recogitans nihil Tibi niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria offerri oportere ſentio; attamen cum mentis oculos ad ſingularem illam benignitatem converto, qua, ut conſulas litterarum ſtudiis, ad eaque ſectanda liberalia ingenia provoces, grandia non tantum, quæ ex iis proficiſcuntur, ſed & exigua quoque fovere aliquando non dedignaris, tuoque patrocinio honeſtare, intelligo etiam non omnino indignum hoc, qualecumque ſit opus, tua amplitudine futurum, quo nonnulla illuſtrium

Viro-

Virorum Franciſcani Ordinis pro Catholica Eccleſia præclara geſta memoriæ poſterum commendantur. Sed illud in primis hæſitantem me, ac pro reverentia Majeſtatis prope animum deſpondentem in ſuſcepto conſilio confirmavit, quod non obſcuris indiciis perſpexi, SANCTITATEM TUAM *libenter laturam, ut hæc pars Hiſtoriæ, quæ in continuationem Annalium C.V. Lucæ Waddingi exarata eſt, tuis ſub auſpiciis, ac glorioſiſſimo Nomine tuo decorata in lucem ederetur. Quæ quidem res munuſculum hoc ſuapte natura exile haud minimi pretii cum reddat, me quoque in ſpem erigit, dum illud ad beatiſſimos tuos pedes provolutus maxima qua poſſum veneratione* SANCTITATI TUÆ *offero, conſequendi uberrimum hujuſmodi oblationis fructum Te ferente acceptam voluntatem meam.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

CONTINUATIONIS Seraphicorum Annalium a Reverendiſſimo in Chriſto Patre noſtro totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro imbecillitati meæ demandatam Provinciam hujus ſæculi anno XLI. nuper elapſo, quamvis maximam, multiſque gravibus difficultatibus circumſeptam, divino fultus præſidio, ac religioſæ obedientiæ merito, non libenti modo, verum etiam lætiſſimo animo ſum aggreſſus; quin utile profecto, atque neceſſarium exiſtimavi, opus ab eximio Viro Luca Waddingo uſque ad annum quadrageſimum ſupra milleſimum quingenteſimum a Dominica Incarnatione productum continuare, & egregia facinora, quibus per duo fere ſæcula Romanam Eccleſiam, & Seraphicam Familiam ſanctimonia, doctrina, aut dignitatibus noſtri per Orbem univerſum diffuſi illuſtrarunt Sodales, omnibus gentibus palam facere ad incrementum divinæ gloriæ, ad veræ virtutis incitamentum, & ad religioſæ perfectionis inter ejuſdem Inſtituti aſſeclas perennandum exemplum.

Poſteaquam idem Waddingus meritis cumulatus, atque laboribus magis quam ſenio confectus deceſſit, Franciſcus Haroldus ejuſdem Diſcipulus, quinimo, & æmulator, nedum Præceptoris opus redegit in Epitomen, verum etiam continuationi manus expeditas imponens, ut etiam Dominicus de Gubernatis, & Auctores Continuationis Bolandiſticæ Hiſtoriæ indicant, uſque ad annum MDXLVII. feliciter eſt proſequutus. Ipſo tamen etiam ſupremum diem obeunte, ſeptuaginta fere poſt annos, opus poſthumum, neque numeris abſolutum omnibus, Reverendiſſimus Pater Frater Joſeph Maria Eborenſis, nunc Portugallenſis Epiſcopus, ab oblivione vindicatum volens, P. Joanni de Cadoro ditionis Venetæ, & Familiæ noſtræ alumno anno MDCCXXXI. e Tabulario S. Iſidori Urbis eductum tradidit, ut venuſtiori, atque elegantiori latinitate donaretur. In id hic vir omne adhibens ſtudium, quædam etiam ad annos quinque ſequentes pertinentia, eleganti ſtylo diſſeruit, edito ſubinde anno MDXXXIX. volumine XVIII.

Gubern. Orb. Seraph. Acta SS. ad diem 15. Maii fol. 550. Biblioth. Franciſcana verb. Franciſcus.

Ego interim, cui ab eodem Patre Eborenſi, tunc Ciſmontanæ Familiæ noſtræ Generali Moderatore, primo datum fuerat Waddingi operis novis typis aſſiſtere, menda, quibus impreſſoris vitio ſcatebat, corrigere, illudque etiam opportunis additionibus locupletare; demandatum eſt item, Tomum ſeptimum decimo addere, qui Syllabum univerſum in tres partes diſtributum complecteretur; quod, Deo juvante, duorum annorum ſpatio, quamvis aliis implicatus negotiis, pro mea virili parte confeci. Nunc autem obedientia impellente, vel imprimis proteſtor, me non lento penicillo figuras depingere, ſed expedito calamo veritatem narrare, illuſtrare, & vindicare, prout res exiget, decreviſſe; atque hiſtoricum exactum, non verboſum Oratorem agere. Malo etenim cum Severo Sulpicio, *ut lectores res perpendant, quam verba, & æquo animo ferant, ſi aures eorum vitioſus forſitan ſermo percuſſerit, quia regnum Dei non in eloquentia, ſed in fide conſiſtit*; ea potiſſimum ratione quia fucata ornamenta omnino reſpuit hiſtoria, ut cecinit Vates illuſtris: *ornari res ipſa negat contenta doceri*. Barbaris, quas dicunt, vocibus, non ſemel utens *Guardianus*, *Monaſterium*, & his ſimilibus, illud habeo magni Auguſtini in mente: *melius eſt, ut nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant Populi*; verum enim vero nec Grammatici de hujuſmodi vocabulorum uſu, quum illa vulgatiſſima, maximeque opportuna ſint, & ad exprimenda cujuſvis generis religioſæ familiæ facta accommodata, merito poſſunt reprehendere.

Sulpit. in Vita S. Martini Epiſt. ad Deſiderium.

Aug. ſuper Pſal. 138. v. 15.

In rerum contexenda ſerie ſequi Waddingum conſtitui, cujus ſtylum, methodum. & phraſim mihi cordi eſt imitari. Eamdem ob cauſam, non dubitavi interdum ex publicis tabulis, aut probatis auctoribus aliorum verba mutuari, quæ non invitus ſubinde uſurpavi, ut de quibuſdam præclaris viris ſententiam meam interponere non auſus, aliorum potius monumenta recenſendo, ſuſcepto muneri aliquando defuiſſe non videar. Modeſtiæ, ac temperanti loquendi modo ubique ſtudens, ab omnibus inſectationibus, verbiſque amarulentis vel injurioſis abſtinui, præclaræ ſententiæ S. Hieronymi memor: *Aut loquendum ut veſtiti ſumus, aut veſtiendum, ut loquimur*: & illius S. Auguſtini nobis præcipientis: *Diligite homines, interficite errores, ſine ſuperbia de veritate præſumite, ſine ſævitia pro veritate certate*.

Hieron. Ep. ad Furiam.

Aug. lib. 1. contra litteras Petiliani cap. 29.

Illuſtrium hominum extra noſtrum cœtum ubi oportuit, virtutes non ſilui, neque noſtrorum vitia tacui, ubi erant enumeranda, ut incorrupti hiſtorici munus implerem. *Beati*, aut *Sancti* titulos illorum Servorum Dei dumtaxat adjeci nominibus, quos comperi, tales agnoviſſe Apoſtolicam Sedem; eorumque miracula, viſa, virtutes, dona cœleſtia, & cætera hujuſmodi, quorum narratio apud nonnullos plus æquo moroſa plus fortaſſe admi-

admirationis ſit habitura, quam fidei, non propria ſententia protuli, ſed quæ, vel Summi Romani Pontificis judicio probata ſunt, vel quæ in omnium Franciſcanorum hiſtoriis, atque ore verſantur. Ex Apoſtolicis Diplomatibus, pro quibus comparandis Religioſus Ordo noſter nullis pepercit laboribus & impenſis, præcipua eruo teſtimonia, & fere Minoriticis utor Chronicis, de quarum fide complures Viri graves & ſancti honorifice loquuntur. Ut autem cæterorum monumentorum copia promptior eſſet & expeditior, Sanctiſſimo Domino noſtro BENEDICTO XIV. benigne annuente, Romæ commorari conſtitui, ubi ex Vaticano, Aracœlitano, ac Waddinghiano S. Iſidori Tabulariis; itemque ex locorum eorumdem celeberrimis Bibliothecis, impetrata ad id facultate, aut extrahere codices, aut ſaltem exoptatas notitias deſcribere, liberaliter eſt mihi conceſſum; Iis enim in locis omnia fere Obſervantium familiæ expeditionum teſtimonia, conſilia, atque acta cuſtodita ſunt, quibus Waddingus eſt uſus, & quæ ibidem nondum evulgata reliquerat, licet inviſere. Eorumdem tamen monumentorum quædam adeo ſunt temporum injuriis, & cuſtodum neglectu conſumta, alia etiam tam rudibus caracteribus, hiſpanica præcipue, exarata, ut in excerpendis rerum notitiis ingens ſtudium, laboremque mihi amiciſque iiſdem linguis eruditis adhibere neceſſarium fuerit. At quamvis abunde iſthæc vetera monumenta de remotiori ætate mihi ſcribendi materiem præſtiterint, opus tamen fuit, fere quotidie per Urbem excurrere, cæteras bibliothecas cum publicas, tum privatas inviſere, itemque tabularia; ſepulcrorum inſcriptiones legere, & ad alia recondita exquirenda, ut ignota addiſcerem, obſcura illuſtrarem, & confirmarem dubia. Oportuit etiam apud cæteras Franciſcanas Familias, Patrum ſcilicet Conventualium, Capuccinorum, & Tertiariorum parem operam impendere, quia velim, nolim de iiſdem, de quibus Waddingus ſcripſerat, ſcribam neceſſe eſt, ut abſoluta totius Franciſcanæ Familiæ conficiatur hiſtoria. Eruditiſſimus Helvetus Michael a Tugio Capuccinus, qui Bullario ſuæ Familiæ a ſe collecto nunc notas, atque animadverſiones addit, Superioribus aſſentientibus, multa ad eamdem religioſam ſobolem ſuam pertinentia perhumaniter communicavit: quod, & a cæteris faciendum ſperamus. Etenim ipſis non implentibus, jure meritoque erit ſibi imputandum, ſi memorias illuſtrium Sodalium, Cœnobiorum origines, aliorumque Ordini decus conferentium non meminerimus. Illis enim vertetur culpa, qui publica luce dignas notitias occulunt, neque cum aliis communicant, ut omnibus pateant, atque communi omnium ore, & prædicatione celebrentur. Inter tot tamen difficultates, & importuna impedimenta, de illo potiori jure conquerimur; de quo non ſemel fue-

S. Franc. de Sales. p. 2. cap. 17. in Introd. Vitæ Spir.

rat etiam Waddingus lamentatus, quod videlicet innumerabilium fere noſtrorum virorum, quos aut virtus, aut doctrina extulit, res geſtæ, exempla eximia, & inſtituta, vel penitus ſuperiorum temporum negligentia deperierint, vel tam incerta ſunt, & obſcura, ut quo loco, quo tempore, quo Ordine acta ſint exacte inveniri nequeant. Quo quidem factum eſt, ut per ſuos deſignatos annos eademet ad abſolutam chronologicam veritatem conſignare, quemadmodum Waddingo ſæpius contigit, nobis minime liceat; ſed quandoque, ut certiori calculo tempus, quo res geſta eſt, judicetur, mihi ſit divinandum.

Præſtat modo ſequenti judicio rudem abſolvere præfatiunculam. Qui præteritorum recordor, atque præſentia cerno, futura etiam, Dei auxilio, prævideo, gravem nimirum in gravi labore me cenſuram ſubiturum; quia plerique ſunt, qui de aliorum ſcriptis judicium facere ſummopere delectantur, quæ tamen ſe præſtare non poſſe cognoſcunt. Ego vero, procul omnino a diſſimulatione, cum Hieronymo, *nec affectans laudes hominum, nec vituperationes expaveſcens*, veritatem unice diligo, eamque a quovis diſcere paratus ſum. In primis autem S. Eccleſiæ Romanæ univerſa quæ ſcripſi, & quæ ſcripturus ero judicio ſupremo ſubjicio; æquum præterea, probumque lectorem obſecro, ut benevolo, quo illum decet, animo, ſi quid inter legendum typographorum, ſive amanuenſium negligentia, vel mea item culpa occurrerit (occurrent autem multa) minus eleganter aut parum recte dictum, illud amice corrigat; meque, ſi placuerit, non de mendis præli, ſed de iis, quæ fidei hiſtoricæ minus conſonant, amice moneat.

Hieron. ſup. Prologum in lib. Hoſter.

FA-

FACULTAS ORDINIS.

FR. RAPHAEL A LUGAGNANO

Lector Emeritus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu Matritenſi pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius, Viſitator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

CUm Opus compoſitum a R. Patre Joſepho Maria ab Ancona noſtræ Obſervantis Provinciæ Marchiæ Lectore Jubilato, cujus titulus eſt: *Secundus Tomus Continuationis Annalium Ordinis Minorum celeberrimi Viri Patris Lucæ Waddingi* a quatuor Ordinis noſtri Theologis, quibus id commiſimus, reviſum, & approbatum fuerit, vigore præſentium facultatem concedimus, quatenus, ſervatis ſervandis, illud Typis mandari poſſit. Datum Romæ ex noſtro Aracœlitano Conventu die 29. Junii 1745.

Fr. Raphael a Lugagnano
Miniſter Generalis.

Loco † Sigilli.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. De Rubeis Archiepiſcopus Tarſi Vicesgerens.

APPROBATIONES.

I.

LIbrum, cui titulus: *Annales Minorum ſeu Trium Ordinum a S. Franciſco Inſtitutorum continuati a P. F. Joſepho Maria de Ancona ex Obſervantium Familia, &c. Tomus Decimus nonus*: Reverendiſſimi Patris Aloyſii Nicolai Ridolfi Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri juſſis obſecutus attente perlegi; nihilque in eo inveni, quod Sacroſanctæ Catholicæ Romanæ Religioni, aut probis moribus diſſonet; imo omnia ſanctiſſimis ubique referta virtutum exemplis præclariſſimorum S. P. Franciſci Trium Ordinum Alumnorum, quibus Lector quiſque plurimam in ſe utilitatem derivare poſſit. Quare ut typis edatur ſine ulla dubitatione digniſſimum illum judico. Ex S. Athanaſii Magni Collegio Romæ die 15. Aprilis 1743.

Ego Joſephus Roccus Vulpius Soc. Jeſu Examinator Epiſcoporum, & Sacræ Congregationis Inditis Conſultor.

II. Man-

II.

MAndatis obtemperans Reverendiſſimi Patris Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, ſedulo qua potui diligentia perpendi, ingentique animi voluptate non ſemel perlegi opus, cui titulus: *Annales Minorum, ſeu trium Ordinum, a S. Franciſco Inſtitutorum*: a Reverendiſſimo Patre F. Joſepho Maria de Ancona Ordinis ejuſdem elucubratum, opus ſane recondita, ſelectaque eruditione refertum; ſuoque Auctore dignum: Si namque ſtyli elegantiam inſpicias, ſi modeſtiam in quorumdam effatis corrigendis, ſi in male ſartis opinionibus refutandis momentorum ſoliditatem, ſi in tanta rerum amplitudine Ordinis perſpicuitatem, ſi hiſtoricam veritatem, vel purioris, emuntioriſque critices regulas exactas contempleris, opus comperies numeris omnibus abſolutiſſimum. Opus denique, in quo non modo nihil, quod Catholicæ Fidei, boniſque moribus adverſetur, expiſcari quiſquam vel invidus poterit, verum etiam dum tot inſignes, ſanctitate, & doctrina Viros, quos univerſus Seraphici Patris Franciſci, longe, lateque difuſus cœtus, enutrit, & fovet, recenſet; dum integros populos, diſſitaſque gentes ab emeritis Sodalibus Chriſto ſubactas; dum exanthlatos pro Catholica tuenda Fide, & Eccleſiæ finibus amplificandis ab invitis commilitonibus labores, Urbi, & Orbi enunciat, non tam rerum varietate, & dignitate antiqua, ne plæriſque ignota rimandi, & aſſequendi cupidos oblectari, quam inertes, ſi forte dormitent, ad ardua quæque expoſcenda, & majorum conſpicua exempla ſectanda excitare, ac urgere poſſe videtur; ideo prælo digniſſimum cenſeo. Datum in Collegio Apoſtolico S. Mariæ Majoris 23. Martii 1743.

Fr. Ambroſius Anſanus Tantucci Sac. Theol. Magiſter in Baſilica Liberiana Pœnitentiarius Ordinis Prædicatorum.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

AN-

ANNALIUM ORDINIS MINORUM CONTINUATIO.

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 347.
1554.	an. 4. & 5.	an. 35. & 36.	

ARGUMENTUM.

Philippus Caroli V. filius, & Maria Angliæ Regina, celebratis nuptiis, Romanam fidem Angliæ regno reſtituunt, Minoritis præcipuam operam dantibus. Alphonſi de Scalona percenſentur labores ad augendam Religionem in Indiis exantlati. Sanctus Petrus Alcantarenſis rigidiorem vivendi formam exoptat. Aliorum doctrina, & virtutibus illuſtrium hoc anno vita functorum, qui in Ordine Seraphico emicuerunt, acta narrantur. Multi creantur Epiſcopi. Varia exſtruuntur Religioſa Cœnobia. Pontifex pro Sodalitiis ſanctiſſimi Sepulcri Indulgentias largitur. Et pro aliis locis alia conceduntur privilegia.

I. ANNUM quingenteſimum quinquageſimum quartum ſupra milleſimum, quo hujus Operis noſtri initium ſumimus, profecto celebrem ſupra cæteros hujus ævi dixiſſem, ſi Romano-Catholica fides, quam univerſo Anglorum Regno Philippi Caroli Imperatoris filii, & Mariæ Angliæ Reginæ ope fuiſſe anno mox elapſo reſtitutam, cum cæteris hiſtoricis Auctor hujuſce continuationis ad eumdem annum retulit, diutius perduraſſet, nec quinto poſt anno pientiſſimæ Reginæ mors, quæ orthodoxorum lætitiæ finem impoſuit, miſerrimi Regni novæ cladi dediſſet initia. Reges apud Vintoniam magna pompa celebratis nuptiis, Londinumque ſolemni apparatu ingreſſi, ad Religionis res componendas, vel imprimis animum applicare decreverant. Hac de cauſa Reginaldo Polo Cardinali & Pontificio Legato, cui erat antea aditus ad Regni negotia præcluſus, in publico, atque ſolemni Regum, & Optimatum conſeſſu adſtante, Cancellarius Ordines rogat, placeret ne iis, ut ipſorum nomine venia a Legato peteretur, ut ad Pontificis, qui eſt Eccleſiæ ſupremum caput, obedientiam rediretur? Aliis autem clamore, aliis ſilentio aſſentientibus, libellus ſupplex Regibus porrigitur, quod ineditum monumentum publici juris facimus.

Philippi Hiſpan. & Mariæ Anglorum Reg. connubia. *Thuan. lib. 9. hiſtor. Brondin. lib. 3. cap. 9. Aliique.*

Anglorum populus Eccleſiæ reconciliatur.

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorun anno 347.
1554.	an. 4. & 5.	An. 35. & 36.	

Ex Arch. S. Ufic. Urbis Monum. MSS. Prov. Anglia.

II. *Nos Domini ſpirituales, & temporales, & Communitates in hoc Parlamento congregati univerſum Regni Angliæ, omniumque ejus ſtatuum, ac dominiorum corpus repræſentantes, noſtra ipſorum nomine ſigillatim, & univerſi Regni per hanc noſtram ſupplicationem directam Majeſtatibus veſtris, eas humillime rogamus, ut Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Cardinali Polo, huc ſpecialiter a Sanctiſſima Domino Noſtro Julio Papa III. & Sede Apoſtolica Romana miſſo, hæc ſupplicatio noſtra per Majeſtates veſtras porrigatur, per quam declaramus, nos ipſos magnopere pœnitere ſchiſmatis, & inobedientiæ commiſſæ in hoc Regno, & prædictis Dominiis contra dictam Sedem Apoſtolicam, tum in ſtatuendo, tum in conſentiendo, tum in exequenda qualeſcumque leges, ordinationes, & decreta contra ejus Sedis primariam auctoritatem, aut aliter facto, aut verbo ejus impugnandæ cauſa; teſtantes, & promittentes per hanc noſtram ſupplicationem in teſtimonium, & declarationem hujus noſtræ pœnitentiæ, nos paratos eſſe, & fore ex auctoritate Majeſtatum veſtrarum, facere quid quid poterimus, ut illæ leges, decreta, & ordinationes in præſenti Parlamento reſcindantur, & abrogentur, tum noſtro ipſorum nomine, tum totius corporis, quod repræſentamus, in quo humillime ſupplicamus Majeſtatibus veſtris, ut impoluti is, & maculæ omnis expertibus, quod ad offenſionem attinet, factam dictæ Sedi ab hoc corpore, quibus tamen Divina providentia nos ſubjecit, orantes eas, ut ſuffragari velint huic noſtræ humili petitioni, ut a Sede Apoſtolica per dictum Reverendiſſimum D. Legatum, & nos ſinguli, & univerſum Regnum obtineamus abſolutionem, relaxationem, & liberationem ab omnibus Cenſuris, & ſententiis, in quas ex legibus Eccleſiaſticis incidimus, ut filii pœnitentes recipiamur in ſinum, & unitatem Eccleſiæ Chriſti, ut hoc nobile Regnum una cum omnibus ſuis membris poſſit in hac unitate, & perfecta obedientia Sedis Apoſtolicæ, & Romanorum pro tempore Pontificum ſervire Deo, & Majeſtatibus veſtris, ad incrementum Divini honoris, & gloriæ.*

III. Libellum poſtquam Reges legerunt, eumdem alta voce, ut ab omnibus exaudiretur Vintonienſis Cancellarius recitavit. Cum ſurgerent Reges, ut Legatum deprecaturi adirent, ille antevertit, & poſt Regum deprecationem, cum rurſus conſediſſet Polus, quid poteſtatis ſibi a Pontifice conceſſum eſſet recitato diplomate, univerſis palam fecit. Deo exin gratiis peractis, tandem ſurrexit, & omnes in genua procumbentes his verbis conceptis abſolvit.

Abſolutionis formula. *Ex iiſdem MSS.*

IV. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui nos ſua pretioſo ſanguine redemit, & mundavit ab omnibus peccatis, & inquinamentis noſtris, ut exhiberet ſibi ſponſam glorioſam, non habentem maculam, neque rugam, quem, & Pater conſtituit caput ſuper omnem Eccleſiam, ipſe per ſuam miſericordiam vos abſolvat. Et nos auctoritate Apoſtolica per Sanctiſſimum D. N. Julium PP. III. ejus vices in terris gerentem nobis conceſſa, vos, & unumquemque veſtrum, & Regnum univerſum, & ejus Dominia ab omni hæreſi, & ſchiſmate, & quibuſvis ſententiis, cenſuris, & pœnis propterea incurſis, abſolvimus, & liberamus, & unitati ſanctæ Matris Eccleſiæ reſtituimus, prout in litteris noſtris plenius continebitur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

V. Deinde ad Pontificem ampla, & honorifica Legatio decernitur. Ad id munus deſtinantur, Epiſcopus Elienſis, Vicecomes Montis Acuti, & Eduardus Carnus J. C., qui Regum nomine ſanctæ Sedi obedientiam præſtarent. Fuere propterea iiſdem, cum Philippi, tum Poli Epiſtolæ traditæ, quas ad Julium III. miſſas Paulum die xxi. Junii anni ſequentis excepiſſe, non die

die xxx. Maji, ut Suavis somniavit, narrant acta Consistorialia. Illius, quam Polus scripsit, apud Raynaldum habes exemplum; alterius vero a Philippo missæ, quam etiam typis datam invenire non licuit, hic exscribere lubet. *Suav. apud Pallav. lib. 13. c. 18.*

Sanctissime Pater.

VI. *Heri dedi litteras Joanni Manriquio, ut aut scripto, aut oretenus innueret Sanctitati V. quanta cum felicitate in hoc Regno res Religionis agerentur, & præcipue quantum ad obedientiam Sanctitati V. præstandam. Jam Divinæ Majestati debitum datum est obsequium (cui infinitæ pietati, etiamque Sanctitati V. cujus tanta fuit harum animarum lucrandarum cura debetur honor) quoniam hodie die sancti Andreæ sacro in sero, universi qui hoc Regnum repræsentant, pœnitentes præteritorum criminum, etiamque lætantes pro eo quod facere debuerant, S. V. præstitere obedientiam, & huic sanctæ Sedi: necnon Regina, meque ipso implorantibus, eosdem Cardinalis Legatus absolvit. Et quia idem Legatus etiam suas debet Sanctitati V. mittere epistolas, ego nil aliud dicam, nisi quod Regina, & ego veluti filii devoti, & veri Sanctitatis V. tantam experti sumus lætitiam, quæ haud verbis potest exprimi, agnoscentes, quod præter gloriam Divinam talis conditionis Regnum iterum Sanctitati Vestræ temporibus ad Ecclesiæ suæ sanctæ universalis gremium revertitur. Similiter gratias agere S. V. non desino pro eo, quod hodie factum est. Fiduciam habens in eo, quod S. V. semper agnoscet, hanc sanctam Sedem me Filium magis addictum, magisque cupientem suam auctoritatem augendi nequaquam habuisse. Dominus noster liberet, & conservet personam sanctissimam S. V. quemadmodum ego cupio. Londini* xxx. *Novembris* mdliv. *Addictissimus filius S. V. Rex.* Epistola Philippi ad Pontificem. *Ex iisdem MSS.*

A tergo: *Nostro Sño Patri.*

VII. His, cæterisque minime ad rem nostram directe spectantibus, absolutis; quod Franciscani Principum jussu in sacris ministrandis, exornandis templis, concionibusque frequentissimis e suggestu habendis præcipuam dederint operam, inde licet vel imprimis conjicere, quod Philippus cum xviii. Kalendas Augusti Julio-briga portu Calecorum solvit, ut Angliam versus progrederetur, inter cæteros nobiles comites adscriptum voluit Bernardum Fresnensem sive de Monte, Minoritam sibi a sacris Confessionibus, quem exinde ad Insulas Conchensem, & Cordubensem primum, tum ad Archiepiscopatum Cæsaraugustanum audiemus promotum, cui propterea cæterisque sui Sodalitii Viris Londini, etiam præteritæ eladis tempore persistentibus, Cœnobium Grenovicense regiæ Aulæ proximum continuo est restitutum. Verum, has præter conjecturas Waddingus ex monumentis authenticis Provinciæ Germaniæ inferioris, & ex eo Auctor Bibliothecæ Franciscanæ, cæterique non pauci pro comperto habent, circa hunc annum Henricum Pepinum Flandrium egregium Minoritam in Angliam fuisse missum, ut inter Mariam & Philippum matrimonio inito, *Teutones ejus concionibus in avita fide confirmarentur, & alii ad Catholicam Religionem, quam, auctore Henrico VIII. multi deseruerant, reverterentur*. De hoc illustri viro iterum memoriam facere ad illum annum continget, quo ipse fatis concessit. His ergo *suis Franciscanis*, quos sequentibus annis Elisabetha sæviente in Catholicos, pro fide Romana martyrium subiisse narrabimus, Maria Regina, teste Bruodino, conscientiæ suæ arcana consuevit aperire, eoque præcipue tempore, quo Philippus conjux Angliæ vale dixerat, ut ad patrem Carolum in Belgium re- Minoritæ Anglorum conversioni præcipuam dant operam. *Ex iisdem MSS.*

Bernardus Fresnensis Philippo II. a Confessionibus. *Gonz. in Prov. Burg. Conv. 7. & in Prov. Cartagin. Conv. 24. Monum. Prov. Burg.*

Opus cui titulus Certamen Seraphicum Prov. Angliæ. Bruodin. lib. 2. propugnaculi Cathol. verit. Philippus Belgiû revertitur.

remearet, anguſtiis undique, timoribuſque oppreſſa, nullum ſolatium ſe exſperiri, hac ſpiritali ſenota conſuetudine, teſtari conſuevit.

Progreſſus Franciſcanorum in Indiis.

VIII. Exitum huic profecto non diſſimilem in Indiis occiduis res fidei exſperiebantur, ubi præ cæteris Minoritis, Franciſcus de Aſcalona, ſive Scalona (quod oppidum eſt Hiſpaniarum, Toletò proximum) exemplo virtutum, ingentibuſque laboribus Americanos exſcoluit. Hic adoleſcens cum decem, & octo annos natus eſſet, parente orbatus, in Provincia Cartaginenſi Franciſcano Inſtituto nomen dedit; deinde profeſſione emiſſa, quum in medio Cœnobii atrio taxillis ludentes, neſcio quos audiviſſet, eaque iterantes, quæ facere eo in ludo homines conſueverunt, timore perculſus, facultatem alio commigrandi poſtulatam obtinuit. Pietatis inde erga Indorum animas ſtudio commotus, anno MDXXXI. novam petiit Hiſpaniam, tribuſque annis Tlaxcallæ, ſive Tlaxcalæ apud Americanos mexicano idiomati operam dedit, memoriæque beneficio, ac deſiderio illud addiſcendi, brevi eſt aſſequutus, concioneſque utiliſſimas primus edidit, quæ in guatemalicum idioma vertere neceſſum exinde viſum fuit. Habuit eadem in urbe diſcipulos 600. ferme pueros, quos præter fidei rudimenta, legendi, ſcribendi, & canendi artes in timore Domini edocuit. Aliquot poſt annos, Tyronum Magiſterii, Definitoris, ut ajunt, & non ſemel etiam Cœnobiorum præfecti munere fungi ab Præſulibus Ordinis coactus eſt. Hoc autem anno, cum opus videretur Guatemalam Fratres mitti, Vir Dei ad profectionem primus omnium ſe obtulit; deſignatuſque novem, ut ſcribit Gonzaga, viginti vero, ut tradit Baretius, Religioſorum præfectus, eoſdem ſingulari exemplo, cum trecenta paſſuum millia nudis pedibus confeciſſet, illo deduxit, ubi eum egregiam operam fidei prædicationi navaret, ad ejus Provinciæ, quæ Inſulana nuncupatur, inſtitutionem, quam ipſe, cæterique Franciſcani Obſervantes, Andreæ Inſulani Familiæ Commiſſarii Generalis * accedente conſenſu, ad perfectiorem Regulæ obſervantiam erigere volebant, in ſancti Evangelii Provinciam revocatus eſt. Præſtat interim hic ſerio animadvertere, Gonzagam, & ex eo Baretium hujus ſervi Dei acta recenſentes perperam aſſerere, quod Alphonſus, cum *primum illo pervenit, novæ illius Provinciæ* (ſancti Evangelii nimirum) primus *eſt ab omnibus electus Provincialis Miniſter*, quum ex Ordinis actis liquido ſit compertum, Provinciam hujuſmodi in generalibus Comitiis Niciæ, anno MOXXXV. celebratis conſtitutam fuiſſe. Quinimo idem Gonzaga in præfatione Provinciæ ejuſdem hanc veritatem eſt faſſus: ex quo fit, quod minus vere *nova* ea Provincia dicitur, quæ fere ante triginta annos fuerat inſtituta, minuſque vere aſſeritur, Alphonſum *primum ab omnibus circa annum* MDLX. *electum Provincialem Miniſtrum*: niſi etiam aſſerere velimus, eo temporis longo decurſu, ſancti Evangelii Provinciam, veluti acephalum corpus, ſuo præcipuo moderatore caruiſſe. Corrigendum eſt etiam de re hujuſmodi mendum auctoris Bibliothecæ Hiſpanicæ, qui ex duobus Alphonſis de Scalona videlicet, & de Molina, nullo hiſtoriæ fundamento nixus unicum facit, ut perſpicuum erit, quando in ſequentibus utriuſque acta narrabimus.

Franciſcus de Scalona apud Indos mirabilis. *Gonz. in Prov. S. Ev. Conv. 1. Leon. de Neap. ex Baret. tom. 2. lib. 8. cap. 67.* Dat nomen Minoritis.

Mexicano idiomati dat operam.

Munera quibus fungitur.

Ejus labores.

* *Minus vere apud Gonz. cit.* Miniſtri Generalis *legitur*. Provinciam S. Evangelii petit. *Gonz. & Baret. cit.*

Gubernat. To. 3. par. 1. fol. 281.

Biblioth. Hiſpan. Tom. 1. pag. 52.

IX. Animarum ſalutis zelo perductus, ad eaſdem tranſivit Regiones Antonius de ſancto Joanne, qui primo Sacerdos, & Archipresbyter fuit in loco de Campis: Divi autem Franciſci habitum ſuſcepit in Provincia Conceptionis. Licet provectæ ætatis, indigenarum nihilominus linguam addiſcens, magnos prorſus in Dei vinea exantlavit labores. Anno itaque MDXLIII. Guardianus Tullenſis inſtituitur, primuſque omnium ejus regionis Indis ſanctiſſimum Chriſti Corpus in Euchariſtia præbuit: unde gratiſſima apud eos re-

Antonius de S. Joanne apud Indos. *Gonz. Prov. S. Evang. Conv. 1. Artur. 12. Junii.*

cor-

Anno Christi 1554.	Julii III. an. 4. & 5.	Caroli V. Imp. an. 35. & 36.	Religionis Minorum anno 347.

cordatione, tum ob id memoria ejus celebratur, tum etiam quia Guardianus ſecundo exiſtens anno MDL. de juſſu Servi Dei Torribii a Motolinia Provincialis tunc Miniſtri Provinciæ ſancti Evangelii, unus omnium primus ſornice exornatam divi Joſephi Eccleſiam incœpit, quam hoc anno abſolvit: tum denique ob merita ejus præclara, quibus exornatus deceſſit e vita apud Mexicanum Conveotum. Alterum Antonium Laurerium, de quo non ſemel Waddingus; itemque Antonium alterum nuncupatum Caſalium, circa hæc tempora in Indiis Orieotalibus floruiſſe conjicimus celebres Minoritas. Hic apud eas gentes, & in Cambajæ regno præcipue, mira egit, maxime, cum ſub Joanne Caſtrio, Indiæ Prætore, apud Dium validiſſimum propugnaculum, prælium eſt, contra Infidelium phalanges, Chriſtianos Milites, ſub hora conflictus excitans ad pugnam. Qua de re Maffejus inquit, *loco excelſo, ut undique conſpici poſſet Antonius Caſalius Franciſcanus inſigni pietate ſacrificat: Deumque precatus, ut in hoſtes Eccleſiæ Sacroſanctæ, formidinem, ac terrorem averteret: Chriſtianos, quo alacrius capeſſant pugnam noxis omnibus, Pontificia poteſtate, expiatos abſolvit; .... Una Caſalius ornatu quam auguſtiſſimo trabeatus, Chriſti ad Crucem affixi attollens imaginem, concionabundus aderat* &c. Sicque feliciter dimicatum eſt, ut ejus precibus ad Deum ſuſis noſtri victoriam reportaverint de Mamudio Cambajæ Rege. Paulo poſt etiam idem Chriſtianus exercitus alia potitus eſt victoria contra Idalcam Turcarum Dinaſtam, virtute orationis ejuſdem Ven. Patris: quæ omnia a pluribus hiſtoricis confirmantur.

Wadd. ad ann. 1505. n. 2. ann. 1510. n. 2. Maffejus lib. 5. hiſt. Indiarum.

Maffejus cit. lib. 13. verſus finem.

X. Quum hoc anno in Cœnobio de Maniaretes Provinciæ ſancti Gabrielis die ſancto Franciſco ſacra provincialia celebrarentur Comitia, ac ſupremus Ordinis Miniſter adſtans, ſanctum Petrum Alcantarenſem ad regendam iterum Provinciam, licet reluctantem, cuperet deſtinare, locus poſtulare videtur, ſancti Viri hiſtoriam alibi in Annalibus permixte breviterque narratam ſuis diſtinctam temporibus proſequi, ut ſervatam a Waddingo ſcribendi rationem ſequamur, nullamque omittamus curam & ſtudium, quo res præclaræ in Ordine noſtro geſtæ exacte, diſtinctæque chronologiæ illigatæ legibus fiant illuſtriores. Votis igitur non Præſulis, ſed Petri arridente Dei providentia, quia Vir ſanctus ad majora vocabatur, regiminis impedimentis ſolutus rigidiorem vivendi formam in Ordine promovere exoptabat. Ob id hoc eodem anno in ſolitarium locum ſecedens, ibique corpuſculum pœnitentiis attritum novis afflictationibus crucians, ut perpetuo poſſet in hujuſmodi vita permanere, Roderico Domino de Chaves, cui Vir Dei erat a ſpiritualibus conſiliis, opitulante, a Summo Pontifice facultatem obtinuit. Hæc moleſte audiens Miniſter Provinciæ, ad cujus pedes provolutus Petrus Pontificium diploma obtulit, ut eum permaxime a concepto propoſito dimoveret, omnem lapidem movit. Demum Petri rationibus victus, annuit. Mox Vir ſanctus verſus Cauriam Epiſcopalem urbem Caſtellæ veteris in Extremadura, aſſumto ſocio ſibi cariſſimo Michaele *de Catena* nuncupato, ad exoptatum ſeceſſum inquirendum proficiſcitur, ut anno ſequenti dicemus.

S. Petrus de Alcantara iterato ad Prov. S. Gabrielis Miniſterii vocatus. *Monum. MSS. Prov. S. Joſeph. Franc. Marcheſius in Vita ejuſdem lib. 2. cap. 2. Laur. & S. Paulo. Joan. a S. Bern. lib. 2. cap. 21.* Regimen reſpuit. Rigidiorem vivendi formam promovet.

XI. Hoc eodem anno, quo Alphonſus, & Petrus Alcantarenſis ſuperſtites in agro Dominico ingentes labores exantlabant, complures hujus ætatis Ordinis Seraphici Alumni ſuis finem glorioſa morte impoſuerunt, inter quos merito principem locum habet Bernardinus Aſtenſis, ſemel atque iterum Capuccinorum familiæ generalis Præfectus, qui leges ad renovandam religioſam diſciplinam accomodatas vulgavit, ficque ſquallorem Ordinis Okini vitio contractum deterſit, eumque in priſtinum dignitatis, & honoris locum brevi re-

Bernardinus Aſtenſis Capuccinus. *Bover. ad hunc annum. Wad. To. XVI. ad annum 1535. XXXIX.*

reſtituit. Sed præclaris etiam exemplis, virtutibuſque teneruni gregem caſibus proſtratum erexit; oratione præcipue, in qua divini ſpiritus impetus, quibus Dei Servus agebatur, tam admirabiles erant, ut omnem propemodum admirationem excedere viderentur. Hos ferventiores orationis fructus fovebat perpetua atque diſcreta quædam, tam in victu, quam in veſtitu vitæ auſteritas, qua fiebat, ut tametſi vinum, communeſque cibos non reſpueret, iis tamen uteretur tam parce, ut vix ad naturæ ſuſtentationem, nedum ad itinerum labores ferendos ſatis eſſe viderentur.

Ejus recenſentur virtutes.

XII. Ingens quoque in Bernardini corde erga ſeraphicam paupertatem æſtuabat zelus, & caritas emicabat, quam ægrotis præſertim oſtendere, eoſdem ſæpe inviſendo, ſolando, juvando, nuſquam deſtitit. Hinc factum eſt, ut illuſtrem Servi ſui ſanctimoniam ſignis non paucis Deus oſtendere dignatus ſit, inter quæ meritis precibuſque ſancti Viri, aquam in vinum converſam fuiſſe, auctores qui ejus acta recenſent affirmant. Tandem ſenio, laboribus corporiſque incommodis confectus, Romæ lethali morbo corripitur. Sacramentis propterea devotiſſime ſuſceptis, Fratreſque ad ſe accerſitos, ad regularis diſciplinæ obſervantiam adhortatus, quarto Idus Maji, Arturo teſte, obdormivit in Domino apud ſuos, ut par erat, honorifice tumulatus. A pleriſque etiam extra Capuccinorum cœtum hujus beati Viri celebrata ſunt acta, inter quos tamen caute Olyſſipponenſis legendus, dum ſcribit, Bernardinum Aſtenſem Capuccinorum familiæ primum omnium inauguratum generalem Præfectum.

Caritas cum ægrotis.

Aquam in vinum convertit.

Moritur. *Rodulph. lib. 2. cap. 57. Gravina in voce Tartar. par. 2. cap. 23. Marcus Ulyſſipponen. par. 3. Chronic. Min. lib. 2. cap. 57. Artur. ad 4. Idus Maji in Martyrolog. Franc. & alii.*

XIII. Alter præclarus Capuccinus diem obit extremum Bernardus Enneus, ſive a Caſtro Joanne appellatus, qui poſt vitam magna cum puritatis, ac cæterarum virtutum laude tranſactam, admirabili patientiæ exemplo, vitam cum morte commutat. Vix hic animam efflarat, Daniel Leontinus Clericus, qui eo tempore cum morte colluctabatur, Bernardum tunc defunctum vultu hilari ſibi adſtantem aſpexit, iterque ad Cœlum parantem. Cujus aſpectu nimirum in modum exultans, cum nihil de Bernardi ſocii morte illi renunciatum eſſet, protinus exclamat; *En venio, Bernarde, en venio*; Tum vero circumfuſos Fratres rogat, ut aliquantiſper Bernardi ſepulturam differant, ut eadem utrumque ſimul condat: *An non* (inquit) *cariſſimum ſocium me exſpectantem videtis?* quo dicto, cum jam jam animam ageret, adſtantes Fratres his verbis compellare cœpit: *Eja Fratres, aſſurgite, ac tot venientes huc ſanctos digna veneratione exſcipite: En hic meus inter alios adeſt ſanctus Joſeph, quem ſingulari ſemper devotione, quoad vixi, proſecutus ſum*: Atque inter hæc verba lætus Deo animam reddit, ſocioque ad Cœlum eunti conjungitur. Hujus Venerabilis Adoleſcentis acta ipſe Boverius ad annum MDXLI. recenſet.

Bernardus Enneus, ſive a Caſtro Joanne Capuccinus. *Flor. Seraph. Tom. 2. fol. 314.*

Flor. Seraph. ubi.

XIV. In Cœnobio ſancti Honuphrii Provinciæ ſancti Angeli, deceſſit die XI. Septembris Sebaſtianus de Cilento Presbyter humilitate, ac religione præclarus, qui vivens ſigno crucis adoleſcentem a graviſſimo, quo premebatur morbo, ſanavit. Moriturum ſacramentali confeſſione peracta, a tempore, quo Franciſcanæ fuerat aſcriptus familiæ, nulla lethali labe felicem animam maculaſſe, Confeſſarius teſtatus eſt; quem propterea æterna gloria fuiſſe donatum pie credimus. Die XXV. Aprilis in Cœnobio ſanctæ Crucis Piſarum Servus Dei Nicolaus in eadem urbe natus mortalitatem exuit, quem horam ſui obitus prædixiſſe narrant. Cum eodem ſunt etiam tumulati, diverſis tamen temporibus, Antonius, Paulinus, & Laurentius, ejus indigenæ, quorum duo primi presbyteratus inſigniti ordine, virtutibus, & doctrina fuerunt illuſtres; tertius vero profeſſione laicus, morum integritate,

Sebaſtianus de Cilento. *Gonz. in Prov. S. Angeli Con. 5. Gravina in voce Tartar. parte 2. cap. 24. Archang. de Monte Sarculo hiſtor. Prov. S. Angeli fol. 29. Monum. MSS. Prov. ejuſd. ex Archiv. S. Iſidori Arm. 5. n. 145. fol. 202.*

Nicolaus de Piſis.

tate, virtutibuſque univerſorum Civium ſibi conciliabat amorem. De patrio recenſito Cœnobio optime meritus in diuturnum, & gravem incidit morbum, ægrotumque tanta ſodales remiſſa pietate ſunt proſecuti, ut quaſi nemo eum inviſeret. Aſt, Dei providentia diſponente, Domi præfectus, & etiam, quibus cura erat ægrotorum commiſſa, merito diuturniori, atrociorique morbo cruciati fuerunt, & acerbiſſime afflicti. In Conventu etiam ſancti Miniatis beatam exalavit animam Venerabilis Dei Servus Baptiſta de Panzano item Sacerdos, qui ob præclaras dotes pluries Provinciæ præcipua Cœnobia regere, cæteraque munia, vel invitus ſubire juſſus, univerſa communi applauſu præſtitit, animarumque fructu. Tertius in eadem Tuſciæ Provincia accedit Angelus Magazinius Pratenſis, quem Pulinarius a ſacra prædicatione, vitæ auſteritate, regulariſque diſciplinæ obſervantia ſummopere commendat. In Cœnobio ſanctæ Mariæ de Angelis, non *in Cantiani* (vulgo *Corlani*) ut perperam Gonzaga, & ex eo Waddingus, ſed in Caurienſi Epiſcopatu Provinciæ ſancti Gabrielis in Extremadura, ſub Compoſtellano Archiepiſcopo naturæ conceſſit eximius Dei ſervus Franciſcus Civitatenſis, vel *de Ciudad Rodrigo*, qui ad ejus Provinciæ clavum ſedens, atque prophetico ſpiritu donatus, die v. Februarii obdormivit in Domino. Item in Cœnobio Beatæ Virginis de Angelis Garacici, Canarienſis Provinciæ, diem extremum obivit celebrandus Dei ſervus Ludovicus Lerma, qui Seraphicum induit habitum Lacunæ in Conventu ſancti Michaelis Victoriarum; Inde vero Garacicum ablegatus, Conventum eumdem incoluit, ubi tanta humilitate, tantaque vitæ ſanctimonia uſque ad halitum perſeveravit, ut certiſſimam ſui exitus horam prænoſſe, atque multis miraculis clarere meruerit. In iiſdem ſacris Ædibus Michael Laicus de Garacico dictus, evolavit ad ſuperos. *Tanta is fuit* (ait Gonzaga) *humilitate prædituſ, tanta præterea caritate, oratione, atque paupertate inſignis, ut per triginta continuos annos in cullinæ obſequio Fratribus hoc in loco inſervire voluerit, nihilque unquam alicui denegaverit. Unico, eoque pauperrimo per totius vitæ curriculum habitu contentus. Inter orandum raptus, atque e terra in altum abſtractus, quam ſæpiſſime viſus eſt.* Monachii in Bavaria Joannes Vinzlerus Lutheranis infenſus, & propterea bene de Catholica, deque Seraphica Religione meritus, ſuis glorioſis laboribus finem impoſuit.

Leonar. de Neap. ex Baret. par. 4. Tom. 3. l. 1. c. 26. Antonius, Paulinus, & Laurentius d. Ptis.

Monum. MSS. Prov. Tuſcia.

Baptiſta de Panzano.

Pulinar. par. 2. pag. 163.

Monum. MSS. Prov. Tuſcia.

Angelus Magazinius.

Ibidem.

Baudran. in Alphabetic. deſcrip. Epiſcopatus Orbic.

Laurent. Friculius in Provincial. ſub Archiep. Compoſtell.

Franciſcus Civitatenſis.

Gonz. in Prov. S. Gab. Con. 1. Artur. 5. Febr. Wadd. ad ann. 1214. xx.

MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 14. fol. 27.

Ludovicus Lerma.

Gonz. in Prov. Canar. Conv. 6. Ruiſſa in Auctar. SS. Belgii 19. Novemb. in Eliſabetha Hungar.

Michael de Garacico.

Gonz. cit.

Jo. Vinzlerus.

Menolog. Franciſc. ad 10. Maji.

XV. Sanctimonialium quoque Ordinis noſtri ad Cœlum pleraſque animas evolaſſe traditur, eamque præſertim Mariæ de Arguello, quæ ex illuſtri progenie Hiſpanica *de los Cabayales de Caſſeres* ſuum duxerat ortum, & in Monaſterio Tertii Ordinis ſanctæ Mariæ de Porta Cœli Provinciæ ſancti Jacobi extremam diem obiit. Inter cætera virtutum inſignia eximia erga pauperes pietate Maria a Domino decorata eſt, quibus alendis cibum etiam ei præſignatum ſolebat in dies diſtribuere, manuumque ſuarum laboribus eleemoſynas conquiſitas non eſt dedignata elargiri. Divina ſic diſponente providentia, diutiſſime cœcitate perculſa, hilari vultu his verbis conſuevit conqueri: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*; propterea ſpiritu prophetico illuſtrata, multa, cum Sororum ſuarum admiratione, prædixit.

Maria de Arguello.

MSS. auth. Prov. S. Jacobi ex Archiv. S. Iſidori Arm. 1. n. 52. fol. 406.

XVI. Sub idem tempus e vivis exceſſit Philippus de Dulcetto, aut Dulcetus, Siculus Agirii ſive Argiriæ natus, tertii Inſtituti Alumnus, qui a pellice invitatus ad turpia, victor ad eremum confugit, ingentibuſque vivendi rigoribus aſſidue addictus vixit. Exinde a viro amico aſperiorem locum edoctus, inibi pane crudiſque herbis contentus, plures annos ſolitarius tranſegit. Tam admirandæ pœnitentiæ exemplo undequaque odore perfuſo, plures habuit ad ſe confugientes imitatores, quibuſcum orationi, laboribus, vigiliiſ-

Philippus de Dulcetto.

MSS. auth. Prov. Sicilia ex Arch. S. Iſidori Arm. 2. n. 46. fol. 500.

giliiſque indeſinenter operam dedit, quouſque ad Tertium ſancti Franciſci Ordinem vocati, Philippus, ſocio aſſumto, die VII. Martii anni MDXXX. ad Cœnobium de Jeſu Cammaratæ, ubi Minoritæ ſua celebraturi erant provincialia Comitia, perrexit, quibus Philippo ſuam vivendi rationem cum ſociis in eremo, tum ſui, ſuorumque deſideriorum, ut Tertio Ordini aſcriberentur, exponente, juſtis petitionibus pius Miniſter aſſentitur; dato propterea diplomate, per quod pœnitens hujuſmodi Eremitarum cœtus perpetuo Franciſcano Ordini eſt aggregatus; utque inter ſeſe poſſent ſuum præfectum eligere, cæteroſque venientes ad Tertium Inſtitutum profitendum recipere conceſſum eſt. His impetratis, ad ſuos feſtivus ac lætus revertitur, quibus cum gratias Deo agere maximas nullo tempore deſtitit. Inde Seraphici Parentis contendens imitari acta, ut ſacra Principum Apoſtolorum, & beati Jacobi, item Apoſtoli corpora, necnon Marianam Domum Laureti inviſeret, cœpit deſiderio flagrare. Quum autem, quas in agro Dominico plantas exſcoluit jam jam fructus non paucos conſpexiſſet afferre, Minoritis etiam pro ſuo munere operam dantibus, nullum Philippo ſe præbuit ad ſanctum iter impedimentum. Valedicens ergo Pater optimus gementibus filiis, peregrinationem conſtitutam aggreditur, qua Compoſtellæ, ſimulque Laureti votis expletis, ac Romam demum ingreſſus, inibi Cardinalis Protectoris Ordinis fretus auxilio, pro puſillo ſuo grege multa impetravit ſpiritualia a Summo Pontifice beneficia. Sacris donis onuſtus in Inſulam, Eremumque inde revertitur, prolemque ſuam feliciter exſcreviſſe conſpiciens, gaudio ſuperabundans, nova loca in vicinio eſt coactus acquirere. Demum ſpiritu prophetico miraculiſque coruſcans verus Seraphicæ paupertatis cultor, meritis dives, vigeſima quarta die Julii cum vita æterna mortalem permutavit, poſt obitum etiam ſignis perſpicuis decoratus a Domino.

Maria de Apoſtolis. *Monum. MSS. Prov. Caſtellæ ex Arch. S. Iſidori arm. 3. num. 32. fol. 97.*

XVII. Eumdem Tertium Ordinem ingreſſa eſt Maria nuncupata de Apoſtolis, quæ hoc item anno a cœleſti Sponſo vocata fuit ad nuptias. Gonſalvo Fernandeſio de Corduba, vulgo *Magnus Dux* primum; inde in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Cruce Provinciæ Caſtellæ Deo Optimo Maximo famulata, ibi nonageſimum annum agens, Seraphici Parentis vera æmulatrix ſeptem quadrageſimarum, quas ille ſibi præſcripſit, arcta methodo rigidiſſimum jejunium ſervavit, ſuper nudam humum procumbere ſolita. Tandem vigeſimo ſupra centeſimum ætatis ſuæ anno (quod dubio procul mirum in corpuſculo pœnitentiis attrito videri debet) ut ævo perpetuo in Cœlo viveret, animam exhalavit.

Decedunt viri doctrina præſtantes. *Wad. de Script. Ordinis. Rodulph. de iiſdem. Bibliotb. Franc. Petrus Crabbius. Itinerar. Germ. lib. 4. MSS. auth. ex Arch. S. Iſidori arm. 5. n. 144. fol. 58.*

XVIII. Quamplures item viros conſpicuos litteris, atque virtutibus emicantes, qui in Ordine hac florebant ætate, terrenis vale dixiſſe, a Seraphicæ Hiſtoriæ Scriptoribus, & præſertim a Waddingo docemur. Inter ipſos principem locum meretur Petrus Crabbius, quem perperam a Gramayo *Scabbium* nuncupatum fuiſſe idem Waddingus obſervat. Hic Mechliniæ, ſive Machliniæ urbis in Belgio (cujus Eccleſiam, curante Philippo II. Hiſpaniarum Rege, Paulus IV. ad Archiepiſcopalem dignitatem evexit) ortus, ubi Cœnobii Præfectum iterato egit, litteris Eccleſiaſticis adeo feliciter operam dedit, ut Generalia, & Provincialia Concilia ab Apoſtolorum tempore, ad ſuam uſque ætatem inceſſanti labore duobus voluminibus, Coloniæ primum, anno MDXXXVIII. apud Petrum Quentel impreſſa collegerit, quod inde auxit uſque ad quatuor Laurentius Surius, & ſucceſſivis temporibus cæteri ampliatis collectionibus Petri exemplari utentes, permaximam eruditis utilitatem attulerunt. Eadem in urbe, in qua duxerat ortum, vir celeberrimus, hoc anno ætatis ſuæ tertio ſupra octogeſimum, Idibus Auguſti ultimum clauſit diem.

De

De Petro laudatus Surius hæc habet: *Annis ſuperioribus multo labore, & ſudore ex diverſis bibliothecis, quidquid Synodorum haberi poterat collegit, atque in unum corpus, tum Synodos, tum Epiſtolas Pontificum decretales redegit, ſuoque digeſſit ordine vir doctus, & pius Petrus Crabbe apud Mechliniam profeſſione Franciſcanus, videlicet, gratificaturus tum ſtudioſo lectori, tum Reipublicæ Chriſtianæ, cui non erat neſcius quantum is labor compendii eſſet allaturus.* Natalis vero Alexander fuſiori, clariorique ſtylo hæc habet: *Petrus Crabbius, Mechlinienſis Ordinis Fratum Minorum Profeſſor, vir diligentiſſimus, conquiſitis veterum Conciliorum exemplaribus pluſquam quinquaginta, novam eorum Collectionem adornavit, multo locupletiorem ea quam Merlinus emiſerat. Nam præter varias Synodos, & Epiſtolas ſparſim editas, primus edidit Geſta Concilii Chalcedonenſis ex recenſione Ruſtici S. R. E. Diaconi: Liberati Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconi Breviarium de cauſa Neſtorianorum, & Euthychianorum: Conciliium Lateranenſe ſub Innocentio III. celebratum: Appendicem uberrimam Concilii Conſtantienſis: Epiſtolas, & Reſponſiones Synodales* XVII. *Concilii Baſileenſis: Geſta Concilii Florentini ex interpretatione Bartholomæi Abrahami Cretenſis: & Vitas Pontificum Romanorum. Anno poſtea* MDLI. *idem Crabbius nova editione donavit Collectionem ſuam Conciliorum in tres Tomos diſtributam, in eaque nonnulla addidit, quæ non extabant in prima, nimirum Concilium Nicænum ex verſione Latina G. Longi, quæ paucis ante annis prodierat in Germania: Appendicem Concilii Baſileenſis, in qua habetur etiam Joannis Patriarchæ Antiocheni Opuſculum de Superioritate Concilii ſupra Papam: Concilium Lateranenſe ſub Julio II. & Leone X. celebratum: Concilium Senonenſe Antonii Cardinalis Pratenſis: Concilia Colonienſia Hermanni, & Adolphi Archiepiſcoporum: Maguntinum Sebaſtiani Archiepiſcopi: quædam Acta Tridentini: variorum Epiſcoporum Conſtitutiones Synodales, &c. Obiit Crabbius die trigeſima Auguſti* MDLIV. *ætatis octogeſimo tertio.*

Sur. Tom. 1. Epiſt. ad Philipp. II. Hiſp. Reg.

XIX. Sed non ita honori confert alterius Minoritæ, Joannis Feri videlicet, aliud elogium, quod in ejus laudem, ne dicam convicium, contexuit Jacobus Auguſtus Thuanus, vir de Romana fide non ita recte ſentiens, ſicuti catholicum virum ſentire oportet, dum ſcribit, hunc eumdem annum ultimum fuiſſe *Joanni Fero profeſſione Franciſcano, qui in Maguntinenſi Eccleſia concionatorem egit, multaque ſcripſit tanta moderatione, ut ſciſſa ob religionis cauſam Germania, ab utraque parte gratiam meruerit, tandemque in laudabili munere ſuo aſſiduus, die B. Mariæ natali ad meliorem vitam migravit.* Sed rem aliter ſe habuiſſe Waddingus, Rodulphus, Natalis Alexander, cæterique Scriptores ſanioris fidei teſtantur. Ait namque Rodulphus, *quod Joannes fuit a primatibus hæreticæ pravitatis ſæpius requiſitus, ut eorum ſententiis, relicta vera Religione, & monaſtico cultu, adhæreret: ſed fruſtra illis nitentibus, in fide catholica perſeveravit, & annos* XXIIII. *ſummæ ædis Maguntinæ Eccleſiaſtes honorifice fuit, & ibidem ſexagenarius diem extremum clauſit.* Vir ergo eruditione, ſed magis fide clarus, latino & ſat culto ſermone multa edidit opera, inter quæ prodierunt *Commentaria in Geneſim*: Facies Moyſi, Lovanii apud Arnoldum Byrchmanum anno MDLXIV. in 8. & apud Gervaſium MDLXV. Coloniæ MDLXXII. *In Exodum*: Quoniam fidelibus; *In Numeros*: Inſignem illam; *In Deuteronomium*: Hactenus de profectione; *In librum Joſue*: Hactenus ex Moyſe; *In librum Judicum*: Non temere eſt; *In Job*: Spopondi proxima concione. Prodierunt libri hujuſmodi Coloniæ MDLXXIV. *In Eccleſiaſten*: Juxta litteram, Maguntiæ apud Victorem anno MDL. in 8. *In Pſalmum* XXXI. Lugduni per Gulielmum Robi-

Joannes Ferus. *Graveſon To. 7. Hiſt. Eccleſiaſt. colleq. 5. Wadd. &c. Thuan. lib. 13. hiſtor.*

Vindicatur. *Wad. de Script. Ord. Rodulph. lib. 3. hiſt. Seraph. pag. mihi 327. Natal. Alexand. Tom. 9. fol. mihi 190.*

lium anno MDLXXVII. *In Psalmum* LXVI. Antuerpiæ, anno MDLVII. *In Esther*, *In Esdram*, *& Nehemiam conciones* lingua Germanica. Latinæ prodierunt Lugduni hoc anno. *In Threnos Jeremiæ*: Si cognoviſſes &c. Lugduni apud Hæredes Jacobi Junctæ anno MDLXII. in 8. *In Jonam*, Antuerpiæ apud Martinum Nuncium MDLVII. Lugduni hoc anno, Venetiis apud Joannem Bariletum MDLXVII. in 8. *In Matthæum*. Moyſes a Geneſi Mundi, Compluti apud Andream de Angulo MDLXII. *In Joannem* Summa totius Evangelii, Ibidem MDLXIX. *In Paſſionem Domini*: Quod ſic Lucas dicit, Antuerpiæ apud Nuncium anno MDLXV. & eodem anno apud Andream Reevenoldum in 8. *In Acta Apoſtolorum*; Hujus capitis primi, Coloniæ MDLXVII. Venetiis apud Jacobum Pivharium anno MDLXVIII. in 4. & Pariſiis apud Michaelem Sonnium eodem anno. *In Epiſtolam ad Romanos Exegeſin*. *In Epiſtolam primam Joannis*: Non ſolum eodem modo. *Conciones in Dominicas Anni, & Adventus Domini*, Lugduni apud Joannem Trellonium MDLV. *Conciones ab Adventu uſque ad Paſcha*, Venetiis apud Dominicum Lilium anno MDL. in 8. & Coloniæ hoc anno in 4. *Conciones in Dominicas poſt Pentecoſten*, Antuerpiæ MDLX. *Poſtilla, in qua ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis diebus decem Conciones attribuit*, Germanice, Moguntiæ anno MDCLXIX. in fol. *Sermones de Sanctis*, Lugduni anno MDLIX. *Quadrageſimalia duo*, primum in duo poſteriora capita *libri primi Eſdræ, & hiſtoriam Evangelicam de peccatrice Muliere*, alterum *de Filio Prodigo*, Antuerpiæ anno MDXLIV. MDLVII. & Venetiis apud Joannem Bariletum anno MDLXVII. in 8. *Aliquot Opuſcula in unum congeſta volumen*, Lugduni apud Bonitium anno MDLXVII. *Precationum libellum* Moguntiæ impreſſum. *Examen Ordinandorum, in quo ad quæſtiones Sacrorum Ordinum candidatis proponi ſolitas aliæ adjunguntur*, Lugduni apud Rovillium MDLV. Hæc opera, quibus Joannes litterarium ditavit Rempublicam, ita, teſte Waddingo, odio perciti labefactarunt Hæretici, ut merito Romano Indici ſint inſerta. Ab his tamen ſunt excepta Commentaria in Matthæi, & Joannis Evangelia, & in ejuſdem ſancti Joannis primam Epiſtolam, quamvis Dominicus Soto Segobienſis, ex Dominicana familia ſuper eadem Commentaria in Joannem annotationes quaſdam ediderit, oſtendens, loca inibi ſexaginta ſeptem eſſe caute legenda. Huic Michael de Medina Minorita, Dominici in Concilio Tridentino collega, de quo infra, edito apologetico, ſatisfecit. Fuere propterea hæc ipſa impreſſa Romæ in Populi Romani Ædibus anno MDLXXVII. quorum nos exemplaria legimus.

Cornelius Dontherius. *Wadd. cit.*

XX. Dignus etiam memoria cenſetur Cornelius Dontherius, eodem anno vita functus, qui Nivellis, quod Belgii oppidum eſt, in Brabantia, Franciſcani Cœnobii præfectus, ingenio & ſanctimonia clarus, patrio idiomate libellum edidit de effuſionibus Sanguinis Chriſti, non ſemel excuſum. Circa hæc tempora claruit etiam Franciſcus Vita Polintius ex Conventualium familia, quem Concilio Tridentino interfuiſſe, inibique operam præſtitiſſe apud Petrum de Aragonia Cardinalem, & Panormitanum Archiepiſcopum, Waddingus adnotavit. Ortum is duxit in urbe Pactarum in Sicilia; ediditque tractatus *de Juſtificatione, deque Sacramento Euchariſtiæ*. Idem Waddingus merito ſuſpicatur, num is fuerit ille Franciſcus Minorita, aut alius quiſpiam, qui Antuerpiæ publico prælo dedit *Epiſtolam de Orbis ſitu, & deſcriptione*, ad Panormitanum Epiſcopum; cui quum eſſet a Theologicis, Epiſtolam illam potuit eidem direxiſſe eruditione confertam. Nos item merito ſuſpicamur, num a Franciſco de Pactis diverſus fuerit, licet diverſus in horum Annalium Continuatione legatur.

Franciſcus Vita Polintius. *Wadd. de Script. Ord.*

Tom. II. ad ann. 1546 n. 30.

Nicolaus Grandis. *Wadd. cit.*

XXI. Nicolaum Grandis Pariſienſis Facultatis Theologum, circa hæc tem-

tempora claruiſſe, licet conjicere ex ejus eximiis operibus, quæ tanto cum eruditorum profectu vir pietate, atque doctrina conſpicuus evulgavit. Sunt autem *Commentaria in Epiſtolas Pauli ad Romanos*, quæ Franciſco Valeſio Galliarum Regi obtulit, etiamque *Commentaria in Epiſtolam ad Hebræos*, innumeris PP. ſententiis, ut ait Waddingus, exculta, quibus ubi ſe locus offert, non uſquequaque probandi, potius lenitate, modeſtiaque chriſtiana lapſos erigere, quam ſermone cenſorio, atque objurgatorio exaſperare mavult. Operis eſt initium: *Summæ ingratitudinis inſimulare*, prodiitque Pariſiis his temporibus, anno MDXLVI. *Graveſon To. 7. Hiſt. Eccl. ſecul. XVI. colleg. 5.*

XXII. Idem judicium de Didaco Stella fieri debere quædam ejus opera, quæ hoc anno publici juris fecit, ſatis ſuperque innuunt. Fuit Didacus Stella, quem alii Luſitanum, alii vero Hiſpanum ex Regno Navarræ faciunt, Regularis obſervantiæ Compoſtellanæ Provinciæ (minime vero Provinciæ Caſtellæ, ut perperam ſcripſit Crouveus, pag. 87. ſui Elenchi editi Londini, anno MDCLXXII.) Theologus, eximius Concionator, ſcriptoribus Aſceticis celeberrimi minime poſtponendus, multa, eaque utiliſſima communis juris fecit. Ea ſunt. *In Evangelio ſancti Lucæ*, latine duobus in folio tomis, in quibus ſenſui litterali acute explicato addidit pleroſque ſenſus morales. Propter operis utilitatem & amœnitatem, poſt varias editiones hiſpanicas, prodiit tertio Lugduni ex officina Baraud MDLXXX. & Antuerpiæ MDLXXXIV. Iſtæ, ac ſubſequentes ſunt limatæ editiones; alias vero ante annum MDLXXXI. (MDLXXI. Natalis Alexander ex Waddingo ſcribit) exſpungendas cenſuit Romanus Index: *De contemnendis mundi vanitatibus libri tres*, hiſpanice, quos impenſe laudat ſanctus Franciſcus Saleſius, Cæſarauguſtæ MDLXXII. in 8. Latinos fecit Petrus Borgundus Societ. Jeſu, & edi curavit Coloniæ anno MDLXXXV. MDLXXXVII., & MDXCIV. Italice prodierunt Florentiæ anno MDLXXXV., & Veronæ MDCIV. Venetiis anno MDCXXVI. typis Joannis Guerigli, interprete Joanne Baptiſta Peruſco ejuſdem Societatis. Editionem hanc poſtremam tribus copioſiſſimis indicibus illuſtravit Franciſcus Montegrinus Minorita Obſervantiæ Regularis: *Meditationes de amore Dei*, quas fecit italicas idem Peruſcus, & prodierunt ſimul cum recenſito opere de *Vanitate Mundi*. Compluti MDXCVII. & Salamanticæ MDLXXXII. typis Petri Laſſo in 8. Latinitate donatæ a Joanne Governerio, prodierunt item Coloniæ MDCIII. in 16. apud Bibliothecam Barberinam, tom. 2. pag. 411. *De modo concionandi*, ſive *Rhetoricam Eccleſiaſticam*, latino ſermone; Salamanticæ ex officina Joannis Baptiſtæ a Terranova MDLXXVI. in 8. ibidem MDXCVI. Venetiis MDLXXXIV. in 16. Extant etiam ad calcem ſuorum Commentariorum in Lucam *Commentaria ſuper Pſalmum* CXXXVI. Incipit: *Super flumina* &c. Salamanticæ apud Joannem Baptiſtam a Terranova MDLXXVI. in 8. Prodierunt etiam ſimul cum *Rhetorica* Coloniæ apud Milium, anno MDLXXXVI. & MDLXXXVII. & Venetiis MDXCVIII. *Tabulæ rerum omnium, quæ in libris de vanitate Mundi continentur ad Evangelia totius anni diſtributæ*. Prodierunt Veronæ anno MDXCIV. in 16. inſuper ſermone hiſpanico edidit *Vitam, & laudes ſancti Joannis Evangeliſtæ*, Ulyſſippone MDLIV. Auctum vero a Chriſtophoro Moreno Minorita exſcuſum ſuit Valentiæ MDXCV. in 8. De tanto Auctore, domeſticis miſſis, agunt Ludovicus Moreri in ſuo Gallico Dictionario, Poſſevinus, Ludovicus Dupin, Graveſon Dominicanus tom. 7. ſæculo XVI. ac Joſephus Barcia, §. ultimo ſuæ Epiſtolæ ad Concionatores præmiſſæ, tom. 1. ſuarum Concionum Doctrinalium. Ipſum obiiſſe Epiſcopum, neſcio ubi Mireus habuerit, quum rem hujuſmodi Waddingus taceat, & acta Conſiſtorialia non referant. *Didacus Stella. Wad. de Script. Ord. Natal. Alexand. Tom. 9. fol. mihi 201. Biblioth. Franc. Graveſon cit.* *Natal. Alex. cit.* *S. Franciſc. Sal. p. 1. Epiſt. Lib. 2. Ep. 2. n. 14.*

Joannes Serrano Hiſpanus. *Biblioth. Franc. ſub lit. I.*

XXIII. His addere præſtat Joannem Serrano Hiſpanum ex Provincia Conceptionis Regularis Obſervantiæ (alterum ab eo qui fuerat Provinciæ Cartaginenſis alumnus, & de quo ad annum MDCXXXVII. quando deceſſit ſermo redibit) qui Guardianum agens Conventus de Phredes, vernacule hoc anno emiſit Opuſculum, cui titulus: *Inſtructio Viduarum Chriſtianarum*. Medinæ apud Franciſcum del Canto. Et Joannem alterum Fridericum nuncupatum Provinciæ Flandriæ, quam iterato moderatum fuiſſe, ſuique temporis nulli in verbo Dei diſſeminando præſtantia extitiſſe ſecundum, ipſius Provinciæ acta memorant. Didacum etiam de Sazedo hoc eodem anno deceſſiſſe in Cœnobio Penarandæ Provinciæ ſancti Joſeph in Hiſpania, quod anno MDLXX. conſtructum fuerat, Auctor Menologii Franciſcani hallucinatus ſcripſit, niſi error in notis irrepſerit. Defunctus eſt enim circa annum MDLXXX. ut ſuo loco referemus. Alterum etiam Baretius, & ex eo Leonardus addunt litteris illuſtrem quemdam *Hermannum* Apoſtatam, quem minus vere hoc anno obiiſſe affirmant, & quem Conradum Pellicanum appellatum dicemus ad annum MDLVI. quo ipſe miſerrime perditus naturæ debitum ſolvit.

Joan. Fridericus Flander. *Mſſ. mon. MSS. Prov. Fland.*

Gonz. in Prov. S. Joſ. Conv. 12. Menolog. Franc.

XXIV. Præter cætera ægregiæ benevolentiæ argumenta, quæ Summus Pontifex Minoritis præbuit, pleroſque ex iis doctrina, & probitate præclaros ad Eccleſiarum regimen hoc item anno evocavit. Archiepiſcopali ergo Platen. ſive *Rivi de Plata* (Argentei videlicet) *in Peruano Americæ Meridionalis Regno F. Petrum de Turre Ordinis Minorum de Obſervantia* die VI. Auguſti *per tranſlationem R. P. D. Joannis de Barros, ſive Barios ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ Novæ in Regno Granatæ*, præfecit. Roſſienſi Eccleſiæ in Hibernia ſub Archiepiſcopo Caſſelenſi in Momonia, & in Concagienſi comitatu ad oſtia Finei amnis (quæ urbs eum Roſſa Andreopolitani Archiepiſcopatus cavendum ne confundatur) *F. Mauritium Ophilium Theologiæ profeſſorem per obitum Vermitii Macarii die* XII. *Januarii*. Ebronenſis (Rodulpho Sbronens) in Judæa ſub Archiepiſcopo Hieroſolymitano, Hilarium Clericum (eidem Rodulpho *Chero*) Theologiæ profeſſorem die VI. Aprilis per obitum Bartholomæi cum facultate exercendi pontificalia in Civitate & Diœceſi Pictavien. PP. Conventuales, hos duos poſtremos ex ſua familia fuiſſe dicunt. Rapinæus, & Auctor Viridarii alterum addunt hoc anno Epiſcopum, Didacum Landa videlicet, quem omnium primum ad Jucatanenſem Eccleſiam fuiſſe promotum affirmant. Verum tamen primum Jucatani Epiſcopum fuiſſe Franciſcum Torallum melioris notæ Auctores aſſerunt, & ex Conſiſtorialibus actis eruitur. His accedit, quod Eccleſia de Jucatan a Pio IV. anno MDLXI. ad Epiſcopalem honorem evecta eſt; ac propterea non hoc anno Epiſcopum potuit Didacum habere.

Philipp. Ferrar. in Serie Ep. Petrus de Turre Ep. Rivi de Plata. *Acta Conſiſtor. in lib. Tax. Ferrar. cit.*

Mauritius Epiſc. Roſſien. *Acta Conſiſtorial. cit. Ferrar. cit.*

Hilarius Epiſc. Ebronen. *Acta Conſiſt. cit. Rodulph. lib. 8. in Ser. Epiſcop.*

Provinciale Roman. Frinelli.

XXV. Venetæ Reformatorum Provinciæ, quæ his temporibus *Cuſtodiæ* nomen adhuc habebat, hoc anno proprius Cuſtos iterum præſignatus eſt; habuit namque primum anno MDXXXIII. ut ex ejus Archivo eruitur, Dominico de Gubernatis teſtante. Ex Cœnobiis autem, quæ hoc anno fuere conſtructa, unum extitit illius oppidi Broſſarum, quod *Broças* hiſpanice nuncupatur, ſubeſtque ſacræ Alcantarenſi Militiæ cum perdevoti incolæ antiquum eremitorium, prædiis, atque poſſeſſionibus utcumque locupletatum, atque 500. paſſibus ab oppido diſtans, Provinciæ ſancti Gabrielis in Monaſterium evehendum obtuliſſent, ejus Fratres, impetrata prius ab Apoſtolico Nuncio tunc in Hiſpaniis agente, atque a Carolo V. Hiſpaniæ Rege, necnon & Alcantarenſis Militiæ Adminiſtratore, quorum hæ partes erant, facultate, hujuſmodi Conventum ex ejus poſſeſſionibus, atque prædiis primo divenditis, atque ex quamplurimis aliis eleemoſynis a præfatis oppidanis liberaliſſime col-

Veneta Provincia iterum proprium Cuſtodem habet. *Gubernat. To. 2. lib. 7. cap. 3.*

Conv. Broſſarum. *Gonz. in Prov. S. Gab. Conv. 18.*

collatis, in hunc Conventum, ſub beatæ Mariæ de Luce patrocinio, atque tutela vertendum curarunt. Cui etiam mutationi Clemens Monilianus Miniſter Generalis (Gonzagæ perperam Franciſcus Zamora *) & Andreas Inſulanus Commiſſarius item Generalis familiæ aſſenſi ſunt. Cumque poſtmodum inter iſtius, atque ſancti Michaelis Provinciarum patres, ob præſentis Conventus erectionem, lis oborta eſſet, contendentibus illis, quod eorum finibus circumſcriberetur ſibi injuriam fieri, iſtis vero reclamantibus, allegantibuſque, conſimilem ſibi aliquando in alterius Conventus conſtructione factam; in favorem tamen iſtorum, qui XVI. frequentius ſunt numero, ait Gonzaga, idque quibuſdam de cauſis hujuſmodi lis per præfatum Andream Inſulanum directa extitit.

* *Zamorenſis anno 1559. eſt Miniſter Generalis renunciatus.*

Gonz. cit. Rapin. decad. 8. in hoc Conv.

XXVI. Refectum eſt etiam a fundamentis Cœnobium ſancti Marci ruinæ proximum in jugulo Montis-Alti, ſive Altæ-Muræ V. M. P. ab oppido ſanctæ Crucis Caurianæ diœceſis in Hiſpania, & in eadem ſancti Gabrielis Provincia, de quo ſuo loco Waddingus, a Didaco Henriquetio ab Almanſa, Epiſcopo, qui Concilio Tridentino interfuit, quique abſque ſamulitio inter fratres tamquam unus ex ipſis converſabatur. Eidem pro ſua erga Ordinem devotione, Moniales quoque Salamantinæ, Ordinis ſancti Jacobi, ſubſidium contulerunt. Quinque illi Obſervantium familiæ Alumni, quos Auctor primi Voluminis hujus Continuationis narrat, in Cilen profectos, ibique apud urbem ſancti Jacobi Cœnobium fundaſſe, quod ſanctæ Luciæ Virginis Martyriſque ſumſit auſpicia, hoc anno, Petro de Valdivia urbis Præfecto jubente, ſimulque Senatu, & Canonicorum Capitulo, ipſis tamen Minoritis inconſultis, die VII. Aprilis ad novam ſibi oblatam ſe tranſtulerunt Eccleſiam, urbanis mœniis circumſcriptam, tituloque inſignitam ſanctæ Mariæ Liberatricis, cujus venuſtam imaginem Hiſpani hujus Regionis expugnatores ex Lima civitate ſecum attulerant; quod templum primum vero Deo hac in Regione dicatum extitiſſe fertur. Juxta eleganti cum forma Cœnobium exſtructum eſt, quod deinde Fratres inhabitarunt, priori ſanctæ Luciæ Monaſterio Patribus Ordinis Redemtionis Captivorum relicto. Cœnobium quoque Conceptionis eadem in Regione apud urbem, quæ hoc idem nomen glorioſiſſimum, *Conceptionis* videlicet, habet, hoc anno, piorum eleemoſynis fundatum eſſe, monumenta MSS. authentica Provinciæ SS. Trinitatis ſignificant; quamvis Gonzaga, anno anteacto hoc contigiſſe referat. Verum, Indorum timore civibus inde abactis, etiam Sodales Cœnobiolo valedicere coacti ſunt, donec urbem firmiori arce Hiſpanorum ope munitam, iterum ſunt cum incolis Fratres ingreſſi, ut ſuo loco dicemus. Corcyræ, quæ Jonii Maris inſula, ditionis Venetæ, quæque Ulyſſis naufragio, Alcinoique hortis percelebris olim extitit, Minoritæ, piorum civium ære, bene in hac parte merente fratre quodam Angelo Albanenſe, profeſſione laico, Cœnobium exſtruxere, quod nomine ſancti Rochi Confeſſoris ſumſit auſpicia.

Conv. S. Marci Altæ-muræ. *Wadd. ad ann. 1488. XXXIV. Gonz. in Prov. S. Gab. Conv. 9.*

Conv. S. Jacobi de Cile. *Gonz. in Prov. SS. Trinit. Conv. 1. Monum. MSS. Prov. ejuſdem, ex Arch. S. Iſid. Arm. 1. num. 18. fol. 390.*

Conv. Concept. de Cile. *Gonz. in eadem Prov. Conv. 2. Monum. cit.*

Conv. Corcyræ. *Philipp. Ferrar. in Lex. Geograph. Gonz. in Prov. Cand. Conv. 12. Angelus Albanenſis.*

XXVII. Non longe a fluvio Marida in Carpinetorum Comitatu, & infra Picenæ Provinciæ limites, juxta Maceani oppidulum, Feretranæ diœceſis, Pontifex anno elapſo facultatem eſt elargitus, ut Minoritis Domus extrueretur: *Inter curas &c. Nonas Junii.* Incolæ ergo pagi ejuſdem (quorum erga noſtros, & nos ſcribentes præcipuus fuit affectus, quum ad inviſendum pro noſtro Miniſterii Provincialis munere illuc acceſſimus) circa hunc annum Cœnobiolum pro ſuis viribus exſtruxere; ſed eo inde relicto, quod Fratribus non arrideret, aliud aptioribus regulis, noviſque impenſis ædificatum eſt, cujus Eccleſia eleganti forma conſtructa ſanctæ Mariæ de Oliva præfefert titulum. Quoniam autem exſtructio hujuſmodi in Lateranenſi ſolo facta eſt, ad illud

Conv. Macerat. *Gonz. in Prov. March. Con. 56. Monum. Prov. ejuſdem. Archiv. Vatic. in Regeſt.*

illud inviſendum Rmi Capituli Commiſſarius accedens anno MDCI. ſequens dedit decretum, quod nos ex authographo uti jacet italico, rudique ſermone confecto ad Cœnobii Archivum pertinente, & ad manus noſtras tranſmiſſo hic tranſcriptum exhibemus. *Capitulum, & Canonici Lateranen. Eccleſiæ de Urbe. Havendo Noi Don Giovan Battiſta Corrado dela terra di Medogno Dioceſe di Bari generale Viſitatore, & Commeſſario eletto dal Rmo Capitolo di San Giovanni Laterano di Roma in vedere tutti gli luochi immediati ſuggetti a detta Lateranenze Chieſa, & veder tutte le bulle conceſſe da detti Rmi Canonici a tutti Poſſeſſori de Chieſe, & beni a detta Lateranenze Chieſa ſpettanti, & tra gli altri eſſerci la Chieſa, & beni della Chieſa di Santa Maria della Palma de Mazziano membro Lateranenze; & perche detta Chieſa al preſente ſi detine co' bulle del detto Rmo Capitulo per gli Fratri di San Frauceſco de Minor Obſervanti co' bulle del detto Rmo Capitulo legitimamente: contutteccio eſſendoci ſtato dato in nota come detta Chieſa poſſiede alcuni pezzi di terre ſeminatorie, giardino, & vignale, quale cauſe per no poſſerli tenere dette terre, & vigne detti Fratri havevamo deliberato prenderni poſſeſſo come a quello che tocca al dett Lateranenze Capitulo per tant Noi havendo mo meglio conſiderat & conſiderando i paeſi ſterili & la poca abudanza de frutti, che in tali paeſi ſi trovano, come ancora bavendo mo viſto, che altri tempi prima che detta Chieſa fuſſe venuta impoter di detti Fratri ſi detineva per una Compagnia, & detta Copagnia hebbe cura di fare dele terre per farci ivi il campo, come anco nu paſtino un certo poco de vigna, la quale al preſente e in eſſer' & coeiguo a dett covent', & perche la proprieta no ſi puo tener' per detti Fratri come di ſopra ſi e detto, & per toglierli da peccato ne contentiamo relaſciar' detta proprieta ſi dele terre ſudette ſeminatorie come anco de una certa vigna cõtigua al detto cõvento alli Sindici che ſeranno pro tempore di detto convent' & no altrimente & ſi a detti Sindici o pur procuratori gli parera dargli per carita una parte o tutta di detti frutti provenienti da dette terre & vigne che relaſciamo in loro arbitrio. & coſſi nci pare expediente di proveder' in cio ſi per fare il noſtro officio come anco per toglier' da peccati alcuni che in cio penſaſſero impatronirnoſi, & quanto in cio ne naſcera & ſe ne poteſſe cavar' vogliamo ſi bene che detti Sindici che debbiano converter in utile di dett convent & coſſi da hora & per innazi vogliamo ſhabbia da exeguire & mandarſi da tutte le parti i effett tale nrã volunta non ſi facci altrimente ſott dela diſgratia deli Rmi Signori Canonici Lateranezi ſotto la qual cura detta Chieſa ſi erova ſubjacere. Datum in caſtro Mazziani in nrã generali viſitatione, die 2. Maii 1601. ſedence Clemence octavo anno ſui Pontificatus Decimo feliciter.*

Decretum Commiſſarii Capituli Lateranen.

Corradus Viſitator, & Comm. generalis Lateranen. per totam Italiam.

Conv. Caſſani. *Gonz. in Prov. Calab. Conv. 19.*

XXVIII. Prope Caſſanum Calabriæ Citerioris Epiſcopalem urbem ſub Archiepiſcopo Conſentino, Petrus Antonius Sanſeverinus loci Dominus, & Beretranus Princeps, pro ſua erga Ordinem noſtrum pietate, a Pontifice Maximo circa annum MDLI. facultate impetrata, domum Virgini Mariæ de Gratiis ſacram, decem alendis Sodalibus ſatis, ſuperque commodam, a fundamentis ad apicem uſque, hoc anno abſolvit, aut ſaltem incœpit. Incolæ inde ſuorum Principum pietatem æmulantes, ingenti amore Minoritas ſemper ſunt proſequuti. In eadem Calabriæ Provincia, & in erecto, aſperrimoque ſaltu agri ſancti Stephani Carthuſianorum, Squillacenſis Dioeceſis, qui *Brognatura* dicitur, ſexto lapide a Cœnobio ſancti Brunonis PP. Conventuales ſibi domum erexerant ſub titulo ſanctiſſimæ Annunciationis Virginis, cujus imago miraculis celebris in Eccleſia colitur, curante Thoma de Arena ejuſdem familiæ alumno.

Conv. de Brognature. *Monum. MSS. Prov. S. Nicolai PP. Conventual. Rodulph. fol. 279. Ex Arch. S. Iſid. MSS. Arm. 3. n. 48. fol. 547.*

XXIX. Cœ-

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 3-7.
1554	an. 4. & 5.	an. 35. & 36.	

XXIX. Cœnobium Rhegii Lepidi, Galliæ Ciſalpinæ præclariſſimæ urbis, quod Waddingus ex Gonzaga narrat, fuiſſe olim exſtructum, his temporibus, ex mandato Herculis Eſtenſis, Ferrarienſium, Rhegieſiumque Ducis hujus nominis II. ſolo æquatum eſt, ita exigente bello quod inter Hiſpaniarum, Galliarumque Reges, interque diviſos inter ſeſe Italos hac ætate graſſatum eſt. Non diſtulit tamen pientiſſimus Heros, & aliud Spiritus Sancti auxilio commendatum, tituloque inſignitum, ex publicis facultatibus, intra mœnia tamen, ad commodam xx. Sodalium habitationem, conſtruere, ſive potius reficere. Caprianus ſiquidem Palavicinus, nobilis Jnuenſis, atque Abbatiæ ſanctæ Mariæ de Merula Commendatarius, pietate & religione ſpectandus, cum pauperes Fratres loco pulſos in propium hoſpitum, atque Eccleſiam recepiſſet, eam ab illo, quod Fratribus uſui futura eſſet, cum hortis, adjacentibusque ædificiis, ex Pontificis auctoritate, juſto interim Rhegienſes perſoluto pretio, compararunt, atque in monaſticæ Domus formam redegerunt; quibus etiam pro viribus affecit Illuſtriſſima Livia Palavicina, quæ aram maximam propriis ſumtibus exſtruxit. Magna veneratione proſequuntur Rheginenſes pileolum quemdam ſancti Bernardini de Senis in hujus loci Sacrario aſſervatum, quod ad pellendos capitis dolores ægrotis plurimum conferat.

Conv. Rhegii Lepidi. *Wadd. ad ann. 1413. xxx. Gonz. in Prov. Bonon. Conv. p. Monum. MSS. hujus Prov.*

XXX. Cœnobium Montis Alcinoi, ſive Ilcini in Tuſcia, civitatis, quæ nunc Epiſcopalis ſedis honore potitur inter Montem Umbonem, & Senarum urbem a PP. Ordinis ſancti Benedicti attributum eſt Minoritis anno MCCLXXXV. ut legitur apud Waddingum, quamvis MSS. Monumenta hujus Provinciæ ſignificent anno MCCCCXCIV. in elevato collis angulo ad dimidium ab urbe milliarium exſtructum fuiſſe in fundo Hoſpitalis *della Scala* Senarum; (quod potuiſſe contingere non inficiamur, a Fratribus prima Domo relicta, quamvis nullum de re hac exiſtat documentum) His autem temporibus, cum Senenſis urbs a Carolo V. defeciſſet, Regiſque Galliæ ſe commiſiſſet tutelæ, Imperator in Tuſcia miſſis copiis, a Petro Toletano Neapolis tunc pro Rege, atque a Garzia ejus filio ductis, Montem Ilcinum præ cæteris arcibus ſubjugare tentavit. Locum noſtrum e regione civitatis exiſtentes Incolæ præſidio ſtiparunt; ex quo factum eſt, ut Garzias eum primum omnium exſpugnandum decreverit; inibi ergo ſtatione firmata, cum nil prorſus in munitiſſimam Civitatem, arcemque proficeret, inde abiens, Cœnobium omnino evertit: Quæ omnia tamen anno elapſo contigiſſe probabiliori ducti ſententia arbitramur. Cætera ad hanc Domum ſpectantia ſuis temporibus, favente Deo, memorabimus. Miramur interim, Gonzagam, qui dum res Ordinis moderabatur, cum Comitiis Tuſciæ apud Podium Bonitium anno MDLXXX. celebratis præeſſet, huic Cœnobio Sodales habitantes reſtituit, de eodem tamen, nec minimum verbum feciſſe. Translatum eſt etiam hoc anno in urbe Senarum celeberrimum, & antiquiſſimum Monaſterium S. Petronillæ extra Portam Camolliæ, forte temporibus S. P. N. D. Franciſci erectum pro Virginibus Damianitis Clariſſis, de quo agit Piſan. libro 1. Conf. fruct. 9. pag. mihi 106. §. *Nonnulli vero*. Wad. tom. 2. anno MCCXXXIII. num. 39. anno MCCXXXV. num. 37. & in Regeſto ejuſdem tom. pag. 10. num. 18. & pag. 15. n. 28. Inſtantibus enim præfatis belli tumultibus, timentes Cives Senenſes, ne Virgines Deo ſacratæ in hoc Monaſterio, haud longe ab urbe militaribus ſubjacerent Incurſibus, atque ædificiorum moles hoſtibus in civitatis excidium inſerviret, Sanctimoniales in urbe contutati ſunt, & Monaſterium a fundamentis everterunt. Ne autem ſine tecto vagarentur Sorores, Eccleſiam & Monaſterium conjunctum, quod olim fuerat Patrum Humiliatorum, contulerunt. Locum ingreſſæ abundantibus redditibus Eccleſiam fere innovarunt, Monaſterium vero ita ampliarunt, ut in

Conv. Montis Alcinoi. *Wadd. ad ann. 1285. xvi. 1290. xii. & 1399. xxix. Thuan. lib. 12. Hiſtor. Monum. MSS. Prov. Tuſcia.*

Monaſt. Clariſſ. Senarum translatum. *Monum. MSS. Prov. Tuſcia.*

in alterum tranſiiſſe videatur. Sorores in eo ad præſens degentes, quæ fere omnes, ſicut, & hactenus, fuerunt ex primis Senenſium proceribus, optime audiunt, & unde ſibi provideant, ægenis quotidianas, & annuales tribuant eleemoſynas habent, & fideliter miniſtrant. Eodem tempore, & eadem de cauſa translatum eſt aliud ſanctæ Claræ Monaſterium, quodque extra urbis mœnia cum eſſet in eadem Sorores belli cauſa introductæ, atque in Parochiali Eccleſia ſancti Andreæ, & Societate laicorum ſancti Onufrii eadem in regione Camoliæ locatæ ibidem ſub eodem diſciplinæ Monaſticæ rigore, & clauſuræ legibus, atque antiqui nominis religioſitate vitam duxerunt, annis XLII. & menſibus; quibus in dies accedentes virgines, quas loci anguſtia capere non poterat, communi Senatus, & Archiepiſcopi decreto de alio commodiori loco proviſum fuit. Publicis itaque, & privatis eleemoſynis, ac ipſarum Monialium ære empta Eccleſia Parochiali ſanctorum Jacobi, & Philippi Apoſtolorum, a Monachis Vallisumbroſæ intra urbem exiſtente, cum domibus, & terris adjacentibus, die XV. Septembris anni MDLXXVII. Aſcanius Piccolomineus Senenſis Archiepiſcopus propriis manibus primarium lapidem a ſe benedictum poſuit pro conſtructione ampliſſimi Monaſterii deſignati. Tandem majori ex parte abſoluto Cœnobio, ampliata Eccleſia ſub titulo ſanctæ Claræ, alio translata animarum ſæcularium cura, anno MDXCVI. die Dominico XXVIII. Octobris eodemmet Archiepiſcopo Aſcanio Piccolomineo cum Clero, & Nobilium caterva comitantibus proceſſionaliter ad præfatum Monaſterium Sorores deductæ ſunt, & introductæ. Locum ingreſſæ LX. Sorores totis viribus incubuerunt in abſolvendo ampliandoque Cœnobio, & clauſura, unde ad præſens LXXX. & amplius commode capere poſſet, quæ tamen pauciores numerantur: ſtructura amplitudine, ac Sororum nobilitate, pietate, & fama nulli ſecundum eſt. Moniales ſacras Reliquias quamplures cuſtodiunt, & pietate inſignes habuerunt Conſodales, quarum memoria temporum injuria nos latet. Iiſdem turbulentis temporibus non modica fuit bonorum cum ſpiritualium, tum etiam temporalium jactura; cui ſubſtitit alterum ejuſdem Senarum civitatis inclytum Monaſterium ſancti Laurentii, cujus meminit idem Waddingus. Cum enim ad muros civitatis ſitum ſit, atque per eam partem repentino impetu irruerint hoſtes, & accurſerint defenſores, oviculæ inermes luporum in poteſtatem factæ ſunt, depredatæ ſubſtantiæ, diruta ædificia, ſcripturæ ſublatæ, depopulati agri, domus colonorum devaſtatæ, prædia uſurpata; unde ubi commode, & honeſte vivebant LX. Sorores, modo longe pauciores ſubſtentari valent. Hiſpanorum eorumdem furorem Maleacenſis quoque Conventus in Ambianenſi Diœceſi Provinciæ Franciæ hoc tempore ſubivit: qui inde anno MDLXII. ab Calviniſtis fere ſolo æquatus, a Maleancæo Joanne Duce Franciſcanis addictiſſimo iterum conſtructus eſt. Verumtamen pientiſſimus eorum Rex Philippus II. ſui militis, ut creditur, flagitia, ſiqua in noſtros ſtudioſe patrata ſunt, volens pro voto corrigere, præter cætera ingentia beneficia, quæ Regali munificentia ſemper noſtris eſt elargitus, duo his temporibus Cœnobia inſtauravit, auxitque. Alterum Corunniæ (priſcis Coronii) Calecorum urbis in Provincia ſancti Jacobi; de Monte Cœli alterum Caurianæ ſive Corianæ Diœceſi, Provinciæ ſancti Gabrielis, in quibus & nunc Fratres Deo famulantes apud incolas optime audiunt. In oppido item Linares Provinciæ Granatenſis civium ære, opera vero Chriſtophori Seguadi, ait Gonzaga, ædificatum Cœnobium ſub S. P. Franciſci invocatione. Tamen vix poſt elapſum decennium ex Franciſci a Zamora totius noſtri Ordinis Generalis Miniſtri decreto in provincialibus Comitiis Hiſpali per id tempus habitis, derelictum. Exinde tamen novem elapſis

Wadd. ad ann. 1307. §. XVIII. Monaſt. S. Claræ ſimiliter translatum.

Ibidem.

Monaſterium alterum S. Laurentii ejuſdem urbis. Ibidem.

Conv. Maleacii. Gonz. in Prov. Franc. Conv. 39.

Conv. Corunniæ. Gonz. in Prov. S. Jacobi Con. 2.

Conv. Corianæ. Idem in Prov. S. Gab. Con. 2.

Conv. de Linares. Gonz. in Prov. Granat. Con. 24.

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 347.
1554.	an. 4. & 5.	an. 35. & 36.	

elapſis annis, aliis in Comitiis ibidem celebratis Chriſtophorus a Capiteſontium Generalis itidem Miniſter, ſubſcribentibus ſibi Provinciæ Definitoribus, illud reaſſumſit.

XXXI. PP. Capuccinorum etiam quædam Cœnobia hoc anno exſtructa legimus. Quum Bononiæ in Æmilia, quæ inter præcipuas Italiæ urbes merito numeranda eſt, Angelus Saonenſis eximius Concionator magna cum animarum utilitate verbum Dei diſſeminaret, in ameno Colle, qui non procul ab urbe diſtat, pro ſuis Domum ædificari curavit, quæ Montis Calvarii nomen apud Bononienſes hodie retinet. Anconæ item Picenorum Metropolis in pontificia ditione, iidem Patres alium Conventum in unius collis vertice ex tribus, quibus Civitas circumſcribitur, aquilonem verſus ædificarunt, ſub S. Pauli Apoſtoli auſpiciis. Anno vero MDCV Domui proximam ædem S. Catharinæ V. & M. ſacram, & quamdam terræ portionem, Summo Pontifice Paulo V. & Bernardino Manfredo Rectore aſſentientibus, uniunt; ſicque hiſce in remotis urbis partibus flagitioſis elanculo e Civitate exeundi, cæteraque enormia patrandi aditus eſt undequaque præcluſus. Rem ſuſiori ſtilo narrat ſequens laudati Pontificis diploma.

Conv. Bononiæ Capuccin. *Brev. ad hunc ann. Monum. MSS. ex Arch. PP. Capuc. Conv. Urbis.* Conv. eorundem Anconæ. *Monum. MSS. eorundem Prov. March.*

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Anconitoni in ſpiritualibus, Generali, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EX injuncto nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officio, ad ea, per quæ in ſingulis Religionis locis, obſervantia vigeat Regularis, illarumque perſonarum in eis ſub Regulari diſciplina divinis laudibus inſiſtentium, & in humilitatis ſpiritu Altiſſimo continuo famulantium opportunitatibus, & commoditatibus valeat ſalubriter provideri, libenter intendimus, ac ea prout in Domino ſalubriter expedire conſpicimus, favoribus proſequimur opportunis. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani & fratrum domus Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum nuncupatorum Anconitanæ petitio continebat, quod Eccleſia ſanctæ Catharinæ etiam Anconitanæ, quam dilectus filius Bernardinus Manfredus ipſius Eccleſiæ Rector obtinet in ſuprema, & altiori parte Civitatis Anconitanæ verſus mare, ac nonnulla petia terræ dictæ Eccleſiæ circum circa contiguæ, quæ ad eam legitime pertinent, conſiſtentes, ob earum a frequentia, ſeu habitationibus populi ipſius Civitatis diſtantiam, non ſolum delinquendi occaſionem, ſed etiam ipſis delinquentibus ab eadem Civitate de facile exeundi occaſionem præbent. Si igitur dicta Eccleſia, quæ ſine cura eſt, & prædictæ Domui admodum vicina, & commoda eſſe dignoſcitur cum dictis petiis terræ, ac quibuſdam domunculis eidem Eccleſiæ adjacentibus, & ad eam ſpectantibus annui reditus decem & octo ſcutorum, vel circa, eidem Ordini Fratrum Capuccinorum, ad effectum illam, & illius ſepta, quæ ſatis anguſta exiſtunt, ampliandi perpetuo concederentur, nonnullis inconvenientibus, & ſcandalis, quæ ſæpe oriri ſolent, ac Guardiani & Fratrum præfatorum commoditatibus plurimum conſultum foret, unuſque ex populo, ſeu Civibus dictæ Civitatis ex ſingulari, quem erga domum, & Ordinem fratrum hujuſmodi gerit devotionis affectum, cum ad providendum indemnitati dicti Bernardini, tum ad effectum conceſſionis Eccleſiæ hujuſmodi, tot bona ſtabilia, ſeu perpetuos annuos cenſus, ex quibus decem & octo ſcuta hujuſmodi

Pauli V. pro eadem Cœnobio Diploma. *Ex Vatic.*

quotannis percipi poterunt, perpetuo dare, & aſſignare paratum ſe exhibuit. Pro parte Guardiani, & Fratrum præfatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus dictam Eccleſiam cum petiis Terræ, & illis adjacentibus, & ad eam pertinentibus domunculis hujuſmodi, prædicto Ordini ad effectum præſentium concedere, & aſſignare, ac alias in præmiſſis oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos qui dudum in alia volvimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis unire tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum communem extimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri peteretur, alioquin unio non valeret; idemque obſervari etiam volumus in perpetuis conceſſionibus, & applicationibus de quibuſcumque bonis Eccleſiaſticis, quigae ſimiles impune delinquendi occaſiones præſertim in Civitatibus, & locis noſtris, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ditioni ſubjectis removere, ac Religioſarum Perſonarum commoditati providere deſideramus. Eoſdem Guardianum, & Fratres, & illorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c. & abſolutos fore cenſentes, nec non dictæ Eccleſiæ omnium, & ſingulorum proprietatem Jurium terræ petitorum, domunculorum, & adjacentium prædictorum vocabula, confinia, & denominationes præſentibus pro expreſſis habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, & vocatis qui fuerint evocandi, primo dictam Eccleſiam, & domunculas, ac terræ petiis ſeptis regularibus prædictis pro illarum ampliatione, ſeu dilatatione includere, & ad formam eis benevi ſum, ac regulari eorum inſtituto conformem reducere, eidemque Eccleſiæ in divinis, juxta laudabilem eorum conſuetudinem, & regularia inſtituta deſervire, ipſique Guardianus, & Fratres onera primo dictæ Eccleſiæ incumbentia ſupportare teneantur, authoritate noſtra perpetuo concedas, & aſſignes. Nos enim ſi conceſſionem, & aſſignationem hujuſmodi per te vigore præſentium fieri contigerit, præſentes litteras, etiam ex eo quod dictus Bernardinus, & alii quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes illis non conſenſerit, nec cauſæ propter quas præmiſſa facta fuerint, coram loci Ordinario, & tamquam a Sede Apoſtolica delegato, ſeu alias examinatæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, & quocumque alio capite, vel alia quantum vis legitima cauſa, & juridica de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quoquam alio defectu notari, ſeu impugnari, vel alias quomodolibet infringi, vel retractari, aut alias revocari, ſuſpendi, reſtringi, limitari, ſeu ad viam, & terminos Juris, vel eis in aliquo derogari, ſeu adverſus eaſdem litteras quodcumque Juris, gratiæ, vel facti remedium impetrari, vel concedi nullatenus unquam poſſe, ſed illas ſemper, & perpetuo validas, & efficaces exiſtere, ac fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere, ac in omnibus inviolabiliter obſervari debere, nec etiam ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, vel aliis contrariis diſpoſitionibus etiam per nos, & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, ac Sedem prædictam in genere, vel in ſpecie quomodolibet, etiam Apoſtolica auctoritate factis, & faciendis comprehendi, ſed ſemper ab illis excipi, & quoties ille emanarent, toties in priſtinum, & validiſſimum ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac etiam de novo ſub quacumque poſteriori data per Guardianum & Fratres Domus Ordinis hujuſmodi pro tempore exiſtentes quandocumque eligenda conceſſas eſſe, & fore, eiſque ſuffragari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Commiſſarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, & vicelegatos judicari, & definiri debere, nec non irritum, & ina-

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 347.
1554.	an. 4. & 5.	an. 35. & 36.	

inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate noſtra decernas. Non obſtantibus priori voluntate noſtra, aliiſque præmiſſis, & ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne quævis Ordinum Mendicantium Fratres in aliqua Civitate, vel quocumque alio loco ad inhabitandum loca de novo recipere, ſeu hactenus recepta de novo mutare præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, facientes plenam, & expreſſam de hujuſmodi prohibitione mentionem, ac Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus a jure permiſſis, fieri prohibentis, aliiſque Apoſtolicis, necnon in Provincialibus, Synodalibus, & univerſalibus Conciliis editis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis contrariis quibuſcumque, ut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum litteras impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel aliter quomodolibet ſit proceſſum; quas quidem litteras, & proceſſus habitos per eaſdem, ac inde ſequuta quæcumque ad primo dictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, & indultis generalibus, vel ſpecialibus quorumcumque tenores exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in eiſdem litteris mentio ſpecialis. Proviſo quod propter conceſſionem, & aſſignationem per te faciendas poteſtas, ſi eas fieri contigerit primo dicta Eccleſia debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed ejus congrue ſupportentur onera antedicta. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDCV. *Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno* I. *Loco ✠ Plumbi. V. Capitoſtus.*

Idem Cœnobium, & inſtauratum.

Hanc etiam ob cauſam arcem his temporibus fere dirutam, *ſancti Cataldi* dictam, anno MDCCXXIX. Cœnobio adnectere SS. Domino Noſtro Benedicto XIV. eodem anno urbis Epiſcopo, viſum eſt, id poſtulante Joſepho Maria de Foroſempronii tunc Domus Guardiano, nunc vero Sacræ Congregationis Indulgentiarum, & Reliquiarum Conſultore, viro de ſua religioſa ſodalitate non uno ſolum nomine merito, etiamque amico noſtro, qui Eminentiſſimi Præſulis auxilio fretus, debitas ad id facultates obtinuit, piorumque eleemoſynis auctis & perpolitis hortis, opus felici exitu abſolvit. Locus eſt hujus generis amœnitatis, ut intuentium animis religionem ſimul ac oblectamentum conciliet, qua re viri nobiles, litteriſque addicti præcipue, viam aclivem, quæ ad collem ducit, parvipendentes, veſpertinas inibi dierum horas, cum animi ſolatio & levamento tranſigunt. In Eccleſia requieſcunt in Domino corpora religioſorum Virorum Antonii Mariæ de Monte Prandonum Miſſionarii Apoſtolici, Philippi de Rapaniano, non ſemel Provincialis Miniſtri, Cherubini de Piſcaria item Provincialis, Vincentii de ſancta Victoria Presbyteri, & Philippi de Monte Veteri laici, de quibus ſuis temporibus erit mentio. In Provincia ſancti Franciſci apud Montem Subaſium, uno ab Aſſienſi urbe lapide, Conventus iiſdem exſtruitur, Eccleſiam S. Mariæ ad Nives Canonicis S. Rufini elargientibus, ab Antonio Cappelletto Peruſino, quem etiam legitur iiſdem ædificaſſe hoc anno Conventum D.P. extra oppidum Panicalis, diœceſis Pientinæ in eadem Provincia, titulum ſanctæ Crucis præſeferentem. Acquirunt item iidem Patres Domum S. Antonii Abbatis M.P. extra Trebium oppidum Umbriæ, Spoletanæ diœceſis, Juris Patronatus Abbatialis

Antonius Maria de Monte Prandon. Capuc. Philippus de Papaniano. Cherubinus de Piſcaria Cap. Vincentius de S. Victoria. Philippus de Monte Veteri. Conv. Capucc. Montis Subaſii Aſſiſ. & Panicalis. *Ex Archivo PP. Capucc. Urbis.* Trebii Capucc. Conv. *Iidem.*

Ecclesiæ sancti Æmiliani. At anno MDCXV. Maffejo Cardinali Barberino Spoletanam Ecclesiam regente, is, qui postmodum universalem Ecclesiam rexit, non numeris omnibus absolutum Cœnobiolum evertunt, aliudque sub iisdem solo, & titulo ad D. P. extra Pagum magis commodum exstruunt. Alteram habent in Corsica ad medium milliare prope Terram Episcopatus Marianæ diœcesis, sub titulo sanctæ Mariæ de Gratiis; Et Domum alteram non procul a Barolo in Apulia, Barensis Provinciæ, & Tranensis diœcesis, Incolarum eleemosynis exstructas.

Conv. eorumdem Episcopatus, & Barol. *Ex cod. Archiv. Conv. Canegattini PP. Convent. Monum. MSS. auth. eorumdem.*

XXXII. Sua etiam loca Patres Conventuales hoc anno acquisiviſſe comperimus. In Sicilienſi namque Provincia, & in Agrigentina Custodia Cœnobium sub sancti Francisci auspiciis, in oppido Canegattini Joannem de Naro hoc eodem anno ædificasse, Toſſinianus, & MS. autographa affirmant. Hinc miramur, cur Pyrrhus, a Philippo Bonanno Oppidi Domino, una cum Dominicanorum Domo constructum proferat anno MDCXIII. Ecclesia ordinatæ structuræ ac celaturæ, plures Sanctorum Reliquias possidet, quarum clavem alteram Universitas servat, Sanctarum Ursulæ, Venneræ, Placidi &c. Est hic marmoreum, ac porphyreticum sepulcrum de Domo Justiniana, ibique floruit M. Joannes Barba candidæ comitatis vir, & M. Marcellus a sancto Philippo, Messanæ olim studiorum Regens, sacras litteras callens. Situs optimus fabricis, ac officinis pulcherrimis, ac commodis suffultus. Loci autem sanctæ Mariæ de Angelis, *quem nimis sollitarium a Marchione Jeracii Fratribus fuisse hoc anno concessum*, Rodulphus scribit, mentionem apud ceteros non invenimus. Circa hæc tempora locum quoque sibi construunt in oppido Boni Habitaculi in Regno Neap. Capacii diœcesis, sanctissimæ Trinitati dicatum, oppidi Populo expetente, & præcipue Cæsare de Avalos, Vasti, & Piscariæ Marchione, qui sex ducatos quolibet anno pro sua pietate solvebat, ut sodales oleum pro lampade sanctissimi Sacramenti comparare possent. In ipsa autem Neapolitana urbe eorumdem Patrum Conventualium Reformatorum, similiter circa hæc tempora exstructum est Cœnobium sanctæ Luciæ de Monte nuncupat. in Valle Regali a parte meridiana infra fines Civitatis, via publica, muris undique circumdatum, & viridariis vallatum. Centesimo jam elapso erectum memoriæ traditur ab data Constitutione Sixti V. anno tertio sui Pontificatus, ubi §. 1. dicitur, quod *annis jam pluribus retroactis, Seraphici Patris Regulam exactius sequi cœperunt, nonnullaque loca Neapol., & in Siciliæ Regnis acceptarunt*. §. vero 3., *& nihilominus exceptis dumtaxat Domibus, & Conventibus Urbis, & Civitatis Neapolitanæ* &c. Ecclesia vero sub invocatione sanctæ Luciæ Virginis, & Martyris constructa recolitur. Super ostium præcipuum Ecclesiæ insignia conspiciuntur Dominorum familiæ de Grisonibus, & de Brancaleonibus, a qua secundam partem terræ, vel dimidiatum solum antiquiores Patres donatum asserebant. Nostra autem ætate Patres Discalceati Alcantarenses Domum habitant. His quando, quibusque cum circumstantiis fuerit concessa, suo loco dicemus. Monasterium sancti Josephi Typherni sororum Tertii Ordinis incœptum anno MDXXXVI., quum esset hoc anno omnibus numeris absolutum, Episcopus in festo sancti Andreæ benedicit Ecclesiam, consecrat Aram maximam, ibi primum sacit sacrum, eligitque primam Abbatissam sororem Benedictam Nieri in Mariottellis Viduam. Curam Monialium mandat Ludovico Gallo Conventuali, qui eam multis annis exercet. At eo absente, sæculari cuidam Presbytero regimen est demandatum. Benedicta deinceps sanctitate fulgens a Christo Domino visibili annulo desponsari meruit, & post obitum ejus ex tumulo suavissimus odor exalabat.

Joannes Barba. *Ibidem.* Marcellus a sancto Philippo.

Conv. Jeracii. *Rodulph. lib. 2. in Prov. Sicil. in Cust. Mess.*

Conv. eorumdem Boni Habitaculi. *Eadem Monum. MSS.*

Conv. S. Luciæ de Monte Neap. *Ibid.*

Monast. Typherni Tertii Ordinis. *Monumen. MSS. Prov. S. Franc.*

Benedicta Nieri. *Ibidem.*

XXXIII.

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 347.
5554.	an. 4. & 5.	an. 35. & 36.	

XXXIII. Dum Patribus Conventualibus in Tuſcia hoc ipſo tempore vir eximius Magiſter Clemens Thomaſinus Florentinus, ſacri Concilii Theologus præerat, ejus opera Clariſſæ Monaſterii ſanctæ Mariæ vulgo *del Giuncheto* extra oppidum Caſtilionis Aretinæ diœceſis, vetuſtate ſatiſcentis intra mœnia translatæ, Magno Etruriæ Duce, Cardinali Carpenſi Ordinis Protectore, Aretino Antiſtite, Civibuſque Caſtilionenſibus ſuffragantibus, præcipue vero Hoſpitalis ſancti Spiritus de Urbe Rectore, & quibuſdam Sororibus Monaſterii ſancti Salvatoris, die 11. Julii, ſeptem ſupra triginta præfatæ ſancti Salvatoris Moniales ingreſſæ ſunt, & una cum prioribus Virginibus ſanctæ Claræ Regulam ſunt profeſſæ; quam ob cauſam ſancti Salvatoris ſuppreſſo titulo, ſub vocabulo ejuſdem ſanctæ Claræ uſque ad hanc diem locum inhabitant, ſub juriſdictione tamen Epiſcopali. Aliud inibi tertii Inſtituti Monaſterium exiſtit ſub Obſervantium Regimine, cujus Waddingus ad ann. quo fuerat exſtructum, meminit.

Monaſt. Caſtilionis Aret. *Monumen. MSS. Prov. Tuſc. Gonz. in Provin. Tuſc. Mon. 11.*

Wadd. ad ann. 1450. nu. 41.

XXXIV. Apud Ameriam antiquiſſimam Epiſcopalem urbem in Umbria, Virginibus quibuſdam propriis in Domibus Deo dicatis, tertiumque Ordinem profitentibus data Domus, in qua ſimul his temporibus habitare cœperunt; Inibi etiam piæ fœminæ terrenis contemtis divitiis, ex eleemoſynis oſtiatim acquiſitis ſibi alimoniam parabant. Proceſſu temporis, juxta Tridentini leges, juſſuque Amerini Antiſtitis, clauſuræ perpetuò ſunt addictæ. Piorum ſumtibus, & præcipue Violantis Farneſiæ, ejuſque conſanguinei Marchionis Riani, Monaſterium ſibi eleganti forma exſtruxere, ubi ſub ſanctæ Eliſabethæ auſpiciis XXV. Moniales ſecundam Regulam profitentes inhabitant. Iiſdem ſacris Virginibus ſecundi Inſtituti Roſciani, ſive Ruſciani, quæ Civitas eſt in Calabria, Archiepiſcopatus, ſimulque principatus titulis inſignis, aliud Monaſterium exſtructum, quod tamen directioni Ordinarii ſubeſt, & a Conſtantio tunc temporis Roſcianens. Archiepiſcopo ſanctæ Claræ dicatum legimus. At ex MSS. illius Provinciæ ad nos recens miſſis, ex Actis illius Urbis Archiepiſcopalis Archivi, & ex Spond. Ciaccon. cæterorumque operibus ſatis, ſuperque liquet, Archiepiſcopalem Roſſanenſem Eccleſiam fuiſſe hoc anno moderatam a Jo: Baptiſta Caſtanea, qui exin nomine Urbani VII. ſuit ad ſupremam Pontificiam dignitatem evectus, non vero ab Archiepiſcopo Conſtantio, ut in iiſdem veteribus codicibus falſo legitur. Obierunt hoc in loco magna nominis fama poſteritati relicta, Virgines duæ, Agnes cujuſdam Silveſtri de Græcis Roſcianen. Patritii filia quæ in oratione aſſidua, meritiſque clara, ſenio confecta, evolavit ad Sponſum. Tereſia altera ſuit ex nobilibus de Martuciis, & Sancti Felicis nata, quæ vitæ ſanctimonia magnum Ordini attulit ornamentum, ut ad annum MDCXLIV., quando ejus beata mors contigit, Deo ſavente, narrabimus. Gonzaga de his trium mulierum Cœnobiis, nec verbum quidem fecit in egregio ſuo opere de Seraphicæ Religionis origine, quod ſane multum nobis affert admirationis. Margaritæ a Sabaudia votis ſatisfacturus Antonius a Lucemburgo Briannenſium, atque Legnejanorum, Comes in Gallia ædem SS. Annunciationi dicatam, & pro Monialibus deſignatam ſuis ſumtibus prope Legnejum, Tullenſis Diœceſis, ſuique juris oppidum exſtruendam, omnibuſque numeris abſolvendam, curavit. Quam conſtructionem quidem Pius IV., & Pius V. accepto tulerunt, concedentes, ut ejuſdem ædis de Annunciatione Sorores quibuſcumque privilegiis fruantur, quæ ſui prædeceſſores eiſdem elargiti ſunt. Solemni ritu die XIV. Martii Eccleſia Minoritarum de Funchal, quæ urbs eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Oliſſyponen. Inſulæ Maderæ in Africa, conſecrata eſt a Domino

Monaſt. Clariſſ. Ameriæ. *Monum. MSS. Prov. S. Franc. Ex Arch. S. Iſid. Arm. 1. n. 23. f. 9.*

Monaſt. Clariſſ. Roſciani. *Monum. MSS. Prov. Calabriæ ex Arch. S. Iſid. Arm. 1. n. 23. fol. 422. MSS. Prov. Calab. ad nos recens miſſa Spond. ad ann. 1590. §. 20. Ciacc. in Vit. Urb. VII. Ughell. & alii. Alia MSS. hujus Prov. recens miſ.*

Agnes Silveſtri. *MSS. cit.*

Tereſia de Martuciis. *Ibidem.*

Monaſterium Legnicii. *Gonz. in Prov. Franc. Pariſ. Mon. 31. MSS. auth. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 51. fol. 75.*

Eccleſia Min. de Funchal conſecrata. *Hiſt. Prov. Portugall. fol. 677. col. 2.*

no Sancio de Truſillo, Epiſcopo e Canariis Inſulis adveniente, qui etiam ſacris oleis duas nolas e ritu inunxit.

Ambroſius de Civitella Veſtinis Cladem prædicit. *Gonz. p. 2. Prov. S. Aug. Con. 16.*

XXXV. Populis Veſtinis Capitanatæ Provinciæ in Regno Neapolitano B. Ambroſius de Civitella prophetico ſpiritu e ſuggeſtu eorum direptionem, excidiumque olim prædixerat, niſi pœnitentia correpti ad Dominum reverterentur; quod tandem hoc anno die ſanctæ Magdalenæ ſacro veniſſe legitur. Tunc Veſtini recordati ſunt, quod ſæpe numero inter concionandum ea mala Chriſti Servus prænunciabat. Hiſtoriam multi narrant, inter quos Gonzaga, & ex eo Meliſſanus, qui tamen minus vere ſcribit, Ambroſium anno MCCCCLXXVI. e vivis in Cœnobio Campibaſſi deceſſiſſe, quod quidem Cœnobium, eodem Gonzaga Teſte, anno MDIX. nondum erat exſtructum. Hac de cauſa Baretius mavult, Ambroſium obiiſſe anno MDLI. cui veroſimiliori ſententiæ adhærere non dubitamus.

Baretti lib. 3. cap. 64.

Imolenſis Conventus ſodales quoddam legatum reſpuunt. *Archiv. Vatic.*

XXXVI. Fratribus Conventus Imolenſis a quodam Joanne Philippo Mantuano Imolenſi univerſarum ſui rerum anno MDXXVIII. inſtitutis hæredibus, ſed pro ſui debito ritu ſolemni renunciantibus Monti Pietatis urbis ejuſdem, & quibuſdam præſcriptis in Cœnobii favorem eleemoſynæ titulo conditionibus, Pontifex juſtam conventionem confirmat .... *Ex commiſſi Nobis &c.* XIX. *Octob.*

Indulgentia pro ſodalitate SS. Sepulcri. *Ex Biblioth. S. Iſid. lit. H. n. 338.*

XXXVII. Itemque ad SS. Locorum venerationem augendam, Romæ Archiconfraternitatem, & per univerſum Chriſtianum Orbem Confraternitates ſub ſancti Sepulcri titulo inſtitui poſſe facultatem largitur, plenariam criminum univerſis iis fidelibus indulgentiam concedens, qui ad inſtitutionis hujuſmodi litterarum interfuerint publicationem: *Paſtoris æterni* &c. XXV. *Auguſti* in Regeſto. Verum tamen, & quod has inſtitutiones nemo vidit, ſaltem per Regiones Italiæ, præter eam quæ adhuc viget apud Januam celebrem urbem, cujus Confratres eleemoſynis ingentibus Chriſtianos omnes Principes æmulantes accurrunt, ut magis magiſque erga eadem SS. Loca augeatur veneratio. Hanc ob cauſam S. M. Innocentius XI. datis litteris anno MDCLXXXII. die XI. Martii, quo fuit ſodalitas inſtituta, iſdem perampla ſpiritualia privilegia conceſſit. In favorem vero, & ad inſtantiam Incolarum Burgi Varalli Vallis ſiccidæ, in Eccleſia ejuſdem Oppidi PP. Conventualium quamdam Capſam retineri ad colligendas eleemoſynas pro conſtructione, ſeu reparatione Capellarum illius ſancti Montis annuit, datis litteris Epiſcopo Novarienſi, ut in Reg. *Exponi nobis* &c. *die* XXVIII. quas anno ſequenti iterum examinatas cum a Julio, tum a Paulo ſucceſſore dicemus.

Privilegium pro Monaſt. Conſtenſi Regis Poloniæ. *Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 9. fol. penult.*

XXXVIII. Demum Sigiſmundus Auguſtus Poloniæ Rex Clariſſarum Monaſterium Conſtenſe privilegiis ditat, & tributis exonerat, ſequentis tenoris regio dato diplomate: *Sigiſmundus Aug. Dei gratia Rex Poloniæ. Significamus præſentibus litteris quo &c. intereſt univerſis relatum nobis eſſe noſtris Virginum Veſtalium tertii Ordinis ſancti Franciſci in ſuburbio Civitatis noſtræ Conſtenſis apud templum Fratrum Minorum de obſervantia degentium, Deoque Famulantium exigi .... ab eis, & extorqueri cenſus annui ex fundo debitum, quam ibi poſſident numero groſſos decem ſeptem ſoſſi, quem ut vocant groſſos ſeptem. Quia vero metuunt, ne quid poſtea novarum exactionum in illarum domum, aut hortum ſtatuatur Nobis diligenter earum nomine ſuplicatum, ut domum illarum, & hortum, quem poſſident, & inhabitant ex gratia, & munificentia noſtra regia immune, & ab omnibus oneribus, & cenſibus, tam noſtris Regiis, quam etiam civilibus liberos eſſe pronunciaremus. Quia vero nihil e Regia benignitate dignitas, quam Deo famulantes Perſonas quovis beneficio*

Anno Christi 1554.	Julii III. an. 4. & 5.	Caroli V. Imp. an. 35. & 36.	Religionis Minorum anno 347.

neficio promovere; Domum, & hortum dictarum Virginum, quos hactenus possident, ac inhabitant, de voluntate, & munificentia nostra Regia, ac liberalitate ab omnibus, & singulis ex alternis nostris Regiis, & Civilibus Costensibus institutis, & instituendis, tam ab omni Jurisdictione absolvendas, eliberandas, ac emittendas, duximus, prout absolvimus eliberamus, & emittimus; eamque domum, & hortum illarum, quemadmodum, & Virgines omnes præfatas immunitati libertatique, & jurisdictioni ecclesiasticæ more aliarum personarum spiritualium, & Domorum, & possessionum quarum sunt ex gratia Regum ejusmodi prerogativa, & liberalitate donata temporibus perpetuis adscribimus. Quocirca vobis generoso, & famato Alberto Barnkonski Capitaneo, Proconsulibusque, & Consulibus Civitatis nostræ Costensibus, tum & aliis quarumcumque exactionum Regni nostri præfatis, ac eorum vicegerentibus, innotescimus id præsentibus litteris modernis, & pro tempore existentibus mandantes serio, & severe quatenus Deo dicatas Virgines, & illarum possessiones omnes præfatas, uti præmissum est, in ea ipsa libertate nostra, ac prærogativa absolutoria, quam ipsis eam & domui hortoque ipsarum benignitate, & irrevocabiliter concessimus, conservetis, & teneamini conservare, & tueri omnino ab aliis faciatis temporibus perpetuis, & in ævum pro gratia nostra, & severa animadversione regia aliter facere non ausi harum testimonio litterarum, quibus sigillum nostrum est appensum. Datum Lublinii, die sancti Matthiæ Apostoli, Anno Domini MDLIV. *Regni nostri* XXIV. *Joannes Przerebski R. Pol. Vice-Cancellarius.*

ARGUMENTUM.

Julius III. Summus Pontifex fatis cedit, itemque Marcellus II. quibus Paulus IV. sufficitur. Jacobi Augusti Thuani in eos, & in Franciscanos obloquentis calumniæ deteguntur, & redarguitur Zacharias Boverius. Generalia PP. Capuccinorum celebrantur Comitia. S. Petrus Alcantarensis Discalceatorum Familiæ Fundator, Romam proficiscitur, ubi obedientiæ Magistri Generalis PP. Conventualium subjicitur. Bernardus Cosin, & duo sodales Anonymi martyrium subeunt. Præclari tum ex Observantium, tum ex Capuccinorum cœtu Confessores decedunt, quos inter Seraphinus de Monte Granario succedit. Viri etiam docti alteri decedunt, & florent alteri. Clemens Monilianus Generalis Minister, Inquisitor, & Commissarius Apostolicus instituitur. Dignitates Ecclesiasticæ conferuntur. Agitur de unione Provinciarum Principatus, & Terræ Laboris, & de divisione illarum Burgi, & Cantabriæ. Virorum, & mulierum plura exstruuntur Cœnobia. Plura etiam Privilegia Pontifex Ordini largitur.

I. HOc anno diem obivit extremum x. Kal. Aprilis (ix. Kalendas male scribit Thuanus) Julius III. Summus Pontifex, qui, ut ait Panvinius, ei cæteroquin infensus, *ad arcendos Podagræ intollerabiles cruciatus, quum imprudenti Medicorum consilio novis se in victu præceptis muniisset, incidit in febrem, quæ initio neglecta, paulatimque aucta, eum tamdem intra paucos dies Romæ in Vaticanis ædibus exstinxit.* Huic Marcellus Cervinus (non Fani, ut idem Thuanus) sed in *Monte Fano* Auximanæ Diœceſis *in Piceno* natus, quem Cardinalis Carpensis pluribus distractus negotiis, socium habebat in Ordine nostro moderando, die nona Aprilis, cum ingenti omnium lætitia in Pontificatu succeſſit: Quo tamen apoplexia correpto, post

Julius III. & *Thuan. lib. 15. hiſt. ſui temp.*

Marcellus II. caditur facis. *Thuan. ibid. Panv. Ciac. & alii in ejus Pontif. Wadd. ad ann. 1542. n. 1.*

Paul. IV. Summus Pont. *Thuan. lib. 17. ad ann. 1560.*

post dies XXII. fatis cedente, Joannes Petrus Caraffa, quem Thuanus Gasparem Contarenum perperam vocat, Neapolitanus, die XI. Maij, Pauli IV. nomine assumto, Pontifex Maximus renunciatur. Julii III. acta quodammodo redolentia sæculi mores, recensitus Thuanus passim maledictis carpit. *Thuan. ibidem lib. 15.*

Scribit enim Julium in eo, quem sibi nobili secessu paraverat (Villa ea est extra portam Flaminiam Urbis, Julia nuncupata) reliquam fere vitam a negotiis vacuam, cum amicis sui similibus, inter ludos, aleam, comœdias, & quæ talia comitari amant, sacro fastigio indigna oblectamenta, continuatis noctibus diebus transegisse: Ad quæ confirmanda convicia, non eo, quod ex Panvinio superius retulimus, mortis genere defeciſſe refert, sed longe alio, quo minus vere cæteri defeciſſe affirmant. Ex iisdem ergo innominatis a Panvinio, quum ait in editione Lovanii: *sunt qui dicunt, Balduinum ipsius Julii fratrem potiundi Camertium Oppidi æstuantem pigrum senem adegisse, ut promitteret, se de ea re in Consistorio, quam primum relaturum. Pontificem vero, ubi cunctos adversari suæ sententiæ vidit, rem procrastinando distulisse, & ne consistoria habere ab importuno fratre cogeretur, languorem finxisse, cujus, quo majorem fidem faceret usitatis cibis abstinuisse, aut parcius, quam pro more sumpsisse; ex eaque vitæ ratione per ridiculam simulationem commutata, morbum serio contraxisse, qui eum jam* LXVII. *annum egressum brevi tempore assumpserit*. In hac inquam editione bono auctori non Panvinium, sed eos, quos Panvinius innominatos refert, quod, & fecit Oldoinus, sequi placuit; quum tamen in editione Veneta apud Michaelem Tramezinum MOLXII., in altera Italico Sermone conscripta, quæ Venetiis similiter anno MOCLXIII. apud Joannem Mariam Turrinum, & Joannem Petrum Brigoncium, & in aliis itidem isthæc non legatur fabella. Quapropter suspicari licet, quod eventus Marcelli II. tunc Cardinalis febre correpti, & Eugubium proficiscentis, ne Balduini Pontificis Fratris Camertium Ducis creationi assentiretur, Julio falso tribuatur. Paulum etiam IV. a superbia dehonestat, illum videlicet, quem universi, qui de eo scribunt *ab omni vanitate, atque obstentatione alienum affirmant*, ut luculentius ad annum, quo diem clausit extremum, narrabimus. Et Marcelli II. dum acta recenset, ejus vitio, cum Petro Suavi vertit, quod magnam quamdam genethliacæ artis fiduciam, haberet, qua sibi summum Pontificatum, de quo palam locutus fuerat, & in quo postea diuturnitatem, rerumque, quas acturus erat successum spopondisset; in quibus ab inopinato vitæ exitu illico se delusum agnoverit. Sed Thuanus cæterosque suos socios oblocutores mendacii convincit Cardinalis Pallavicinus, & Marcelli vita anteacta, quæ summis Christianæ Reipublicæ impensa negotiis, in quolibet curriculi sui vestigio nonnisi prudentiam, maturitatem, animique soliditatem ostendit; & quod in narrationibus de brevi ipsius Pontificatu editis, ne una quidem vocula deprehendatur, quæ hanc laudem offuscet; tum etiam epistola *Seripandi*, Salernitani Archiepiscopi ad *Camajanum*, Fesulanum Episcopum IX. Maji, anno MOLV. data. In ea namque Epistola is narrat, quod cum sæpius intento animo res a Cervino gestas recoluisset, hanc secum ratiocinationem habuisse: Si *Cervinus ad Pontificatum adspirabat, & simul ita se gerebat, omnium mortalium hebetissimus erat: si apicem illum ascendere hic curabat studio virtutis, non tam homo erat, quam Angelus humana specie indutus*. Illi nimirum ea ætate quadrabat, quod olim de *Catone* dicebatur: *O te felicem Marce Porti, a quo nemo audet quidquam inhonestum petere*! Atqui post longissimam cum *Cervino* familiaritatem, quo pacto potuisset ita ratiocinari *Seripandus*, si palam ille, ut pro certo *Thuanus* assumit, per astrologicas observationes Pontificatum

Pontifices relati a calumniis vindicantur.

Pallavicin. lib. 13. histor. Conc. Trid. cap. 11.

Ep. Seripandi ad Camajanum.

Qualis probitatis Marcellus II.

sibi

An. Chr. 1555.	Julii III. anno 5.	Marcel. II. Pauli IV. anno 1.	Caroli V. anno 37.	Religionis Morum an. 348.

ſibi prædixiſſet? Denique Thuani calumniam refellunt ſcriptores illuſtres, qui *Marcelli II.* ſanctitatem prædicant *Sadoletus*, & *Bembus* Cardinales in epiſtolis ad ipſum datis; *Paulus Manutius* in ea, quam ad ipſum pariter ſcripſit epiſtola; *Onuphrius* in ejus vita; *Raynaldus*, & *Spondanus* in Annalibus eccleſiaſticis; *Orlandinus* in hiſtoria Societatis Jeſu lib. 15. *Theodorus* Bibliander adverſæ communionis Auctor; *Latinus Latinius* in litteris ad Epiſcopum Cracovienſem, *Jacobi* Cardinalis nomine, v. Kalendas Maij 1555. datis; *Joſephus Silos* in Hiſtoria Clericorum Regularium; Antiqua Hiſtoria Lauretanæ Domus Cardinalis *Belarmini* manu deſcripta, quam apud ſe habere ait *Oldoinus* in Additionibus ad Ciaconium; *Sylveſter Petraſancta* in vita Cardinalis *Belarmini* &c. Obſervatione dignum eſt quod de ipſo, præter alia jam relata, ſcribit Onuphrius Panvinius in ejus vita: *Ea ſimplicitate, qua privatus cum eſſet, edebat, habebatque, ſive privatim, ſive publice convivaretur, Anagnoſtem in menſa, qui ſacros libros, aut SS. Patrum ſcripta legeret. Poſt longum in Prandio ſilentium, recordatus aliquando ea Hadriani VI. Papæ verba: Romano Pontifice nemo eſt miſerabilior, conditione ejus nulla miſerior. Totius enim vitæ lætitia, & felicitas amaritudo eſt: Cathedra Romani Pontificis eſt ſpinoſa, iter undique conſertum aculeis, pondus tantæ molis, ut robuſtiſſimos premat, & confringat humeros; manu menſam percutiens dixit: non video, quomodo, qui locum hunc altiſſimum tenent, ſalvari poſſint.* *Panvinius in vita Marcelli II.*

II. Verum ad Julii egregia facinora revertentes, quibus brevi ſpatio quinquennii pontificatus operam dediſſe Ciaconius, Oldoinus, idem etiam Panvinius, cæterique narrant, ea luculenter oſtendunt, non ita profecto *vitam ſacro faſtigio indignam tranſegiſſe*, ut oves a Domino ſibi concreditas curare, ac paſcere prætermiſerit. Et quoniam etiam Franciſcanum Inſtitutum inter oves hujuſmodi ſibi præcipue concreditas ſanctiſſimus Pontifex permaxime diligebat, ejus primævam perfectionem apoſtolico zelo intendens, etiam extraneos in Obſervantiæ regularis Viſitatores Apoſtolicos deſiderare ſeſe profeſſus eſt, hujuſmodi alienigenas ſine paſſione, ſine ullo reſpectu efficacius acturos fore ſibi perſuadens. Sincerius autem informatus, quod viri commodo equitatu incedentes, licitas vitæ commoditates non abhorrentes, continuum chori laborem, cæteraſque Franciſcanæ vitæ durities, ac mortificationes, ſtrictiſſimaſque leges, ac earum interpretationes, & diſpenſationes prorſus ignorantes, nec abuſus, ſiqua eſſent, poſſent perfecte cognoſcere, nec radicitus evellere, nec veras neceſſitates a palliatis diſtinguere, nec tandem prætenſum ſanctæ Reformationis negocium ex integro promovere, a propoſito receſſit. Hæc de re clarum teſtimonium exhibuit Franciſcus Zamora quondam Procurator Generalis Ordinis, in ſuo ad Cardinales Apologeticon, quod in Archivi Aracœlitani Regeſtis legitur. *Panvin. Ciac. Oldoin. cæterique citati.*

III. Ex his ergo etiam conjicere licet, num Julius ita vitam a negociis vacuam tranſegerit, ut nulla ei fuerit de pontificio ſuo miniſterio cogitatio; quiquid Thuanus blateret, qui ſi ex corruptis fontibus putridam aquam hauriens tam audaci animo Pontificum Romanorum honori detraxit, nil profecto mirum ſi Franciſcanorum honori non pepercerit. Ait ſiquidem Franciſco Belle-foreſto & quibuſdam aliis arridens, quod Metenſis urbs in Lotharingia, quæ ab anno MDLII. Francorum Regi ſubeſt, quum hoc anno * a Cæſareis copiis obſidione præmeretur, *detecta fuit Franciſcanorum Metenſium conjuratio a Cæſarianis corruptorum, ut urbem proderent. Synodus illius Ordinis Meti indicta erat, ad quam ex omnibus Orbis partibus delecti confluere debebant, eo colore milites Monachorum habitu introducere, & quaſi dolia vino plena in tantæ multitudinis alimoniam adveherent, arma iis incluſa in urbem* *Thuan. lib. 21. & lib. 23.*

Belle-foreſtus in Hiſtor. Gall. ad hunc ann.

* 1554. ſcribit Auguſt. Calmet.

Turpis in Franciſcanos calumnia.

inferre decreverant: quo facto Theodonis villæ præſidiarii, poſitis loco idoneo prope Metim inſidiis, ante urbem venturi erant, contra quos procul dubio erat noſtros magno numero exituros: & ita exhauſta per noſtrorum eruptionem urbe, introducti a Franciſcanis milites ad arma clamaturi erant, & portis occupatis, eos qui in inſidiis latebant, excepturi: quibus conjuncti, quod reliquum noſtrorum in urbe erant, facile oppreſſuri eſſent. Sed quia obſervatum a noſtris fuerat, quemdam ex conjuratis Franciſcanorum ſæpius ad hoſtes Theodonis-Villam comeare, ſuſpicione inde oborta, comprehendi hominem placuit, qui tormentis ſubjectus rem ut erat aperuit: exemploque inſigni illo patuit, vulpina plerumque conſilia, ac tetterrima monſtra Religionis obtentu diſſimulari. De eo, ac conſciis mox, ut meriti erant ſupplicium ſumtum eſt.

IV. Nimis arduum, fatemur ingenue, quibuſdam videri ſortaſſe poterit, hac ætate narrationem hujuſmodi nota falſitatis inurere; at pro noſtro munere, ac debito obloquendi veritati operam noſtram deſiderari non patiemur, ut Metenſes illius ævi Sodales e tam enormi perduellionis ſcelere vindicentur. Fortaſſe cuidam ex Minoritis Meti tunc commorantibus hoc facinus venit in mentem: *at quod a Synodo Ordinis indicta, ad quam ex omnibus Orbis partibus delecti debebant confluere, Fratres proditionis occaſionem arripuerint*, hoc eſt mendacium, quod parvi momenti eſt detegendum, ac refellendum. Ex actis namque Ordinis liquido compertum habemus, dumtaxat anno MCCXLVIII. ipſo adhuc Ordine pubeſcente, Metis Generale Capitulum celebratum eſſe; quum autem apud noſtros ſimiles conventus ſolum e ſexennio in ſexennium, ſtatutis legibus, indici conſueverit, atque anno MDLIII. alter Salamanticæ, alter vero anno MDLIX. Aquilæ in Veſtinis celebratus fuerit, non eſt cur Metis hoc anno haberetur. Neque *Franciſcanorum* nnmen Conventualium familiæ Patres hoc eodem anno ſua Generalia Comitia Metis celebraſſe, nobis boni auctores poſſunt innuere, quia illa deſignatis annis MDLIII. & MDLIX. Genuæ, & Aſſiſii celebrata ſunt. Capitulum autem Generale Patrum Capuccinorum hoc anno ab Euſebio Anconitano illius familiæ generali Præfecto, viro non uno nomine laudando, indictum, non Metis in Lotharingia, quo nondum Capuccini domicilium fixerant, ſed Firmi in Picæno celebratum eſt. Quo ergo fundamento cum recenſitis Thuanus nixus hoc facinus Minoritis poſſit tribuere, Lectoris eſto judicium. Utinam auctor cæteroquin doctiſſimus, rectius de Romana Fide, deque Chriſtiana caritate ſentiret, & ſons hic Belle-foreſti turbidus cæteris etiam aquas non miniſtraſſet.

Calumniæ detegnntur.

Chronolog. Ord. Michael. Ang. de Neap. ad ann. 1248.
Gnl. Tom. 2. ad eumdem an.
Wadd. ad eumdem ann.
Auctores citati.
Ex Archiv. PP. Conv. Urbis.
Rodulph. lib. 2. fol. 245.
Capitulum Generale Capuccinorum.
Bover. ad hunc ann. n. 1.
Belle foreſt. cit.
Calmet in hiſt. Lotharing. ad hunc ann.
Fleury in hiſt. Galliæ ad hunc ann.
Bover. cit. §. III.

V. Sed ut ad hiſtoriam redeamus, Euſebius in memorato ſui Sodalitii Firmano Capitulo Miniſter Generalis iterum ſalutatus, præcipuam dedit operam, ut ejuſdem Inſtituti Concionatores, qui verbum Divinum eurioſis, vel quæſitis ornamentis diſſeminabant, ab inani propoſito, præſcriptis pœnis, deſiſterent. Decrevit præterea, majorem temporis præſulatus partem in Cœnobio Romano tranſigere, non juxta Boverii aſſertum, ut *commotos vortices* conſringeret, neque ut *contorta* a præcipua Ordinis familia ſolam unionem Sodalium exoptante retundere valeret *tela*, ſed ut ea, una cum iiſdem Obſervantibus, promoveret, quæ ad Dei gloriam, Ordiniſque pacem viderentur conferre: Hæc erat profecto ſententia optimi Præſulis, hoc religioſiſſimorum virorum judicium, qui noverant, *quam noxium eſſe ſolet*, ut ait Gregorius, *ſi unitas deſit bonis*, atque ipſa veritate docente, omne regnum diviſum deſolatum iri. *Utinam non adfuiſſet*, dicam cum Iſidoro, *eorum diviſio, quos prius amoris vinculum colligavit.* An non, dicerem iterum cum Waddingo ad Zachariam: an non religioſiſſimæ, atque inclitæ ſobolis Capuccinorum acta, tam mirabilia recenſeri poterant abſque tanta integræ, & numeroſæ Familiæ

Zacharias Boverius redarguitur.

Greg. lib. 33. moral. Matth. 12. Luc. 11. Iſid. lib. Etymolog.

inju-

injuria? An non horum ortus explicari, ſi non præmittatur in ſpiritu vehementi tam magnæ multitudinis miſerabilis interitus, ſed & felices Ordinis progreſſus, & nobiliſſimum incrementum longa illa ſerie ingentique voluminum mole explicari potuit, abſque perpetua admixtione alienæ offenſionis: non adeo deprimendi alii, ut tu extollaris; exilis illa gloria, quæ aliorum acquiritur contumelia. Vera illa laus eſt, quæ non indigne quæritur, ſed propriis meritis tenetur. Libuit fraternam, mitemque hanc quærimoniam hic opportune præmittere, per quam ſatisfactum iri cupimus quærelis Obſervantium, monitoſque facere Capuccinos Patres, ita nos rerum ſuarum hiſtoriam aggredi, ut in ipſo narrationis veſtibulo univerſum procul fecerimus contentionis ſtudium, & partium æmulationem. Quæ in Dei gloriam cedunt, & Franciſcanum nomen attollunt, æquo omnium noſtrarum Congregationum affectu ſcribimus; nulli ſuas glorias invidemus; per univerſam noſtram hiſtoriam hucuſque inoffenſo decurremus pede, nulli offenſionem præbentes, omnibus debitum miniſtrantes obſequium. Sed ut noſtram proſequamur hiſtoriam.

VI. Cum ſanctus Petrus Alcantarenſis Cauriam ingrederetur, quo verſus ſuperiori anno diximus contendiſſe, urbis Epiſcopus Didacus Henriquetius, ſimulque germanus ejus, Nivenſis Comes Viro Dei ſummopere addicti, ipſius audito propoſito, ædiculam exhibent non longe ab oppido ſanctæ Crucis Cepollenſis diſtantem, ubi arctiſſimo ſibi, ac ſocio exſtructo tugurio, orationi, atque contemplationi perpetuo vacans, nedum mentis, verum & corporis ſublimes raptus non ſemel in dies patiebatur. Verum Comes amicus, qui ne Petri conſuetudine privaretur, ſtudioſe cum ſuis in eodem ſanctæ Crucis oppido fixerat domicilium, atque etiam Epiſcopus, qui familiaribus, iiſque frequentiſſimis, cum Viro Dei ſolabatur colloquiis, id ſolitudinis cupidiſſimo non afferebant, quod cœlcſte expetebat ſolatium. Animarum etiam infidelium, eum Gentilium in Indiis, tum in Europa Hæreticorum converſionis percupidus, eo maxime tempore, quo lutherana lues in Germania graſſabatur, ne ſibi ſoli viveret, ad eaſdem regiones proficiſci cogitabat, cui propoſito arridens Omnipotens, ut Romanum Pontificem adiret, indidit inſpirationem, quam Michaelem ſocium latere non ſinit. Loco ergo, ubi ſanctificatus pro ſuis meritis ſons eſt ad repellendos morbos ſalutaris, nobilibuſque, quos memoravimus Germanis Fratribus Cauriæ communicato conſilio, debitis cum facultatibus, nec ſine ingenti labore, Michaele comeante, ad Urbem venit, ſacraque loca perluſtrat. Ordinis autem Præfecti, ad quorum aures itineris hujuſmodi cauſa pervenit, quamvis etiam ejus virtutum, & ſanctimoniæ rumor perveniſſet, ſcientes, quod vivendi genus diverſitas animorum ſæpiſſime ſecum fert diviſionem, ut unionem in Ordine tuerentur & pacem, non eo hilari vultu Virum Dei ſunt amplexi, quo decebat. Ille tamen magis, magiſque altiſſima virtute proficiens, hos ipſos duros Præſidum mores, & objecta libenter pertulit, Deoque obtulit. Inde ad Pontificis pedes provolutus, ut exoptatam gratiam imploraret, ſupplicem libellum expoſuit. Semel atque iterum ſupplicanti Julius annuit, indulſitque, ut poſſet & eos recipere, qui ad hujuſmodi vitæ genus ſuiſſent vocati, ſimulque Cœnobium, quod opportunum ſibi videretur, ſub obedientia Magiſtri Generalis Patrum Conventualium exſtruere. Julius Magnanus, qui ſapientiſſime res illius familiæ tunc temporis moderabatur, hunc novum ſibi ſubditum humaniſſime amplexatus; tum ſuis patentibus litteris pontificio conjunctis Diplomate, eum in Hiſpaniam mox redeuntem munivit. Diploma ab illo diverſum quod ad ann. MDLIX. erimus producturi, ſic incipit: *In Chriſto ſibi cariſſimo fratri Petro de Alcantara, refor-*

S. Pet. Alcant. actorum narratio proſequitur. *Marcheſ. in vita S. Petri. Monum. MSS. Prov. S. Joſeph.* Cœnobiolum ſibi conſtruit.

Animarum Infidelium converſionem affectat.

Romam proficiſcitur.

Ad Pontificem accedit.

Ad Conventualium obedientiam tranſit.

Initium literarū Patent. S. Petro exhibit.

reformatæ vitæ Ordinis Minorum Conventualium: frater Julius Magnanus Placentinus, Doctor Theologus, ac totius Ordinis Minorum Conventualium Generalis Magiſter, ſalutem, & pacem a Domino æternam, &c.

Bernardus Coſin M. in Indiis. *Gonz. in Prov. S. Evang. in Cuſt. S. Salvat. Wadd. Catal. MM. Egret. lib. 3. cap. 69. Artur. ad diem 19. Feb.*

VII. Propoſitum interim Petri Indias adeundi Franciſcanus alter exequitur, Bernardus Coſin, cujus patriam, non docent hiſtorici, quemque primum extitiſſe verbi Dei ſeminatorem apud Chichimecas populos colentes Dæmones, & deprædantes homines, univerſi affirmant, qui ejus acta recenſent. Is ergo hoc anno, non MDLXXXV. ut ſcribit Arturus, a quibuſdam Indis amicis comitatus, vel potius divino Spiritu ductus, eaque excelſa montium loca (quæ nova ab Hiſpanis nuncupatur Cantabria) non ſine laboribus, periculiſque conſcendens, remotiſſimam, & aſperrimam regionem ingreditur. Inde abſcendens, obvios habuit quoſdam ferinos accolas, qui mox tendentes arcus, ab emiſſis in illum ſagittis Dei mirando nutu repercutiuntur. Bernardus autem ad Vallem uſque progreſſus, cui nomen *de Guardiana*, ibi ſedulo ac ſtrenue ſaluti animarum incubuit; ac tamdem meritis, & apoſtolicis laboribus clarus, pro Chriſti fide a Barbaris interemtus, martyrii palmam obtinuit.

Alii duo Anonymi MM. *Iidem qui jup.*

VIII. Eadem in regione & hoc eodem anno alii duo Minoritæ, quorum nomina in Cœlo ſcripta ſunt, alter presbyter, Clericus alter, Bernardi veſtigia per aſperos illos montes, & efferas gentes proſequentes, pro Chriſto ab iiſdem Chichimecis ſunt occiſi, quorum prædicatione, conſtantia, & morte Chriſti doctrina apud imanes populos clarere cepit. Glorioſos Martyres præclari Confeſſores ſequuntur. In Cœnobio Complutenſi ſancti Didaci Antonius de Aranda *de Duero* in Caſtella veteri claudit extremum diem. Vir erat contemplationi paſſionis noſtri Redemtoris adeo intentus, ut pedes ſacra Palæſtinæ loca inviſere non formidaverit; inibique moram per quoſdam annos agens, compoſito volumine, eadem loca deſcripſit. Inde ad propria reverſus, iterum, iterumque Provinciæ Miniſterii munere ſumma cum laude functus eſt. Maria Auſtriaca Imperatrix, & Joanna Portugalliæ Princeps Caroli V. nata, quarum moderabatur conſcientias, eum veluti Patrem diligebant, & tamquam Sanctum reverebantur. Monachii in Bavaria ultimam diem etiam obiit Joannes Winxlerus, qui Norimbergæ, Ulmæ, Campiduni, & Meningæ in Algoja ſe imminenti Lutheri hæreſi, diſputando & prædicando, fortiter oppoſuit, vitamque ſuam manifeſtis periculis expoſuit: anno MDXXV. Memingæ, & anno MDXXVI. Ulmæ a rebellibus ſubditis ejectus. Anno MDXL. Guardianus Landiſuſi, & poſtea Provinciæ Argentinenſis Miniſter Provincialis electus: bis Definitor Generalis Ordinis, Vir inſignis, ob ſuam doctrinam, & animarum zelum *Algojæ Apoſtolus* nuncupatus. Lucas de Nari Sacerdos, Patrum Capuccinorum familiæ Alumnus, natione Siculus, humilitate ſublimis, cæteriſque virtutibus præſtans, ac præſertim divinarum rerum contemplatione clarus, in qua inter plæraſque a Deo revelationes acceptas, ſcribunt, Dæmones, collecto inter ſe conventu, e Religione Tyrones quoſcumque Siculæ provinciæ expellere decreviſſe. Is protinus hac de cauſa eorum Præfectos per Epiſtolas monens, non parum ſaluti adoleſcentum profuit. Quam ob rem in eum tantum extitit Sathanæ odium, ut ſæpe Virum Dei dejiciens e gradibus, & ſemel cum Gitilmannæ moderaretur Cœnobium, ex alto Templi culmine in terram alliſum, cruribuſque propterea confractis, a Cruci affixo Domino conſolari meruit. Colico etiam dolore cruciatum S. P. Franciſcus inviſit, cujus auxilio fretus, quum trajiceret alveum cum naufragii diſcrimine, ſe ad alteram fluminis ripam ſtatim delatum conſpicit. Urceolos vitreos ad ſuam reſtitutos integritatem; paralyſi mulierem laborantem ſigno Crucis ſanatam; ſanatum etiam puerum cum morte colluctantem Lucæ meritis, Boverius, & alii cum eo referunt.

Antonius de Aranda. *Cornejo Par. 6. fol. 273.*

Jo. Winxlerus. *Ex MSS. auth. Prov. Bavar. Menologium 10. Maii. Chron. Germ. P. Fortun. Huch. Martyrol. P. Leonh. Wolff.*

Lucas de Nari Capuc. *Bover. ad hunc ann. §. XI. Paſocc. in vitis Viror. illuſtr. Capuccin. fol. mihi 46. Flores Seraph. Tom. 2. fol. 146.*

IX. Apud

An. Chr. 1555.	Julii III. anno 5.	Marcel. II. Pauli IV. anno 1.	Caroli V. anno 37.	Religionis Mi-norum an. 348.

IX. Apud Rhegium in Calabria Matthæus ex Caramantinorum ſobole in eadem urbe natus (alter ab eo, qui olim ex Obſervantium familia extitit Roſſanenſis Epiſcopus) eidem ſodalitati Capuccinorum aſcriptus deceſſit. Is tanto cum ſtudio virtutes, & præcipue humilitatem coluit, ut ad ſacrum Subdiaconatus Ordinem promotus, ad ulteriores conſtanti animo, quantum in ſe fuit, promoveri, renuit. Orationi, atque contemplationi addictus, maxime in Dominicæ paſſionis recolendis myſteriis, tam aſſuetus fuit, ut nil aliud videretur perpetuo cogitare; quod lacrymantibus oculis facile, quamvis coacte, ſæpiſſime conſuevit oſtendere. Multis prodigiis ſervum ſuum Deus dignatus eſt decorare, præſertim eo, quo quemdam fabrum lignarium e Templi culmine lapſum Matthæus primæ ſaluti protinus reſtituit. Corpus tumulatum ſuavem odorem effudit, quibus indiciis quantæ ſanctimoniæ fuerit, ſatis ſuperque licet arguere. Bonaventuram item Rheginum ejuſdem Inſtituti laicum Scriptores memorant, ægrotorum famulatui tantopere addictum, ut cibum, ſomnumque, illis inſerviens, ſæpiſſime ſibi eripuerit; Quo factum eſt, ut viro virtutibus ornato poſtulanti numquam Deus gratias denegaverit. Fertur, poſt mortem, quum ei juſta a ſodalibus perſolverentur, apparuiſſe corpus nive candidius, & odore ſuaviſſimo flagraſſe, ad quem proinde certatim concurrentes populi, divinas laudes non deſinebant perſolvere. Tertium referunt Joannem Candelam, qui laicus profeſſione, e familia Obſervantium ſanctitate clarus, ad illam migravit Capuccinorum, & quinque ſupra ſeptuageſimum annum agens, Rhegii ortum, ſimulque occaſum agnovit. Præditione diei obitus, cæteriſque ſignis, Deus ſervi ſui ſanctitatem oſtendit. Dominicus item a Molochio, de quo Sacerdos, qui, obitu inſtante, ſuam generalem, ut dicitur, audivit confeſſionem, teſtatus eſt, nulla eumdem læthali culpa labefactatum reperiiſſe; eadem in urbe Rhegienſi mortuus eſt. Antonium Siculum laicum Romæ, ubi deceſſit, curæ ægrotorum præfectum, a caritate, & patientia non uno nomine comendandum. Leonem Veronenſem Tyronum Magiſtrum etiam memorant mirandam excolentem in corpore auſteritatem. Demum Petrum Clodienſem laicum nonageſimum ſecundum annum agentem inter cæteros æque primum, cum ætate, tum in regularibus obſervandis muneribus. Auctor Viridarii Seraphici ex menologio Franciſcano inter hos numerat Ægidium de Turre apud Aquam Spartam in Umbria defunctum, quod tamen anno MDLVIII. contigiſſe, favente Deo, videbimus. Menologium etiam Franciſcanum eujuſdam Angeli Senenſis ejuſdem Capuccinorum Inſtituti memorat, aitque, hoc anno Bononiæ deceſſiſſe; verum tamen hunc eſſe eumdem cum Angelo Saonenſi, qui Æſii obiit, & de quo ſequenti anno, non eſt cur dubitemus.

Matthæus Rhegi-nus Capuc. *Bover. cit. §. 6. Paloc. cit. fol. 48. Flor. Seraph. To. 2. fol. 316.*

Bonaventura Rheginus Capuc. *Bover. cit. §. 19. Paloc. fol. 5. Flor. Seraph. To. 2 fol. 354.*

Joannes Candela Capuc. *Bov. ibidem §. 18. Flor. Seraph. To. 2. fol. 357.*

Dominicus de Molochio Capuc. *Bover cit. §. 23. Flor. Seraph. To. 2. fol. 447.*

Antonius Siculus Cap. *Bov. cit. §. 9.*

Leo Veron. Cap. *Flor. Seraph. To. 2. fol. 100.*

Petrus Clodien. Capuc *auct. Virid. Seraph. Tom. 1. fol. 235. Menolog. Franc. 27. Junii. Flor. Seraph. To. 2. fol. 356.*

X. Extinctis in hoc ſacro Sodalitio tot præclaris luminibus, aliud fulgentiſſimum ſydus exortum eſt in Picæno, Seraphinus natus in Monte Granario Firmanæ dioeceſis oppidulo, quod VII. M. P. ab eadem urbe diſtat, anno ſecundum Pallocium, MDXLIV.; quam tamen ſententiam non ita conſonam video veritati, ſi altera Boverii vera eſt, qua hoc anno ejus in religioſam familiam ingreſſum conſtituit. Nomen ei fuit in Baptiſmate *Felix*, habuitque Patrem Hieronymum cæmentariæ artis fabrum, matrem Theodoram humili natam genere, qui cum gravi præmerentur inopia, Felicis pueri operam cuidam Agricolæ locant, a quo armentorum illi cuſtodia commendata eſt. Dum grex paſcitur, Felix orationi, atque contemplationi ſolitariis in locis vacans, animum ad divina attollebat, jejuniiſque præterea tribus per hebdomadam diebus corpus affligens, ſolo pane & aqua erat contentus. Adoleſcens factus, & parente orbatus, a fratre natu majore domum revocatus eſt, ab eoque admi-

P. Seraphinus de Monte Granario Capucc. dat nomen. *Ex Proceſſ. Beatificat. Bover. ad hunc ann. n. 24.* Pallocii mendum

miraculi patientia duram perpeſſus eſt ſævitiam. Interea de vita, & moribus Capuccinorum a quadam pia puella *Ludovica* nomine, verius tamen cœlitus edoctus, ad eoſdem accedit, demiſſeque a Præſide poſtulat, ut Religioſæ aſcribatur Familiæ, cujus votis annuentibus Patribus, Felicis in Seraphini commutato nomine, ſacro habitu indutus eſt. Nullum erat eo tempore abſtinentiæ, ac religioſæ mortificationis genus, quod in illo Fratres deſiderarent, adeo ut in ipſo tyrocinio quamplura conſummatæ virtutis exempla præluceret, quæ alios ad virtutem accenderent. Aucta vero in dies religioſæ vitæ perfectione, elarioribus argumentis Serafini ſanctitas patuit, quemadmodum, ſuis locis, Deo favente, referemus.

Caſildis Calderonia. *Monum. MSS. Prov. Burgen. Gonz. in eadem Provin. Burgen. Mon. 6.*

XI. Apud Monaſterium ſanctæ Mariæ de Bretonera Veroladi, provinciæ Burgenſis florebat Caſildis Calderonia, cujus elogium Gonzaga his verbis contexuit: *adjicere libet, admirandæ religionis ſororem Caſildem Calderoniam, cujus humilitas, atque in perferendis infirmitatibus patientia incredibiles fuere. Cum ſupplex a Deo Optimo Maximo petiiſſet, ut pœnas pro exceſſibus in Purgatorio dandas ſibi in hac vita infligere dignaretur: igne ſacro, qui a pedibus, ad humeros uſque ſerpens, eam omnino conſumpſit, talia, nunquam vel ſubtriſtis viſa eſt, nec aliquid aliud ſuavius, aut jucundius aliquando tulit.* Eliſabetha, ſive Iſabella de ſancto Hieronymo, cujus Gonzaga meminit, minus vere tamen ſcribens, Mariæ de Plagis ſororem extitiſſe, & Villæ Regiæ Marchionum legitimam filiam; cui opinioni, etiam Arturus adhæret. Verum tamen eſt, quod ex altera clariſſima ſobole ſuam traxit originem, ut Emanuel de Spe in hiſtoria Seraphica Portugallenſi teſtatur; qui etiam cum recenſitis narrat, hanc præclaram Virginem obitus ſui horam prædixiſſe, & ex Monaſterio Santarenſi, ſive Santarenenſi, omni virtutum genere ornatam ad Sponſum evolaſſe. In Monaſterio ſanctæ Claræ Florentiæ XXVI. Julii Chriſto Sponſo animam reddidit Veronica de ſancto Perro in Balneo, de qua Waddingus; & Piſtorii Catharina Barbolana ex Comitibus Montis Acuti, quæ, Achille de Panciaticis conjuge mortuo, tertio aſcripta eſt Inſtituto, ſub quo ſanctiſſimam vitam tranſegit. Senio inde morboque confecta, eam proximam morti adjudicantibus non credidit, donec illud mirandum ſignum ardentis facis apud Montem Acutum a ſancto Parente Franciſco pro unoquoque ſuæ ſtirpis mox morituro alumno apparuiſſe audiret. Tunc Sacramentis Eccleſiæ refecta, dierum, & meritorum plena obdormivit in Domino.

Eliſabetha de ſancto Hieronymo. *Gonz. Prov. Portug. Mon. 5. Hiſt. Portug. Emanu. de Spe lib. 5.*

Veronica de ſancto Petro in Balneo. *Wadd. ad ann. 1512. §. 32.*

Catarina Barbolana. *Monum. MSS. Prov. Tuſciæ.*

XII. Brevi ſpatio temporis, quo extitit Julius hoc anno ſuperſtes, Petrum de Ayala Epiſcopum præfecit *Eccleſiæ Compoſtellanæ in Provincia novæ Galiciæ* (quam Paulus III. die XIII. Julii anno MDXLVIII. in Epiſcopalem erexerat) vacan per obitum bon. mem. Petri Gomen., datis eiſdem litteris XV. Kal. Januarii, quarum initium: *Apoſtolatus officium*, quem unicum hoc eodem anno ex Ordine Minorum fuiſſe creatum Antiſtitem, acta conſiſtorialia teſtantur. Errat proinde auctor Seraphici Viridarii ſcribens, memoratum Petrum anno ſequenti; hoc vero Petrum de Turre ad Rivi de Plata, Joannem Salamantinum ad novæ Galleciæ, Gaſparem Rodericum ad Montis Marrani, & Guillelmum Petum ad Sarisburienſem regendas Eccleſias fuiſſe lectos.

Petrus de Ayala Epiſcop. Compoſtel. *Acta Conſiſtorial. Archiv. Vatic. Rodulph. fol. 534.*

Auctor Viridarii corrigitur. *Tom. 1. part. 3. cap. 5. in ſerie Epiſc.*

XIII. Julius item, Clemente Moniliano Miniſtro Generali inſtante, litteras Julii II. confirmans, quaſcumque *perſonales*, ut ajunt, *gratias* Fratribus conceſſas, Præſulibus Ordinis ineonſultis, irritas atque nullas dixit, ex litteris: *Exponi nobis*. Erat namque monſtrum ea ætate videre quoſdam Minoritas, etiam ex Obſervantibus, Procerum, quibus erant a ſacris Conſiliis, patrocinio frætos, loculos habere; ſacras cum Fratrum, tum ſæcularium perſo-

Revocationem privileg. perſonalium Pont. confirmat.

ſonarum confeſſiones excipere, a cunctis, quos ſibi Prælati ſervaverant, iis etiam renuentibus, abſolvere; alia item ſimilia patrare; quibus malis opportuno parato pharmaco, prudentiſſimus Monilianus finem impoſuit. Egit etiam, ut recens unio iterum facta Provinciarum Principatus, & Terræ laboris ab eodem Romano Pontifice firmaretur, de qua re ſequens extat Cardinalis Carpenſis Protectoris Ordinis monumentum: *Rodulphus Pius miſeratione Divina Epiſcopus Tuſculanus S.R.E. Cardinalis de Carpo, totius Ordinis ſanctiſſimi Franciſci Protector &c. Fidem facimus, & teſtamur, qualiter ſummus Pat., & D. N. D. Julius divina providentia PP. III. vivæ vocis oraculo nobis facto confirmavit, & approbavit unionem duarum Provinciarum, videlicet Terræ laboris, & Principatus, juſtis, ac rationalibus de cauſis factam, & executioni demandatam, ſuæ Sanctitatis auctoritate, & de conſenſu omnium Patrum Vocalium, Guardianorum, Vicariorum, & Diſcretorum earumdem Provinciarum capitulariter congregatorum a R. P. F. Clemente de Monelia Ordinis Minorum de Obſervantia Generali Miniſtro, caſſando, & annullando omnia acta ſcripta, aut pacta ad præfatam diviſionem ſpectantia. Quinimo Sanctitas ſua mandat, & præcipit omnibus Prælatis, & Patribus utriuſque nationis, Terræ ſcilicet Laboris, & Principatus ſub pœnis privationis omnium actuum legitimorum, exiliique a dicta Provincia ipſo facto incurrendi, ut de cætero nullo modo loqui audeant, ut medio Fratrum, ſæcularium, aut Eccleſiaſticorum Tribunalium diviſionem dictæ Provinciæ directe, vel indirecte procurare præſumant; in quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas fieri, & per Secretarium infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique noſtri juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in ædibus noſtris, die* I. *menſis Januarii* MDLV; *Pontificatus ejuſdem SS. D. N. anno* V.

Unio Provinc. Principatus, & Terræ laboris. Decret. Card. Protect. *Ex Regeſt. Aracœl. Ciſm. fol.* 174

Quum autem Burgenſis, Cantabriæque Provinciarum diviſio ſub Andrea Inſulano Generali Miniſtro, non anno MDLI., ut ſcribit Gonzaga, ſed MDLII. auctoritate Apoſtolica facta, nondum executioni demandata fuiſſet, hoc anno Franciſco Zamorenſi Miniſtro Generali expetente, ſequentes monitoriales litteras Cameralis auditor dedit: *Franciſcus Albericus de Rachaueto Protbonotarius Apoſtolicus, SS. D. N. Papæ ejuſque Camerarii, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, ſententiarum quoque, & Cenſurarum in eadem Romana Curia latarum Apoſtolicarum, univerſalis, & in hac parte Judex, & exequutor ad infraſcripta deputatus. Univerſis, & ſingulis locorum Ordinariis, & Generalibus Miniſtris, Guardianis, Prioribus, & aliis Fratribus Ordinum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, omnibuſque aliis, & ſingulis, quorum iuterest, intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum ſalutem in Domino, & noſtris bujuſmodi, immo verius Apoſtolicis, firmiter obedire mandatis. Noveritis quod alias a felicis recordationis Julio Papæ III. emanarunt, ut nobis ſufficiens extitit facta fides per documenta coram uobis exhibita litteræ Apoſtolicæ in forma Brevis, ſub annulo Piſcatoris, bujuſmodi = Julius Papa III. ad perpetuam rei memoriam. Cunctis Orbis Provinciis, diſponente Domino, præſidentes ad ea libenter intendimus, per quæ perſonæ quælibet, præſertim regulares, & divinis obſequiis ſub regulari habitu mancipatæ, ſemotis perturbationibus univerſis, in pacis, & quietis amœnitate ſedulum, & quietum Altiſſimo reddere valeant famulatum, & iiſque præterea proinde ordinata fuiſſe uoſcuntur, ut firma perpetuo ſubſiſtant, libenter cum a nobis petitur, Apoſtolici muniminis firmitatem. Sane pro parte dilecti filii moderni Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum uobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias poſtquam ipſe per tunc Viſitatores, & Guardianos, & forſan alios*

Ex Regeſt. Aracœli. Ultram.

Fra-

Fratres Provinciæ Burgen. dicti Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, juxta morem ejuſdem Ordinis plene informatus, quod ſub Provincia ipſa Cantabriæ Vizaimi nuncupati, & Caſtellani, & forſan diverſarum aliarum linguarum ipſius Ordinis profeſſores comprehendebantur, & propter eorum diverſos mores inter eos tam in electionibus de Provinciali, & Guardianis ipſius Provinciæ pro tempore faciendis, quam alias diverſæ controverſiæ, & diſſenſiones continuo vigebant, ad pacem, & tranquillitatem Provinciæ hujuſmodi, & illius Perſonarum conciliandam, habita prius deſuper deliberatione matura, in Capitulo Provincialis Burgen., de communi omnium Fratrum conſenſu ſtatuerat, & ordinaverat, quod ex tunc de cætero perpetuis futuris temporibus Cantabriæ, & Caſtellani ipſi alternatis vicibus in Miniſtrum Provincialem ipſius Provinciæ, & in tunc expreſſorum Conventuum Ordinis, & Provinciæ hujuſmodi Guardiani eligerentur. Itaque de Triennio, quo Caſtellanus in Miniſtrum Provincialem profiteretur, unus Cantaber Guardianus Burgen. eſſet, & e contra; cum ſtatutum, & ordinatio hujuſmodi licet Apoſtolica authoritate confirmata fuiſſent ad ſedandas, & removendas controverſias, & diſſenſiones ipſas nihil proficere diguoſceretur, & in dies inter Fratres Provinciæ odia, & inimicitiæ pullularent; Idem Miniſter Generalis inimicitiis, & controverſiis ipſis aliam viam intercludere intendens, Provinciam ipſam in duas Cuſtodias, unam videlicet Cantabrorum, & alteram Caſtellanorum pro duabus Cuſtodibus, uno videlicet Cantabro, & altero Caſtellano, ad hoc, ut unuſquiſque in ſua Cuſtodia, & uatione permaneret, & ambo ſub Miniſtro Provinciali, alternatis vicibus, ut profert, eligendo exiſterent, dividere propoſuiſſet, & Cantabri ipſi diviſionem ipſam approbare pertinaciter recuſaſſent, & ab diviſionibus, ac inimicitiis ipſis obviandum alia eſſent adhibenda remedia; veriſimileque crederetur, quod ſi pro ipſa in duas diſtinctas partes, ſeu Provincias dividerctur, diſſenſiones, & controverſiæ ipſæ penitus ceſſarent; idem Miniſter Generalis, habita ipſius deſuper maxima conſideratione, ne in eo ſe acceptatorem perſonarum præberet, Provinciam prædictam in duas, videlicet unam etiam Burgenſem Caſtellanorum, & alteram Cantabrorum nuncupandas Provincias, ſeu partes, tam ſua ordinaria auctoritate, quam ad id ſibi per nos conceſſa facultate diviſit, & ſeparavit, unicuique ex diviſis Provinciis, ſeu partibus hujuſmodi, quæ ſibi juſtitia & æquitate mediante, videbantur convenire, tribuendo, ac etiam, juxta morem ejuſdem Ordinis, ſingulis Provinciis, ſeu partibus ipſis ſingulos Miniſtros Provinciales præfert, ac nonnulla alia ad Capitulum, electionem, ac Provinciarum ipſarum bonum, & ſpirituale commodum, & partem ſpectantia ordinavit, prout in patentibus litteris ſeu inſtrumentis publicis, vel aliis ſcripturis deſuper confertis plenius dicitur contineri: pro parte præfati Miniſtri Generalis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut poſteriori diviſioni, & ſeparationi, ac profectioni prædictis pro illarum ſubſiſtentia firmiori robore Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingularem, & præſertim religioſarum perſonarum quieti, & commoditatibus libenter conſulimus, præfatum Miniſtrum Generalem a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure, & ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum foro cenſentes, nec non litterarum, ſeu inſtrumentorum, vel ſcripturarum hujuſmodi veriores teneret, ac primo dictæ Provinciæ ſituationes, confines, & vocabula præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſup-

ſupplicationibus inclinati poſteriores diviſionem, & ſeparationem, ac præfectionem, & ordinationem prædictas, ac prout illas concernunt omnia & ſingula in litteris, ſeu inſtrumentis, ac ſcripturis hujuſmodi contenta, & inde ſecuta quæcumque licita tamen, & honeſta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine confirmamus & approbamus, ac illas perpetuæ firmitatis robore adjicimus, ac omnes & ſingulos, ad quos id ſpectat & ſpectabit, cujuſcumque ſtatus, gradus vel conditionis fuerint, & quacumque etiam Eccleſiaſtica, vel mundana fulgeant dignitate, vel excellentia, ad illorum obſervationem perpetuo teneri, & ad id cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis, cogi, & compelli poſſe, & debere; necnon diviſionem, ſeparationem, & ordinationem hujuſmodi valere, ſic quavis auctoritate fungentes Judices, & alias perſonas, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari definimus; omneſque & ſingulos tam juris, quam facti, ac etiam ſolemnitatum forſan ad id requiſitarum, & non obſervatarum defectus, ſi qui forſan intervenerint, in iiſdem ſuppiemus, & nibilominus pro potiori cautela prædictam provinciam Burgen. in duas alias, juxta morem ejuſdem Ordinis Provincias, ſeu partes, unam videlicet Cantabrorum, alteram Caſtellanorum nuncupandas pro duobus illarum Miniſtris Provincialibus ad eorum regimen, alias, juxta eorum morem, reſpective præficiendis, de novo ſeparamus, & dividimus. Quocirca dilectis fiiiis Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori, & Burgen., ac Segobien. Officialibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios litteras prædictas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quomodo opus fuerit, ac quoties deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ac omnibus & ſingulis, quos illæ concernunt in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant litteras, & in eis contenta hujuſmodi plenum effectum ſortiri, ac quoſcumque, quos ille, ut præfertur, concernunt, eis pacifice frui, & gaudere, non permittentes, eos ſeu aliquos ex eis deſuper contra illarum tenorem quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias arbitrio ſuo moderandas, & applicandas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Ac legitimis ſuper iis habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras, & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres, & aliis Apoſtolicis, ac Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ac primo dictæ Provinciæ, & Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Provinciæ, & illius Superioribus, & perſonis, ac quibuſcumque aliis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus illorum veriores tenores, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque &c., aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quod interdum ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non ſufficienter plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum facientes de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud

 ſan-

ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima quinta Januarii MDLII. Pontificatus noſtri anno ſecundo. = Poſt quarum quidem harum Apoſtolicarum litterarum præſentationem, & receptionem nobis, & per nos, ut præmittitur, factas, fuimus pro parte moderni Miniſtri Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum principalis debita cum inſtantia requiſiti, ut ad executionem dictarum litterarum Apoſtolicarum procedere dignaremur, juxta traditam, ſeu directam per eas a Sede Apoſtolica nobis formam. Nos nunc Franciſcus Judex, & exequutor præfatus, attendens requiſitionem hujuſmodi fore juſtam & rationi conſonam, volentes mandatum nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur; idcirco auctoritate Apoſtolica nobis in hac parte directa præfatas litteras Apoſtolicas, hunc que noſtrum proceſſum, ac omnia in eis contenta vobis omnibus ſupradictis intimamus, inſinuamus, & notificamus, ac ad veſtram, & cuilibet veſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes; voſque omnes, & ſingulos ſupradictos, quibus præſens noſter proceſſus dirigitur, tenore præſentium requirimus, & monemus primo, ſecundo, & tertio peremptorio comuniter, vel diviſim, ac vobis, & veſtrum cuilibet in ſolidum, in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub infraſcriptis ſententiarum pœnis diſtincte præcipien., mandan., quatenus infra ſex dierum ſpacium, a die notificationis præſentium vobis, ſeu alteri veſtrum fact. immediate ſequen., quorum ſex dierum, duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies vobis univerſis, & ſingulis ſupradictis pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica aſſignamus, ſinatis dictum Dominum modernum Miniſtrum Generalem dicti Ordinis Fratrum Minorum præinſertis litteris Apoſtolicis, ac in eis contentis quibuſcumque uti, frui, & gaudere, nec permittatis eumdem per locorum Ordinarios, ſeu alios quoſcumque, quominus illis uti, frui, & gaudere poſſit, juxta illarum formam continentium & tenorem aliquomodo moleſtari, perturbari, ſeu aliquod impedimentum præſtare. Quod ſi forte præmiſſa omnia, & ſingula non adimpleveritis, ſeu diſtuleritis, contumaciter adimplere, mandatiſque, & monitionibus noſtris hujuſmodi non parueritis realiter, & cum effectu, nos in vos omnes, & ſingulos ſupradictos, qui culpabiles fueritis in præmiſſis, & generaliter contradictores quoslibet, & rebelles, ac impedientes eumdem dominum Miniſtrum Generalem, vel ejus Procuratorem ſuper præmiſſis in aliquo dantes auxilium, vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, vel ingenio cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtat, ex nunc, prout ex tunc, & e contra ſingulariter in ſingulos, prædicta ſex dierum canonica monitione præmiſſa, excommunicationis in Capitula, Conventus, & Collegia quæcumque in his forſan delinquentia, ſuſpen. a divinis, ac in ipſas, & ipſorum delinquentium, & rebellium Eccleſias, Monaſteria, & Cappellas interdicti &c. ſententias ferimus in his ſcriptis, & etiam promulgamus; Vobis vero Reverendiſſimis, & Reverendis Patribus Dominis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Prioribus præfatis dumtaxat exceptis, quibus ob reverentiam veſtræ pontificalis dignitatis deferimus in hac parte, ſi contra præmiſſa, vel ipſorum aliquod feceritis, ſeu fieri mandaveritis per vos, vel ſubmiſſas perſonas quovis quæſito colore, ex nunc prout ex tunc, dicta canonica monitione præmiſſa, ingreſſus Eccleſiarum interdicimus in his ſcriptis. Si vero hujuſmodi interdictum per alios ſex dies præfatos immediate ſequen. ſuſtinueritis, vos in eiſdem ſcriptis ſuſpendimus a divinis. Verum ſi præfatas ſuſpenſionis, & interdicti ſententias per alios ſex dies præfatos duodecim immediate ſequen. animis (quod abſit) ſuſtinueritis &c. vos, & veſtrum quilibet in his ſcriptis excommunicationis ſententia innodamus. Ceterum cum ad

exe-

exequutionem præmiſſorum faciendam nequeamus quoad præſens perſonaliter intereſſe, pluribus aliis arduis in Romana Curia legitime præpediti negociis univerſis, & ſinguliis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanit, Archidiaconis, Presbyterit, Clericis, cæteriſquo viris in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, Notariis, & Tabellionibus publicis quibuſcumque, & eorum cuilibet ſuper ulteriori exequutione dicti mandati Apoſtolici, atque noſtri facienda, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium committimus vices noſtras, donec eas ad nos duxerimus revocandas, quos nos tenore præſentium requirimus, & monemus, eiſque nihilominus in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam in eos, & eorum quemlibet ferimus in his ſcriptis, niſi fecerint quemadmodum diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus infra ſex dierum ſpatium poſt præſentationem, ſeu notificationem vobis factis, quorum ſex dierum, duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies vobis pro tertio & peremptorio termino ac monitione canonica aſſignamus, voſque omnes, & ſingulos ſupradictos, quibus præſens noſter proceſſus dirigitur, necnon ad Eccleſias, perſonaſque, & loca alia, de quibus, ubi, quando expediens fuerit perſonaliter accedant, ſeu accedat, ac præfatas, & præſentes litteras vobis omnibus legant, intiment, & fideliter publicare procurent, faciatis eumdem Dominum Miniſtrum Generalem dicti Ordinis præinſertis litteris Apoſtolicis, ac omnibus in eis contentis, juxta illarum formam, continentiam, & tenorem, uti, frui, & gaudere; nec permittatis, eum per locorum Ordinarios, ſeu alios quoſcumque, quominus illis uti, frui, & gaudere poſſit, contra præſentium tenore indebite moleſtari. Et generaliter omnia, & ſingula nobis in hac parte commiſſa plenarie exequuti, juxta prædictarum litterarum Apoſtolicarum, & præſentis noſtri proceſſus vim, formam continen., ita tamen quod dicti Subdelegati nihil in præjudicium dicti P. Miniſtri Generalis, vel Procuratoris ſui valeant attentare, quomodolibet in præmiſſis, neque in proceſſibus per nos habitis, aut per ſententias per nos latas abſolvendo, vel ſuſpendendo aliquid immutare; in cæteris, quæ eidem Domino Generali, prout in præmiſſis nocere poſſent, ſeu quomodolibet obeſſe, prædictis Subdelegatis, vel quibuſcumque aliis poteſtatem omnimodam reſervamus. Et ſi contingat ſuper præmiſſis in aliquo procedere, de quo nobis poteſtatem omnimodam reſpuamus, nec intendimus commiſſionem maximam hujuſmodi in aliquo revocare, donec de revocatione ipſa fecerimus ſpecialem mentionem. Præfatas quoque litteras, & hunc proceſſum volumus penes eumdem Generalem remanere, & non per vos, aut aliquem veſtrum ipſo invito detineri, contrarium vero facien. præfatis noſtris ſententiis volumus ſubjacere, mandamus copiam fiendi præmiſſis eam petentibus, & habere debentibus, petentium quidem ſumptibus, & expenſis, abſolutionem vero omnium, & ſinguiarum, qui prædictam noſtram excommunicationis ſententiam incurrerint, ſive incurrerit quoquomodo nobis reſervamus. In quorum fidem præſentes fieri, & per noſtrum Notarium infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique noſtri fecimus communiri. Datum Romæ in ædibus noſtris, ſub anno a nativitate Domini MDLV. *indictione* XIII., *die vero* XV. *menſis Novembris, Pontificatus Sanctiſſimi D. N. Papæ Pauli IV. anno* I., *præſentibus ipſis Dominis Felice de Romaulis, & Deſiderio Bonavena teſtibus ad præmiſſa vocatis, & rogatis. Adam de Invidia ejuſdem Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.*

Clemens Mollianus Generalis Inquiſitor inſtituitur. Alia eidem facultates conceſſæ.

XIV. Eumdem Clementem præterea Generalem contra hæreticam pravitatem Inquiſitorem inſtituit, ampliſſimis ad hoc munus conceſſis facultatibus, ut ex Diplomate .... *Cum ad nihil magis* &c. ſimiliter eidem, bellis ſævientibus, aut quoddam alio impedimento præpedito, ad Comitia Generalia Or-

dinis convocanda indulſit, ut pro Hiſpaniarum, Galliarum, & Flandriæ regionibus Commiſſarios, ſive Vicarios Generales poſſet inſtituere, etiam cum Apoſtolica facultate, ut liquido per ſequentes litteras conſtat . . . *Rodulphus Pius miſeratione Divina Epiſcopus Tuſculanus, S. R. E. Cardinalis de Carpo totius Ordinis S. Franciſci Protector &c. Univerſis, & ſingulis RR. Patribus, & Miniſtris Ultramontanis Ordinis Min. de obſervantia notum facimus, & atteſtamur, qualiter eum SS. D. N. D. Julio Divina Providentia PP. III. expoſuerimus, quod ſi contigerit R. P. F. Clementem a Monelia veſtrum Generalem Miniſtrum propter bella, aut alia legitima impedimenta non poſſe juxta tenorem Bullæ unionis Capitulum generale interim celebrare pro electione Generalis Commiſſarii eorumdem partium ultramontanarum, quod eo caſu de conſilio aliquorum patrum poſſet præficere in ſingulis nationibus ultramontanis, in Hiſpania videlicet, Gallia, & Flandria Commiſſarios unum vel plures, prout eidem generali Miniſtro pro ſpirituali profectu illarum partium melius videbitur expedire, qui quidem Commiſſarii, non modo auctoritate dicti Generalis ordinaria, verum etiam auctoritate Suæ Sanctitatis, habeant regere, & gubernare, ac moderari dictas partes uſque ad novam proviſionem per eumdem Generalem Miniſtrum faciendam. Sanctitas Sua his juſtis petitionibus, ac precibus etiam noſtris inclinata benigne annuit, & vivæ vocis oraculo nobis facto dictam poteſtatem, & facultatem eidem Generali dedit, & conceſſit. Quapropter ejuſdem SS. D. N. P. auctoritate, omnibuſque, & ſingulis Ultramontanarum partium Patribus, & Fratribus præcipimus ſub pœna privationis omnium actuum legitimorum, & aliis pœnis dicto Miniſtro Generali arbitrariis, ut eiſdem Commiſſariis, juxta ſupradictum modum inſtituendis pareant & obbediant, ſicut præfato Generali Miniſtro parerent, quibuſcumque in contrarium faciendum non obſtantibus. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptos exinde fieri, & per ſecretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique noſtri juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in Ædibus noſtris, die prima Januarii MDLV. Pontificatus ejuſdem SS. D. N. anno quinto.*

Epiſt. Rodulphi Card. Protect. Reg. Ciſm. Aracæl. fol. 175. Reg. Ultram. Aracæl. fol. 159.

Altera ejuſdem Epiſtola. *Reg. cit.*

XV. *Rodulphus Pius miſeratione Divina Epiſcopus Tuſculanus, S. R. E. Cardinalis de Carpo, ac totius Ordinis S. Franciſci Prot; Univerſis, & ſingulis Patribus, & Fratribus, tam Prælatis, quam ſubditis Ultramont. partium Ordinis Min. de Obſ. notum facimus, & atteſtamur, qualiter Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. P. Julius divina Providentia PP. III. vivæ vocis oraculo nobis facto voluit, & conceſſit, quod ſi R. P. F. Clemens a Monelia Ordinis Min. de Obſerv. Generalis Min. ob adverſam valetudinem, aut aliud legitimum impedimentum accedere ad Ultramont. partes Hiſpaniam, videlicet, Galliam, & Flandriam, non valeret, quod ad dicta loca cum omnimoda ejus poteſtate, mittere poſſet Commiſſarios, aut Vicarios, qui non modo ordinaria dicti R. Generalis, ſed ejuſdem ſummi Pont. auctoritate, partes illas viſitare, illiſque Capitulis præſidere, ac omnia alia agere, & facere poſſit, quæ ipſe Generalis Miniſter, ſi eſſet præſens, facere valeret. Quapropter vobis omnibus, & noſtra, & ejuſdem Sanctiſſimi auctoritate, præcipiendo mandamus, ut dictis Commiſſariis, vel Vicariis per dictum Generalem veſtrum ad vos mittendis, ſub pœnis ſibi arbitrariis eamdem obedientiam, & reverentiam impendatis, quam ſupradicto Generali, ſi præſens eſſet, impenderetis. Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas exinde fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique noſtri juſſimus, & fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in Ædibus noſtris, die prima Januarii 1555. Pontificatus ejuſdem Sanctiſſimi D. N. D. an. 5.*

An. Chr. 1555.	Julii III. anno 5.	Marcel. II. Pauli IV. anno 1.	Caroli V. anno 37.	Religionis Mi-norum an. 348.

XVI. Præter Monilianum recenſitum cæteri etiam viri celebres circa hæc tempora floruerunt. Conradus Clingius, ſeu Klingius, Minorita, Germanus, Doctor facundiſſimus, Eccleſiaſtes Erfordienſis, ut Hæreticorum, quos ſcripto, & verbo ubique inſectabatur, cavillis reſponderet (ſparſerant enim lecto gravi morbo decumbentem recantaſſe doctrinam catholicam, quam ubique ad illud uſque tempus docuerat) collegit *Locorum communium Sacræ theologiæ ſylvam*, opus, argumento, ordine, & varietate longe utiliſſimum: Summam Catholicæ Doctrinæ de omnium ferè dogmatum, & Chriſtianæ religionis controverſiis, & contrariis catholicis reſolutionibus continens, Divini Verbis Miniſtris, in iis præſertim regionibus, quæ hæreſum contagione infectæ ſunt, apprime opportunum. Opus hoc ut hæreticorum dolos, & technas vetaret, & populos a ſe inſtructos in Fide roboraret, cudendum curavit Coloniæ an. MDLII. quod iterum prodiit Pariſiis an. MDLXIII. *Catechiſmum* etiam *Romanum libris quatuor comprehenſum* compoſuit. Prodiit Coloniæ an. MOLXX. alia inſuper ſcripſit, quæ vel exuberantis ingenii vitio, vel hæreticorum fraude corrupta, correctione indigent, unde donec expurgentur, in Indice Romano omnia ejus opera indicantur ſuſpenſa. Florent item Alphonſus de Matrito, & Petrus de Cornibus, cujus tamen opera deſiderantur. Item Franciſcus Vervoordt Provinciæ Germaniæ inferioris Miniſter, Concionator eloquentiſſimus diem clauſit extremum ſexto Kal. Decembris. Bonaventura Vicentinus Tertii Inſtituti Generalis Præfectus die xv. Maii hujus anni Nicolaum de Lanzonibus Cremonenſem, ut Ordinis res bene procederent ſuum Commiſſarium Generalem inſtituit, quod munus recte, ſapienterque ab eo geſtum, anno ſequenti mors importuna abripuit, turbavitque. Hieronymus Peruſinus, Minorita, familiæ de Ubaldis adjunctus, recenſente P. Oldoino, ſupra viginti annis profeſſus eſt inter ſuos Philoſophiam in Patria, & per annos duodecim in Piſana Accademia, qua in urbe hoc anno e vita migravit, poſteris tradens *Plura MSS. in re Philoſophica*, & *Commentarium in Ariſtotelem*. De hoc viro Alexander Baleſtrinus, Cæſar Criſpoltus, & Ludovicus Jacobillus: Joannes Eſtelſius, Waddingo teſtante edidit: *Homilias in Evangelia Dominicalia in duas partes, æſtivam & hyemalem diſtinctas*, Antuerpiæ MOLIX. *In epiſtolas dominicales, & feſtivitates Sanctorum, ſimiliter in æſtivas & hyemales* diſtinctas, ibid. MDLV. *In omnia evangelia feriarum Quadrageſimalium*, ibidem MOLVII. Floruit etiam Petrus Fermoſello Hiſpanus, Regularis Obſ. Prov. Beticæ, qui Guardianum egit Hiſpalenſem. Conſcripſit ac edidit *Commentaria in Logicam Franciſci Titelmanni*, niſi opus indiſtinctum ſit ab alio inſcripto: *Tractatus argumentationum, & ſolutionum in totam Franciſci Titelmanni Dialecticam*, Hiſpali apud Martinum a Monteſdoca MOLV. in 4. Primum laudat ex Wadd. Nicolaus Antonius, ejuſque editionem Hiſpalenſem hoc anno factam.

Florent. Viti Doctrina præſtantes.
Conradus Klingius. *Wadd. de Script. Ord.* *Biblioth. Franc.* *Natal. Alexan. Tom. 9. Hiſt. Eccleſ. Art. 2. ſæc. 16* *Graveſon. Tom. 7. Hiſt. Eccl. Colloq. 5.*

Alphonſus de Matrito.
Petrus de Cornibus.
Michael de Medina. *Rodulph. fol. 330. 332.* *Wadd. de Script. Ord.* *Biblioth. Franc.*
Franciſcus Vervoodst. *Vvad. de Script. MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 50. n. 144. fol. 54.*
Bonav. Vincentinus. *Borſon. Cronol. 3. Ord. Cap. 12.*
Hieronymus Peruſinus. *Oldoin. in Athen. Aug. Peruſin. fol. 146.* *Criſpolt. in Peruſ. Auguſta.* *Jacobill. de Script. Umbriæ.*
Joannes Eſtelſius. *Vvadd. de Script. Ord.*
Petrus Fermoſello. *Vvadd. cit.*
Conv. de Navarete. *Gonz. in Prov. Burg. Con. 10.* *Monum. MM. SS. Prov. Burg.*
Conv. Lorcæ. *Idem in Prov. Cartag. Conv. 10.* *Monum. MSS. Prov. Cartag.*

XVII. Cænobium de Navarete, Provinciæ Burgenſis, Diœceſis Calagurritanæ in Hiſpania, fuerat olim Minoritis exſtructum a Didaco Manrieuetio Legionis Regni Præfecto, & Comite de Trivinio, ſub auſpiciis S. Mariæ de Jeſu infra limites Provinciæ Conceptionis. Hoc autem anno Ducis Nagerani (cujus dominio oppidum ſuberat) patrocinio, opibuſque oppidanorum, qui ægre ferebant Cænobium tam longe ab eodem oppido diſtare, ad locum viciniorem translatum eſt; exinde ex Provincia Conceptionis Burgenſi ſuit addictum. Item in Hiſpaniis, prope Civitatem Lorcæ Provinciæ Cartaginenſis, ac Regni Murciæ ædiculam Dominæ noſtræ de Hortis ſuiſſe Minoritis datam, ut domum ſibi conſtruerent, Wad. ſuo loco retulit; mendumque Gonzagæ detexit, qui ſcriptis Paulum II. die VI. Decembris MCCCCLXXVI. factum confir-

confirmaſſe; quum eo tempore non Paulus II. ſed Sixtus IV. Catholicæ præſideret Eccleſiæ; fundatio ergo a Paulo anno MCCCCLXX. VI. Idus Decembris re ipſa confirmata eſt; at Incolis cupientibus Fratres propinquiores habere oppido, quædam nobilis mulier Vidua relicta quondam Petri Martinetii *de la Juncta*, quæ fatis cædens apud Fratres tumulari voluit, pro ſolo hortum cum domo obtulit, ut ea ad apte congruenterque diſpoſita in Fratrum uſum converteretur. Locum tamen minus opportunum compertum, cum alio commodiori in ſuburbiis ex Pauli IV. facultate commutarunt, novumque opus ſub ſancti Franciſci nomine ex piorum eleemoſynis proſecuti ſunt, ut ex litteris Pontificiis hoc anno datis, incipien. *Juſtis petentium* compertum eſt. Unus erat Præſul, qui unum, & alterum Conventum moderabatur, ſed recentior ſatis ſuperque auctus, circa annum MOLXI. proprium cæpit habere Præfectum. In hujus templo Domini noſtri Cruci affixi, & Beatæ Virginis Matris ejus ſacræ Imagines frequenti veneratione coluntur. Viget etiam ibidem ſæcularium hominum pium ſodalitium, titulo prætioſiſſimi Sanguinis Salvatoris inſignitum, quod non modicum affert Ordini decus, & animabus profectum. Apud etiam novæ Hiſpaniæ Oppidum, quod novæ Cartaginis nomen habet, Dominæ noſtræ de Laureto Conventus exſtruitur in S. Fidei cuſtodia. Eſt autem nova Carthago (vulgò *Carthajena*) maritima Civitas, & ab Hiſpanis ſtatim poſt patriæ iſtius expugnationem, in ejus urbi, quæ ab Aſdrubale, ait Gonzaga, Carthaginenſium Imperatore in Hiſpania condita eſt, eodemque nomine appellatur, memoriam, ædificata; tanto populoſior, tantoque opulentior exiſtit, quanto nobiliori, atque ſecuriori portu Peruanis præ cæteris Civitatibus gaudet. Confluentibus ſiquidem eo tum ex Hiſpania, tum ex reliquo Peruano Regno, tum quoque ex occiduis omnibus Indiis navibus, diverſi generis mercibus onuſtis, Peruani totius Regni emporium facile dici poteſt, omnibuſque abundat, ac nihil penitus eorum, quæ ad vitæ ſuſtentationem requiruntur deſiderat. Ne igitur hujus Civitatis habitatores, qui fere omnes mercimonio intendunt, divitiis immerſi, avaritiæ ſtuderent, ſuique Creatoris aliquando oblivíſcerentur, hunc noſtri fratres apud eos Conventum erigi, perficique curarunt. Qui ſane conventus, a XXV. fratribus frequentius ineultus, & aliquantulum a præfata Civitate ameniſſimo in loco conſtitutus, tum civibus, tum quoque aliunde adventantibus, ob frequentia miracula, quæ ad glorioſiſſimæ ejuſdem Virginis imaginem ibidem erectam contingunt, commendationibus exiſtit. Subjacent demum præfato huic Conventui doctrinales quinque domus in diverſis Malibuenſium Indorum oppidis conſtructæ, in quibus Fratres Chriſtianam doctrinam docent.

Conv. S. Mariæ de Laureto Novæ Cartag. *Gonz. in Prov. S. Fid. Cap. 4.*

XVIII. Prope Niciam ſive Nicæam Vediantiorum urbem Cœnobium PP. Capuccinis fundatum eſt, Franciſco Lamberto Epiſcopo aſſentiente, qui primum poſuit ſolemni ritu lapidem. Proceſſu temporis Margarita e Francorum Regibus, Sabaudiæ Duce, urbis Senatu, aliiſque piis perſonis eleemoſynas, Joſepho autem Calvo ſundum, ſancti Poncii demum Abbate Ædiculam ſancti Bartholomæi, elargientibus, unoquoque tamen pro ſua portione ſibi loci ſervato dominio; factum eſt tandem, ut in ſatis commodum Cœnobium parva primum domus excreverit. Alterum Cœnobium eorumdem ſanctæ Mariæ Pacis Beneventi in Neapolitano Regno, annuente Joanne *de la Caſa* Archiepiſcopo: Tertiæ Saponariæ in Lucaniæ Provincia, & Marſicanæ diœceſis D. P. extra oppidi Mœnia: Quartum Montis Ilcini, ſive Alcinoi in Provincia Tuſciæ, ſub ſancti Jacobi Majoris Apoſtoli auſpiciis: Quintum Scapetiani Senogallienſis: Sextum in oppido Gradariæ Ariminenſis diœceſum, Provinciæ Marchiæ hoc item anno erecta fuiſſe, earumdem Provinciarum acta teſtantur,

Conventus Niciæ Capuc. *Menum. MSS. Arch. PP. Capuc. urbis fol. 107.*

Conv. eorumdem Beneventi. Saponariæ. *MSS. cit. fol. 23.* Montis Ilcini. *Ibidem fol. 86.* Scapetiani. Gradariæ. *Menum. MSS. cit.*

tur, etſi de iis altum ſit ſilentium apud Boverium, qui maluit calamum in Obſervantes Franciſcanos acuere, quam pro ſuo munere, exactam, & integram ſuorum hiſtoriam mirabilem texere. Verum dum in Italiæ, etiamque in Hiſpaniæ partibus recenſitæ domus acquiruntur, illa urbis Ambergenſis Palatinatus ſuperioris deperditur. Quum enim magis, magiſque ingraveſcerent circa Religionem diſſidia, cumque Ambergenſis Senatus eum Incolis univerſus in Lutheri verba juraſſet, tamdem etiam ipſe Princeps Elector Palatinus Fridericus II. ad expulſionem Fratrum, etſi invitus, conſentire oportuit quia invaleſcente lieet per totum Palatinatum lutheraniſmo, Fratres tamen huc uſque pientiſſimus, ſemperque vere Catholicus Princeps ſua protectione defendit, prout ex hic ſuppoſito Decreto patet: *Nos Fridericus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ S. R. Imperii Archidapifer, & Elector. Nuntiamus noſtris Officialibus, Præfectis quibuſcumque noſtri Principatus Bavariæ, & omnibus aliis ſalutem, & noſtram gratiam. Percipimus a Vener. dilectis noſtris fidelibus Guardiano Obſervantiæ Diſcalceatorum * & Patribus querelas, quod ſui Fratres, qui pro colligenda ſancta eleemoſyna pro eorum neceſſitate & ſuſtentatione in terminis ſuæ collecturæ hiſce temporibus variis injuriis, inſultationibus, minis, imo etiam verberibus, affligantur, iiſque invita neceſſariis, necnon in ſua devotione, & officio Divino varia impedimenta, & contumelia inferantur, quæ omnia ſi ita ſe habeant, non immerito ipſis gravia ſunt, notiſque nullatenus placere poſſunt. Nos igitur nobis non ſubditos hiſce monemus, & adhortamur, ſubditis vero noſtris diſtricte præcipimus, quatenus hos præfatos Fratres, ſi pro collectura ſuæ eleemoſynæ ad vos pervenerint, in ea colligenda adjuvetis, & contra prædictas injurias, calumnias, rixas, & alias contra charitatem proximi venientes noſtro nomine protegatis, & defendatis, & hoc adeo obſervetis, ut ipſi effectum hujus noſtri mandati ſentiant, & ad ulteriores querelas non compellantur. Si vero aliquis prædicto modo illis injurioſe occurrent, & id vobis denuntiaretur, hunc impunitum non dimittatis; qui autem Nobis ſubjectus non eſt, & hoc noſtrum edictum voluntarie exequetur, faciet nobis rem valde gratam. Noſtri vero ſciant expreſſum, & ſerium noſtrum Mandatum ſigillo noſtro munitum. Datum Ambergæ feria quinta poſt Petri & Pauli Apoſtoli, tertio die menſis Julii, poſt Chriſti Domini noſtri Nativitatem, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quarto.* Idem Fridericus in Litteris ad Conventus ejuſdem Ambergenſis Præfectum latis, ſe Novatoribus iiſdem ſtrenue oppoſuit, & noſtras pro tune tamquam ſuos ad hujuſmodi finem conſiliarios, ſeu Theologos conſtituit, ut ex ſequenti copia lieet perpendere:

Conv. Ambergenſis deperditur. *Ex MSS. Auth. Prov. Bavar. Archiv. Aracelie.*

Friderici II. Bav. Ducis in Minoritas pietas. *Ex eodem Archivo.*

* *Diſcalceatos pro ſuo more vocat, non quod reipſa ex Diſcalceatis eſſent.*

Fridericus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ &c. Salutem, Reverendi, Religioſi, Dilecti fideles. Quandoquidem in nupera Dieta Imperiali, Norimbergæ Congregatis ſacræ Cæſareæ Majeſtatis Domini noſtri clementiſſimi, Vicario, & Oratore, necnon Electoribus Principibus, & Statibus Imperii ratione Lutheranæ, ac aliarum erronearum doctrinarum, ac concionum, quæ valde jam per Germaniam invaluerunt, & per eas Chriſtifideles in varias iniquitates circa ſanctam noſtram Chriſtianam fidem inducuntur, utile, imo neceſſarium viſum fuit, ut ſine mora, & quamprimum fieri poſſit liberum, & Generale Concilium Germanicæ Nationis in loco commodo conſtribatur, & denuntietur, in quo de rebus communis Chriſtianitatis, noſtræ Sanctæ fidei, & Chriſtianæ doctrinæ in variis locis immutatæ, & in dubium vocatæ tractetur; hinc ut quilibet Chriſtianus ſciat quomodo interea, uſque ad tempus Concilii ſe gerere debeat, generalem Dietam Imperii, & Congreſſum in Civitate Spirenſi ad proximum feſtum ſancti Martini inſtituerunt, in

Ejuſdem aliud in Ordinis favorem Diploma. *Ex eodem Archivo.*

quo

quo de prædictis neceſſitatibus Chriſtianitatis conſultetur, & tractetur, ut in futuro Concilio eo melius, & cum fundamento nova doctrina examinata, & quid de eadem bonum, ac ſalutare inveniatur acceptari, malum vero repelli poſſit. Item etiam mandarunt, ut quilibet Elector, Princeps, & Status Imperii aliquos doctos, honeſtos & prudentes Viros eligat, illiſque præcipiat, ut dictas Lutheri, & aliorum novas doctrinas, conciones, & libros pervolvant ſumma cum diligentia examinent, ex iiſdem extractum faciant, bonum a malo ſeparantes, ſuumque conſilium apponentes, quo meliori modo iſta diſſidia poſſint concordari, & gravamina tam Eccleſiaſticorum, quam Sæcularium Statuum Nationis Germanicæ tolerabili modo componi. Idque ſacræ Ceſareæ Majeſtati, vel in ejus abſentia ſuo Vicario, & Statibus Imperii in dicta Dieta congregandis extradatur. Quia igitur ſuper hoc ſpeciale mandatum Cæſareum accepimus, hinc nos noſtro, & noſtri dilecti fratris Ludovici Electoris Palatini nomine vobis diſtricte præcipimus, ut abſque mora, & quo citius fieri poſſit, prædictam novam doctrinam, & præfata Statuum Eccleſiaſticorum, & Sæcularium gravamina ad invicem conferatis, & quomodo circa ea revidendo, examinando, diſputando, & conſulendo procedendum ſit, extractum cum veſtro conſilio omni diligentia conficiatis, nobiſque in ſcriptis ad noſtram Cancellariam Ambergenſem uſque ad feſtum Simonis & Judæ certo, & infallibiliter tranſmittatis, nec in hoc moroſi ſitis, prout, & nos deſuper conſultare, & prout dictum eſt, cum noſtro judicio præſentare debemus. Confidimus, hæc fieri a vobis indubitanter. Datum Amberge, feria ſexta poſt Ægidii feſtum, anno vigeſimo quarto.

Hæreticorum in Fratres petulantia.

Increſcente vero violentæ ſectæ rabie, Pientiſſimus Princeps impedire non potuit, quin dicti Fratres non ſolum migrare juſſi, ſed & inſano impetu aliqui eorum per tumultuantem plebem infami cujuſdam carnificis (excoriatoris) currui per vim impoſiti, & ad Conventum Mambergenſem rapti ſint. Conventus Ambergenſis poſt hæc in Gymnaſium Acatholicæ juventutis converſus eſt, uſque dum Maximilianus I. Bavariæ Dux, & Elector Palatinatum armis recuperatum religioni Catholicæ, & Cœnobium iſtud Ordini pro ſua pietate, & religione reſtituit. Docemur præterea ex Pauli IV. Diplomate, Monaſterium Clariſſarum S. Mariæ in Jeruſalem Neapolitanum translatum alio intra illius urbis limites, auctumque fuiſſe ſub prima regula ſanctæ Claræ quod Pauli III. facultate olim ſub Sedis Apoſtolicæ immediato imperio pro Monialibus Tertii Inſtituti exſtructum fuerat, ut liquet ex Litteris Apoſtolicis, quarum initium *Aliaſ felicis &c.* IV. Septembris. Cum etenim Maria Longa natione Hiſpana de qua Waddingus, depoſitis ſæcularibus exuviis mundo nuntium remiſiſſet, Regulam Monaſticam profeſſa, Paulo III. Pontifice jubente, Monaſterium illud ſub Abbatiſſæ titulo gubernandum ſuſcepit, quod ſancti Cajetani conſilio, & de omnium ſuarum Monialium aſſenſu, primæ, atque arctiori Regulæ Clariſſarum perpetua voti Religione obligavit. Cum vero Patres Reformati tunc temporis non eſſent in urbe Neapolitana, Patrum Capucinorum gubernio fuerunt Apoſtolica authoritate commiſſæ; unde nomen Capuccinarum aſſumſerunt, quod & aliis quibuſdam in locis ſuerunt imitatæ. Juvat interim animadvertere, ut vulgarem æquivocationem auferamus de medio, varia Clariſſarum cognomina innuere, quibus Sorores hujuſmodi, ſive a beata Coleta, ſive a quapiam alia, *reformatas* varie pro varietate locorum, cæterarumque circumſtantiarum nuncupatas fuiſſe. Indubium prorſus ab univerſis cenſeri debet, quod Sorores noſtræ Clariſſæ ab ipſa Aſſiſinati ſancta Clara ſuam traxerunt originem: Reformationes vero contra ſubintroductas libertates, & privilegia diſpenſativa, a beata Coleta, unde proprio, & genuino titulo *Monia-*

Maximilianus I. Bav. Dux & ipſe Minoritis addictus.

Monaſt. Neap. S. Mar. in Jeruſ.

Maria Longa. *Wad. ad ann. 1538. n. 25. Artur. ad 21. Decemb. Gubern. Tom. 2. lib. 11. cap. 10.*

niales Clariſſæ de prima regula appellari conſueverunt, ut ab illis diſcriminarentur, quæ Clariſſarum regulam ab Urbano IV. moderatam profitentes, propterea *de ſecunda Regula*, ſive *Urbaniſtæ* vocitantur. A beatæ Coletæ vero ætate in Galliis, in Belgio, in Germania, etiamque alibi *Coletaneæ* nuncupatæ ſunt. Apud Italos autem *Reformatæ*, *Diſcalceatæ*, aut *Capuccinæ* dicuntur illæ, quæ ad locorum morem, & vocantium placitum, veram regulam ſanctæ Claræ, procul a privilegiis atque diſpenſationibus, profitentur; non vero quod a PP. Capuccinis, Reformatis, aut Diſcalceatis ſuerit eis, ut quidam falſo credunt, vivendi norma tradita. Thaddæa Alberici de Malaſpina, Maſſæ & Carrariæ Marchionis filia, ſuorum æmulatrix, qui olim Fratribus Maſſæ Cœnobium exſtruxere, ibidem Clariſſarum Monaſterio Corporis Chriſti extra urbem, ſuis tamen in ædibus, hoc anno dedit initia, illudque prædiis, cæteriſque redditibus locupletavit, de qua re ſolemne extat monumentum, *Reg. Ser. Joann. Andreas de Ceccoperiis*, quod incipit: *Cum ſit., & fuerit &c.* vigore indulti, quod Julius III. anno elapſo vivæ vocis oraculo fuit elargitus, medio Raynutii Cardinalis ſancti Angeli Diplomate: *Raynutius miſeratione Divina tituli ſancti Angeli presbyter Cardinalis, Dilectæ nobis in Chriſto nobili mulieri Thaddeæ Alberici de Malaſpina viduæ, de Maſſa, ſalutem in Domino: Injunctum nobis ab Apoſtolica Sede ſervitutis officium admonet &c. Datum Romæ anno* MDLIV. v. *Kal. Decembris, Pontificatus præfati Julii* v. Cum autem hoc anno eadem Thaddæa die VIII. Februarii univerſa bona ſua eodem Tabellione inſtrumentum conficiente, attribuiſſet in dotem, benigne annuente Pontifice, & mandante Franciſco de Bartholomæis Provinciali, Sorores quinque e Monaſterio ſancti Leonis, alias ſanctæ Claræ Petræ Sanctæ, ſexto tantum inde milliario eductas, Maſſam adduxit, locique poſſeſſionem contulit; quibus nomina erant *Cæcilia, Angela de Petra Sancta, Clara, ac Magdalena de Maſſa, & Apollonia a Burgo Lucenſi*. His igitur die XXX. Martii hujus anni curam quinque Virginum commendarunt Obſervantium regimini. Proceſſu temporis eadem Thaddæa aliam amplam Domum intra muros ejuſdem Maſſæ veteris Sororibus Tertii Inſtituti eſt elargita, aliiſque additis donariis, Eccleſiæ ſancti Franciſci, in habitu Franciſcano tandem vitæ curſum feliciter abſolvit hoc anno, & apud ſuas Clariſſas ſepeliri mandavit. Porro Eccleſiam Monaſterii Corporis Chriſti ſolemni ritu ſacris Oleis inunxit Franciſcus Pallaſia Lucenſis, & Sarzanenſis Epiſcopus, die XX. Octobris anni MDLVI. Noſtra autem hac ætate aucta eſt, & fere in totum innovata, pulcherrimis Sacellis ornata, Sanctorum reliquiis decorata, pretioſa ſupellectile, indulgentiiſque ditata. Cœnobium ſimiliter ampliatum eſt, Sororumque numerus auctus. Valetudinarium, Aromatariæque exſtructa officina, cæteraque, aut facta, aut inſtaurata, quæ longum eſſet hic recenſere, exemplo, atque pietate plurium ejuſdem nobiliſſimæ Sobolis Virginum, ex quibus fere omni ætate in hac earum religioſa Domo Chriſto ſponſo ſervire ſtatuerunt, mundi ſpretis illecebris. Annis mox elapſis ex iiſdem ad cœleſtes nuptias vocatæ ſunt glorioſiſſimo obitu Olympia & Fulvia, quarum prima præ cæteris caritate erga egenos, atque ægrotos (quorum etiam vulnera, ulceraſque propriis manibus conſuevit lenire) aliiſque virtutibus emicans, veræ ſolidæque ſanctitatis reliqnit indicia. Superſtites autem adhuc feliciter in eodem Monaſterio aliæ duæ Virgines hujus gentis perſeverant, Maria Magdalena, nempe, & Victoria, quibus, ut cæteris Conſororibus continuo proſint, anni Neſtoris deſiderandi ſunt. Hæc univerſa nos ipſi, non ſine ingenti lætitia & admiratione, olim conſpeximus,

Thaddæa Malaſpina.

Monaſt. Maſſæ.

Monum. MSS. Prov. Tuſciæ. Genc. in eadem Prov. Mon. 5.

Monaſt. Clariſſ. Petræ Sanctæ.

Cæcilia, & Angela de Petra Sancta.

Clara, & Magdalena de Maſſa.

Apollonia de Burgo Lucenſi.

Eadem Monum. Tuſciæ.

Dele ly *hoc*, mendum Autographi, & adde MDLIX.

Olympia, & Fulvia ex Ducibus Maſſæ.

Maria Magdalena, & Victoria ex eadem Gente.

PP. Convent. e Conv. Ebor. ire jubentur. *Gonc. in Prov. Algarb. Cen. 4.*

dum Viſitatoris munere illa in Provincia ſungentes, ſacras Ædes perluſtravimus. Patribus Conventualibus e Cœnobio ſancti Franciſci Eborenſi in Luſitania ire juſſis, juxta Gonzagæ opinionem, anno MDXLVIII. (quod tamen ſub Leone X. ut ipſe ait, contingere non potuit, quum eo tempore Paulus III. Petri locum haberet) & Obſervantibus in eorum locum ſuffectis, ex bonis temporalibus ad eoſdem Conventuales pertinentibus, quæ univerſa ad Monaſterium Clariſſarum curæ Ordinis commendatum devolvi de more debuerant, quædam Sancia Agnete defuncta, & in Fratrum Eccleſia tumulata, certis præſcriptis oneribus, relicta, præfectus Cœnobii ſancti Auguſtini Eremitarum, quem *priorem* vocant, bona fide, ut de Religioſis Viris exiſtimandum, ſurripuit. Qua de re, Monaſterii præfecta & Moniales ſupplices ad ſanctæ Sedis opem confugiunt, ut ex tabula ſequenti videre licebit.

Quædam bona ad Ebor. Mon. pertinentia.

Monitorium de re hujuſmodi. *Reg. Cur. Ultramont. fol. 161. a tergo. Ex Arch. Aracœl.*

XIX. *Fabius Accorambonus J. U. D. Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Cappellanus, & ipſius Sacri Palatii Apoſtolici cauſarum, cauſæque, & cauſis, ac partibus infraſcriptis Auditor ab eodem Sanctiſſimo Domino Papa ſpecialiter deputatus, univerſis, & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Succentoribus, Sacriſtis tam Cathedralium, & Metropolitanarum quam Collegiatarum, Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Locumtenentibus, eorumdem Plebanis, Vice Plebanis, Cappellanis, Curatis, & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis quibuſcumque per Civitatem, & Diœceſim Eborenſem, ac alias ubilibet conſtitit, & eorum cuilibet inſolidum, ac illi, vel illis ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ Litteræ pervenerint, ſalutem in Domino, & noſtris hujuſmodi, imo verius apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis quod nuper Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter, Dominus Paulus Divina providentia Papa IV. quamdam commiſſivæ ſupplicationis cedulam nobis percertum ſuum Curſorem præſentari fecit, quam nos cum ea qua decuit reverentia recepimus ſub tenore.*

Beatiſſime Pater exponitur ſanctitati veſtræ pro parte devotarum illarum oratricium Abbatiſſæ, & Monialium Monaſterii S. Claræ Civitatis Eboren. ſub cura, & regimine fratrum Minorum de obſ. provinciæ Algarbiæ, quod licet alias bona quæcumque, & adminiſtrationes Cappellarum ad monaſterium S. Franciſci ejuſdem Civitatis pertinentium, & quæ ipſum Monaſterium ob reductionem ad regularem obſervantiam poſſidere non valent ſecundum Regulæ puritatem, de uſu & conſuetudine hactenus in ordine obſervata, ad præfatum monaſterium S. Claræ pertineant & ſpectent, cum oneribus, & oneribus incumbentibus in eodem S. Franciſci conventu adimplendis de multis bonis, & Cappellis, Oratrices ſint in pacifica poſſeſſione; tamen Prior, & Conventus, ſeu Monaſterium S. Auguſtini heremitarum dictæ Civitatis nulla legitima auctoritate, bona quædam mobilia, & redditus annuos a quadam Sancia Agnete defuncta, & in dicto Monaſterio S. Franciſci ſepulta cum certo onere miſſarum, & reſponſorii in eodem monaſterio dicend. relicta, & legata indebite obtinent, non adimpleta voluntate dictæ defunctæ in grave animarum ſuarum periculum, & oratricum non modicum detrimentum; immo & nonnullæ aliæ perſonæ adminiſtrationem dictæ Cappellæ Sanciæ Agneti, & bonorum eidem adminiſtrationi pertinentium nullo legitimo titulo, & abſque cauſa detinent, & uſurpent ſine ulla cura Cappellæ, & miſſarum dicendarum. Et quia, Pater Sancte, Oratrices præfatæ, tam ſuper dictis bonis

a dicta

a dicta Sancia Agnete Monaſterio S. Franciſci, cum onere miſſarum relictis, quas ſuper Cappellæ adminiſtratione, & bonorum ejuſdem adminiſtrationis via juris experiri volunt & intendunt, & cauſa eſt ardua excedens ſummam annuam ducentorum ducatorum; agiturque de perpetuo præjudicio, & in partibus non ſperant poſſe conſequi juſtitiæ complementum, prout jurare paratæ exiſtunt, dignetur ſanctitas veſtra cauſam, & cauſas, quam & quas eædem Oratrices habent & movent, habere & movere volunt & intendunt contra dictos Priorem, & Fratres S. Auguſtini heremitarum, omneſque alios, & ſingulos ſua communiter, vel diviſim intereſſe putantes, de & ſuper dictis bonis a dicta Sancia Agnete cum dicto onere relictis, & adminiſtratione Cappellæ prædictæ, ac bonis ejuſdem adminiſtrationem a quodam Ferdinando Babilon, ſeu ejus filio, & ab aliis indebite detentis, rebuſque aliis in actis cauſæ, & cauſarum hujuſmodi latius deducendis & ſpecificandis alicui ex noſtris ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum auditoribus, ſeu locotenentibus committere, & mandare ſummarie, & prout in beneficialibus audiendas, cognoſcendas, decidendas, fineque debito terminandas, etiam cum opportuna avocatione a quibuſvis judicibus de partibus, quibus cauſæ inſtructæ non ſint, una cum ſuis incidentibus, dependentibus & cum potestate dictos adverſarios, omneſque alios, & ſingulos ſuam communiter vel diviſim intereſſe putantes, in executione citationis præſentium vigore decernendæ nominandos, & per edictum publicum conſtito ſummarie, & extra judicialiter de non tuto acceſſu citandi eiſque, ac quibuſvis judicibus, ac perſonis eccleſiaſticis, & ſæcularibus quavis dignitate, vel officio fulgentibus, & Reverendiſſimo Domino Legato illarum partium, alliſque Judicibus, & Apoſtolicis, & Conſervatoribus Ordinum prædictorum, & ſub cenſuris & pœnis, quoties opus fuerit, inhibendi. Et in eventum non paritionis, cenſuras & pœnas hujuſmodi incurriſſe declarandi, aggravandi &c. invocato &c. cæteraque faciendi &c. in præmiſſis neceſſaria, & opportuna. Præmiſſi a conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtilo Palatii conſuetudinibus, privilegiiſque eiſdem ordinibus forſan conceſſis. Quibus etiam ſi de verbo ad verbum mentio habenda foret derogare placeat, quodque cauſa, ſeu cauſæ hujuſmodi non ſint forſan ad Romanam Curiam legitime devolutæ, nec in ea de ſui natura, aut Juris neceſſitate tractandæ, & finiendæ, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis &c. quatenus opus ſit, aliorumque his de neceſſitate forſan exprimendorum tenores &c. pro ſufficienter expreſſis habentur. In fine vero dictæ commiſſionis duæ erant ſignaturæ, quarum una talis: De mandato Domini Noſtri PP. accedat magiſter Fabius quatenus cauſa non ſit inſtructa, citetur etiam per edictum, conſtito ſummarie &c. de non tuto acceſſu inhibeat, & ſub cenſuris, & pœnis, ut petitur, & juſtitiam faciat. Altera vero ſignaturar. hujuſmodi talis erat, videlicet: Placet D. Noſtro PP. Thefeltren. &c. Poſtquarum quidem Commiſſionis ſive ſupplicationis, cedulæ præſentationem, & receptionem nobis, & per nos, ut præmittitur, factas, fuimus pro parte venerabilium dominarum Abbatiſſæ, & monialium monaſterii S. Claræ Civitatis Heboren. principalium in præinſerta nobis, ut præmittitur, facta & præſentata commiſſione principaliter nominatarum debita cum inſtantia requiſiti. Quatenus ſibi citationem legitimam, una cum inhibitione inſerta extra Romanam Curiam, & ad partes, contra, & adverſus quoſdam Priorem, & fratres, ſeu Monaſterium S. Auguſtini heremitarum dictæ Civitatis Heboren., ex adverſo principales in eadem præinſerta commiſſione ex adverſo principali nominatos, omneſque alios & ſingulos ſuum communiter, vel diviſim intereſſe putantes, & in executione citationis hujuſmodi nominantur, juxta & ſecundum ejuſdem præinſertæ

ſertæ commiſſionis, vim, formam, & tenorem in forma ſolita & conſueta decernere & concedere dignaremur. Nos igitur Fabius Accorambonus Auditor præfatus attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam & rationi conſonam, volenteſque in cauſa, & cauſis hujuſmodi, ac inter partes in eadem commiſſione contentas rite & legitime procedere, ac partibus ipſius, dante domino, juſtitiam miniſtrare (ut tenemur) Idcirco auctoritate Apoſtolica nobis commiſſa, & qua fungimur in hac parte, vos omnes, & ſingulos ſupradictos, & veſtrum quemlibet inſolidum tenore præſentium requirimus & monemus primo, ſecundo, tertio, & peremptorie, vobiſque nihilominus, & veſtrum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam in veſtrum quemlibet, canonica monitione præmiſſa, ferimus in iis ſupradictis, ſi ea quæ vobis in hac parte committimus & mandamus, neglexeritis, ſeu diſtuleritis contumaciter adimplere, diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus infra ſex dierum ſpatium poſt pernotationem, ſeu notationem præſentium vobis, ſeu alteri veſtrum factas, poſtquam pro parte ipſarum venerabilium Dominarum Abbatiſſæ, & Monialium principalium prædictarum fueritis requiſiti, ſi alter veſtrum fuerit requiſitus immediate ſequen., quorum ſex dierum, duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies vobis univerſis, & ſinguiis ſupradictis ac veſtrum cuilibet pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica aſſignamus. Ita tamen &c. in iis exequendis unus veſtrum alterum non expectet, nec unus pro alio, ſeu per alium ſe excuſet, præfatos Priorem, & fratres ſancti Auguſtini hæremitarum Civitatis Heboren. ex adverſo principales, omneſque alios, & ſingulos ſupradictos in eorum propriis perſonis, ſi ipſorum præſentias commode habere poteritis: alioqain in hoſpitiis habitationum ſuarum, ſi ad ea vobis tutus pateat acceſſus, & in Parochiali, ſeu Parochialibus, ſub qua, vel ſub quibus deguut & morantur. Priorem vero, & fratres, ſeu Monaſterium S. Auguſtini ex adverſo principales in loco conventuali, ſeu capituiari, ubi pro conventu, ſeu capitulo celebrando conſueverunt congregari capitulariter, ſi ad id congregati fueriut, aut ſe congregari permiſerint. Sin autem tam Priorem, tam fratres ſeu Monaſterium & principales jam dictos, omneſque, & ſingulos alios prædictos in Cathedrali Heboren., ac dictis parochiali, ſeu parochialibus, aliiſve eccleſiis, & locis publicis, quibuſcumque, de quibus, ac ubi, dummodo ibidem populi multitudo ad divina audienda convenerit, ſeu alias legitime congregata fuerit ex parte noſtra, Immo verius apoſtolica auctoritate alta, & intelligibili voce peremptorie citare curetis. Ita tamen quod vero ſimile ſit, citationem noſtram hujuſmodi ad ipſorum citandorum notitiam devenire indubitatam, ne de præmiſſis, aut eorum aliquo ignorantiam aliqaam oſtendere valeant, ſeu etiam quomodolibet allegare, quos nos etiam, & eorum quemlibet tenore præſentium ſic citamus quatenus ſexageſima die poſt citationem veſtram hujuſmodi per vos, ſeu alterum veſtrum eis factam immediate ſequen. ſi dies ipſa ſexageſima juridica fuerit, & nos, vel alter forſan loco noſtri ſubrogandus Auditor ad jura reddenda, & cauſas audiendas pro tribunali ſederint, vel ſederit. Alioquin proxima die juridica immediate ſequcu., qua nos vel eumdem ſubrogandum Auditorem præfatum Romæ, vel alibi, ubi tunc Dominus noſter Papa, cum ſua Romana Curia reſidebit in Palatio Apoſtolico mane hora audientiæ cauſarum conſueta ad jura reddenda, & cauſas audiendas pro Tribunali ſedere contigerit, compareant in judicio legitime coram nobis, vel ſubrogando, Auditore præfato per ſe, vel Procuratorem, ſeu Procuratores ſuum, vel ſuos, idoneum, vel idoneos ad cauſam, & cauſas hujuſmodi ſufficienter inſtructum ſeu inſtructos, cum omnibus & ſingulis actis, actitat. litteris, ſcripturis,

In-

Inſtrumentis, aliiſque juribus & monimentis, cauſam & cauſas hujuſmodi tangentibus, ſeu eam, & eas quomodolibet concernentibus præfatis dominabus Abbatiſſæ, & Monialibus principalibus, ſive eorum legitimo Procuratori, de & ſuper omnibus & ſingulis in eadem commiſſione contentis, de juſtitia reſponſuris, ac in cauſa & cauſis hujuſmodi, ad omnes & ſingulos actus, & terminos gradatim & ſucceſſive, etiam uſque ad definitivam ſententiam incluſive, debitis & conſuetis terminis, ac dilationibus præcedentibus (ut moris eſt) proceſſuri, & procedi, viſuri, aliaſque dicturi, facturi, allegaturi, audituri, & recepturi, quidquid juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit rationis. Certificantes nihilominus eoſdem ſic citatos, ſive in dicto citationis termino comparuerint, ſive non, ut præmiſſum eſt, nos nihilominus vel ſubrogandus Auditor præfatus ad partis comparentis, & cauſam, ſeu cauſas hujuſmodi proſequi curantis inſtantiam ad præmiſſa omnia & ſingula, ac alias prout juſtum fuerit, procedemus, ſive procedet juſtitia, mediante dictorum citatorum contumacia, ſeu abſentia in aliquo non obſtante. Et inſuper attendentes, & cauſa, ſeu cauſis hujuſmodi, ſicut præmittitur, coram nobis in Romana Curia indeciſe pendent. nihil ſit in partibus innovandum per quemcumque, ſeu attentandum; ideirco vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, quibus præſentes noſtræ litteræ diriguntur, & veſtrum cuilibet auctoritate Apoſtolica ſupradicta modo, & forma præmiſſis, tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus poſt legitimam dictæ citationis exequutionem Reverendo Patri, & Dño Dño Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Heboren., ejuſque in ſpiritualibus & temporalibus Vicario, ſeu Officiali Generali, cæteriſque Officialibus, Judicibus, Commiſſariis, Delegatis, Subdelegatis, Ordinariis, & extraordinariis quibuſcumque per Civitatem, & diœceſim Heboren. prædictas, & alias ubilibet conſtitutis, & præſertim ipſis Priori, & Fratribus, ſeu Monaſterio, vel Conventui Monaſterii ſancti Auguſtini Eremitarum ex adverſo principalibus prædictis, omnibuſque aliis & ſingulis, quorum intereſt, intererit, aut intereſſe poterit, quomodolibet in futurum quibuſcumque nominibus cenſeantur, & quacumque præfulgeant dignitate, de quibus pro parte ipſarum Dominarum Abbatiſſæ, & Monialium ſanctæ Claræ principalium fueritis requiſiti, ſeu alterutrum fuerit requiſitus, inhibeatis, quibus nos, & tenore præſentium inhibemus, ne ipſi, vel eorum aliquis in cauſa, & cauſis hujuſmodi per ſe, vel per alium, ſeu alios publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quovis quæſito colore, vel ingenio in litis pendentiæ, & juriſdictionis noſtræ, immo verius Apoſtolicæ Sedis vilipendium & contemptum, dictarumque Dominarum Abbatiſſæ, & Monialium principalium prædictarum, & jurium earumdem præjudicium & gravamen, lite & cauſa, ſeu cauſis hujuſmodi ſit coram nobis indeciſis pendentibus, quidquam innovare, ſeu attentare præſumant, ſive præſumat; quod ſi ſecus factum fuerit, totum id revocare, & in ſtatum priſtinum reducere curabimus; Diem vero, ſeu dies citationis, & inhibitionis veſtrarum hujuſmodi, atque formam, ac quidquid in præmiſſis feceritis, ſeu alius veſtrum duxerit faciendum, nobis per noſtras patentes litteras, ſeu inſtrumentum harum ſeriem, ſeu deſignationem in ſe continentes, ſive continen. remiſſis præſentibus quantocitius poteritis, fideliter intimare curetis, abſolutionem vero omnium & ſingulorum, qui præfatam noſtram excommunicationis ſententiam incurrerint, ſive incurrerit quoquomodo, nobis vel Superiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras, ſive publicum inſtrumentum hujuſmodi noſtras citationem, & inhibitionem in ſe continentes exinde fieri, & per Notarium publicum, noſtrum-

ſtrumque, & hujuſmodi cauſæ coram nobis Scribam infraſcriptum, ſubſcribi, & publicari mandavimus, ſigillique noſtri juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum Romæ in ædibus noſtris ſolitæ reſidentiæ, ſub anno a nativitate Domini MDLV. *indictione tertia decima, die vero Martis,* XIX. *menſis Novembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Pauli Divina providentia Papæ IV. anno primo. Præſentibus ibidem Dominis Joanne Cauvart, & Petro Brillays Notariis publicis, Scribiſque noſtris Clericis Ambianen., & Andegaven. reſpective diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atque rogatis.*

Et ego Carolus de Valletta clericus Redonen. doctor publicus, Apoſtolica auctoritate Notarius, præfatique Reverendi Patris noſtri Domini Fabii Accoramboni Auditoris, & hujuſmodi cauſæ coram eo in locum Domini Joannis Sillart Clerici Redonen. etiam diœceſis, eademetiam auctoritate, & ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum, Notarii Scriba deputatus, quorum præmiſſis omnibus & ſingulis, una cum dictis teſtibus interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ac rogatus notavi; idcirco hoc præſens publicum Inſtrumentum exinde confeci, ſcripſi, & publicavi, ſignoque nomine, & cognomine meis conſuetis, una cum ipſius Reverendi Domini Auditoris ſigilli appenſione ſignavi in fidem præmiſſorum rogatus & requiſitus: Carolus de Valletta.

Conv. Plazani Tert. Ord.

XX. Domus Annunciationis Plazani V. M. P. a Cremenſi urbe in Inſubria diſtans, a Cardinali Nicolao Albergato Commendatario anno MCCCCXVII. &

Bord. Cronol. 3. Ord. cap. 16.

a Guillelmo Cardinali Rothomagenſi anno MCCCCLXX. præcario nomine data Fratribus Tertii Ordinis, hoc anno die VII. Octobris a Succeſſore Commendatario Dominico Cæſio Narnienſium Epiſcopo, Bonaventura Vicentino Commiſſario generali, Fantino de Crema Provinciali, Michaele de Crema Priore &c. poſtulantibus, & religioſorum Sodalium impellentibus meritis, iiſdem in perpetuum attributa eſt per ſolemnes tabulas, quarum ſequens eſt exemplum. *In Chriſti Nomine Amen Anno Nativitatis ejuſdem* MDLV. *indictione* XIII. *die* VII. *Octobris. Cum alias bonæ mem. Rñus, & Illñus Dominus Gulielmus S. R. E. Cardinalis Rotomagenſis nuncupatus Monaſterii B. Mariæ de Cerreto Ordinis Ciſtercienſis Laudenſis diœceſis perpetuus Commendatarius approbaverit & confirmaverit conceſſionem factam per Rev. Cardinalem Bononienſem prædeceſſorem ſuum Religioſis Fratribus S. Franciſci de pœnitentia de loco & Eccleſia S. Mariæ de Plazano, quod dicti Monaſterii membrum exiſtit, modis & conditionibus latius ſpecificatis & expreſſis in patentibus litteris prædicti Rev. Cardinalis Rotomagenſis, quarum tenor videtur eſſe talis, & ut infra ſequitur, videlicet. Gulielmus miſeratione divina Epiſcopus Hoſtienſis S. R. E. Cardinalis Rotomagenſis vulgariter nuncupatus, & Monaſterii S. Mariæ de Cerreto Ciſtercienſis Ordinis, Laudenſis diœceſis perpetuus Comendatarius, univerſis, & ſingulis Religioſis Tertii Ordinis S. Franciſci de Pœnitentia nuncupatis in Eccleſia S. Mariæ de Plazano commorantibus ſalutem in Domino ſempiternam, & ſinceræ devotionis affectum. Quia dignum, & juſtitiæ conſentaneum cenſemus de benemerentibus benemereri, & eos favoribus proſequi gratioribus: Hinc eſt, quod nos intelligentes per litteras ſuas conceſſionem vobis factam per Rever. olim b. m. D. Cardinalem Bononienſem prædeceſſorem noſtrum quanta cum ſolicitudine & vigilantia reparationi prædictæ Eccleſiæ S. Mariæ de Plazano, qui dicti Monaſterii noſtri membrum eſt, intenti eſtis, & ex eleemoſinis per vos ex Chriſti fidelibus conquiſitis locum ipſum in ſuis ſtructuris & ædibus reparaſtis, attendentes, & quod itidem per vos religio ſine intermiſſione ſervatur, & divinus cultus plurimum creſcit. Nos igitur veſtigiis prædicti prædeceſſoris noſtri inhærentes, & ut veſtris*

Archiv. 3. Ord. Bord. fol. mihi 714.

ſtris laboribus requies aliqua corporis & animi præſtetur, atque ardentiores ſitis ad dicti loci manutentionem, volumus, & tenore præſentium vobis conceſſionem prædictam prædeceſſorum noſtrorum de dicto loco & Eccleſia factam, ut in dicto loco quoad vixeritis, una cum receptis a vobis, ſeu recipiendis habitare poſſitis, nec inde non expoſcentibus demeritis veſtris, expelli a quocumque debeatis, liberaliter confirmamus & approbamus. Ita tamen quod nullum propterea jus in dicto loco ex hujuſmodi habitandi conceſſione & confirmatione vobis acreſcat, niſi præcatio habitandi dumtaxat. Quodque in recognitionem dominii & ſuperioritatis prædicti Monaſterii noſtri duodecim libras ceræ laboratæ annis ſingulis in feſto Aſſumptionis B.M.V. perſolvatis eidem. In quorum fidem & teſtimonium præſentes litteras fieri, & noſtro, quo in talibus utimur, rotundo ſigillo juſſimus ſigillari. Datum Romæ apud ſanctum Apollinarem in domibus noſtræ ſolitæ habitationis & reſidentiæ, ſub anno MCDLXXV., *die vero ſeptima menſis Julii, Pontificatus Sixti Papæ IV., anno* VI.

Hinc eſt quod Reverendus in Chriſto Pater Petrus Dominicus Cæſius J. U. D. Epiſcopus Narnienſis, prædictique Monaſterii perpetuus Commendatarius, inhærendo veſtigiis prædeceſſorum ſuorum, & volens ſatisfacere, ut aſſerunt, precibus Reverendi Patris D. F. Bonaventuræ de Vicentia Commiſſarii & Vicarii Generalis dictæ Religionis, & Reverendi D. F. Michaelis de Crema Prioris in dicto loco ſanctæ Mariæ de Plazano, & D. F. Paſquini de Crema de dicta Familia, & D. F. Valerii de Brixia de dicta Religione, qui plurimum apud dictum Reverendum Epiſcopum & Commendatarium inſtiterunt & inſtant pro infraſcripta confirmatione & conceſſione, & etiam intuitu Reverendi Patris D. F. Magiſtri Antonii de Crema tertii Ordinis ſancti Franciſci. Qui Rever. D. Provincialis, Prior, Paſquinus, & Valerius coram prædicto Epiſcopo præſentes, & me Notario ſtipulante, pro infraſcripta gratia ſuppliicarunt, conceſſionem, & confirmationem in ſupraſcriptis patentibus litteris contentam, de dicto loco & Eccleſia, quæ Monaſterii extitit membrum, confirmavit & approbavit, confirmat & approbat, ad hoc videlicet ut prædicti D.D. Fratres in dicto loco habitare poſſint; nec inde a quocumque agente ſuæ Rever. Dominationis expelli, niſi expoſcentibus demeritis, poſſint. Ita tamen, quod nullum præterea jus in dicto loco ex hujuſmodi habitandi conceſſione & confirmatione ipſis dictis Fratribus accreſcat, niſi precario nomine habitandi dumtaxat. Quodque in recognitionem dominii, & ſuperioritatis prædicti Monaſterii beatæ Mariæ de Cerreto libram unam ceræ laboratæ ſingulo anno in feſto Aſſumptionis B. M.V. prædicto Reverendo Epiſcopo & ſucceſſoribus ejus perſolvant. Et ita promiſerunt dicti Domini Fratres prædicto Reverendo Epiſcopo Commendatario, & mihi Notario dicto nomine recipientibus. Quæ omnia & ſingula promiſerunt prænominati omnes Domini Fratres de Plazano habere, & tenere rata, grata, valida, & firma perpetuo, & omni tempore, ſub obligatione bonorum ſuorum, refectione omnium damnorum, & intereſſe &c. Acta fuerunt hæc omnia in Camera cubiculari domorum prædicti Reverendi Epiſcopi, juris olim Joannis Jacobi Vicomercati viciniæ Alferiorum Portæ Serii Cremæ, præſentibus &c.

XXI. Confirmat hoc anno Carolus V. privilegium a Joanne ejus Matre die 11. Aprilis an. MDX. conceſſum, & ab ejus demum Filio Philippo II. Catholico Hiſpaniæ Rege XIII. Septembris, anno Domini MDLVIII. confirmatum, apoſtoliciſque litteris munitum, quo benefactores delecti a Franciſcanis Guardianis iis in locis, in quibus Minoritici Conventus erecti non erant, ut pauperculos Fratres itinerantes, ſeu ex propoſito divertentes, propriis domi-

Privilegium quoddam Franciſcanis conceſſum a Carolo V. *Gonz. in Chron. Cartag. Cent. 2 Monum. MS. hujus Prov.*

mibus exciperent hoſpites; a regio milite recipiendo, vel a ſibi utenſilia, aut alimenta miniſtrandis omnino eximuntur. Et Philippus ab eodem Parente ſuo Carolo hoc anno Rex Hiſpaniarum renunciatus, pro Puellis inſtruendis in Monaſterio S. Joannis de Pœnitentia Compluti, quum optime de Virginibus ibidem degentibus & educatis audiret, annua conſtituit alimenta, & 400. coronatos aureos earum cuilibet, ſive Monialis eſſe ſtatuat, ſive nuptias malit, ſtatuto tempore tribui juſſit.

Idem in Prov. Caſtellæ Mon. 14. Monum. MS Sabini Prov.

XXII. Dicebamus ad annum elapſum, Pontificem Julium, Conſulibus Populoque Varallenſe inſtantibus, litteris in forma Brevis ad Epiſcopum Novarienſem, iiſdem conceſſiſſe, ut in Eccleſia Fratrum Minorum Conventualium illius ſancti Montis *unam capſam ad eleemoſynas colligendas retinerent*; ſuper quam diſpoſitionem, Obſervantibus conquerentibus, hoc anno ſimiles dat litteras Epiſcopo Laudenſi, eique demandat cognitionem cauſæ, atque ut inter partes, ſecundum jura, ſententiam ferat, incipientes: *Quærelam dilectorum &c.* VI. Nonas Martii. Pro quibus litteris exequendis alterum jubet expediri diploma: *Dudum &c.* idibus Auguſti. Demum idem Pontifex ſui erga Seraphicum Inſtitutum volens oſtendere ſigna particularis affectus, quæcumque privilegia, gratias, indultaque Ordini eidem a cæteris ſuis Deceſſoribus elargita confirmat: *Ex Clementi &c.* v. Julii.

Pont. quoſdam litteras examinare jubet pro Conobio Varalli. *Ex Reg.*

Ibidem.

Et univerſa Ordinis privilegia confirmat.

ARGUMENTUM.

Minorum apud Indos acta, & labores pro Chriſto recenſentur. Multi decedunt virtutibus præclari, præſertim in Hiſpania, & in Italia quidam ex Capuccinis. Virgines cum ſecundi, tum etiam Tertii Inſtituti ad Chriſtum migrant. Ordinem quoque exornant viri doctrina inſignes. Cujuſdam Apoſtatæ Romanæ Fidei ex Ordine Minorum refertur hiſtoria, & mendacii quidam Auctores redarguuntur. Sancti Petri Alcantarenſis actorum narratio proſequitur; & Petri Nicolai Factor primordia religioſæ vitæ recenſentur. Inquiſitores ex Patribus Conventualibus inſtituuntur. In urbe Brixiæ habitum Generale Capitulum. Fratrum & Monialium quamplura extruuntur domicilia. Indultum eiſdem Minoritis Fratribus a Paulo IV. Pontifice Maximo impertitum confirmatur.

Minorū apud Indos labores. *Wadd. ann. 1518 XXVI. 1506. I. 1523. XX. 1524 XI. 1531. XIV. 1539. I. & alibi.*

I. QUantum apud Indos cum occiduos, tum orientales Minoritæ præ cæteris deſudarint, ut verbum Dei longe lateque diſſeminantes, Chriſtianam Religionem ubique gentium propagarent, illiſque bene beateque vivendi præcepta traderent, quum ſatis ſuperque doceat Waddingus, non eſt cur hic nos denuo referamus. Supereſt tamen, ut nonnullorum ex iiſdem Athletis recenſeamus acta, qui continuatis nocti diebus verbo & exemplo ad Chriſtianam Fidem perduxerunt perditas gentes, quique tandem, aut gladio transfixi, aut preſſi laboribus ſunt hoc anno cœleſtem retributionem adepti. Inter hos videtur princeps locus præſignandus glorioſo Chriſti Martyri Joanni de Tapia, alteri ab illo Hiſpano, quem doctrina, & ſanctitate celebrem Bernardus de ſancto Joanne de Ariza Provinciæ ſancti Gabrielis moderator cariſſimum ſibi ſocium aſſumſerat, cujus Viri Dei anno MDLIII. vita functi, auctor primi voluminis hujus Continuationis non meminit. Joannes ergo noſter, Hiſpanus & ipſe (ut ex nomine ſimili cum recenſito licet conjicere, quum Patriam Scriptores non doceant) Obſervantiæ Regulari, ſalutique animarum apprime ſtudens, quamdam Vallem de Guadia-

Joannes de Tapia Martyr. Bernardus de ſancto Joanne. *Gonz. p. 1. fol. 105. & p. 4. in Prov. S. Ev. ubi de Cuſt. Zegar. Boreſt. lib. 1. cap. 70.*

na

na apud Zacathecas, inter novam Cantabriam novamque Galleciam ſitam in occiduis Indiis ingreditur, ibique diſſeminati Divini verbi virtute mille circiter Idololatras ſacro Baptiſmate lavit, ex quibus pleroſque ſecum duxiſſe narratur, dum Gualdafagiaram urbem ab Hiſpanis nuper exſtructam ſuorum comitum atque ſociorum ad ſanctum opus, lucrandarum animarum cauſa, profectus eſt. Cum ergo, novis collectis Gualdafagiaræ operariis, ad ſuas gentes quas Cœlo acquiſiverat reverteretur, ipſo in itinere, decimo a Zachatecis lapide, ab Indis quibuſdam *Guachichilles* appellatis, pro confeſſione Fidei, Jeſu cruci affixi, cujus icunculam in manibus deferebat, martyrium ſubiit, apud eoſdem Zachatecas tumulatus. Eidem quidam Chriſtianus Indus ſpectatæ virtutis *Lucas* nomine, ſocius in laboribus & in martyrio extitit. Glorioſam mortem iiſdem in Regionibus pro Fide occubuit & Joannes alter *de Serrado* dictus, Provinciæ ſancti Evangelii alumnus obedientia celebris, quam ſummopere excoluit. Is aliis item virtutibus clarus miſſus ad Chichimecas gentes, eorum ingentem numerum prædicationibus, manſuetudine, patientia, & Apoſtolicis laboribus Chriſto lucratus eſt. Verum eodem prorſus tempore quo ſalutaribus rudimentis efferatos ſive barbaros Pnpulos curabat inſtruere, ab iiſdem ſagittis confoſſus glorioſa morte migravit ad Chriſtum. Ex Provincia etiam ſancti Gabrielis tertius Joannes *Burnonius* nuncupatus in eaſdem Indiarum plagas, anno MDXXXI. cum iis de quibus ſuo loco ſcripſit Waddingus, trajecit. Hic abſtinentia aliiſque chriſtianis atque religioſis virtutibus florens, dum corporis valetudine viridique ætate gauderet, animi carniſque edomabat motus. At ſenio tandem morbiſque confectus, affligendi corpus eidem flagrans ſolum deſiderium remanſit. De eo fertur, ſolitum corporeis oculis Dominum in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento conſpicere, itemque ſanctam Mariam Magdalenam ſeſe ei identidem offerentem, cujus patrocinio potiſſime fruebatur. Idem hoc anno vita ſanctiſſime functus eſt, ac in Cœnobio Mexicano tumulatus. His merito accenſetur Joannes a ſancto Franciſco, qui Chriſti Confeſſor apud eoſdem Indos deceſſit, ortumque & genus duxit ab oppido Veas in Regno Murciæ, qui cum litteris Salamanticæ vacaret in ſancti Franciſci Cœnobio Minoritis nomen dedit, peractoque ſtudiorum curſu magno cum fructu, lucrandarum animarum zelo permotus, in Indiarum Provinciam ſancti Evangelii ſe contulit, ubi cum meſſem multam & operarins paucos inveniſſet, ingentes labores pertulit, ut eam vineam excoleret. Nocte autem contemplationi vacans illud pſalmorum cantare conſuevit: *In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam & nocte canticum ejus*. His ſanctimoniæ indiciis magni apud omnes eſt habitus, Provinciæque ejuſdem Miniſter electus de bonis bene merens, malorum perpetuo odit vitia, & ad religioſæ diſciplinæ nomen ſervandum debitis pœnis criminoſos afficit; ex quo factum eſt, ut non omnibus proinde in monaſterio placuerit. Solitudinis amator & humilitatis cultor, electus novæ Galleciæ Epiſcopus, dignitatem modeſtiſſime recuſavit, idoneum ad tantum munus ſe non eſſe affirmans. Ad verbum Divinum diſſeminandum Mexicanam linguam callere ardentiſſimo deſiderio flagrans, gratiam a Deo cum lacrymis poſtulans, eam divinitus impetravit, clamans propterea: *Dominus illuminatio mea*. Quo factum eſt, ut ingenti cum omnium admiratione concionatus feliciter Mexicano ſermone fuerit, & ſcriptos quoſdam ſpirituales tractatus reliquerit. Dæmonibus ſupra modum infenſus, cum in oppido Teocan, prævio ſermone, innumera fere confregiſſet Idola, nemine, quod valde mirum, ex cultoribus fere infinitis qui aderant, obnitente, callidus hoſtis cuidam abſenti Indo Viri Dei occiſionem modumque inferendæ necis incaſſum ſug-

Redulph. lib. 20 in fine, ubi de Indiis. Mariam. lib. 3. cap. 20. Rapin Dec. 7. p. 2. l. 4.

Lucas IndusMartyr. Joannes de Serrado Martyr. *Auctores cit.*

Joannes Burnonius. *Barett. lib. 3. cap. 56. Daza lib. 2. cap. 33. Gonz. p. 4. in Prov. S. Ev. Con. 1. & alibi.*

Joannes de ſancto Franciſco. *Barett. lib. 3. cap. 65. Gonz. cit.*

geſſit; pereuſſus namque valide ligno ad mortem, illæſus evaſit. Idolorum quemdam Sacerdotem mirabili modo ad Chriſtianam Fidem attraxit; defunctum Puerum ad vitam revocaſſe, obituſque ſui horam prædixiſſe quoque ferunt. Obiit Mexici die Veneris, ignoti tamen menſis, hoc anno, ibique tumulatus eſt, una cum quodam Servo Dei, cui nomen *Benedictus Pater*, qui Guardianus Cœnobii de Quanhnavac cum eſſet, integro antequam moreretur anno, prophetico ſpiritu extremam ſuæ vitæ horam, ſicuti pleraque alia futura prædixit, quod non incertum ſuæ ſanctimoniæ argumentum extitit.

Benedictus Pater. *Barett. lib. 3. cap. 66.*

Garcias de Ciſneros. *Arturus ad diem 20. Aug. Gonz. p. 4. in Prov. S. Evang. Con. 1.*

Garcias item de Ciſneros circa hunc annum in eodem Mexicano Conventu moritur, qui, cum cuſtodia ſancti Evangelii in Generali Capitulo an. MDXXXV. Niciæ celebrato in Provinciam erigeretur, Capitulumque & in nova Hiſpania celebraretur, ſuum relinquentes munus, ut ex Gonzaga fere ad verbum excerpſimus, Jacobo de Teſtera, qui quartus & ultimus Cuſtos cum fuiſſet, illarum poſtea regionum tertius Generalis Commiſſarius fuit, unanimi omnium Patrum vocalium conſenſu primus extitit ob ſingularem probitatem & merita, ejus Provinciæ Miniſter Garcias, cum illa undecim annos ſub quatuor Cuſtodibus Cuſtodia permanſiſſet. Hoc ille munus ſumma integritate, prudentia, omniumque approbatione adminiſtravit. Laborabat maxime in annunciando Dei verbo Indis; quibus ne quid eo abſente deeſſet, pleraſque eis Mexicano idiomate abs ſe conſcriptas conciones reliquit, ut eas illorum peritiores Dominicis & feſtis diebus cæteris in Eccleſia congregatis perlegerent: eæque in magno etiamnum apud illos pretio habentur. Inſtituit Collegium ſancti Jacobi de Tlatibulgo, in gratiam maxime præſtantiſſimi herois Antonii a Mendoza primi novæ Hiſpaniæ Proregis, & Joannis de Zumarraga primi Mexicanorum Archiepiſcopi; inque eo Lectores doctos & ſanctos viros Arnaldum de Baſſacio, Bernardinum de Sahagun, Andræam de Olmos, & Joannem de Gaona collocavit. Collegio ſanctæ Crucis nomen impoſuit, & in eo Indorum liberi Mexicanam regionem habitantium legere & ſcribere docentur, atque in Latinis litteris erudiuntur. Provinciam viſitans præcipuarum habitationum pueros colligebat, ut in Collegio, tamquam in Seminario, inſtituerentur circa Fidem in iis quæ tradere poſtea aliis poſſent. Provincialis adhuc repetere Hiſpaniam volebat, ut Imperatorem Carolum ſuoſque Superiores multis de laboribus, afflictionibuſque, quæ nova illa Eccleſia patiebatur, certiores redderet: cumque profectionem pararet, mortuus eſt, eredique pie poteſt ad fruendum Deo, receptum in cœlum eſſe, quemadmodum ejus labores ac vita merebantur. Similiter ibidem tumulatus Franciſcus Ximenius, alter ab eo qui fuerat olim inter Cardinales aſcriptus, Provinciæ ſancti Gabrielis alumnus, duodecim Patrum qui Indis Evangelii lucem primi intulerunt, decimus: juris Pontificii ſtudioſiſſimus, ſinceritatis ac puritatis amator eximius; ob ſingularem manſuetudinem & affabilitatem Deo hominibuſque dilectus, profeſſionis vero ſuæ zelantiſſimus. Tanta autem fulgebat humilitate, ut minime in Hiſpania, ad ſacros Ordines promoveri voluerit, quouſque in Hiſpaniam Novam profectus, ob inopiam eorum, qui Sacramenta Eccleſiæ miniſtrarent, inibi Sacerdotium ſuſcepit; primuſque omnium fuit, qui in novo eo orbe novam, ut ajunt, Miſſam decantavit. Epiſcopatu Tavaſtenſi Indorum a Carolo V. Imperatore oblato, conſtanter recuſato, elegit potius in teſtamento Patrum ſuorum, quod reliquum erat vitæ tranſigere. Tam a ſe ſemper alienus, ut ſocio indigeret qui ad ſumendum cibum & mutandam veſtem adhortaretur: tam extra ſe poſitus, ut memoria ſana pollens, quandoque tamen, ſi ab eo quærerent, an cibum jam ſumſiſſet, ejus rei non recordaretur. Guardianatu in Quauhnaoaco ſuſcepto, Mexicanum

Collegium de Tlatibulgo. *Gonz. cit.*

Arnaldus de Baſacio. Bernardinus de Sahagun. Andreas de Olmos. Joannes de Gaona.

Franciſcus Ximenius. *Gonz. p. 4. in Prov. S. Evang. ſub. Con. 1.*

Primus omnium in Indiis novum celebrat Sacrum.

num idioma cum optime calleret, illius Dictionarium, aliis ad idem idioma capeſſendum viam ſternens, confecit. Libros omnes Mexicana lingua ab aliis editos, juſſu Superiorum evolvit, & cenſoria virga examinavit. Scripſit accurate vitam Viri Dei Martini de Valentia, anno ab illius morte tertio, ideſt anno Chriſti MDXXXVII., quæ tamen injuria temporum excidit, unico quaternione reſervato. Egregius extitit verbi Divini Præco: etenim non Indis modo, ſed & Hiſpanis frequentiſſime concionabatur: charus omnibus, præſertim autem trium Mendicantium Ordinum Religioſis, quibus cum aſſiduus erat. Indorum habitationes, atque Oppida inviſens, in primis Templa oraturus ingrediebatur, deinde ægrotantium, aliorumque eo convenientium confeſſiones audiebat, hanc laboris ex itinere contracti requiem ſuſcipiens. Morbo tandem oppreſſus, cum ex ægritudine adeo eſſet debilitatus, ut vix ſe poſſet in lectulo movere: audiens afferri ſibi Chriſti Corpus, magno ſpiritus fervore exſiluit, quaſi novas vires conceſſiſſet, ac ſolo genua defixit. Poſt ejus obitum Lucas de Almodavar ejuſdem Conventus Infirmarius, vir magnæ ſanctitatis, digitum mortuo abſcidit, quem pro ſacra reliquia deferens, teſtatus eſt mirificum ex illo odorem ſemper emanaſſe. Primus item omnium in Civitate de Bogora Provinciæ S. Fidei his in Regionibus Archiepiſcopus Joannes Barrios Minorita Cœnobium Civitatis ejuſdem in honorem Purificationis Beatæ Virginis ab anno MDL. fundatum benedixit. Incolis autem hujus Conventus ſodalibus ſequentes Domus Doctrinales ſic appellatæ, quia Indorum pueri Chriſtianam doctrinam erudiuntur, commiſſæ ſunt, videlicet: Domus Bozæ, Subæ & Tunæ, Chiæ, Cogoæ & Nemeſiæ Fuſagaſucæ & Sipaconis, Puſſæ, Sopo, Uſaquelis, Sipaquiræ. Ita Gonzaga de Occidentalibus Indiis.

Lucas de Almodavar. Joannes Barrios Ep. *Gonz. p. 4. in Prov. S. Fidei Con. 1.*

Variæ Domus Doctrinales in Indiis

II. In Indiis etiam Orientalibus Minoritas his temporibus, in earum omnium Eccleſiarum ſuiſſe addictos in obſequium, nemo eſt qui neſciat. Inter illos celebris extitit heros Antonius Laurentius, ſive Laurerius, aut Lauretus (his namque tribus nominibus apud Auctores celebratur, & præcipue apud Waddingum, quem ejus non ſemel meminiſſe legimus.) Porro Maffejus ita ſcribit: *Fano Arabum* (ad Beninum) *expiato, & in cultum Virginis Mariæ converſo, Arcis cuſtodia cum idonea manu Alphonſo Noroniæ Luſitano concredita eſt, rei vero Chriſtianæ præpoſitus eximia ſanctitate vir Antonius Laurerius Franciſcanus &c.* Et alibi idem Hiſtoricus: *Et Albuquercius* * *circumacto jam anno, compoſitis Malacæ rebus ad Sincapurani maris cuſtodiam Fernandum Petrejum Andradium, inſigni virtute, ac prudentia virum, cum navibus decem reliquit, ipſe de citerioris Indiæ ſtatu anxius, quamquam invitis Malacenſibus, & propter externos metus omni ſtudio tantum apud ſe ducem retinere conantibus, cum cætera claſſe in Malabares curſum intendit. Ut in conſpectum Paceni Somatræ littoris ventum eſt, noctu fœda tempeſtas oborta, & Albuquercii navem ſaxis illiſam infregit, & cæteras pene cum omni turba demerſit; multi mortales hauſti fluctibus, multi varias in terras ejecti, pretioſiſſima quæque a ſpoliis Malacenſibus, & Regum donis amiſſa. Albuquercius per tenebras a Naatis magno labore in ſcapham acceptus, cum ipſe periclitantem puerum inter manus propere ſuſtulliſſet, collectis reliquiis naufragii, Cocinum devenit, ibique magna ſui cum animi voluptate, præter ſpem, incolumes reperit eos, qui, ut ſupra dictum eſt, ab Secora redeuntes, in Cambaicum littus ejecti, atque ad Cambajæ Regem pro captivis adducti fuerant, ii, ſecundum Deum uni maxime Antonio Laurerio Franciſcano ſalutem, & libertatem debebant; cum enim jamdiu in eo ſervitio degerent, atque ad eos eximendos accederet nemo, Laurerius omnium conſenſu delectus eſt, qui Goam de redemptione contenderet, ea lege, ut, ſi nihil tranſe-*

Antonius Laurentius. *Duc. lib. 1. cap. 47. Wadd. ad ann. 1505. §. 11. ad an. 1510. §. 11. Maff. lib. 3.*

Maff. lib. 15.
* *Is eſt Alphonſus Albuquercius, qui rerum geſtarum gloria Magni cognomine eſt conſecutus.*

Anno Christi 1556.	Pauli IV. anno 2.	Caroli V. Imp. anno 38.	Religionis Minorum anno 349.

tranſegiſſet, intra certum diem bona fide rediret, atque ejus reverſionis, quaſi obſidem, & pignus ille ſacrum cingulum reliquit Regi: teſtatus, profeſſionis ſuæ ritibus, atque inſtitutis, haud minimam ſanctimoniæ partem horrido in illo ſune conſiſtere. Ut Goam pervenit; abſente per id tempus Prætore, nihil decidi ſuper tanta re potuit, ita, infecto negotio, protinus, uti receperat, in Cambajam revertit. Quæ res tanta admiratione Regem affecit, purpuratoſque, ut confeſtim ſine ullo pretio, quin etiam ornatos, lautoſque Luſitanos benigne dimiſerint. Neque id modo Laureii virtus, & ſanctitas conſecuta eſt; verum etiam apud illas nationes, non parva cum utilitate, egregiam probitatis exiſtimationem, & famam nomini Luſitanico peperit: ſane quam egregio documento, non ſolum ad conſcientiæ fructum, & officii religionem, ſed etiam ad opes, & gloriam, conſtantia promiſſorum, & fide nihil in rebus humanis eſſe præſtantius: Iſthæc de hoc Servo Dei exſcribere libuit, quia eumdem circa hæc tempora claruiſſe idem Maffejus refert.

Maff. l. 15. poſt initium.

Auctoris Viridarii fundationum. Lucem 1 num. 1 part. 1. cap. 7. fol. mihi 9.

III. Non eſt tamen cur Auctor Viridarii Seraphici, enumerans fructus, quos Franciſcanorum ope in his regionibus Romana Eccleſia collegit, perperam ſcribat, Regem Tanor, (quod maritimum eſt oppidum leucas ultra Goam circiter octoginta, cis Calecutum ad quindecim) Reginam conjugem, duoſque liberos hoc anno ad ſancti Evangelii perduxiſſe notitiam; quum Vincentius, quem Deus ad hoc glorioſum deſtinavit Miniſterium, anno MDL. deceſſerit, ut non obſcure Gonzaga, Arturus, aliique de ipſo ſcribentes narrant: cumque, ut prodit Maffejus, Portugalliæ Rex Tanorii converſionem, non modo in Luſitania tota prædicandam curaverit, ſed etiam Romæ ſummum Pontificatum Julio III. ineunti per Alphonſum Alencaſtrium oratorem ſuum diligenter ſignificaverit. Porro Julium III. anno elapſo deceſſiſſe exploratum eſt. Neque eſt cur referat, Tanorii filios ſuiſſe cum parente ab iiſdem Franciſcanis inſtructos. Rex ſiquidem, ut ait præcitatus Maffejus, ſuis Bracmanis invitis, ingentibus defunctus periculis, pauciſque familiaribus aſſumtis, Goam profectus eſt, ut inibi Baptiſmi lavacrum ſuſciperet, ſacræque Confirmationis oleo inungeretur, quod totum ſoli Regi contigiſſe, ne minimo quidem verbo de filiis facto, omnes harum rerum hiſtorici narrant. Cum autem de hac illuſtri hiſtoria, deque pleriſque huic ſimilibus Auctor primi Tomi hujus continuationis ſuis temporibus altum habeat ſilentium, ea in ſupplemento erunt referenda quod vulgatis Annalibus jam Typis, Deo favente, addemus.

Gonz. p. 4 in Provinc. S. Evang. Cong. 4. Arthur. 11. Junii, Maffej. cit.

IV. Antonio Laurerio minime ceſſit Joannes Alburquerquius, qui ad Goanam Eccleſiam regendam ex Recollectorum familia aſſumtus, ſecundus exercuit his in Regionibus Epiſcopalem dignitatem. Claruit autem ſingulari doctrina, & ſanctitate, & de eo ſic ſcribit Gonzaga: *Primus omnium Epiſcopus, qui a Portugalliæ Rege Joanne ad Indos fuit miſſus extitit Rmus P. F. Joannes Alburqu. Provinciæ Pietatis Minoriticæ Alumnus, vir utique omni ſanctitate atque religione præditus: qui ſecum duos ſocios divini honoris zelo inſignes attulit &c.* Item Horatius Turſellinus, a quo vocatur *Goanus Epiſcopus Joannes Alburquerquius vir ex Franciſcana Familia doctrina, & religione inſignis: nulli in tota India tunc erant Religioſi præter Franciſcanos*: ſcilicet, quando eo appulit S. Franciſcus Xaverius. Quibus aſſentiuntur Rapinæus, Author libri: *Status, Imperia, & Principatus mundi*: ubi de Goa, & Maffæjus, qui tamen lib. x. Hiſt. Indicar. verſ. fin. clare teſtatur, alium Epiſcopum nomine *Fernandum*, etiam Minoritam, hunc præceſſiſſe: dicens: Eodem Rectore Indiæ *Nonnio, primus ex Epiſcoporum numero ad Eccleſiaſticam rem inſpiciendam ordinandamque Fernandez, ex Franciſcana Familia in Indiam venit*:

Jo. Alburquerquius. Gonz. p. 4. in Provo S. Thomæ Colleg. 4.

Turſellin. in Alt. S. Franc. Xav. lib. 2. cap. 2. Rapin. Dec. 5. p. 1. §. 6.

nis; ibi cum cæteris functionibus tum Sacramentis, præsertim Confirmationis, & Ordinationis rite ministrandis, necnon per sacras Conciones & privata colloquia, Lusitanis ad disciplinam atque ad officium revocandis, Ethnicis ad Christianam alliciendis fidem, Episcopale munus egregiæ præstitit; nec dubium, quin multa, & ab hoc viro, & ab aliis in eo genere digna relatu & præconio gesta sint. Idem postea agens de Garcia Noronio, Nonnii successore, hæc subdit lib. XI. longe post. méd. *Præter militares autem copias, Episcopo Fernando jam vita functo, virum egregium, qui eo munere fungeretur, secum Garzias adduxerat, Joannem Alburq. e Franciscana Familia Castellanum, ejusque comites, atque adjutores: Vincentium ex eadem Familia, Catechistam eximium &c.* Eum vocat Maffæjus præstanti sapientia Pontificem, qui etiam circa hunc annum scribit ultimam obiisse diem: & sanctus Franciscus Xaverius eumdem *Antistitem vigilantissimum* appellat.

V. Neque minori numero in veteri etiam Hispania multos Viros Dei hoc anno decessisse ex Seraphica Historia docemur: Joannem de Aquila in primis, is, qui cum quibusdam aliis anno MD. Joanni de Guadalupo in Provincia sancti Gabrielis, & circa annum MDXL. Martino de sancta Maria in ea Arabidorum fundandis operam dedit. Intimam cum beatis Petro de Alcantara & Didaco Stemandezio consuetudinem habuit, præcipue tamen cum eodem Martino de sancta Maria, cujus Provinciam, quæ hoc anno Custodia audiebat, cum moderaretur, virtutibus celebris sancto fine quievit. Floruit per eosdem dies & Joannes *de Badonali* appellatus, quem ut sancti Gabrielis magis augeretur Provincia, ex mercimonio, cui operam dabat in sæculo, divinus Spiritus in Franciscanam Familiam duxit, omni re familiari prius divendita, & pretio egenis erogato. Franciscanæ ascriptus familiæ, maxima eum Sodalium admiratione, quod sibi reliquum vitæ fuit angelicis moribus perduxit. Laicus erat ministerio, erga egenos ægrotosque pientissimus, in oratione assiduus, & paupertatis maxime cultor, quibus aliisque cœlestibus donis ornatus vita decedens, in Cœnobio Dominæ nostræ de Spe Villæ Novæ de Fraxino tumulatus est.

Joan. de Aquila. *Gonz. p. 3. in Prov. Arrabid. Con. 6. Barett. lib. 3. cap. 18. Jo. a S. Maria in Chron. Prov. S. Joseph lib. 1. cap. 4. & 28.*

Jo. de Badonali. *Gonz. p. 3. in Provin. S. Gabr. Con. 15. Barett. lib. 3. cap. 66. Rapin. Dec. 8. p. 1. §. 8.*

VI. Huic similis in Cœnobio sancti Francisci Pinciarum Provinciæ Immaculatæ Conceptionis vineam Domini excoluit Franciscus a Vera, qui morbum ex assiduis piisque laboribus contractum mira patientia ferens, e medio sublatus, maximam post se sanctimoniæ famam reliquit.

Franciscus de Vera. *Gonz. p. 3 in Provin. Concept. Con 1. Barett. lib. 3. cap. 66. Wadd. ad ann. 1245. §. 24. Gravin. in voce Turtur. part. 2. cap. 24.*

VII. In Cœnobio sancti Antonii, sive sancti Juliani Capraniæ Provinciæ Castellæ, diem obivit extremum Franciscus de Legines Laicus, oratione & contemplatione divinorum Mysteriorum nemini secundus. Historici narrant, non semel Sodales illum vidisse eodem tempore sacris in Ecclesia assistentem, & suo munere in culina fungentem. Suis etiam meritis a Deo Fratribus multiplicatam annonam referunt.

Franciscus de Leganes. *MSS ex Arch. S. Isid. Arm. 3. n. 32. fol 55.*

VIII. Viennæ in Austria suos ingentes absolvit labores Gaspar Nagel, qui ob humilitatem, quam summopere excoluit *Asini* sibi nomenclaturam adscivit. Per viginti continuos annos Clarissarum conscientias exemplis magis quam verbis moderatus est: non sine magno illarum profectu. In Ecclesia Conventus Brulæ, qui est XIV. Provinciæ Coloniæ, quemque nos non semel *Brubæ*, aliquando etiam *Bruellensem* appellare perperam confiscimus, dum novis typis Annalium assistentes hoc Typographorum sive Amanuensium, mendum, inter cætera fere innumera correcta, quibus vetus editio scatebat, corrigere negleximus, tumulatus est Philippus Macheren veræ humilitatis & patientiæ exemplar; itemque Fratribus Observantibus addictissimus, & numquam satis laudatus Princeps Adolphus ex Comitibus Scavvemburgicis, Archie-

Gaspar Nagel. *Menolog. Franciscc. ad diem 17. Martii. Gonz. in Provin. Colon. Con. 14. Wad. ad ann. 1490. num. 59. 1493. num. 58. 1502 n. 42. MSS. Prov. Colon.*

chiepiſcopus, & Elector Colonienſis coram Aram maximam ad levam ſuum cor, atque præcordia tumulari præcepit, quod factum eſt ſub lamina ænea marmoreo lapidi inſerta, in qua ſubſequens inſcriptio legitur:

ADOLPHUS EX COMITIBUS A SCHAWEMBURG COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, AC TOTIUS GERMANIÆ LUMEN, RELIGIONIS NOSTRÆ SEMPER FAUTOR INSIGNIS, AC PROMOTOR, ET CŒNOBII HUJUS EX CORDE PATER FUIT; PROINDE COR SUUM, ATQUE INTERIORA RELIQUIA, UT FRATRES IN SUIS ORATIONIBUS IPSIUS PERPETUO ESSENT MEMORES, HOC LOCO PLUMBEA CAPSULA SUNT TERRÆ RECONDITA. OBIIT DIE XX. SEPTEMBRIS HUJUS ANNI.

Julianus de Bonifacio. *Genuæ part. 2. in Prov. Corſic. Conv. Barett. lib. 5. cap. 5.*

Tallæ inſuper in Corſica circa hoc tempus in Domino quievit Julianus de Bonifacio, cujus meritis a Deo natali Virginis die, fœminam nomine Syrianam cujuſdam Orlanducii conjugem a maligno Spiritu, & alteram nomine Thomaſſinam a graviſſima paralyſi liberatam fuiſſe, ex authenticis monumentis eruitur. Porro ſancti Viri corpus, quod poſt oſtennium ab ejus obitu adhuc integrum ex communi Sodalium ſepulcro eductum eſt, in peculiari loco reconditum jacet.

Benedictus de S. Lorino. Laurentius Florentinus. *MSS. Auct. Provin. Tuſciæ.*

IX. In Etruria Benedictus a ſancto Lorino *Hortulanus* dictus, laicus, & Laurentius Florentinus item laicus, Florentiæ in ſancti Salvatoris Cœnobio decedunt; qui ob vitæ probitatem a populis commendati maximam ſunt venerationem adepti.

Angelus de Savona. *Flor. Seraph. Tom. 2. fol. 211. Bover. ad hunc ann. n. 17. Hiſt. Prov. S. Thomæ, ſive Taurini fol. 302.*

X. Angelus de Savona in Liguria nobili genere ortus, decimum ſeptimum annum agens Minoritis Regularis Obſervantiæ nomen dedit, inter quos ſtudiorum Theologiæ expleto curriculo, ad PP. Capuccinos pertranſiit. Præclaris virtutibus ſupra modum ornatus, pluribus etiam urbibus gratus extitit; non ſolum Divini verbi prædicatione, ſed inſignitus quoque vitæ exemplis fidelium animas ad uberes virtutum fructus provocavit. Ex probatiſſimis teſtimoniis Angelum grave vulnus in capite hominis ab hoſtibus fauciati, puerumque nervis attractum Bononiæ, ubi etiam Cœnobium ſui Sodalitii fundavit, ſigno crucis ſanaſſe, diſcimus. Mortuus eſt Æſii in Piceno die XXV. Aprilis, ibique tumulatus.

Joſephus de Ferno. *Bover. ad hunc ann. n. 2. Flor. Seraph. Tom. 2. fol. 43. MSS. ex Arch. PP. Capucc. Urbis.*

XI. Joſephus quoque de Ferno diœceſis Mediolanenſis oppido, qui propterea a Mediolano a quibuſdam nuncupari conſuevit, Palentiæ Theologiæ profeſſor apud Minores de Obſervantia extitit; indeque ad Capuccinos tranſiens, admirandis operibus atque ſignis illuxit. Concionator eximius cum eſſet, magnam animarum copiam cœlo lucratus eſt. Ob præclaram ejus præſtantiam, nedum apud ſuos Vicarii Provincialis munere ſæpe functus fuit, ac in Generalibus Comitiis Romæ anno MDLII. celebratis eſt Definitor electus; verum etiam apud Barnabitas, atque Somaſcos Patres tantum viri prudentiæ, ac ſanctimoniæ exiſtimatio percrebuit, ut nihil fere eorum Præfecti agerent abſque Joſephi conſilio. Nonnulla Deus, ad Servi ſui ſanctitatem hominibus declarandam, miracula edidit, ſpirituque profetico eumdem illuſtravit. Obiit Mediolani V. Januarii hoc anno, non autem anno MDLV. ut Oldoinus refert. De hoc Ven. celebrique Viro Spondanus ait, *quod cum hoc tempore urbs Mediolanenſis, ob graſſantia Cæſaris, & Regis Francorum bella maxime conſternata jaceret, in ea Joſephus prædicationi vacans, Civibus perſuaſit eam orationem inſtituere* (XL. hor. nimirum) *ex qua futurum pollicebatur, ut ab ejuſmodi ærumnis liberarentur. Quare communi urbis conſilio ea primo quidem in Eccleſia Cathedrali, tum inde in aliis per totum anni circulum inſtituta fuit; unde*

Oldoin. *apud Ciacconium in addition. ad vitam Pauli IV. Spond. ad hunc ann. n. 11.*

Anno Christi	Pauli IV.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 349.
1556.	anno 2.	anno 38.	

unde poſtea hæc pia inſtitutio in univerſum Chriſtianum Orbem diffuſa fuit.

XII. Neque huic anno Chriſti martyres deſunt: irruentibus namque Turcis in Neapolitanum Regnum, apud Surrentum Picentinorum urbem (non Piceni, ut male Arturus) Cherubinus de Civitella Provinciæ ſancti Bernardini Alumnus, doctrina admodum commendatus, ab iiſdem crudeli morte pro Chriſto necatus eſt. Similem offendit ſauſtiſſimam ſortem, teſtibus Daza, & Art. Argilæ in Mauritania Michael Agulonis Sacerdos, cujus Patriam ignoramus. Ex Mulieribus etiam cum Secundi, tum etiam Tertii Inſtituti una & altera hoc anno evolavit ad Sponſum, Catharina de Jeſu apud Monaſterium ſancti Antonii Clariſſarum, in Suburbiis Civitatis Beatiæ Provinciæ Granatenſis in Hiſpania, quam communis hoſtis numquam potuit ab oratione, Jeſuque amore avertere. Ex inſulis Canariis reverſa, quo miſſa, ut quibuſque ſui Religioſi Inſtituti domibus daret initia, die IX. Julii virtutibus onuſta, octogeſimo ætatis anno deceſſit. In eadem Provincia Maria de Robles nobilis vidua, ex Monaſterio Conceptionis Abdaræ, cujus una ex fundatricibus extitit, ad illud de Torriſos exſtruendum, cujus neque Gonzaga meminit, cum quibuſdam aliis acceſſit, operiſque præfecta, vitæ merito, & cura vigili plurimum profuit. Cœnobium Clariſſarum Villæfrechoſii Provinciæ ſancti Jacobi, nobilitate ſanguinis, virtutumque illuſtravit Anna Giron, quæ Comites de Urena, Duces Oſſunæ, oppidique Dominos Parentes habuit, ac iiſdem inconſultis, quinimo & renuentibus, quia illam nobiliſſimo jungere Matrimonio cogitarant, Ordinis habitum a Deo vocata induit. Præfectæ perpetuo fungens, magna cum laude munere, perpetuo etiam a nobilioribus Hiſpaniæ viris ac mulieribus viſitata, nihil in ſuis adimplendis officiis umquam prætermiſit; tempuſque, quod ſupererat orationibus, atque contemplationibus impendens, univerſis propterea facta eſt virtutum magiſtra & exemplar. In eadem ſancti Jacobi Provincia, in Cœnobio ſanctæ Claræ Tauri, Catharina Catalan Annæ æmulam ſe exhibuit, orationis, & contemplationis exercitationibus aſſiduis, jejuniis, & carnis maceratione; quamobrem ciborum ſibi quotidianam præſignatam portionem reſpuens, illius dumtaxat reliquiis erat contenta. Tertium quoque illuſtravit Inſtitutum in Monaſterio ſancti Hieronymi, ſive ſancti Georgii Florentiæ Magdalena Paula, quæ *del Pugliese* apud ſuos audiebat, patientia ſpectabilis, quæ graviſſimo, & permoleſto affecta morbo, mirifice claruit. Ulceribus namque, attractionibus, aliiſque ſimilibus vexata malis, putredinem totum ejus corpus dixiſſes, ſuavi tamen odore flagrans, ut Hieronyma Borromæa ejus amica miniſtrans, non ſemel experta eſt. Appropinquante obitus hora, ſacratiſſima Euchariſtia reficitur, ſacro Oleo ſubinde muniri poſtulans, cum Sacerdos accedit, Magdalena monita hilari vultu reſpondit, *non Oleum defert, ſed Dominum meum Jeſum Chriſtum, qui iterum Ancillam ſuam inviſere dignatus eſt*. His verbis excitatus Sacerdos, quid manibus ferat aſpicit, & pro vaſe Olei, ſacræ Synaxis pyxidem per errorem ſuſcepiſſe comperit. At horum omnium glorioſa morte Ordinem noſtrum magis, magiſque illuſtratum ſua ignominioſa aliquantiſper diceres obumbraſſe quemdam Joannem Rabecum, Cæſariaco in inferiore Neuſtria natum, pſeudo-Franciſcanum, ſi Thuano credendum, qui dum hoc anno per univerſam fere Europam Catholici Principes in proteſtantes animadverterent, & præcipue in ſua Galliarum Ditione de Romana-Catholica Fide optime meritus Chriſtianiſſimus Rex Henricus II. una cum quodam alio in ſæculo degente Joanne *Rufo* ſacris initiato, eamdem falſam ſequente doctrinam, cum eodem etiam VIII. Kal. Maji, Andegavi ſummo ſupplicio afficitur.

Cherubinus de Civitella, ſive de Civitella M. *Daza lib. 1. cap. 49.*

Artur. 22. Maii. Michael Agulonius. *Daza ibidem.*

Ex Jacobo Sanchez cap. 15. ſua hiſt. Catarina de Jeſu. *Ex Arch. S. Iſid. MSS. Arm. 1. n. 14. fol. 174.*

Maria de Robles. *Ex eodem Arch. Arm. 3. n. 11. fol. 551.*

Anna Giron. *MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 1. n. 52. fol. 189.*

Catarina Catalan. *Ibidem fol. 281.*

Magdalena Paula. *MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 1. n. 22. fol. 187.*

Thuan. ad hunc ann. lib. 18.

XIII. Ordo autem continuo etiam doctrina florens habuit vel in primis.

Anno Christi 1556.	Pauli IV. anno 2.	Caroli V. Imp. anno 38.	Religionis Minorum anno 349.

Jo. Standiſius. Wadd. de Script. Ord. Min. I. Bibliotb. Franc. fol. I.

mis Joannem Standetium Anglum doctrina & pietate celebrem, qui religionis catholicæ ſtrenuus propugnator, ſacrorum Bibliorum codicem vernacula lingua ſcriptum ægre ferens ab ſutoribus, mulierculis, ſimiliſque farinæ idiotis haberi præ manibus, Philippo & Maria regnantibus id eſſe cauſam plurium, malorum in publicis regni comitiis (Parlamentum vulgo dicitur) Londini explicat, obtinetque, ut in poſterum hujuſmodi Codices, ex quibus eruebantur explicationes cæleſtibus myſteriis prorſus indignæ auferentur de medio. Scripſit propterea de non edendis vulgari ſermone Sacris Bibliis, itemque tractatum de unitate Eccleſiæ ad Cardinalem Polum Anglice contra

Franciſcus Zichemius. MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 5. n. 144 fol. 59. Rodulph. fol. 318.

Birnes hæreticum, aliaque plura. Franciſcus etiam Zichemius, aliis Zichenus, Brabantinus a patria, Maclinienſis, & Trajectenſis Cœnobii Guardianus ſcripſit. *Explicationem ſeptem verborum Chriſti in Cruce*, Antuerpiæ anno MDLVI. apud Joannem Bellerium in 16. *enarrationem in Prophetiam Jeremiæ* Coloniæ anno MDLIX. *Concionem de eleemoſynæ efficacia*, Antuerpiæ Typis Belleri anno MDLVI. in 16. *Exhortationem Laconicam ad mortem*, Trajecti ad Moſam anno MDLIV. in 8. Hæc commendat Waddingus; ſed ſcripſit inſuper *in Pſalmum* XL. Antuerpiæ MDLVI. in 8. *in Orationem dominicam*, Antuerpiæ MDL. in 8. Ex Jacobo Le Long in ſua Bibliotheca Sacra. Extat hujuſce Authoris memoria apud Sixtum Senenſem, Rodulphum, Sedulium &c.

Petrus Paulus de Caporella. Wadd. de Script. Ord. lit. P. Biblioth. Franciſc. ibid. Ughel. in Ital. Sac. Tom. 9. fol. 532. Biblioth. Neap. Nicolai Toppi.

Obiit etiam hoc anno Petrus Paulus de Caporella, e Potentia in Regno Neapolitano, Minorita Conventualis ex Studiorum Regente, ut vocant, ad Cotronienſem Epiſcopatum aſſumtus. Scripſit ac edidit *Quæſtionem de Matrimonio ad mentem Doctoris ſubtilis*, Neapoli per Cilium MDXLII. in 4. Inſuper recenſentibus Toſiniano, & Wadd. edidit *tractatum de Operibus Miſericordiæ* ſorte indiſtinctum ab alio: *De bonis operibus in peccato mortali factis*, laudatum a Jeremia Buchio lib. 1. noſtri Piſan. fructu VIII., juxta editionem Bononiæ factam, anno MDCX. & *Tractatum de Purgatorio*.

Henricus Helmeſius. Wadd. de Script. Ord. lit. H. Biblioth. Franciſc. ibid.

Lucem item ſalutarunt ſub id tempus quædam opera Henrici Helmeſii Germipolitani Prov. Saxoniæ Miniſtri, & in Colonienſi Eccleſia Concionatoris, qui edidit *Tomos quinq. homiliarum in Evangelia, & omnes epiſtolas Canonicas, ex meris divinæ Scripturæ ſententiis miro artificio, & eruditione concinnatis*, Coloniæ an. MDL. & MDLVI. & Pariſiis MDLVII. in 8. & in fol. *In Evangelia Quadrageſimalia*; Pariſiis hoc anno in 8. *De Verbo Dei* libros tres, prodierunt Coloniæ anno MDLX. Laudantur a F. Mauritio Hylareto Dominica III. Quadrageſimæ, fol. mihi 652. *Adverſus captivitatem Babylonicam Lutheri*, Pariſiis per Audoenum Parvum MDLII. una cum præcedentibus; & Coloniæ MDLVII. *Sermones* ipſius, uti notavit Wadd, deinceps apud Gulielmum Rovillium, æditi ſunt Lugduni an. MDLXXIV. & an. MDLXXXIX. Scripſit demum, teſte Ludovico Dupin, ſæculo XVI. ac emiſit *De Charitate* lib. 5. *De Spiritu Sancto*: *De Paſſione Domini N. J. C. De Juſtificatione*: *De Purgatorio*: *De Suffragiis pro mortuis*; quæ omnia impreſſa ſunt Pariſiis an. MDLIII. & MDLVII. Præclarè hujus Henrici meminit Ludovicus Bail, par. 3. ſuæ Bibliothecæ Concionatoriæ, in qua non pauca ex ejus operibus excribit cap. CVIII. hæc præmittens: *Tria volumina ſermonum edidit in Epiſtolas, & Evangelia de Dominicis, & de Sanctis: Oratio ejus centonis inſtar ex verbis Scripturæ Sacræ tota fere contexta eſt, & teſtui Epiſtolæ integro, aut Evangelio alligata, inſtar homiliæ figura commorationis, ac ſynatriſmi ſæpe utitur. Paſſim in errores Lutheri excandeſcit: hocque in eo magis ſingulare, quod in multis concionibus verbum ſuum dirigit in eadem Concione ad Perſonas diverſi ſtatus & conditionis, puta ad Sacerdotes, Principes, & in poteſtate conſtitutos, ad*

Ludov. Dupin. ſæc. 16.

uxo-

uxoratos, ad Viduas, ad Virgines, ad pueros, & Subditos, ad Obſtinatos &c. ut in pluribus ſermonibus pro die Circumciſionis, non ſine pio artificio obſervat potiſſimum. Florebat eum jam Lutheraniſmus graſſaretur; prodieruntque Concionesejus Pariſiis anno MDLVII., *quæ videntur graves, & piæ, licet in eis deſideretur, quod membris partitionis primariæ non inhæreat, ſed totum Evangelii textum indifferenter percurrat.* In recenſita Colonienſi Eccleſia Concionatoris munere præclare functus eſt etiam Joannes de Daventria Catholicis Principibus acceptiſſimus, Hæreticiſque infenſus, contra quos propterea plures tractatus edidit, fuitque tertio Colonienſis Provinciæ Miniſter. Obiit vir præclarus anno MDLIV. ad quem ejus memoriam pertinentem, nos ſero monumenta Provinciæ Colonienſis recipientes, ad eumdem annum tradere non potuimus.

Joannes de Daventria.

XIV. Inter tot præclara lumina, non minori ſplendore Ordinem illuſtraſſet Conradus Pellicanus; ſed quum Franciſcanæ atque Catholicæ Eccleſiæ vale dixiſſet, Tubingam a Zuinglio vocatus, hoc anno miſerrime extinctus eſt. Hic, ſi Melchiori Adamo Sileſio Hætherodoxo hiſtorico credendum, egenis parentibus, quorum cognomen *Kurſiner*, Rubeaci ortus, Pellicani cognomen alterum ſortitus eſt ab Jodoco Gallo avunculo, Academiæ Haidelbergenſis Baccalaureo ac licentiato, dum Conradus ejuſdem Academiæ matriculæ aſcriberetur, cui addere *Kurſiner* cognomen patrium quum opus eſſet (vox germanica *Pellionem* ſignificat, eum videlicet, qui pellicea pulvinaria conficit) Jodocus adſtans nepoti dixit: *Tu non pellio es, neque pellionis filius; non igitur pellio cognominaberis, ſed potius pellicanus.* Anno ineunte MCCCCXCIII. Ordinem Minorum ingreſſus, & adhuc adoleſcens Tubingam miſſus, Pauli ſcriptoris doctrinam auditurus, adeo in addiſcendis humanis artibus ex hebraica lingua, quam ſuo marte ad miraculum didicerat, profecit, ut inter clariores Germaniæ Viros adnumerari meruerit. A Raymundo Gallo Xantonenſi Cardinali Legato pontificio propterea dilectus, licentiatus & Doctor creatus, nedum docendi, verum & regendi munera ſemel, atque iterum illi commiſſa ſunt. Inde variæ doctrinæ & fidei hominem ab conſodalibus juſte plecti in dies ſuſpicantem, Tigurum amicus Zuinglius an. MDXXVI. evocat, ibique Franciſcano inſtituto, ſimulque orthodoxæ fidei nuntium remittens, pluribus ductis uxoribus, impiiſque dogmatibus cum ſcriptis, tum concionibus diſſeminatis, hoc anno tamdem infelici funere clarus extitit; primamque laudem poſteriori labe delevit, & in perpetuam vituperationem vertit. Impii iſtius pſeudominoritæ ex eodem Hætherodoxo Melchiore exhibere lubet compendiariam notitiam, ut lectorem non pigeat aliquantiſper eam comparare cum altera, quam de eodem Leonardus Neapolitanus ex Baretio ſequenti ſententia italico ſermone refert: *Quum Torpati extaret quidam Ffrenuus, ſatannicus tamen Concionator lutheranæ doctrinæ, Hermannus nomine, valde callidus, atque facundus, ut hominesa catholica fide diſtraheret, eoſque ad lutheranam ſectam traduceret. Trigeſimum annum agens, illius impiæ doctrinæ celebrior cæteris prædicator evaſit. Hic erat jam Frater Ordinis Minorum Obſervantium adoleſcens, & propter ætatem ſuam habilis ad munus prædicationis; religionem catholicam reſpuens, Pellioni Wittembergenſi præcipuo lutheranæ doctrinæ Magiſtro adhæſit; eique ſuam operam obtulit in hæreticis diſſeminandis dogmatibus, & ut hujus rei certiorem reddat Pellionem, Monaſtico habitu ſe exuere in publica concione promittit. Pellio hæc audiens, ſocium amplectitur; & indumento ſibi a Mercatoribus elargito patrio more indutus, Moniali Virgini Matrimonio jungitur & cuſtodiendis argenteis vaſibus in Eccleſiis ad pauperum uſum præficitur.*

Conradus Pellicanus. *Melch. Adam. Sileſius in vita Conr. Pellic.*

Leon. de Neap. Tom. 1. lib. 3. cap. 72. Baret. lib. 3. cap. 78.

Pellione exin decedente, apoſtata Hermannus apud populos ſibi permaximam conciliavit auctoritatem, itaut nobilium pueros dumtaxat baptizaret: ſuaque calliditate & induſtria factus dives, prædia, domos emit & agros, defunctiſque prima, itemque ſecunda uxore, tertiæ nupſit. Anno tamen MDLIV. *morbo gravi correptus, poſt ſex tranſactis diebus, horribili voce exclamavit, quod damnatus eſſet, & quod ſalutem conſequi non ſperabat, etiamque univerſos eos damnatos eſſe, qui lutheranam damnatam ſectam profitebantur, & ita horribili aſpectu, ignitiſque oculis expiravit, relinquens exemplum &c.* uſque huc Leonardus, cujus, itemque Adami, ſi bene verba perpendas, dicas profecto, perperam tamen, binos perduelles in Romanam fidem ex Ordine Minorum hac ætate prodiiſſe, non unum, quæ falſa opinio quantum dedecoris Minoritis afferret, tuum eſto judicium.

Leonardus de Neapoli redarguitur. Leonard. ibidem.

XV. Sed non minora ſane Hæreticorum cachinnis & irriſionibus argumenta miniſtrant errores atque mendacia, quæ in exigua narratione Leonardi noſtri occurrunt. Torpatum, quæ Sueciæ urbs eſt in Livonia, * oppidum imprimis auctor in Germania ſupponit. Quemdam Hermannum Nebulonem vocat, quia fortaſſis in eo dice, exarato Hiſpanica lingua, cujus ipſe erat jejunus, legerat: *Cierto Hermanno*, quæ vox latine *quidam frater* ſignificat. Trigeſimum porro annum agentem pro *Luthero* prædicantem inducit, quem tamen conſtat anno MCOLXXVI. natum, Comitiis Generalibus Romæ cum ſuis interfuiſſe, anno MOXVII., cum quibus etiam uſque ad annum MOXXV. permanſit. Ait adhæſiſſe *Pellioni* Witembergenſi, quo nomine numquam apud Hiſtoricos auditum eſt, præcipuum aliquem Wittembergæ extitiſſe Lutheranæ doctrinæ Magiſtrum. *Pellio* cognomine Conradus ipſe audiebat, ut ſupra dictum eſt; at quod ei quidam Hermannus Minorita adhæſerit, profecto non invenimus. Obiiſſe ait anno MOLIV., quum anno MDLVI. obierit, licet Oldoinus anno MOLV. referat obiiſſe: alia præterea refert hujuſmodi, quæ ſatis ſuperque ſignificant, quam caute ſint Hiſtorici hujus ſurfuris legendi, quæque de cauſa fuſius fortaſſe, quam par erat, hanc Auctoris hiſtoriam expendimus.

* *Hic erat hac ætate Hermannus SS. Epiſcopus, ut apud Spond. ad ann. 1557. n. 19. legitur.*

Oldoinus apud Ciacconium addit. ad vitam Pauli IV.

XVI. Romæ ab Julio Magnano PP. Conventualium Generali Præfecto S. Petrus Alcantarenſis impetrato Diplomate, quemadmodum ſuo loco retulimus, Hiſpaniam pedes, & emendicato victu reverſurus, conſuetum iter intendit. Ut autem ad ſuam ſanctæ Crucis domunculam perveniſſet, eam ipſam comitatem, quam a Pontifice, & a Julio Generali Romæ expertus fuerat, a ſuis in Hiſpania Vir Dei experiri non potuit. Enim vero, ſtatim ac quibuſdam pontificium innotuit, quod obtinuit, indultum, ejus ſanctimoniæ tot cœleſtibus ſignis confirmatæ penitus obliti, præter cætera in illum maledicta, falſas etiam hypocriſis, inanis gloriæ, iiſque ſimilium criminationes jactare cœperunt. Quinimo ipſorum item opera, qui eum debebant diligere pro ſacris Inſtituti legibus tuendis, etiam verba tanta animi moderatione ac patientia eſt paſſus, ut a nemine conqueri, aut ſe excuſare unquam ſuerit auditus. Pariter heroici ſilentii regulis eſt uſus, quum a Generali Obſerv. Præfecto non reformationem, ſed diviſionem Ordinis cogitante, & objiciente acrius quam par eſſet, objurgaretur. Eodem ad obedientiam præcipiente, ut reſponderet, etſi ab obedientia per Pontificiam diſpenſationem ſolutus, in hæc verba prorupit: *Novi Patres, iſthæc munera Franciſcanam reformandi Familiam ad me pauperculum Domini famulum minime pertinere; attamen gratum obſecro, ſolum zelum habete, quinimo impedite, ſi noveritis non expedire.*

S. Petri Alcantarenſis Acta ſequuntur. Ex Auct. alibi citatis.

A plerisque injuriis laceſſitus.

Sed fruſtra.

XVII. Quo acrior, ac diuturnior patientiæ probatio inter hujuſmodi inſectationes fuerat, eo magis idoneus Petrus evaſit ad nova Dei chariſmata, & ad

Anno Christi 1556.	Pauli IV. anno 2.	Caroli V. Imp. anno 38.	Religionis Minorum anno 349.

& ad Populorum gratiam ſibi conciliandam. Hinc factum eſt, ut mox ad ſuæ vitæ ratiooem ineundam, aggregatis religioſis Præsbyteris, Leone Oliſſyponenſe, Franciſco de Galiſteo*, Franciſco Melo, Petro de Alconerio, & Bartholomæo de ſancta Anna; quibus deiode adjuncti Franciſcanus alter Hiſpanus, qui Mediolano venerat, & Chriſtophorus Bravius Canonicus Zamorenſis terrenis quidem, magis tamen ſpiritualibus affluens divitiis, de quibus ſuis in locis erit ſingillatim agendum, in ſanctæ Crucis domuncula ſimul manere, atque muneribus conſuetis fungi non potuerit. Qua de re Petro alteram Domum exſtruendam cogitanti (Fratres namque Provinciæ ſancti Gabrielis renuebant, ut Cibolæ Conventus fundaretur) vir nobilis Rodericus de Chaves ſolum ſui juris prope oppidulum Pedroſi Placentinæ diœceſis offert. At dum Vir Dei locum exploraturus proficiſcitur, a quadam pia puella, cujus ipſe ſacras excipiebat confeſſiones, interrogatus, cur caput non operiret? (erat enim hyems ſumma, tempeſtas perfrigida, imber maximus) reſpondit Petrus, non eſſe opus coram Deo operire caput, quum coram Regibus nemo caput operiat. Et ſine ita ſe habuit res: apertis namque oculis filiæ tanto Patreote ac viſo dignæ, Petrum intuetur a Jeſu Chriſto, & a ſancto Franciſco eo in itinere comitatum. Pedroſum tandem Vir Dei pervenit, locus arridet, Epiſcopus annuit, memoratus Rodericus, ſimulque Joannes Velazquetius cæmenta exhibent, & Petrus ibidem primo ſuo Cœnobiolo, ſub auſpiciis Immaculatæ Conceptionis, feliciter dat initia, ut ad annum ſequentem dicemus.

Quoſdam vocat ad ſuæ vitæ rationem.

* *Hunc Laicum fuiſſe Marcus Cæſaraugustanus ſuus de Alcala lib. 6. ca. 3. n. 1014. Chronic. Prov. S. Joſephi, ſcribit.* Solum eidem pro altera exſtruenda Domo offertur.

A Domino Jeſu, & a S. Franciſco in itinere ſociatus

Cœnobio Pedroſi dantur initia.

XVIII. Alterum etiam Hiſpaniæ lumen ob oculos ponendi nobis hoc anno opportuna ſeſe offert occaſio, enarrandi nimirum acta venerabilis Servi Dei Petri Nicolai Factoris Valentinæ Provinciæ Alumni, qui non minora quam Alcantarenſis præbuit eximiæ & admirandæ virtutis argumenta, cum æqua lance utrumque miraculum diceret, ſi quis Petri Alcantarenſis pœnitentiam, & Petri Valentini humilitatem ſedulo perpenderet. Nos ergo iiſdem impellentibus rationibus, quibus Petri de Alcantara hiſtoriam proſequuti ſumus, Petri quoque Factoris vitam enarrabimus. Illud tamen initio adnotandum cenſeo, quod nedum in his, ſed & in cæteris Dei Servorum geſtis aperiendis fere nullam habuerunt Auctores quamplures de temporibus indicandis ſolicitudinem, quæ res non modo Annales obſcuriores reddit, eorumque Scriptoribus laborem parit moleſtum, ſed cauſis etiam, quæ apud S. Sedem tractari ſolent de iiſdem Servis Dei Beatorum albo aſcribendis, plurimum afferunt detrimentum. Quamobrem jure, meritoque nobilis, doctus atque clariſſimus Præſul Ludovicus de Valentibus, nunc in Urbe Fidei Promotor, præteritos Poſtulatores Cauſæ ejuſdem Servi Dei objurgans, de eorum ignavia hiſce verbis conqueritur: *Monitos volo ejuſdem cauſæ* (Petri Nicolai Factoris) *Poſtulatores, quod cum in eorum poſitione non appareat admodum explicata ſeries chronologica vitæ, præſertim quo ad diſceſſus, & regreſſus ad varios Ordines &c. eſſet proinde valde optabile, ut dictam ſeriem chronologicam prætexerent, cum diſtinctione ſingularum ætatum, & ſtatuum in prædictis variis Ordinibus, cum ſuis circumſtantiis, & ſpecialibus actis, in quibus per dicta ſingula tempora ſeſe exercuit; ex qua diligenter elucere fortaſſe magis poterunt illius virtutes &c.* Sed utut res ſe habeat; nos memoratorum, aliorumque Servorum Dei geſta narrantes, pro chronologica inveſtiganda veritate ſedulitatem præcipuam pollicemur, opportuna inſpicientes monumenta, temporumque indagantes notas, ut ex iis quæ pro certis habemus, veroſimiliora inde eruamus.

Petrus Nicolaus Factor vir admirabilis.

In animadverſ. Proceſſ. a Fidei Promot. fact.

XIX. Ut igitur ejus hiſtoria methodice ſumat initium, Petrus Nicolaus natus eſt Valentiæ Vincentio Factore, profeſſione Sartore, oatiooe Siculo, & Urſula Stam-

Ejus origo, & patria. *Barett. lib. 8. c. 1. Ex Proceſſ. pro ejus Beatific.*

Anno Christi	Pauli IV.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 349.
1556.	anno 2.	anno 38.	

Gonz. p. 3. in Provin. Valent. Con. 9. Gravin. in voce Turr. p. 2. c. 24. Boius de ſig. Eccleſ. Tom. 2. l. 9. cap. 13. Cartag. Tom. 4. homil. Carbol. de Arm. Delp. libuli. 6. 1. & alii.

Puertitia.

Stamua Hiſpana parentibus, anno Chriſti MDXX. die Apoſtolorum Principi ſacra, ac in eodem ſonte, in quo olim ſanctus Vincentius Ferrerius, ſanctum Baptiſma ſuſcepit. Tertio nondum expleto ætatis anno, feria ſecunda & quarta, ſed ſabbato præcipue innoxium corpuſculum jejuniis affligere cœpit; totuſque in præcipuo Valentiæ Noſocomio ægrotorum ſamulatui addictus, eorum non ſemel fœtida & horrenda ulcera deoſculari genibus nixis Valentini conſpiciunt. Dum ad ludum litterarium pergeret, ſi quem pauperem obviam habuiſſet, ſuum jentaculum peramanter illi impertiebat, cæteroſque pueros id irridentes admonebat, Chriſtum Dominum in egenis nobis exhiberi. Quum ſemel ex iniqua cujuſdam condiſcipuli delatione a Præceptore Petrus injuſte vapulaſſet, ad ſui accuſatoris genua provolutus illius manum in gratiarum actionem oſculatus eſt. Orationis amicus & ſolitudinis, cæterorum conſuetudines pro viribus ſugiebat; inde factum eſt, ut Maura quædam ancilla in illius domo Fidem Catholicam amplecteretur, & Sanctus ab univerſis Valentiæ incolis audiret. Patris fatagentis, ut ſæcularibus curis incumberet, parvipendens conſilium, illique hærens, quod cordi Deus indiderat, die feſti ſancti Andreæ Apoſtoli in Cœnobio beatæ Virginis de Jeſu, non procul ab urbe memorata, domeſticis inconſultis, quinimo & renuentibus, Minoritis Obſervantiæ nomen dedit. Ab eo momento quo Ordinem eſt ingreſſus, orationis, humilitatis, abſtinentiæ, cæterarumque virtutum exercitationibus ita ex animo navavit operam, ut adoleſcentiam, atque ipſum ætatis florem, quo tunc pollebat, in eremo videretur conſumſiſſe. Tyrocinio abſoluto, prima Dominica Adventus anni MDXXXVIII. ſolemni ritu profeſſionem emiſit. Gratiæ donis magis, quam naturæ adoleſcentem ornatum, cæteriſque diſciplinis inſtructum, ad Cœnobium ſanctæ Mariæ Pini, & ſancti Franciſci Chelvæ Præſidentes mittunt, ut ſacris Theologiæ ſtudiis incumberet, in quibus Joanne Meralio, & Michaele Joanne Magiſtris, mirum in modum ingenio, induſtriaque profecit. Presbyteratus Ordine Valentiæ inſignitus, primum ſacrificium in templo ejuſdem Cœnobii Pinenſis Deo obtulit. Inde concionandi munus a Præſulibus Chelvæ ſibi impoſitum, idipſum non tam verbis, quam exemplis egregie exercuit. Interim conſuetis corporis afflictationibus, & contemplationis exercitationibus intentus, quum ingenti deſiderio, quo affligendi corpus flagrabat, facere ſatis non poſſet, a valido Tyrone flagellis cedi ad ſanguinis uſque effuſionem in ea Cœnobii crypta, quæ Martyrum nuncupatur, poſtulat; votique compos factus imperat, ne cuiquam factum enunciet. Hoc autem eodem anno, quum Vir Dei Cœnobium ſancti Franciſci Chelvæ moderaretur, populis totius Valentinæ ditionis extrema fame laborantibus, & ad Fratrum januam indefinenter confluentibus egenis, ne cuiquam ex eleemoſynis exiguis oſtiatim conquiſitis quidquam denegaretur, præcepit, confidens, ſodalibus & aliis pauperibus paucos illos non ſine maxima difficultate inventos cibos ſatis eſſe poſſe; quod ſane e ſententia eveniſſe, ſuis meritis, & ingenti divinæ providentiæ miraculo, regionis incolæ teſtati ſunt, & experti. Verum inter tot concurrentes pauperes Maura mulier recens baptizata, fame, ſeu potius Diabolo impellente, conſilium turpe ceperat religioſum vocandi Præſidem, ſuamque virginem filiam, eamque formoſam offerre, dummodo fame ad extremum preſſis ille ſuccurreret. Oculos claudit, verſuſque templum fugit, continuo hæc audiens eximius caſtitatis amator, eamdemque præterea Jeſu enixe commendans, mittit illico ex ſuis probatum virum, ut egeni Neophitæ, filiæque ſubveniat. Porro proſpiciens aridam terræ faciem, ex qua moleſtiſſima rerum caritas fuerat orta, concionibus ad pœnitentiam populos provocat, publicas ſupplicationes inſtituit, ſuiſque cum

Gonz. p. 3. in Provin. Valent. Con. 9.

Dat Minoritis nomen.

Inter quos profeſſionem emittit.

Sacris initiatur, & concionandi munus exercet.

Ejus pœnitentia, & aliæ admirandæ virtutes.

Præfectus ſuccurrit egenis.

Prodigioſum ejus caſtimoniæ indicium.

ſodalibus ad ſanguinis effuſionem uſque, flagellis adhibitis, non incaſſum iratum Numen placare contendit. Exaudit Deus Optimus preces ſupplicum: mox ſiquidem imbribus maxime e Cœlo cadentibus, terra deinceps fructus exoptatos affert, inopiamque propulſat. In rerum penuria Numen placatum reddit.

XX. In Italia etiam aliud Mundo exoritur hoc anno fulgentiſſimum ſydus, beatus Joſephus nempe de Leoniſſa Aprutinorum urbe in Neapolitano Regno, qui ſacram Capuccinorum familiam eximia Sanctimonia illuſtravit. Parentes habuit nobiles Joannem Deſiderium, & Franciſcam Paulinam. In Baptiſmate *Eufranii* nomen ſortitus eſt, & ab incunabulis divinæ cœpit benedictionis rore perfundi: Mater enim, cum profunda nocte puerum aliquando lactaret, ſomno correpta, ita infantis ori cœpit incumbere, ut eum intercluſo halitu peremptura eſſet, niſi a Domino inſigni plane miraculo infantis ſaluti proſpectum fuiſſet. Nam hoc ipſo tempore Mater ſopore oppreſſa, tam ingentem ab inviſibili manu colaphum ſibi impingi ſenſit, ut a ſomno excitata, pavens exclamare cœperit. Quamobrem lucerna a Viro, qui colaphi ſonum perceperat, confeſtim accenſa, tunc primum infantis periculum deprehenſum eſt; Mater vero cum lividam ab inflicto colapho genam per aliquod tempus geſtaſſet, prudentior deinceps in puero lactando evaſit. Alterum quoque divinæ erga puerum providentiæ, ac ſolicitudinis teſtimonium eluxit: etenim ſæpe obſervatum fuit, quod eo in cunis jacente ac vagiente, cum nemo eſſet, qui dormitanti puero cunabula agitaret, illa nihilominus modo quidem viſibili, ſed inviſibili virtute movcrentur, ut ſomnus conciliaretur: quod ſane cœleſte, firmum, atque perrarum fuit futuræ hujus Infantis excellentiæ argumentum. At cum primum Eufranius ab infantia ad pueritiam emerſit, piis ac optimis a parentibus moribus inſtructus tantum in virtutis ac totius pietatis diſciplina profecit, ut puerilibus omnibus ac ludicris, quæ illi ætati familiaria & cognata eſſe ſolent, abjectis, animum ad ſeria tantummodo ac ſolida virtutum ſtudia, quæ ætatis etiam humeros ſuperarent, ſolicitè contulerit. Vix enim ſeptimum ætatis annum attigerat (ut ex ipſius Proceſſibus conſtat) ſextas cujuslibet hebdomadæ ferias, ob Dominicæ paſſionis memoriam, panis, & aquæ jejunio celebrabat; eamdemque jejunii legem in beatiſſimæ Virginis honorem, quam ab hac ſuæ ætatis aurora pia quadam veneratione proſequi cœpit, puerulus obſervavit. Altaria puerorum more in paterna domo exſtruere, ante illa diutius genuflexus orare, ſorores, & extraneos pueros eo ad orandum convocare, ſingulis diebus veneris ſimul cum ſancti Salvatoris Confratribus flagris ſeipſum cædere, cæteris nocturnæ quieti indulgentibus intempeſta nocte ſurgere & oratione vacare cœpit. Adoleſcens cum nonnunquam in paterna domo epulo inſtructo choreæ inſtituerentur, ipſe in ſecretiorem domus locum ſecedens, ubi a nemine reperiri poſſet, ſolitarius ſedebat, orationi vacabat, atque meditabatur: tantam pudicitiæ cuſtodiam ab illius ætatis exordio adhibere exorſus, ut a mulierum aſpectu haud ſecus, quam ab aſpide & baſiliſco ſibi caveret. Denique cum ita modeſtiæ, humilitati, verecundiæ, pietati, cæteriſque dotibus, quæ adoleſcentiam exornare ſolent, ſtuderet, ut a cunctis, velut quoddam virtutis prodigium ſuſpiceretur, inde futura communi voce ipſius ſanctimonia præſagiebatur. Nondum Eufranius adoleſcentem ætatem exceſſerat, eum utroque Parente orbatus, ſub Patrui Viterbii degentis cura educatur; qui cum inter illius tempeſtatis Ludimagiſtros moribus ac doctrina præcelleret, adoleſcentem, qui præſtans a natura ingenium, ac dicendi facultatem ſortitus fuerat, humanioribus litteris tam perfecte inſtruxit, ut etiam in his reliquos ille facile condiſcipulos ſuperaret. Interea Nobilis quidam Viterbienſis, qui in adoleſcen-

B. Joſephus de Leoniſſa Capuccinus. *Ex Proceſſ. pro ejus beatificat. Vita recens Typis data.*

Ejus Parentes nobilis conditionis.

Infans miraculoſe a periculo mortis liberatus.

Alterum ejuſdem futuræ ſanctitatis indicium.

In pueritia pietas.

Quæ tum adoleſcentia angetur.

Parentibus orbatus educatur ſub tutela Patrui.

Nobile rapuit Conjugium.

leſcente tantam, & coacervatam virtutem ſæpe animadverterat, illius ſtudio allectus, pingui ſeptem millium aureorum dote conſtituta, ſuam illi filiam conjugio copulare ſtatuit. Re cum patruo communicata, conjugium Euſranio perſuadet, qui cum ſuam Deo virginitatem vovere decreviſſet, illud aperte recuſavit. At Patruo rem vehementius urgente, ac ſumma cum eo auſteritate agente, ad Dei opem ſupplex confugit. Deus vero, quem caſtæ cogitationes delectant, Patrui conſilium diſſipat, diuturnaque Euſranium febri in lecto ægrum proſternit. Sextum decimum tunc is annum agebat, cum moleſta illa morbi ægritudo in dies gravior evadens, Medicos compellit, ut eidem ad Patrium ſolum, donec a morbo convaleſcat, migrare perſuadeant. Euſranius igitur Leoniſſam rediens, vix Patrium cœlum conſpexit, & incolumitati redditus, ſimulque a patrui imperio, & a conjugii neceſſitate ſe liberum vidit. Anno demum ſuæ ætatis decimo ſeptimo ad PP. Capuccinorum Ordinem, propinquis omnibus inconſultis, ſe confert, ac Euſranii nomine mutato, Joſephi non modo appellationem, ſed antiqui illius Joſephi virtutem ac benedictionem ſortitur. Cætera mirabilia, quæ in vitæ curriculo geſſit ſuis in locis, Deo favente, narrabimus.

Patriam redit.

PP. Capuccinorum Ordinem ingreditur.

XXI. Neminem ex Ordine ad Epiſcopales ſedes hoc anno aſſumtum in actibus authenticis, & penes probatos auctores invenire licuit, eos præter, quos de more fingit Auctor Viridarii, Petrum nempe de Ayala ad Compoſtellanam (de quo nos opportunius anno elapſo) Bonaventuram ignotæ Patriæ ad Aquenſem, Joannem Pennarium ad Cirenenſem, & Franciſcum de Corſica ad Trigenſem Eccleſias evectos: niſi de Compoſtellano dicamus, quod aut datas Litteras *Apoſtolatus &c.* xv. Kal. Januarii (die videlicet XVIII. Decembris ejuſdem anni præteriti) Januarii menſem hujus anni perperam auctor ipſe intellexerit, aut tempus electionis cum illo poſſeſſionis, quæ reipſa non potuit, niſi hoc anno contingere, inconſulto confunderit. Hæc habet noſter auctor in ſerie Epiſcoporum Tom. I. contexta, ſed in ea, neſcio qua de cauſa, Tom. II. iterata, ſui etiam oblitus, Franciſcum eodem anno elapſo Trigenſem Epiſcopum facit. Si talis notæ auctori aliqua adhibenda ſit fides, ex Inquiſitorum Tabula, quam ait ab ipſo confectam, iis uſus, quæ ſibi a PP. Conventualibus oblata ſunt, documentis, etiam nos dicemus, Magiſtrum Sebaſtianum Turrianum de Puppio ex Conventualibus Florentiæ, & Magiſtrum Emilium de Crema ex eadem Familia Terviſii ad hoc munus aſſumtos.

Auctor Viridarii Seraphici redarguitur.

Virid. Ser. To. I. p. 3. cap. 5. ubi de Epiſcopis ſub Pio IV.

Ibidem Tom. 2. in Indice alphabet. Epiſcop. lit. T.

Sebaſtianus Turrianus de Puppio. Emilius de Crema Inquiſitores.

Virid. Ser. To. I. p. 3. cap. 13. de Inquiſit.

XXII. Generalis cujuſdam Capituli Brixiæ celebrationem Rodulphus apud ſuos hoc anno recenſet: Cauſam tamen ut novus Generalis Præſul eligeretur, non extitit. Julius Magnanus namque ad annum MDLII. religioſam familiam moderatus eſt, ut eodem anno dicemus; quod in ſerie Generalium Præſulum etiam ipſe fatetur. Et Generalis Congregatio, quæ ab Obſervantibus in Ultramontanis regionibus convocari debuerat, cauſa bellorum omittitur; eo vel maxime quia fuerant jam a Moniliano, auctoritate Julii III. Pontificis, Commiſſarii Generales illarum nationum deſtinati, ut ad mox elapſum annum dicebamus, quam diſpoſitionem Pontifex hoc anno ſuo particulari Diplomate: *Cum ſicut accepimus &c.* die XXII. Junii (non anno MDLXVI. ut perperam Amanuenſis Dominici de Gubernatis) ratam, & confirmatam voluit.

Congregatio Generalis Obſervantium omiſſa.

Gab. Tom. 1. cap. 12. fol. mihi 345.

Commiſſarii Generales electi pro Ultramontanis.

Gab. Tom. 1. lib. 3. cap. 20.

XXIII. Cœnobio Heidelbergenſi Argentinæ Provinciæ, de quo Waddingus non ſemel, ab Othone Henrico Palatino qui hoc anno in Principatu Friderico II. ſucceſſit, Kalendis Auguſti, impiis ejus propoſitionibus aſſentiri nolentes Fratres cedere ſunt coacti, incaſſum loci Præſide Braum per ſupplicem libellum deprecante, ut hæreticus Princeps a propoſito reſiliret. Quod dolen-

E Cœnobio Heidelbergenſi Sodales expulſi.

Ex Monum. Authen. Provin. Argent.

Wadd. ad ann. 1320. §. 9. & 1425. §. 26.

dolendum etiam de Fratribus Cruciniacenſis Cœnobii de quo idem Annaliſta, eadem die ab eodem Principe expulſis. De utroque Cœnobio iterum, Deo favente, redibit ſermo, quando nimirum religioſæ familiæ expulſæ iterum incolatus conceſſus eſt.

XXIV. Opera Joannis de Aquila Provinciæ Arrabidorum Cuſtodis, Emanuel de Portugallia, ejuſque natus Vimioſus Conventum ſanctæ Mariæ de Jeſu ad quintum lapidem ab oppido, cui vulgo *Santaren* nomen, a fundamentis exſtruunt. Conv. de Santaren. S. Mariæ de Jeſu. *Gonz. p. 3. in Provin. Arrabid. Cap. 6.*

XXV. Ædificatum etiam hoc anno PP. Conventualibus Cœnobium Nuceriæ Provinciæ Calabriæ, ſub ſancti Franciſci auſpiciis, a quodam Mariano Caloyaro, qui ſuum ad hoc opus patrimonium impendit, recipientibus Magiſtro Franciſco Tlaſina & Jacobo Sabaudo de Marturano illius familiæ alumni, ut ex certis conſtat hiſtoriæ teſtimoniis. Locus non procul ab oppido diſtans, vineis viridariiſque circumdatus amœnitatem præfert non exiguam. Templi Aram maximam duæ iugentes ex marmore lecto columnæ exornant, & celebrem faciunt. Iiſdem ædificata circa hæc tempora etiam pleraque alia Cœnobia intra limites Neapolitanæ Provinciæ, illud videlicet Gallucii Theanenſis Diœceſis, ſub titulo ſanctæ Mariæ, ad D. P. extra oppidum, cui jus Parochiale unitum. Fundator extitit Presbyter Julius de Leone ejuſdem oppidi primicerius, qui etiam quamdam terræ portionem largitus eſt, cum ob devotionem, quam Seraphico Parenti profitebatur, tum etiam ob nimiam conſuetudinem, quam cum Franciſco Maria Tudertino primo illius loci Guardiano habebat. Illud ſanctæ Annæ Neapolis extra portam, quæ Capuana dicitur: illud ſanctæ Mariæ Arcis, Aquinatis diœceſis, extra pagum D. P.: illud ſancti Franciſci Califi, Trivicienſis diœceſis, extra oppidi mœnia, ſolum & hortos gratis concedente quodam pio presbytero Angelo de Baito, pro quo ſacrum bis in hebdomada celebrare Fratres vinculo aſtricti ſunt, Magiſtro Volçano de Montella acceptante: demum illud Doli oppidi inter Venetiarum, & Patavii urbes, Contarenis, & Bereciciis Dominis fundatoribus. Patribus item Capuccinis exſtructæ Domus: beatæ Virginis Dolorum Sortini, Siracuſanæ diœceſis, & Provinciæ ſanctæ Mariæ Angelorum: Paternonis, Meſſanenſis Provinciæ, ſanctæ Mariæ Conſolationis: Sciaccæ, Argentinenſis diœceſis, & Panormitanæ Provinciæ, uno ab Civitate lapide, ſub ſanctæ Mariæ Conſolationis titulo: Forolivii in Æmilia, Provinciæ Bononienſis, intra ſed prope Civitatis mœnia, cujus antiqua Eccleſia ſub Præcurſoris Dominî invocatione olim conſtructa fuerat: Provinciæ & Civitatis Rhegienſis ſecundo ab urbe lapide: & ſancti Franciſci Montis ſancti Sabini Provinciæ Tuſciæ M. P. extra oppidum. Conv. eorumdem Gallucii. *MSS. auth. ad PP. Conven. ſpectan. & apud nos exiſten. fol. 340.* Conv. S. Annæ Neapolis eorumdem. *MSS. cit fol. 356.* Conv. Arcis Imper. *Ibidem fol 366.* Conv. Califi eorumdem. *Ibidem fol. 457. & 488.* Conv. oppidi Doli eorumdem. *Ibidem fol. 264.* Conv. PP. Capuce. Sortini. *Ex Archivo PP. Cap. Urbis.* Conv. eorumdem Paternonis. *Ibidem.* Conv. Rhegii. *Ibidem.* Conv. Montis S. Sabini. *Ibidem.*

XXVI. Mœniis Neapolitanis circumſcriptum Clariſſarum Monaſterium ſancti Antonii Patavini ex altero ſanctæ Mariæ de Jeſu ejuſdem urbis prodiiſſe, monumenta Provinciæ Terræ Laboris teſtantur. Quum namque ex recenſita domo de Jeſu Soror quædam Paula probatæ virtutis, facta ſibi hoc anno facultate, eſſet egreſſa, idem ſancti Antonii Cœnobium piorum eleemoſynis a fundamentis extrui curavit. Mon. S. Ant. Pat. Neapol. *Gonz. p. 2. in Prov. Terræ Lab. Mon. 3. MSS. auth. ejuſd. Prov.*

XXVII. In Eborenſi Monaſterio, cujus anno elapſo meminimus, Maria de Meneſes, poſtquam ſolemni ritu profeſſionem emiſerat, ad illud deinde ſancti Dominici recens erectum, ſive proxime erigendum, & forſan etiam ad alia loca ſe contulit; ſed ad primam tamdem domum rediens, ibidem univerſa quibus in ſæculo abundabat, bona reliquit ibique etiam deceſſit. Ex quo factum eſt, ut Monaſteriis omnibus, in quibus degerat, ex iiſdem bonis ſuam contendentibus habere portionem, contra jus, cum aperto Clariſſarum damno, tranſactionem confecerint: At vero judicio ad Romanum tandem Pon- *Ex Archiv. S. Iſid. Arm. 5. n. 145. fol. 247. & Arm. 3. n. 68. fol. 247.* Maria de Meneſes. *Gub. Lus. 2. lib. 11. cap. 18.*

Pontificem devoluto, pro iisdem Clariſſis Litteræ prodierunt, incipien. *Dilectæ in Chriſto &c.* ut in Regeſt. dat. VI. Idus Januarii hujus anni non MOLIV. ut apud citatum Gubern. legitur. Monaſterium item ſanctæ Engratiæ Clariſſarum, extra mœnia Civitatis Pampilonenſis, Burgenſis Provinciæ, directioni, & obedientiæ Ordinarii, voluntaria renunciatione Monialium, quantum ad gubernium a Fratribus Minoribus præmiſſa, ſubjicitur.

Monaſt. S. Engratiæ. *MSS. auth. Prov. Burgen.*

XXVIII. Hoc etiam anno templum Conventus ſanctæ Mariæ de Miſericordia Romanengi Mediolanenſis Provinciæ, & Cremenſis diœceſis, ab Leonardo Cæva Bidanenſi Epiſcopo & Cremonenſi Suffraganeo, die XXIII. Auguſti conſecratum eſt.

Eccleſia Romanengi conſecrata. *MSS. auth. Prov. Mediol. Gonz. p. 2. in ead. Prov. Con. 33.*

ARGUMENTUM.

Quidam Minoritæ in Palæſtina, atque in Boſna pro Chriſto Martyrium ſubeunt, & alibi Confeſſores atque Virgines cum Secundi, tum etiam Tertii Inſtituti haud pauci cœleſtem retributionem poſt vitæ curſum accipiunt. Plerique Viri doctrina celebres, qui Ordinem illuſtrarant, naturæ debitum exſolvunt. Clemens Monilianus, totius Ordinis Generalis Miniſter ad Cardinalitiam dignitatem evehitur. Eamdem ſortem conſequitur Guillelmus Petus, qui loco Cardinalis Poli in Angliam Legatus etiam a Pontifice eſt deſtinatus. Multi ad Epiſcopales Sedes promoventur; & Inquiſitores diverſis in partibus ad compeſcendam hæreticam pravitatem ex Patribus Conventualibus aſſumuntur. Sancti Petri Alcantarenſis hiſtoria continuatur. Romæ Ordinis Generalia Minorum celebrantur Comitia, in quibus Angelus Averſanus Vicarius Generalis ſalutatur, pleraque alia decernuntur. Sua etiam Patres Tertii Inſtituti in Inſubria habent, & Damianus de Bonvinis Generalis eligitur: Plurium Cœnobiorum tam Primi, quam Secundi, & Tertii Inſtituti, aut fundatio, aut inſtauratio recenſetur. Sancti Rochi Confeſſoris Reliquiæ Maſſiliam deferuntur, & Romæ Corpus ſancti Bartholomæi Apoſtoli cum aliis transfertur. Pontifex quibuſdam Ordinis indigentiis occurrit.

I. QUum ſacra Paleſtinæ loca, quæ Franciſcana Familia religioſe tuetur, & in quibus ipſemet Seraphicus Pater pro ſe ſuiſque omnibus, poſt Turcarum cladem, fixerat ſedem, Servus Dei Juniperus Siculus, Neapolitanæ Provinciæ alumnus, ingenti deſiderio perluſtrandi flagraret, ut ibi perpetuo ad convertendos Infideles ad Evangelii lucem, quamvis laicus profeſſione, toto tempore incumberet, eo quod non reperiret ubi ſanctius in terris vitam degeret, vel in quo munere fructuoſius operam collocaret; facta propterea ſibi ab Ordinis Præſide facultate, cum quorumdam peregrinorum turba Hieroſolymam pervenit, Turcarumque Meſquitam non multo poſt ingreſſus, in impiam Mahometis doctrinam invehere, ſpiritu divino afflatus, non deſtitit, donec a Turcis comprehenſus, capite abſciſſo, ignique combuſto corpore, die XXIII. Februarii hujus anni martyrii palmam obtinuit. Ut autem felicitatis Juniperi fieret conſors in gloria alter ſodalis laicus, Joannes nomine, Mantuanus patria, moram & ipſe Hieroſolymis trahens, ſumme exoptabat pro Chriſto ſubire Martyrium, ubi Chriſtus ipſe pro nobis acerbiſſimam paſſionem & mortem ſubierat. Qua de re, non recto ductus conſilio, Præfectis inconſultis, (quantum valeat in religioſo Viro obedientia perpende) e Conventu egreſſus ad Meſquitam & ipſe accedit, & in medio foro Chriſtum Dei

Juniperus Siculus Martyr Hieroſolymis. *Data lib. 3. cap. 48. Boſius de ſignis Eccleſ. lib. 7. c. 3.*

Joannes Mantuanus Martyr ibid. *Marcus Oliſſiponen. p. 3. lib. fol. 319. edit. Venet. 1612. Gonz. p. prim. in Martyr. Minor. Terræ ſanctæ.*

Anno Christi 1557.	Pauli IV. anno 3.	Caroli V. Imp. anno 39.	Religionis Minorum anno 350.

Dei filium, Mahometem vero hominem perditiſſimum enunciat. Hæc Saraceni audientes ira excandeſcunt, & ab eo ſciſcitantur, velit ne prædicata denegare, aut ignem & quæque gravia, mortemque ipſam atrociſſimam pati? Quibus Joannes perterritus animoque deficiens illis protinus adhæſit, Chriſto abnegato. Tunc Fratres caſum miſerrimum audientes, triſtes ad ipſum pergentes conantur errantem a damnatione eripere, quod factum eſt, divina favente gratia. Quamobrem ille in medium iterum proſiliens, & perfidiam ſuam conſtantiſſime arguens, Chriſtum Salvatorem eſſe, & Mahometem pſeudoprophetam aſſeruit, ſanguinis etiam effuſione hoc idem teſtatum iri nuncians: quod datis cervicibus opere comprobavit. Hunc eum puto, quem Gonzaga inter Martyres Paleſtinæ anonymum recenſet. De altero Chriſti Athleta, cui nomen Alexander Joannes, ita ex eodem Gonzaga ſcribit Arturus: *B. Alexander Joannes Martyr ex Apulia oriundus erat, ſitque frater laicus apud Provinciam ſancti Gabrielis Diſcalceatorum in Hiſpania: diu autem moratus eſt in Conventu ſanctæ Mariæ de Jeſu Salve-terræ, ejuſdem Provinciæ, quo in loco, mira vitæ auſteritate, abſtinentia, cilicio, oratione, ſpirituſque fervore enituit. Qui cum martyrii deſiderio flagraret, in Libiam profectus eſt, ubi a Mauris, ob Evangelii prædicationem crudeliter fuſtibus nudo corpore cæditur, & pene mortuus relinquitur; ſed paulo poſt Chriſti fidem iterum publice prædicans, lapidibus appetitus fugatus eſt. Inde Memphim perveniens, ibidem impiorum manu virgis toto corpore verberatur, injuriis & opprobriis fameque maceratus dehinc dimittitur. Ad ultimum iterum captus in ignem conjicitur, a quo nil paſſus; tandem gladiis confoſſus & lapidibus obrutus perimitur. Hæc quidem breviter & ſuccincte referuntur, eo quod non omnes conveniant in modo quo hic inſignis Athleta Chriſti martyrii gloriam adeptus ſit. Quidam enim volunt bis in Africam trajeciſſe, & toties multa a Barbaris eſſe perpeſſum tormenta: primo una cum beato Antonio* Argentario, *ſecundo cum beato Joanne* Zuaza; *tunc enim Hieroſolymam profecti, deinde Alexandriam, Memphim, ſeu Cayrum adierunt: illicque, poſt crudelia variaque ſupplicia, famis inedia conſumti, mortui reperiuntur in carcere, ſi Marco Oliſſyponenſi fides adhibenda ſit. At cæteri fatentur quidem, præfatum beatum Joannem mortuum eſſe inventum, ſed beatum Alexandrum ſuperſtitem adhuc fuiſſe, cum opera & interventu cujuſdam Legati Regis Franciæ, per ea loca tunc forte tranſeuntis, liberi dimitterentur. Liber igitur factus beatus Alexander in aliam Civitatem iter eſt aggreſſus, ubi ob Chriſti prædicationem in carcerem detruditur, abſque cibo & potu; ſed cum nihilominus ex alta turri magis, ac magis concionaretur, ſectam Mahumeticam condemnans, inde extrahitur ignis ſupplicio perimendus. Verum ſemel & iterum in ignem injectus, nec in aliquo læſus, in rogum tertio projicitur, atque lapidibus obruitur. Addit Gonzaga, hunc Martyrem apud Memphim gladiis Ægyptiorum interiiſſe.* Num autem hic glorioſus Martyr idem ſit, ac recenſitus Joannes, non ita exploratum eſt, ut nullus remaneat dubitandi locus. Cum his tres alios Fratres Baſilicatæ Provinciæ alumnos, & apud Damaſcum necatos pro Chriſti fide, idem Gonzaga recenſet; & Ramæ item in Boſna Argentina ab iiſdem Turcis, & ob eamdem cauſam die XXI. Aprilis ſunt interemti ſex alii Franciſcanæ Familiæ ſodales, quorum nomina in Cœlo ſcripta ſunt. Apud Indos quoque Stephanus quidam Sacerdos, relicta Goa, cum Chochinum adnavigaret, a Barbaris Malavaribus captus, & ipſe, ut Chriſti nomen tuere tur, occiſus eſt.

Marian. lib. 6. cap. 21. in Append.

Alexander Joannes Martyr. *Artur. ad 28. Julii. Daza lib. 3. c. 49.*

Antonius Argentarius Martyr. Joannes Zuaza Martyr. *Ibidem.*

Tres Fratres Anonymi Martyres. *Gonz. p. 1. ubi de Martyr. Fratrum Terræ ſanctæ. Wadd. ad ann. 1341.* Sex item alii Sodales Martyres. *Wadd. in Catal. Martyrum Ord. Min. lit. A.* Stephanus quidam Martyr. *Gonz. p. 4. in Prov. S. Thomæ ſub fine. Bareſt. lib. 3. ca. 71. Daza lib. 2. cap. 57. & alii.*

II. Glorioſos Martyres beati Confeſſores ſequuntur, quos etiam hoc anno laboribus finem impoſuiſſe, rerum Seraphicarum narrant Hiſtorici. In

Bartholomæus Inſulanus. *MSS. Auct. ex Arch. S. Iſidor. Arm. 3. nu. 50. fol. 19. & n. 33. fol. 219. Wadd. ad ann. 1392. §. 20.*

Cœnobio etenim ſancti Franciſci, ſecundo ab oppido Mirtili lapide, nunc *Vianna*, in Portugallia, Chriſti Servus Bartholomæus Inſulanus obiit, religione ac pœnitentia ſpectabilis, quam, etiam morbis correptus, nunquam viſus eſt prætermittere, licet erga Fratres mitiſſimus eſſet. Mortis ſuæ horæ præſcium menſe Februarii deceſſiſſe Marcus Oliſſyponenſis Servi Dei amicus proprio charactere teſtatus eſt, ut in Tabulario Conventus ſancti Franciſci Viſontii videre licet.

Didacus de Chaves. *MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 20. fol. 133.*

Didacus de Chaves Pacis Auguſtæ, ſive Badejocii natus, ſanguine illuſtris, illuſtrior tamen virtutibus, ingenti Seraphici Inſtituti augendi atque tuendi flagrans zelo, ac auſteritatis amantiſſimus, ſancti Gabrielis Provinciæ iterato Cuſtos, dein etiam Miniſter electus, vix inceptum regimen, humilitatis quietiſque fruendæ cauſa, & ut liberius orationi atque contemplationi vacaret, dimiſit. In Cœnobiolo demum ſanctorum Martyrum Oppidi Patrii reliquum vitæ agens ſancto fine quievit.

Didacus Hernandezius. *Art. ad diem 5. Junii.*

Hunc Didacum non facile dicemus diverſum ab eo, qui *Hernandezius* cognominatus eſt, quique in eodem loco & ipſe tumulatus fuit. De hoc ita ſcribit Arturus: *Didacus Hernandez natione Siculus, doctrina & humilitate conſpicuus, concionatorque egregius, qui cum in Salmanticenſi Academia Lectorem ageret, eo honore longe poſthabito, Franciſcano ſacco indutus, communem Regulam cum cæteris Fratribus in ſancti Jacobi Provincia profiteri voluit, ubi & in maximo honore, propter vitæ candorem habitus eſt. Cumque Strictiorem vitam anhelaret, ad ſancti Gabrielis Provinciam convolavit, ubi & tot progreſſus qualibet in virtute fecit, totque populos a vitiis ad virtutes reduxit, ut relatu difficile ſit. Quamobrem moriens, maximum ſui deſiderium omnibus hujus patriæ tum Regularibus tum quoque Sæcularibus reliquit. Obiit anno* MDL., *ſepultuſque eſt in Eccleſia Conventus ſancti Gabrielis Badejocii, prope majus Altare a cornu Epiſtolæ.*

Joannes de Gaona. *Wadd. de Script. Ord. lit. S. Biblioth. Franciſc. lit. I. Gonzag. p. 4. in Prov. S. Evang. Con. 1. Boreſt. lib. 3. cap. 26. 52. & alibi.*

III. Hoc anno, non autem MDLIX., ut Baretio cæteriſque placet, moritur Joannes de Gaona ex Civitate Burgenſi oriundus, Burgenſiſque Provinciæ Alumnus. Lutetiam ad Theologiam comparandam ab ineunte ætate ſe contulit, ubi tantopere profecit, ut brevi excellenti eruditione præditus ſit, & concionandi arte, probitate morum atque obſervantia Regulæ conſpicuus evaſerit. Burgenſem Provinciam regreſſus, Pincias miſſus eſt, ut Theologiam cæteros Fratres doceret; inde ab Imperatrice Eliſabetha ablegatus eſt in novam Hiſpaniam, illicque pervenit anno MDXXXVIII. una cum Martino Sarmento, de quo infra, Chriſtophoro Ruitio, & aliis. Hic autem, ut primum appulſus eſt, Mexicanam linguam ſumma animi contentione diſcere cœpit; quod illi feliciter ſucceſſit; eamque linguam melius quam quiſque alius ſui temporis calluit; itaut idiomate tum Mexicano tum Latino complura opuſcula ediderit, & ſunt: *Dialogi Spirituales ſeu colloquia*; *Sermones Dominicales*; *Dialogus de Chriſti Paſſione*; *Apologia adverſus famigeratiſſimum quemdam Theologum*; *Poemata in laudem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ ſemper Virginis*: Impreſſa leguntur, ait Pater Alva, ſed locum non indicat. Alia plura edidit Vir egregius, temporis igniſque iniquitate deperdita. Unus fuit ex illis doctis ſanctiſque Viris, quos Lectores inſtituit in Collegio ſancti Jacobi de Tlatibulco Garcias de Ciſneros Commiſſarius Generalis Indiarum. Guardianatus munere pluries functus eſt, tantaque animi demiſſione tunc pollebat, ut primus omnium ædes verreret, terram humeris ad ædificandum, & lapides deferret, cæteraque omnia humilitatis exercitia perficeret. Corpus ſuum jejuniis vigiliis & orationibus affligebat, ſeipſum in cellula aſſidue concludens, zelo vero ſalutis animarum, pluſquam dici poſſet, inflammabatur. Demum circa ann. MDLV. poſt Patrem Toribium a Motolinia, ſeptimus Provincia-

Petrus de Alva in Milit. Col. 763. Torquemada p. 3. Hiſt. Mexicana Prov. Sanct. Evang. cap. 23.

Anno Christi	Pauli IV.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 350.
1557.	anno 3.	anno 39.	

ealis Provinciæ S. Evangelii licet invitus, electus eſt, quo munere poſt annum elapſum ſeſe abdicans, paulo poſt, hoc anno videlicet, plenus bonorum operum obiit. *Wadd. de Script. Ord. lit. I.*

IV. Non minori fructu Indicas plagas excoluit Ludovicus de Fonte-Salita octavus olim Martini Valentini ſocius, Seraphicarum legum obſervantiſſimus, corporis macerationi deditus, & orationi fere perpetuo vacans extaſes ſæpiſſime patiebatur. Salutis animarum ſtudio flagrans in Indias trajecit, ubi copioſam ſegetem in Chriſti horreum congregavit. Verum eum novi Fideles dura ſervitute inique premerentur, pia commiſeratione ductus, illorum occurrere malis decrevit, quamvis quæque gravia mala pati ſibi neceſſarium agnoſceret; mare itaque trajecto, pede iter confecit, ac non abſque magno labore & dura inopia in Hiſpaniam pervenit, ubi cuncta Carolo V. Imperatori referens, ab eo benigne exceptus eſt. At eum vidit ſe ad Epiſcopatum Mechoachenſem a Cæſare deſtinatum, ut majori cum auctoritate Indias repetens negotia pro voto abſolveret, aſſentiri renuit, decernens in ſua Provincia quietam ducere vitam malle. Non diu tamen ſuis votis potitus eſt; enimvero mox electus Guardianus Conventus ſancti Gabrielis Badejocii, ac inde ex loco coactus diſcedere, Superiorum auctoritate, tum etiam Imperatore, & Fratribus Indiarum inſtantibus, ad ſanctæ obedientiæ meritum in eaſdem regiones remeavit. In itinere autem, apud inſulam S. Germani, plenus annorum & bonorum operum natalæ conceſſit. In Cœnobio ſanctæ Mariæ de Jeſu Valentiæ in Hiſpania mortalem carnem exuit IV. Nonas Februarii Jacobus *Artes* a doctrina & virtutibus comendatus, qui propterea Guardiani, Cuſtodis, pluribuſque in Provinciis Provincialis muneribus non ſemel, licet invitus, functus eſt. In Cœnobio extra Piſtorium Provinciæ Tuſciæ Dominicus de Cutiliano, profeſſione laicus, moritur virtutum omnium cultor.

Ludovicus de Fonte-Salita. *Daza p. 4. Chronic. Min. lib. 2. cap. 22. Baptiſta Malez. cap. 7. & 22. Prudentius de Sandoval. &c.*

Jacobus de *Artes*. *MSS. auct. Prov. Valent.* Dominicus de Cutiliano. *MSS. auth. Prov. Tuſc. ex Archivo Aracœli.*

V. Circa hæc ipſa tempora apud ſanctum Franciſcum Salamanticæ perhibetur, ad cœleſtem Patriam evolaſſe Antonium Saguntinum, Tyronum ad multos annos Magiſtrum, humilitate cæteriſque ſupernis donis conſpicuum; In Provincia Turonenſi Jacobum Magnelottum egregium Doctorem atque Concionatorem, ob eximiam vitæ probitatem dignum, qui inter ſancti Franciſci veros filios adnumeretur; In Cœnobio Saliceti Provinciæ Caſtellæ Petrum de Paſtrana laicum; in Cœnobio Oriolæ Provinciæ Carthaginenſis Matthæum de Valentia; & in Angelorum Provincia Barnabam laicum, Bernardinum de Laredo, & Joannem, quorum cum Waddingus meminerit, non eſt cur hic nos geſta referamus.

Antonius Saguntinus. *Barett. lib. 4. cap. 37. Arturus ad 21. Martii.* Jacobus Magnelottus. *Barett. lib. 3. cap. 72. Gonzag. p. 3. in Provin. Turon. Conv. 29.* Petrus de Paſtrana. *Arturus die 7. Octobr.* Matthæus de Valentia. Barnabas laicus. Bernardinus de Laredo. *Wadd. ad ann. 1460. num. 53. 1518. num. 30. 1533. num. 19.*

VI. Patrum Capuccinorum item Familiam pluribus beatis Alumnis illuſtratam comperimus. Mortuus eſt namque Bonaventura Confeſſor, in Monteregali Samnitum oppido natus, qui tanto a puero in quodlibet vitium ferebatur odio, ut tolerabilior illi Inferni ignis, quam culpa videretur. Hæc porro illi indoles, potiſſimum ob matris prudentiam, indita fuit, quæ in puerum, quoties in aliquod vitium impegiſſet, acriter animadvertebat, mox ut ignitum carbonem palma geſtaret, compellebat. Adoleſcens Obſervantium Familiæ aſcriptus, in ea per aliquot annos magna cum virtutum laude permanſit, pio Viro Vincentio Aquilano præceptore. Mira patientia in eo præcipue enituit; itaut Capuccinorum ſobole exorta, quum a Miniſtro ad eoſdem tranſmigrandi facultatem poſtulaſſet, duris verbis ac verberibus repulſam patienter paſſus ſit. Attamen eum Dei vocationem ſibi nnn negligendam cenſeret, tandem e Cibotolæ Conventu, in quo tunc Guardiani officio fungebatur, ad Capuccinorum ſodalitium convolavit, in quo ſane tot virtutibus floruit, ut Evangelicæ viam perfectionis, quam ſemel, arrepto cœleſtis vi-

Bonaventura de Monte Regali. *Bover ad hunc ann. n. 22. Arturus ad diem 20. Aug. Flor. Seraph. To. 2. fol. 269.*

tæ curſu, ſibi ab exordio percurrendam conſtituerat, ad extremum vitæ exitum numquam deſeruerit. Tam eximius vero paupertatis amator fuit, ut præſegmina, quæ ſectis Fratrum Tunicis interdum ſuperſunt, ſolicite colligens, nihil ex illis perire pateretur. Ciborum parſimonia delectabatur, aſſiduis ac fere quotidianis jejuniis carnis domabat petulantiam, plurimaque erga Defunctorum animas caritate afficiebatur. His, ac pluribus aliis perfectæ juſtitiæ operibus, cum Chriſti Servus ad extremum uſque ſenium perveniſſet, ac prophetico ſpiritu pleraque futura prædixiſſet, tandem in Conventu Spoleti ſupernæ beatitudinis bravium a Domino vocatus, dum oraret, meruit accipere.

Joſephus de Colleamato. *Boter. ad hunc ann. n. 1. Flor. Seraph. Tom. 2. fol. 147.*

VII. Huic ſimilis extitit Joſephus Picenus ex Colleamato, caſiro prope Fabrianum oriundus, Petrus Matthæus antea vocatus, qui piis Parentibus ortus, quædam religionis ſemina in ipſa pueritia ſibi in animo a Deo inſita accepit: quæ cum illum a puerilibus jocis abſtraherent, ad res Divinas & orationem ſuaviter compellebant. Puerulus adhuc indicta ab Eccleſia jejunia obſervabat, jurantes abhorrebat, pauperibus mirum in modum commiſerabatur; tantam demum talemque in moribus gravitatem prætulit, ut immatura gravitate ætas ſeipſam ſuperaret, ac præcoci ſenio aſpergi videretur. Adoleſcente vero ætate, ne pretioſus tum puritatis tum virginitatis theſaurus, quem hactenus ſolicite cuſtodierat, in certum diſcrimen raperetur, in Minorum Obſervantium Ordine ſeipſum Deo conſecrare feſtinarit. At cum altero pede venenata ſpina transfixo, ab eo vulnere convaleſcere non poſſet, ad ſeculum remeare cogitur. Porro ad ſuos reverſus, ut liberius Deo vacaret, in quandam agreſtem domum, ſacræ cuidam ſanctæ Annæ Ædi propinquam, ſeceſſit, in qua ab hominum conſortio ſemotus, cœleſtem in rerum divinarum contemplatione vitam egit. At naſcente tunc nova Capuccinorum Reformatione, Mundo valedicturus, ad Ludovicum Foro-ſempronianum acceſſit, qui eum fervidum ipſius animum agnoviſſet, eidem ſignificavit, quod ſi Ordinem ingredi voluiſſet, univerſa (ne induſio quidem ſibi relicto) illi deſerenda eſſe cogitaret. His auditis Adoleſcens protinus domum rediens, Divinoque ſpiritu accenſus, quaſi verbotenus Ludovico parendum eſſet, exutis veſtibus, detractis calceis, ipſoque induſio abjecto, cum vix linteolum ſibi ad verenda obtegenda reliquiſſet, nudus coram Patre & Matre apparens, ab iis genuflexus benedictionem petiit, eodemque modo ſe coram Ludovico ſiſtens, ab eo Religionis habitu donatus, ſextum inter primævos illos Capuccinorum Patres, ac Religionis ſatores locum ſibi vendicavit. Probationis annum Joſephus inter montes & nemora peregit, ubi cum interdum vix pane ad ſuſtentationem neceſſario frueretur, corpori nihilominus aſperrimum, & animo ſuaviſſimum, inter cœleſtes Divinæ contemplationis delicias vitæ genus duxit. Dum autem ſemel in itinere rerum Divinarum cogitationi incumberet, ſocios præcederet, nullaque iis annona eſſet, qua victus neceſſitati ſubvenire poſſent, ab Angelo geminos panes accepit. Solo habitu atque tunica toto vitæ curriculo contentus, vix ullo unquam tempore, ne gelidiſſima quidem hyeme ad Ignem accedit, meliores ſibi prunas, quibus animo calefieret, ex oratione & divini amoris incendio, quam ex conflagrantibus faſciculis quærens. Quotidianis quoque jejuniis corpus extenuans, beati Franciſci inedias, velut legitimo ſempiterno, jejunat. Dæmonibus illum ab oratione avocare conantibus, invictus Chriſti pugil fortius adverſus ſtygium hoſtem dimicans, glorioſa in dies de eo trophæa divina virtute reportavit. Defunctorum officium, ad animarum quæ purgationis pœnas luunt, ſuffragium quotidie perſolvit. Fratrum atque ſæcularium hominum conſortia fugiens, ad ſolitaria lo-

Anno Christi 1557.	Pauli IV. anno 3.	Caroli V. Imp. anno 39.	Religionis Minorum anno 350.

loca lubens ſecedebat, ubi brachiis in Crucis modum protenſis, ut plurimum Dominum orabat. Humilitate, obſequio, animi ſubmiſſione, ac morum facilitate, eam apud omnes ſibi benevolentiam conciliavit, ut ab omnibus *Orbis fidelitas* nuncuparetur. E Generalibus Comitiis, quæ Neapoli anno MDXLIX. celebrata fuerant, cum aliis octo Fratribus rediens, cunctis fere inedia deficientibus, geminos iterum ab Angelo panes accepit: quos cum in fruſta conſcidiſſet, cuncti ex eis abunde ad voluptatem ſumentes, ad ſaturitatem uſque refecti ſunt. Cum vero Conventum, qui inter Sentini Novi Montes jacet, aliquando moderaretur, uberrima e Cœlo nive delapſa, itaut viæ omnes ad mendicationem Fratribus interciperentur, neque ulla humani ſubſidii ſpes illis relicta eſſet, Vir Dei ad divinæ providentiæ theſaurum confugiens, Fratres ad cœleſtem opem efflagitandam provocavit: & ecce conſeſtim ingens fragor e propinquo monte, velut rupis exciſæ, auditus eſt, ſtatimque Fratres ad Conventus januam convolantes, ut periculum, ſi quod eſſet, devitarent: atoſtio aperto, nihil præter prægrandem ſaccum pane refertum e Cœlo miniſtratum invenerunt. Hujus Viri ſanctitatem Deus plurimis miraculis teſtatam eſſe voluit, ex quibus multis præteritis, nonnulla placet referre. In primis autem Operarium quemdam febricitantem, ut ligna Conventus uſui proſcindere valeret, a febre liberavit. Cumque in Conventu Foroſempronii Guardiani munus adminiſtraret, Mulieri jam quatriduo graviſſimis partus doloribus vexatæ, ſummoque in vitæ diſcrimine verſanti, incolumitatem a Deo impetravit, Maritoque ipſius ſpiritu prophetico uxorem maſculum parituram nunciavit. Telam ſorori ſuæ oratione multiplicavit. Alteri mulieri, quæ cum nihil apud ſe telæ reliquum, præter lini faſciculum haberet, Viro Dei tamen telam ab eo poſtulanti, eum partem tradidiſſet, poſtea divina virtute eidem inſtauratam reddit. Joſepho ægrotante, in illius ſubſidium dolium vino vacuum divina virtute plenum reperitur. Camerini Leproſum ſigno Crucis ſanavit. Illud quoque memoria dignum eſt, quod Fabriani, toto ſpectante populo, Dei virtus ad Servi ſui commendationem oſtendit; cum enim is eleemoſynam Patriæ more, & Capuccinis conſueto, in urbis platea peteret, puer qui Joſephi vocem perſenſerat, e domus feneſtra longius corpus protendens ab ea dilapſus, caput in ſtratum lapidem ita collidit, ut eo in duas partes deſciſſo, cerebrum flueret: mox univerſi ad puerum accurrentes, fruſtraque remedia parantes; colliſionis enim vulnus, & ſanguis undique fluens, cum omne medicamentum reſpuerent, proximum puero interitum minabantur. Inter hæc Joſephus adventans, miſerandum pueri caſum percipiens, ſtatimque ad eum accedens, caput utraque manu conſtringit, disjunctaſque partes copulans, ſignum crucis bis terque ſuper eas multiplicat. Defluens protinus ſanguis ſiſtitur, capitis partes intime, uti prius, connectuntur, puer velut e ſomno excitatur, atque in omnium oculis ſurgit incolumis. Neque illud poſtremo prætereundum, quod, eum fratris ſui filia adhuc parvula, clauda, gibboſa, ac tot corporis incommodis affecta eſſet, ut Mater aliquando cum Joſepho conqueretur, eam neque mundo, neque Deo, aut illius cultui ob deformitatem aptam eſſe: eam vero, ubi Vir Dei conſolatus eſſet, parvulam in ſinum accipit, quaſi ei ablandiri vellet, latera contrectat, humeros componit, tibias æquat, ac ſigno crucis conſignat: quod cum bis, vel ter præſtitiſſet, parvula e ſinu demiſſa protinus recta progredi, ac integra valetudine frui cœpit. His & pluribus aliis divinæ virtutis argumentis, cum Joſephi ſanctitas omnibus eſſet perſpecta in Conventu Foro-ſempronii, Guardiani & Magiſtri Novitiorum munus gerens, cumque ſupremæ retributionis diem ſibi im-

imminere, Deo revelante, percepiſſet, cuidam novitio aliiſque haud obſcure ſignificavit. Poſthæc vero cum conſueta noctis hora in orationem incumberet, en ingens pituitæ cumulus e cerebro fluens, illius repente fauces occupat: cui cum febris ſucceſſiſſet, Medicus morbum parvipendens, brevi illi incolumitatem pollicetur. Cui Joſephus, *falleris*, ait, *nec quod in morbo divinum eſt agnoſcis; quid pharmaca ad incolumitatem paras? para morituro ſepulcrum; hæc enim ægritudo ſupremum mihi ex Dei decreto diem indicit.* Quamobrem, Sacramentis ſumma religione ſuſceptis, ad Domini occurſum ſummis ſuſpiriis anhelans, ubi circumſuſos Fratres ſalutaribus monitis inſtruxit; tandemque obdormiens in Dei ſinum, ut creditur, coronandus conceſſit. Poſt ejus obitum, cum Fratres ob communem ſanctitatis opinionem, de eo inter omnes vulgatam vererentur, ne patefacto ipſius tranſitu, nimia populi frequentia in eos exundaret, perſolutis illi ante lucem funeribus, corpus in commune ſepulcrum condendum curant. At minimum ea diligentia profuit; nam mane populis undique ex urbe erumpentibus ac tumultuantibus, corpus extumulare atque exoſculandum in publicum proferre compelluntur. Porro Joſephi facies poſt obitum pulchrior quam cum viveret apparet: genæ enim non ſquallidæ aut pallentes, ſed rubore perfuſæ conſpiciuntur. Tumulato itaque iterum corpore, poſt quatuor ſepulturæ dies, domus Præfectus Joſephi corpus in alterum tumulum, in quo duo alii Fratres Joſephi ſocii, ſimul in eodem Sarcophago oculuſi jacebant, inferre cogitat. Reluctantur Fratres, Sarcophagumque tam anguſtum eſſe affirmant, ut tres haud quaquam capere poſſet: vincit tamen, Deo volente, ſuperioris ſententia; quapropter aperto Sarcophago, duo illa mortuorum Fratrum corpora ad arcæ latera feceſſiſſe, mediumque Joſephi corpori locum reliquiſſe animadvertunt. Cum igitur inter ea medium Joſephi corpus collocatum eſſet, protinus tam ſuavis ex Joſephi, & aliorum corporibus odor diffundi cœpit, ut ſæculares homines ad Eccleſiam convenientes eum abſque dubio e tumulo emanare perciperent. Hic Dei Servus MS. reliquit *Hiſtoriam de origine, & progreſſu reformationis Capuccinorum in Provincia Marchiæ*, cujus tamen operis Dionyſius Genuenſis in Bibliotheca ſuorum non meminit.

Biblioth. Franc. Tom. 2. lit. I.

Franciſcus Curenſis. *Bover. cit. n. 29. Flor. Seraph. To. 2. fol. 357.*

VIII. In eadem Sodalitate ſanctiſſime obiit etiam Franciſcus Curenſis laicus, qui inter primos & ipſe fuit a Ludovico de Foro-ſempronii ad Religionis gremium receptus. Vir extitit abſtinentia admirabilis, ita ut quotidiana fere jejunia coleret; ſæpe etiam integras quadrageſimas panis & aquæ tantummodo victu tranſigeret: cui item auſtera omnia tam in victu quam in cultu reſpondebant. Caritate erga infirmos inſignis, diu in Romano Conventu Noſocomii Præfectus fuit. Semel cum in Conventu Montis Veteris Romanæ Provinciæ ægrotum quendam Fratrem curaret, Foſſenniam, ut Medicum conſuleret, profecturus, navicularius, qui Tyberim trajiciebat, nullis precibus adduci potuit, ut illum trans Tyberim abſque precio veheret: at velox navicularium, qui pium caritatis opus interceperat, Dei vindicta præoccupat: nam e littore digreſſus, mox cum navicula in flumen demergitur. Tanto Sanctus hic Vir odio in ſeipſum exardeſcebat, ac peccatorum converſionis cupiditate flagrabat, ut ſemel habitum exuens, nuduſque, ſolis ſibi femoralibus relictis, cruce in humeros ſublata, totam Romanam Urbem percurreret magna voce exclamans: *pœnitentiam agite peccatores*. Tandem annis, ac bonis operibus onuſtus, Romæ naturæ debitum exolvit. Moritur item præclarus meritis Capuccinus alter, Ludovicus nempe Fulginas, cujus memoria erit ſemper in benedictione.

Ludovicus Fulginas. *Bover. cit. n. 20. Flor. Seraph. To. 2. fol. 144.*

IX. Ex Franciſcanis vero Sororibus eadem ſanctimoniæ, ac feliciter conſum-

Anno Christi 1557.	Pauli IV. anno 3.	Caroli V, Imp. anno 39.	Religionis Minorum anno 350.

Firmina Cæſia. *Ex Arch. S. Iſid. Arm. 2. n. 67. fol. 103. Monumen. alia MSS. Prov. Seraph. recens ad nos miſſa.*

ſummatæ vitæ laude, potiſſime memorantur Firmina e nobiliſſima Cæſiorum proſapia, ſoror germana Pauli & Friderici de Cæſiis Cardinalium, & Petri Donati Romanæ Urbis Senatoris. Amita Jo. Andreæ de Cæſiis Epiſcopi Tudertini & Bartholomæi de Cæſiis Epiſcopi Narnienſis; cum annis XLI. minus, religioſiſſime vixiſſet in Monaſterio ſanctæ Claræ Narniæ, quorum XXVI. annos in Abbatiſſæ munere impendit, quo tempore pluries mirabilem Dei providentiam in victu Monialium experta eſt, oratione & dono lacrymarum conſpicua, humilitate, patientia, caritate in pauperes, ac ſpiritu prophetico mirabilis, die VII. Junii ad Cœlos evolavit. Statim poſt obitum facies ejus per abſtinentiam exuſta, ſplendida facta eſt; dentes nigri & carioſi candidiores nive evaſerunt; labia rubicunda; corpus totum tractabile mirum ſpirans odorem. Antequam Moniales mortem Firminæ revelent & pateſaciant, pueri per Civitatem turmatim flentes exclamant: *mortua eſt mater noſtra Firmina*. Bernardinus a Colleſtracte Miniſter Provinciæ advenit, quaſi miraculoſe, cum triginta Fratribus ad juſta ſolemniter perſolvenda; habet orationem de virtutibus Firminæ: corpus ante Aram Eccleſiæ veteris præcipuam tumulari facit, & effigiem in pariete depingi ſanctiſſimum Jeſu nomen geſtantem. Plures, qui in ægritudinibus, aliiſque neceſſitatibus Firminæ ſe commendarunt, ejus interventu gratias a Deo obtinuiſſe teſtantur. De hujus Servæ Dei mortis die Papebrochius ejuſque ſocii, qui celebrem Actorum Sanctorum Hiſtoriam proſequuntur, nobis conveniunt; de anno vero quod diſſentiant, neſcio quo ſint nixi fundamento, eo vel potiſſimum quia MSS. Monaſterii autentica ab iiſdem citata, quæ penes nos exiſtunt, hoc anno, non autem ut ipſi volunt MDLXVII. narrant obiiſſe. Verius tamen dicendum, Amanuenſis, aut Typographi vitio errorem irrepſiſſe in notis, quo facilius nil aliud poteſt contingere. Cherubinam Herulam ejuſdem vitam ſcripſiſſe, quæ cum proceſſu in ordine ad canonizationem confecto in Monaſterio ſervatur, idem Papebrochius affirmat, qui etiam ſubdit, corpus repertum fuiſſe anno MDCXII. adhuc integrum, quod propterea venerationem novam in populo concitavit. Qua de re (proſequuntur iidem Hiſtorici) *præſentique illius ſtatu optamus pro ſupplemento informari & vitam interim, atque proceſſum accipere. Quod ſi neque tunc adhuc de ea agere inter beatas liceat, fortaſſis licebit ante finem operis, ad diem quo corpus recognitum fuit, & vitam Jacobillus dedit ſcilicet* XIX. *Decembris*. In eadem Provincia apud Monaſterium ſanctæ Agnetis, ſive Margaritarum Fulginii die VIII. Septembris ad cœleſtes nuptias ducitur Maria de Maſſa vita exemplari, Regulari Obſervantia, atque orationis dono exornata. Enixis namque precibus obtinuit a Domino, ut qualibet ſexta feria aliquid tormenti in capite pateretur quo ipſe cruciatus paſſionis ſuæ tempore fuerat in ſpinea coronatione. Floret item circa hunc annum Birgitta Gonzalezia in Monaſterio Conceptionis Veenſis oppidi, Provinciæ Carthaginenſis in Hiſpania, caritate conſpicua. Maria etiam de Velaſco, Bernardini a Velaſco caſtellæ commeſtabilis filia, quæ cum Monaſterium Clariſſarum ſanctæ Mariæ de Bretonera Veroladi Provinciæ Burgenſis, ruinam minaretur, propriis ſumtibus denuo conſtruxit. Exinde Religionem ingreſſa adeo in omni virtute atque ſanctitate profecit, ut paulo antequam animam exhalaret ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli atque Evangeliſtæ Joannis præſentia dignari meruerit. Agnes de Tapia, quam in Monaſterio Conceptionis *Velez malaga* Hiſpanice nuncupato Provinciæ Granatenſis, per bona opera certam ſuam vocationem feciſſe, acta ejuſdem Provinciæ teſtantur. Item Agnes de Vega in Monaſterio Aſturiæ Auguſtæ, Provinciæ ſancti Jacobi, quæ otio perpetuo inſenſa, orationi, contemplationique

Acta SS. Tom. 2. menſis Junii fol. mihi 4.

Cherubina Herula.

Acta SS. cit.

Maria de Maſſa. *MSS. Prov. Seraph. nuper ad nos recens miſſa.* Birgitta Gonzalezia. Maria de Velaſco. *Barett. lib. 3. cap. 72. MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. num. 56. fol. 7. Arm. 6. n. 25. fol. 142. Artur. ad 9. Octob. Gonz. p. 3. in Provin. Burgen. Mon. 6.*

Agnes de Tapia. *MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 11. fol. 211.*

Agnes de Vega. *Ex Arch. S. Iſid. Arm. 1. n. 52. fol. 166.*

que tempus quod ſibi ſupererat, manuum ſuarum non intermiſſis laboribus ut egenos ſublevaret, templumque exornaret, expendebat. Animabus in Purgatorio degentibus precibus cæteriſque piis operibus ſubvenire non deſtitit; quibus de cauſis extat apud Aſturicenſes memoria, quod Virgine in manu Domini animam noctu exhalante, lux permaxima Monaſterii culmen ita circumfulſerit, ut incolis videretur prorſus locus comburi. Miraculo proinde comperto, per illam Dei Ancillam immortalem gloriam fuiſſe aſſecutam comprobari crediderunt. Maria de Corſaya in celebri, ac antiquiſſimo Monaſterio Beneventi in Hiſpania, ejuſdem Provinciæ ſancti Jacobi, munere Vicariæ per duodecim annos functa, tanta prudentia & caritate prædita fuit, ut ſorores omnes illam veluti matrem ſuſciperent. Dorothea de Cruce ſancti Franciſci Borgiæ in ſæculo adhuc degentis ex legitimo connubio filia, quadrien nis a ſancto Viro in Gandienſi Monaſterio Clariſſarum cuſtodiæ Monialibus data, quum ad quartumdecimum ætatis annum perveniſſet, ætatiſque defectu profeſſionem emittere non potuiſſet, morbo correpta virtutum omnium exemplar, evolavit ad Sponſum; deinde glorioſo fulgens ſplendore conſorori ſuæ Mariæ Borell in choro oranti apparuit. Suam hanc felicem prolem ſanctiſſimus Dux *ſuam auream Dorotheam*, ob eximias animi dotes, appellare conſuevit: ipſa vero tanto parenti cœleſtibus illuſtratam fulgoribus paucis ab obitu diebus, conſpiciendam ſe præbuit. Birgitta demum de Cajetanis Florentina, tertii Inſtituti, in Monaſterio ſancti Hieronymi, ſive ſancti Georgii Florentiæ ſemel atque iterum ibidem Miniſtra, ejus vitæ innocentia ita expoſcente, pluribus ſpiritualibus donis cumulari meruit; qui tandem naturæ concedens die XXVIII. Maji migravit ad Chriſtum.

Maria de Corſaya. *Ex eodem Arch. Arm. 3. n. 52. fol. 293.*

Dorotheade Cruce. *MSS. auth. Prov. Valentiæ.*

Birgitta de Cajetanis. *MSS. auth. Provin. Tuſc. ex Archivo Aracœli.*

X. Litteris etiam Ordinem illuſtratum a multis per id temporis comperimus. Seraphinus Cumiranus Feltrenſis namque ſcripſit *conciliationem locorum communium totius Sacræ Scripturæ quæ inter ſe pugnare videntur*. Prodiit opus Pariſiis iterum impreſſum anno MDLXXVI. Angelus Galliottus, Siculus *ex urbe Savæ Agrigentinæ diœceſis* ſcribit Waddingus, & *Sabæ* Auctor Bibliothecæ Franciſcanæ (verum quænam apud Siculos iſthæc *urbs Sava* ſive *Saba* ſit ignoramus) Regularis Obſervantiæ, edidit, Waddingo teſte, volumina quatuor: *De Monarchia mundi & de Familiis Siculis antiquis*, prodierunt Panormi anno MDLVII. *Relationem Schiſmatis Anglicani: Martyrium Joannis Foreſti Franciſcani, Angliæ Reginæ ſanctiſſimæ Catharinæ a ſacris Confeſſionibus*. Extat hujus mentio apud Alphonſum Laſor in ſuo univerſo terrarum Orbe, fol. 128. & 505. Scripſit inſuper *Hiſtoriam Siculam, quam morte præventus non potuit in publicum edere*; eam vero Dux Compluti, ſeu de Alcala dum Prorex Siciliæ eſſet, ſecum detulit, non ſine magno Patrum dolore, uti lego in relatione Provinciæ Vallis Mazzariæ. Nobis circa hæc tempora Virum hunc celebrem floruiſſe, vel maxime licet conjicere ex iiſdem ab eo relatis, quæ hac ætate contigerunt, Anglicanis actis. Mortui ſunt etiam hoc anno Simon Fontanus lector Theologus Provinciæ Franciæ, Conventus Sennonenſis & Doctor Pariſienſis, qui Gallice emiſit opus cui titulus *Hiſtoria Catholica* ab anno MDXLVI. in 16. diſtributam libros; prodiit Pariſiis anno MDLXII. apud Guillelmum Julianum in 8. Latino vero idiomate: *Paraſcevem ad Rethoricam non illam, quæ patronum armat ad forum, ſed quæ Eccleſiaſtem Chriſtianum ad ſuggeſtum*: Pariſiis per Sebaſtianum Nivellium MOLXXVIII. in 8. regali, cum ſcholiis Ægidii Minoritæ. Scripſit item *Dialecticam*, *Commentaria in librum Ruth*. Pariſiis MDLXII. Demum *ſancti Anſelmi Cantuar. opera correxit*, Pariſiis MOLIX. Obiit Pariſiis, die XVIII. Septembris ibique tumulatus hoc appoſito epitafio.

Seraphinus Cumiranus. *Natal. Alex. To. 9. ſæc. 16.*

Angelus Galliottus. *Bibliotb. Franc. Tom. 1. lit. A. Waddi. de Script. Ord.*

Simon Fontanus. *Gonz. prim. par. ubi de Con. Pariſienſi. Wadd. de Script. lit. S. Biblioth. Franc. ſub lit. S. Jacob. le Long lib. 2. Biblioth. Gallicæ. Petrus de Alva in ſua Milit. col. 1412.*

Font

Fons ego cæleſti manans de fonte profudi
Quas puto e ſacri gurgite fontis aquas.
Has ſibi dum ſitiens haurit fons, areo, ſed ſic
Ut redeam ad fontis prima alimenta mei.
Jam raptus vivo Chriſti me proluo fonte,
Quo mihi, quæ fuerat, deſinit eſſe ſitis.

Simon Sapiens & Joannes Regis Provinciæ Flandriæ viri egregii, quorum laudes in actis memoratæ Provinciæ notatas habemus, hoc anno interierunt. Simon Sapiens nuncupatus & Jo Regis Prov. Flandriæ. *MSS. auth. Prov. Flandriæ. Ex Arch. S. Iſid. Arm. 5. n. 11. fol. 260. a tergo.*

XI. His tamen longe antecelluit & meritis & dignitate Clemens Monilianus totius Minorum Ordinis inclytus Generalis Miniſter, ex Obſervantium non autem Conventualium Familia, ut minus vere Pallavicinus ſcribit. Ejus doctrina & prudentia egregie Pontifici acceptum fecerunt; qui propterea hoc anno, die XV. Martii eumdem Cardinalium Collegio cooptans, optimum Miniſtrum & Ordinem honeſtavit, ut ex ſequentibus conſiſtorialibus liquet actis: *Romæ, die Iunæ* XV. *Martii* MDLVII. *SS. D. N. certis ſuadentibus rationabilibus cauſis, nemine diſcrepante, creavit & aſſumſit in S. R. E. Presbyteros Cardinales infraſcriptos ordine qui ſequuntur, videlicet Reverendiſſimum Thaddæum Archiepiſcopum Cuſentinum de Gaddis; Reverendiſſimum Antonium Epiſcopum Tolonenſem de Trivultiis abſentem; Reverendiſſimum Laurentium Epiſcopum Biterenſem de Strotiis abſentem; Reverendiſſimum Virgilium Epiſcopum Iſcalen. Vicarium Urbis, Roſarium; Reverendiſſ. Joannem olim electum Convenarum, ſigillorum Regis Chriſtianiſſimi Cuſtodem abſentem, Britannum; Reverendiſſimum Michaelem Epiſcopum Nepeſinum Alexandrinum* (hic poſtea ſub nomine Pii V. ad Pontificatum evectus & inter Sanctos a Clemente XI. relatus) *Religioſum virum fratrem Clementem Generalem Ordinis Fratrum Minorum & Theologiæ profeſſorem Dolera nuncupatum.* Clemens Monilianus. *Rodulph. fol. mihi 234. a tergo. Pallav. hiſt. Concil Trid. lib. 14. cap. 1.*

Die autem XXIV. Menſis ejuſdem Clementi noſtro Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Aracœli pro titulo aſſignavit. Hic libet mendum Rodulphi advertere, qui licet in ſerie Generalium Miniſtrorum fateatur, anno MDLIII. Clementem fuiſſe in ſummum Ordinis Præfectum aſſumtum, tamen Cardinalium Ordinis dum recenſet Catalogum, ſui ſortaſſis oblitus, ait, Cardinalem creatum *poſtquam rexit Ordinem annos ſex*. Gonzaga in Miniſtrorum Ordinis Catalogo verius ait, annis quatuor gubernaſſe; nam poſt Cardinalatum adeptum adhuc per tres menſes & dies novem Ordinem rexit uſque dum ejus in locum die XXII. Junii hujus anni, in generali Congregatione Araecœlitana Angelus Averſanus Vicarius Generalis ſuffectus fuit, ut infra dicemus. In ſimilem lapſum errorem invenio Ciacconium ſub Pontif. Paulo IV. & in narratione vitæ hujus Cardinalis. Cæterum ſingularis doctrinæ, qua hic Vir clariſſimus præditus erat, non obſcure teſtantur opera ejuſdem, quæ ſuperſunt quæque ſunt: *Catholicarum inſtitutionum compendium*, quod Theologicarum diſputationum volumen vocat Manutius ab ipſo Cardinali locupletatum, chriſtianis hominibus ad pie ſanceque vivendum neceſſarium, innumeris fere ſparſa voluminibus in unum ipſe collegit; confuſis, ut eum Manutio ſcribam, ordinem, obſcuris lumen, certam cognitionem dubiis attulit: nihil uberius eo libro, ſi res ſpectare velis, nihil brevius ſi verba; in brevitate nihil planius & clarius eſſe poſſe judicabis. Totum opus his conſtat partibus, quas diviſim Aldus Manutius recenſet, ac ſummopere commendat; ſunt autem, *De Symbolo Apoſtolorum*, *De Sacramentis*, *De Præceptis Divinis*, *De Conſiliis Evangelicis*, *De Œcumenico Concilio*, quod opus primo Fulginei, anno MDLXII. impreſſum, deinde Romæ anno MDLXV. additis duobus opuſculis, unum *De peccatis* & eo-

Rodulphi mendum. *Rodulph. cit.*

Ciacconii mendum.

eorum differentiis, aliud *De Sacerdotum cælibatu*. Reliqua ejus geſta ad annum ſui obitus fuſius narrare licebit.

Guillelmus Petrus. *Spond. ad hunc ann. n. 7. Ciacon. in vita Pauli IV. Tom. 3. fol. 866. mihi. Joſeph Sylos in bib. Cleric. Regular. Certamen Seraph. &c. Rodul. fol. 334. a tergo.*

XII. Non diſſimiles dotes Guillelmi Peti Angli animum illuſtrarunt, qui parem propterea cum Clemente ſortem invenit. Cum enim a Paulo III. Epiſcopus Sarisburienſis olim fuiſſet electus, ut ex authenticis Vaticani Tabularii monumentis contra Spondanum, Ciacconium, Godovvinum cæteroſque anno ſequenti dicemus, adeo altam Paulus IV. de ejus eruditione, prudentia, atque pietate conceperat opinionem, ut triennio legationis Cardinalis Poli exacto, illum XIV. die Junii (Godovvino XIII. ſed perperam) Cardinalem creaverit, ſuumque Legatum ad promovendam rem catholicam & eccleſiaſticam diſciplinam apud Anglos reſtaurandam præ cæteris duxerit deſtinandum. Qua de re ſcribit Spondanus: *Illud quoque magna omnium admiratione præſtitit, quod Cardinalem Polum virum moribus integerrimum, fideique catholicæ defenſorem ferventiſſimum, ejuſque in Anglia reſtauratorem acerrimum, legatione Anglica depoſuit & Romam vocavit, ſuffecto ei in munere Legationis fratre Guillelmo Peto Cardinali Ordinis Minorum, nobili Anglo* (Petrum *quidam vocant, aliique obſcuro loco natum volunt*) *quem & Epiſcopum Sarisburienſem deſignavit, qui tamen fato præventus antequam Angliam intraret, hos oblatos ſibi honores inire non potuit; quos nec, niſi coactus, ob reverentiam Poli, quem ſumma obſervantia, ut par erat, proſequebatur, ſuſceperat.* Haud diſſimilia Panvinius prodit in vita Pauli IV. Cauſam autem cur Pontifex Polo non adeo fuerit, ſicuti opportebat, addictus, diverſi diverſam narrant; magis autem veritati conſonam nos ad annum ſequentem in medium afferemus, quum, Peto mortuo, iterum de eodem ſermo erit. Ad præſens quod ſpectat habemus, utut res fuerit, Pontificem e legatione Romam revocaſſe Polum, & Guillelmum noſtrum Cardinalem creatum ejus loco ſuffeciſſe, ut ex ſequentibus, quæ in conſiſtorialibus codicibus notata ſunt, ſatis ſuperque liquet: *Die lunæ* XIV. *menſis Junii, Sanctiſſimus &c.* & paulo poſt *commemoravit revocationem Legationum ſuarum, & quibus de cauſis id fecerit, indeque dixit commotam fuiſſe totam nationem Angliæ de revocatione Legationis Cardinalis Poli, ut ex litteris Reginæ & litteris Prælatorum acceperat, & qualiter iterum periculum immineat. Tandem Sanctiſſimus volens religioſæ Reginæ devotiſſimæ ac chriſtianiſſimæ, illique Regno nondum plene reducto, nec in fide S. R. E. adhuc bene confirmato favere & morem gerere, cogitavit dare Legationem illi Regno, per aliquot annos adhuc; verum cum non videretur convenire auctoritati ſuæ, neque ſacri Conſiſtorii, perſonam, quam paulo ante privaverat legatione, anima revocandi pro arduis negotiis, cum aliis Cardinalibus abſentibus, de novo Legatum creare; cenſuerat apud ſe æquius fore, & probabile magis, novum Cardinalem creare in Anglia reſidentem ibi, & accumulare dignitatem illius Legationis, ut ita ſatisfieret Reginæ & nationi & dignitati illius loci, ne videretur, ita leviter variaſſe, nominavitque fratrem Guillelmum Peto Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia; quem ex notitia privata & multorum relatione judicabat & promotione & Legatione digniſſimum; ventumque eſt ad ſuffragia, omniumque conſenſu dignus eſt habitus Frater ille, qui crearetur & Cardinalis Presbyter & Legatus, ſicque promotus eſt, & Legatus fuit factus Angliæ adinſtar legationis Cardinalis Poli, ſic cum translatione omnium, & quarumcumque facultatum, quas in dicta legatione habebat Polus, & uti poterat in omnibus & per omnia.* Præmonuit deinde Paulus Angliæ quoſcumque Antiſtites de ſuffecto in Anglia legato Guillelmo, egregiaſque illius virtutes dignis laudibus ſequenti epiſtola celebravit: *Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis in Angliæ Regno:*

Ve-

Venerabiles Fratres ſalutem &c. Lectis litteris ab aliquot veſtrum ad nos miſſis, quibus ſuo & aliorum noſtrorum declararunt, quantopere Legati Sedis Apoſtolicæ auctoritas Angliæ Eccleſiis neceſſaria ſit, ad evellenda penitus ex Agro Domini hæreſum zizania, fidemque Catholicam ſtabiliendam & confirmandam, ſuppliciter a nobis petentes, ut eam auctoritatem iſti Regno reſtituamus libentiſſime veſtrum agnovimus ſtudium divini honoris & ſalutis animarum, idque perinde ac meretur, in Domino laudamus; perſuaſum autem eſſe cupimus Fraternitatibus veſtris de noſtro paterno erga ſereniſſimam & piiſſimam Reginam filiam noſtram amore & cura ſalutis & dignitatis Eccleſiarum omnium iſtius Regni, nihil penitus detractum & imminutum eſſe. Sed cum conſilium illud de revocandis Sedis Apoſtolicæ Nuntiis & Legatis, non ſine graviſſima cauſa & matura deliberatione cepiſſemus, inter cæteros dilectum quoque filium noſtrum Reginaldum tituli ſanctæ Mariæ de Coſmedin Presbyterum Cardinalem revocandum, eamdem ob cauſam eſſe duxeramus, quam de eo ſententiam ſi tam cito mutaremus, non ſolam alienum id foret gravitati hujus Sanctæ Sedis, verum etiam conſilium noſtrum, & decretum de eo ad nos vocando ana cum cæteris S. R. E. Cardinalibus abſentibus, ut in tam gravi negotiorum onere nos pro officio ſuo ſublevent, nondum quidem miſſis, ſed jam confectis & propediem mittendis ad ſinguios eorum litteris mutandum eſſet; ſed tamen cum volantatis ſereniſſimæ Reginæ, & illius Regni ſalutis eam rationem habere omnino ſtatuiſſemus, quam officii noſtri ratio poſtulat, gravique eam ob cauſam ſollicitudine augeremur, gratias Deo agimus, qui eam nobis viam oſtendit, qua & gravitatem hujus Sanctæ Sedis tueri & veſtris ſtudiis obſequi, atque Eccleſiaram Angliæ neceſſitati conſulere poſſemus. Dilectus Filius noſter Guillelmus Peto Fratrum Minorum profeſſor, nemo veſtrum, ut credimus, ignorat quanta vitæ integritate, quanta ſacrarum litterarum ſcientia, quamque ſana doctrina præditus ſit, quantum Catholicæ Fidei ac Religionis ſtudium turbulentiſſimis illis temporibus, quantam denique erga ſereniſſimam Reginam fidem ac devotionem declaravit, cum ex illo tempore, quo hic eum cognovimus, adeo ſemper dileximus, propter ſpectatam ipſius probitatem & fidei zelum, cujus non in patria modo, ſed Romæ etiam ſpecimen dedit, ut ab ipſo pontificatus initio de eo Cardinalium Ordini cooptando, veſtræque nationi hoc habendo honore cogitaverimus, Reginæ quoque ipſi id gratum fore exiſtimantes; dilatus autem hic honor, & non ſine divino conſilio ad hoc tempus illi reſervatus fuit; etenim cum de Cardinali Presbytero creando, & Legato in locum ipſius Reginaldi ſubſtituendo, conſilium noſtrum cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus communicavimus, mirifico omnium conſenſu & ſtudio utrumque factum eſt, itaque miſimus ad eum hujus honoris inſignia. Quamobrem cum, Deo auctore, eum in Angliæ & Hiberniæ Regnis Legatum de Latere noſtrum & Sedis Apoſtolicæ conſtituerimus, veſtrarum Eccleſiarum utilitati, at confidimus, a nobis optime conſultum ſit, veſtræ jam partes ſunt, atque ita vobis per Apoſtolica ſcripta mandamus ac præcipimus, ut eum tamquam nos ipſos recipiatis & honoretis, quæque aut corrigenda inter vos aut ſtatuenda ad Dei honorem, & Eccleſiarum utilitatem is duxerit, ea ita ſervetis, itaque illi pareatis, ut veſtram, quemadmodum ſperamus, erga nos & Sedem Apoſtolicam devotionem & debitam obedientiam agnoſcere, & in Domino collaudare poſſimus. Datam Romæ apud ſanctum Petrum die XX. *Junii* MDLVII. *anno* III. Sed quod opportunum eminus videbatur remedium, tenue admodum, atque infirmum cominus judicabatur: nam, etſi erat Guillelmus, ut auctor vitæ Cardinalis Poli habet, *Vir pius, & catholicæ Religionis ſtudioſus, maltoſque annos in Italia cum Cardinali Polo verſatus fuerat;*

Ex Vatic. Tabul. lib. brev. 3 Pauli IV. 109.

Pontificis Guillelmo Peto elogium.

rat; tamen quia jam jam extrema, & pene decurſa ætate & popularis, non nobilis erat (quod falſum ut ſuo loco dicemus) *minime idoneus videbatur ad tantum munus, in Anglia præſertim ac tali tempore ſuſtinendum: cum reſtituta nuper catholica Religione, magnæ adhuc præteriti ſchiſmatis atque hæreſum reliquiæ extarent, vetuſque eccleſiaſtici Ordinis, atque in primis Cœnobitarum omnium & Monachorum odium, atque contentio in multorum animum reſiderent; quæ quidem incommoda cum in Guillelmo concurrerent omnia, in Cardinali Polo ineſſent perpauca; hæc in altero nulla res prorſus levabat; in altero ſumma nobilitas, excellens doctrina, ſingularis probitas & ſanctitas facile ſuperabant, ut hæretici, ac pravi homines, quem propter religionis ac vitæ inſtitutum ab ipſis diſſident, fortaſſe oderant, eumdem tamen revereri ac ſuſpicere cogerentur.* Hæc auctor vitæ Cardinalis Poli de Peto, cui Petramellarius in elogio conſentit. Hoc itaque ad noſtrum propoſitum, quod Romæ geſtum fuerat comperto, Regina Pontificis conſilium prævertendum exiſtimavit, utque rei famam quam acuratiſſime tegeret, jubet ne cui Roma venienti aditus in Angliam pateret, neve alicui alteri quam ſibi litteræ exſcriptæ redderentur; certum vero hominem, qui ad Guillelmum Cardinalem deſignatum fuerat expeditus, cum jam Caletum appuliſſet, trajectu ulteriori prohibuit, nullumque paſſa eſt cum eo de recenti adepta dignitate ſermonem habere, aut notitiam ingerere. Interim per Oratorem ſuum Romæ Pontificem intimis precibus obſecrabat, uti ab incepto deſiſteret, & imminens catholicæ Religionis periculum pro ſua paſtorali ſolicitudine dignaretur propulſare: at Paulus, cum neceſſitatem obtenderet Polum accerſendi, eo quod cum eo coram agere omnino deberet, animum quoque ſuum Oratori non obſcure indicavit, quod nimirum ſuſpectum Religionis nomine ipſum haberet, velletque de nonnullis, quæ ad fidem pertinebant, * quid ille ſentiret, exquirere. His auditis Regina, cum Poli innocentiam ſumme perſpectam haberet, ſatis ſe admirari reſpondit; nam jacta in Poli mores fidemque crimina, vel antiqua erant (& quis crederet, iſtum ipſum Virum, quem Pontifex in Cardinalium Collegium cooptatum elapſis annis dum Cantuarienſis Archiepiſcopus fuit renuntiatus, tot laudum præconiis ad cœlos uſque extulerat, tam incommoda ſuſpicione laboraſſe?) quod ſi poſt demandatam illi Provinciam ſuſpicio illi ſuborta fuerit, jam ſibi illius virtuti debitum teſtimonium, laudeſque tribuendi facultatem in promtu ſat eſſe. Cæterum, ut rite cuncta cognoſcerentur, Pontifex de omnibus illam certiorem faceret, ut in Poli dicta, vitamque omnem de more atque ex Angliæ Regni legibus ab ordinis eccleſiaſticis tribunali inquireretur. Quum autem Pontifex Romæ videre Petum ſummopere exoptaret, inter cætera negotia, quæ Cardinali Caraffæ nepoti ſuo ad Galliarum Regem miſſo demandavit peragenda, hoc vel maximum extitit, ut Petum venire Romam cogeret, vel ſaltem Angliam exiret, ut Cardinalis perſonam aſſumeret. Ita de Cardinalitia dignitate Guillelmo noſtro collata Raynaldus ſcribit, quia ita ſentit. Quæ autem de ejus geſtis ſuppetunt ad annum ſequentem referentur.

Pallavic. hiſtor. Conc. Trid. lib. 14. cap. 2. n. 5. & 6.

Pallav. cit. ibid. & lib. 15. cap. 2.

* *Hoc non ita pro comperto habemus, ut infra patebit.*

XIII. Ad Epiſcopales Sedes etiam alii ex Ordine ſpectabiles Viri promoti fuerunt. Ad Cyrenenſem in partibus infidelium vacan. *per obitum b. m. Joannis, R. P. evectus eſt Joannes Penarius Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſor, cum facultate exercendi pontificalia in Civitate & diœceſi Colonienſi.* Hunc ex eorum familia Patres Conventuales fuiſſe nos monent, eorumque Colonienſem Provinciam moderaſſe, a quibus tamen ad opus noſtrum illuſtrandum nos uberiores exoptamus non ſemel poſtulatas notitias. Ad Tingen. (Rodulphio *Tiugen.*) in Africa (quam cum Septenſi a Pio V. die 1x. Ju-

Joannes Pennarius Ep. Cyrenen. Rodul. fol. 234. a tergo. Ex Arch. Vatic. in lib. Conſiſtor.

Anno Christi	Pauli IV.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 350.
1557.	anno 3.	anno 39.	

Junii MDLXX. unitam fuiſſe Laurentius Frizolius in ſuo Provinciali apud nos MS. teſtatur) vacan. *per translationem R. P. D. Gundiſalvi ad Eccleſiam Viſen. R. P. Franciſcus de Coreſma* (Rodulpho eſt *de Coroſiva*) *Ordinis Fratrum Minarum de Obſervantia*. Is videtur Franciſcus ille de Corſica, quem Trigenſem (neſcio ubi) Epiſcopum in partibus excogitavit Auctor Viridarii ad præteritum annum, qui etiam hoc anno Joannem Henricum Damaſci Archiepiſcopum dicit, quem acta Conſiſtorialia ad annum ſequentem memorant.

Franciſcus Tingen. *Ex eodem Archivo.* Mendum Auctoris Viridarii Seraphici.

XIV. Item coercendis & plectendis Hæreticis, ut ex ſerie ejuſdem Auctoris eruitur, ſequentes Patres ex Conventualium familia deſtinatos fuiſſe legimus, nimirum in Dalmatia Magiſter Franciſcus Roſella Aſculanus; in Venetiarum urbe, & in Marchia Tarviſina Magiſter Felix Perettus (qui deinde Sixti V. nomine denuntiatus eſt Pontifex Maximus) quo ægrotante, Magiſter Cornelius Venetus ejus Vicarius extitit. Perettum Venetiis hic ætate tanto muneri dediſſe operam ex ipſius chyrographo in Ghiſiana Urbis Bibliotheca ſervato, conſtat, cujus hæc verba ſunt: *Ob mortem Papæ Pauli anno* MDLIX. *menſe Auguſti Venetiis diſceſſi meos inviſendi Parentes grat'a, Montem Altum verſus; die autem* XXII. *Februarii* MDLX. *illuc reverſus denuo operam muneri* (*Inquiſitioni videlicet*) *dedi, litteris Pontificiis Pii Papæ IV. munitus, ibique per totum Junii menſem permanſi. Exin. vocatus Romam, ad pedes Pontificios perventus die* XVI. *Julii* MDLX. *Theol. aſſiſtentis in ſupremo Inquiſitionis Romano Tribunali novum munus ſum adeptus, & in manibus Cardinalis Alexandrini juſjurandum de more dedi.* Num autem Clemens Dolera fuerit hoc anno illius regionis, quæ ſancti Petri patrimonium dicitur, electus Inquiſitor Generalis Romæ, ut eidem Viridarii auctori placet, Lector diſcet ex iis, quæ de re hujuſmodi Acta Conſiſtorialia apud Raynaldum ad hunc annum referunt, ut inter cætera hujus Hiſtorici etiam iſtud detegatur mendacium. Legitur namque ibidem: *Die Martis* (XIV. *Decembris habent Acta*) MDLVIII. *fuit Conſiſtorium, in quo introductum fuit Officium Inquiſitoris in Collegium Cardinalium, & ad id Inquiſitorem majorem perpetuum deputavit Reverendiſſimum Dominum Alexandrinum Cardinalem, ac erexit & conſtituit officium Inquiſitoris hujuſmodi in dicto Collegio Cardinalium, & in ſummum Inquiſitorem eundem Cardinalem, poſtea deputavit ſalarium pro ipſo Cardinali & Miniſtris, & quod vacante Sede officium non vacet, ſicut officium ſummi Pœnitentiarii. Et quod omnes Inquiſitores tam delegati, quam ordinarii Epiſcopi in cauſa Fidei cognoſcant ipſum Cardinalem in Superiorem.*

Franciſcus Roſella Inquiſitor. Felix Perettus Inquiſitor. *Virid. Seraphic. Tom. 1. part. 3. cap. 13.*

XV. At vero præ cæteris Viris illuſtribus, qui erant hac ætate ſuperſtites in Cœtu Seraphico, ne dicam in Orbe univerſo, emicabat Sanctus Petrus Alcantarenſis, quem hoc anno Cœnobium Pedroſi ædificaſſe nemo eſt qui dubitare poſſit; teſtantur namque publicæ Tabulæ, quarum vigore a Roderico de Chaves, & ab Franciſca conjugibus ſolum accepit, quarumque tenor ex hiſpanico eſt ſequens: *In loco Pedroſi termini, & juriſdictionis nobilis Civitatis Cauriæ in ſola Excellentiſſimi Domini Ducis de Abula, & ejuſdem Civitatis Marchionis Domini mei,* * *die* XXII. *menſis Maii anni Domini* MDLVII. *comparet præſens admodum magnificus Dominus Radericus de Chaves nomine ſua, atque Dominæ Franciſcæ de Chaves ejus legitimæ uxoris, qui ſunt ejuſdem loci Pedraſi Patroni; præſente Venerando Domino Joanne Martino Comde Alcalde Ordinario, qui nunc eſt ejuſdem Loci; & demum me etiam Scriba præſente, qui eorum juſſu ſcriba, & teſtibus infraſcriptis, qui dixit, ſe cum Domina Franciſca uxore domum ædificaſſe, cui quædam terræ portio pro hortalitiis contigua eſt, quam Comunitas hujus Loci ad hunc effectum dederat in loco, qui dicitur* de Berrteal ad Fontem de Palanear *pra admo-*

Marcus Complutenſis in Chron. Prov. S. Joſeph. lib. 4. cap. 22. & alii.

* Animadverte.

modum R. P. F. Petro de Alcantara Religioſo profeſſo Ordinis ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ Provinciæ ſancti Gabrielis, qui Excalceati nuncupantur. Cum conſilio & facultate ſui Miniſtri Provincialis, qui tunc erat, & ad præſens eſt ejuſdem Provinciæ F. Joannes de Eſpinoſa, Breve Apoſtolicum obtinuit, ut majori quiete & commodo orationi atque contemplationi operam daret, vitam ducendo heremiticam cum ſocio ab eo, aut ex ſuo Ordine, aut ex altero ſibi beneviſo. Et cum iidem Domini Rodericus de Chaves, ac Domina Franciſca de Chaves ſua uxor ſummopere venerentur, & diligant prædictum R. P. Petrum, dixere propterea, quod eidem enunciatam domum, & hortum, tum etiam aliam terram, quam Communitas eidem fuerat elargita, ut ſuus ſocius, aut ſocii, vel alii, quos eidem ſecum habere convivas placuerit, omnibus ſuæ vitæ diebus in eadem domo manere poſſint, & horti atque terræ prædictæ uſum faciant, itaut idem F. Petrus cum ſocio aut ſociis qui ſecum erant in domo hujuſmodi commorantes dumtaxat ſimplicem uſum habeant tam domus, quam horti, atque terræ recenſitæ. Concedunt inſuper facultatem, ut in aliqua ejuſdem domus parte Cappellam ſive Oratorium poſſint extruere ad ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrandum, uſque dum ibidem ipſe F. Petrus Alcantarenſis permanſerit.

Pedroſi Cœnobium abſolvitur.

XVI. Verum priuſquam ad opus manum expeditam moveret, Vir Dei Domino Joanni Velaſquezio, qui apud Imperatorem Carolum V. bene audiebat, cuique Petrus erat a ſpiritualibus conſiliis, ſuum communicavit intentum. Hujus proceris ab liberalitate, pro fabricæ materia, neceſſaria impetravit, cæteriſque expeditis Pedroſum revertitur. Ibi Epiſcopi ſolicitudine omnia proviſa, Comitis quoque Torreſſonii pietate (qui ad inviſendum beatum Patrem illuc tranſierat) promtiſſimos invenit artifices, operarioſque ſe ſua ſponte offerentes, adeout tot divinæ providentiæ ſubſidiis ad fundationis initia invitatus, fabricam Conventus aggredi non dubitavit, quam proprio labore, cæterorumque Religioſorum diligenti auxilio breviſſimo temporis ſpatio ad formam ſtrictiſſimæ paupertatis expeditius abſolvit. Diebus vero feſtivis ſpirituali fabricæ intentus, in propinquum Oppidum ad prædicationis officium excurrens, tanta caritate abundabat, ut magnos parvuloſque doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, imo & legendi ſcribendique elementa edoceret. Porro Cœnobii forma talem præſeferebat anguſtiam, ut cæteras a ſe alibi exſtructas longe in huJus deſcriptio.

juſmodi genere ſuperaret: unde ſpirantium potius carceres aut mortuorum ſepulcra quam vivorum hominum habitacula a cunctis habebantur. Altare præcipuum crate quadam rudi ab Eccleſiæ navi diviſum, vix tantum ſpatii continebat, ut præter miniſtrantem Sacerdoti, alterum dumtaxat caperet tranſeuntem. Interius clauſtrum figuræ quadræ latera longiora non habebat, quam ut a duobus Religioſis expanſis brachiis utraque manu contingi poſſent. Cellæ vix ſupra hominis ſtaturam portas habebant anguſtiores; quarum rationem quibuſdam reddens Petrus: *Fratres*, inquit, *incolæ earum Mundo defuncti ſunt; & ut diſcant, quam anguſtus ſit ad Cœlum aditus per has portas intrandum ſe recordentur*. At beati Viri cellâ paupertate atque capacitate cæteris inferior, repoſitorio ſimilior videbatur; cum ſub ſcala quadam poſita non niſi in curvo corpore integrum admitteret. Reliquæ quotquot erant officinæ eadem anguſtia contrahebantur, ſic quod totius Conventus ambitus cum Eccleſia, quæ majorem partem occupabat, pedes XXXII. in longitudine, XXVIII. in latitudine non excederet. Abſoluto itaque opere, Templum Templũ ſub Immaculatæ Conceptionis auſpiciis.

Immaculatæ Conceptioni beatiſſimæ Virginis dedicare intendens, Rodericum a Chaves conſuluit, ut repoſito in Altari majori ſanctiſſimo Sacramento, imago Virginis in dicto die venerationi publicæ exponeretur. Concurrunt itaque undi-

Anno Christi 1557.	Pauli IV. anno 3.	Caroli V. Imp. anno 39.	Religionis Minorum anno 350.

undique ex vicinis Oppidis populi ad ſolemniora, neceſſaria miniſtrantibus Roderico, & Comite Oſornii; ſed quia loci anguſtia intra Eccleſiam paucos admittebat, cæteri præ foribus divinam providentiam deprædicabant, quod Apoſtolici Inſtituti virum pro omnium ædificatione ad ſe miſiſſet. Ipſe vero Dei Servus Deiparæ tutelæ Familiam ſuam, ac Inſtituti augmentum commendans, cunctos divinis myſteriis reficiebat. Hic poſtea cum ſociis virtutis probatæ vitam arctiſſimam ducens, victu tenuiſſimo panis & leguminum, orationum officiorumque aſſiduitate continua, diſciplinæ rigore intentiſſimo, paupertatis moderamen vivendi auſteritate ſuperabat, ita ut Servus Dei Joannes de Alburquerque non dubitaret aſſerere, Conventus hujus normam vivendi ne puncto quidem ceſſiſſe auſteritati, quam S. P. Franciſcum hujus Ordinis Inſtitutorem olim cum ſociis ſervaſſe memorabatur.

Abulam vocatus in extaſim rapitur.

XVII. Interea ab Jumara de Uloa, cui Vir ſanctus erat a ſpiritualibus conſiliis, Abulam vocatus, inibique a quodam ex proceribus invitatus ad nuptias, Chriſti exemplo, quamvis invitus, dum celebrarentur, acceſſit. Cum autem in ædium remoto cubiculo irradiante & elevato corpore illum univerſi convivæ conſpexiſſent, feliciſſimas nuptias omnium conſenſione ſunt gratulati.

Placentiam proficiſcitur.

XVIII. Pedroſum vix reverſus, Placentiam proficiſci cogitur, ut domus conſtructioni quibuſdam ſeſe opponentibus faceret ſatis. Hoſpitem hac in urbe apud ſe Petrum voluit Didacus de Loviſilejus ex corde amicus, qui per oſtii foramen cubiculi, ubi Vir ſanctus manebat, furtim eſt intuitus, monentibus domeſticis, Petrum per totam noctem, aut ſeſe quam acerrime flagellis cedentem, aut flexis genibus orationi atque contemplationi vacantem. Feliciter inde ſuperatis obſtaculis, patrium Oppidum petit, ut ſecum ducat lignarium opificem, a quo comite, & ab altero ſocio Religioſo per viæ tractum ſejunctus, totus in Deum abſorptus, ad Alagonem, & Maretem amnes maximis imbribus auctos, ac latiſſima inundatione conjunctos, conſtitit, tum utrumque ſicco pede pertranſiit, enixe rogans eos qui lacrymantibus oculis tam ingens prodigium intuebantur, ne cuiquam, ipſo vivente, factum narrarent.

Amnes ſicco pede pertranſit.

XIX. Ad Cœnobium demum numeris omnibus abſolutum iterum revertitur, ibique ſibi & ſociis, pro victu, veſtibus, cubiculis ac cæteris, quæ humanæ vitæ conſuetudo expoſtulat, eaſdem vivendi leges, quas Fratribus olim Seraphicus P. Franciſcus dederat, Petrus adamuſſim obſervat.

XX. Nondum erat abſolutus annus, quo in recenti Domuncula Petrus, cum duodecim ſibi aſſumtis ſociis tam mirifice Deo ſatagebat ſervire. Verum quia virtutis eſt, ut ait Seneca, ſe non dare in anguſtias, cupienti Petro ſobolem augere, divino conſilio alia ſunt Cœnobiola oblata, Inſulæ videlicet ſancti Simonis, ſancti Antonii de Vico, & ſancti Franciſci de Bajona a Joanne Paſchali apud Gallecos fundata, quibus alterum additum, quod Alphonſus de Manzanetes in Sylva Loriana Badejocianæ diœceſis exſtruxit, quæ a Petro accepta, ſancti Joſephi Cuſtodiæ feliciter dederunt initia. Antonius de Conceptione Luſitanus vir probus, qui ut novam ſobolem moderaretur præfectus eſt, Romam continuo petiit, ut a Magiſtro Generali Julio Magnano Patrum Conventualium Generali Præfecto alterum imploraret, qui Paſchaſio defuncto in munere Commiſſarii ſuccederet. Cum autem Magnanus Ticinum eſſet profectus, confeſtim illuc ſe contulit, & a prudenti Præſule litteras, quas acceperat, & quibus Vir Dei Commiſſarius dicebatur, Pedroſum reverſus, eidem obtulit. Qua de re, Deo gratiis peractis, Lorianam verſus pergit, ut Alphonſum amplecteretur. Exin Sodales per encyclicas litteras monuit, ſe quamprimum Gallecorum Cœnobia recens acquiſita viſitaturum.

Senec. ep. 89.

Alia loca ipſi obiecta ad exſtruenda Cœnobia. Antonius de Conceptione Romam proficiſcitur.

XXI. Jam

Anno Christi	Pauli IV.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 350.
1557.	anno 3.	anno 39.	

XXI. Jam ſatis Vir ſanctus uſu ipſo erat edoctus quantum egre quidam ferrent hujuſmodi genus jam inceptum religioſe vivendi, eoſque propterea Fratres, qui hanc ob cauſam premebantur anguſtiis, ſolari non deſtitit, nec monere, ut viriliter agerent. Ut autem detrimento, quod futurum timebatur, præſens remedium adhiberet, interim quibuſdam conſtitutionibus obſervandis præſcriptis, donec communes formarentur, & tribus ſodalibus ex ſuo Pedroſi Cœnobio accerſitis per eaſdem domos diſtribuendis, quorum unum, Michaelem de Catena loco primo præfecit, univerſis præſentiæ ſuæ deſiderium relinquens, in Caſtellam proficiſcitur. Erat tunc æmulorum nimis depreſſus animus, tum quia Petrus Pontificis, Imperatoris, totiuſque Hiſpaniæ favoribus cumulabatur; tum etiam quia felicis reformationis eventum, veluti rem divinam admirabantur omnes; (non enim reformationem, ſed diviſionem abhorrebant, ut ſupra ſignificavimus); quamobrem plerique ex illis rigidiorem hujuſmodi vivendi formam amplexi ſunt, ad quam etiam doctiſſimi atque nobiliſſimi Viri non pauci ſæculo renunciantes convolarunt. Vix Pedroſum Petrus reverſus, ab Oropeſæ Comite inviſitur, utque in ſua ditione Cœnobium exſtruat rogatus, ſimul Oropeſam pergunt, ubi ei valde arridens montis cujuſdam duodecimo milliario ab Oppido diſtantis aſperitas, in quo dirutum erat quoddam Templariorum Cœnobium, prope ædiculam Virginis de Roſario, inibi Conventum exſtruere, Comite annuente, decrevit: hac tamen præſcripta lege, ne formam illius Pedroſi vel minimum excederet.

Suis quaſdam leges præſcribit.

Michaelem de Catena recenti Cœnobio præfecit.

Reformatio augetur.

Conventum Roſarii exſtruere decernit.

XXII. E Pedroſo iterum hoc anno ab altero Oſornis Comite Galliſtei (Oppidum eſt tertio lapide a Pedroſo diſtans) accerſitus, ut natum morti proximum inviſeret; adveniente Petro, puer e vivis exceſſit: Parentes proinde illum obſecrant, ut ſuis precibus novam ei vitam a Domino conſequatur. Cubiculum, in quo cadaver jacebat, Petrus ingreſſus, genibus nixus, oculiſque ad Cœlum levatis, aliquantiſper orat. Exin, velut alter Eliſeus ſpiritu divino afflatus, repente ſurgit, & ſupra extinctum cubat; mox, univerſis admirantibus, gelido corpori ſpiritus reſtitutus eſt. E feretro ergo puer vivus exſurgens, ad pedes Viri Dei pervolvitur, atque una eum adſtantibus gratias debitas ob tam ingens beneficium egit. Ipſe vero Petrus per medium illorum tranſiens, honores & nomen fugiens, celerrime inde diſceſſit. Priuſquam ad celebranda prima Comitia Lorianæ Conventum accederet, Pacis Auguſtæ Antiſtes Petrum vocat, ut quibuſdam ſimultatibus, quæ ad internecionem uſque inter cives exarſerant, & in dies pernicioſis exemplis augebantur, mature occurreret; quibus felici eventu compoſitis, Lorianam jam convocatis Patribus, eas arctas primo leges ſibi, ſociisque præſcribit, quarum tenorem in ſequentibus referemus.

Mortuum puerum ad vitam revocat.

Quibuſdam ſeditiſ ſimultatibus occurrit.

XXIII. His peractis, Petrum Loriana in caram ſibi Pedroſi domum reverſum, conſuetiſque inibi afflictationibus corporis atque contemplationi divinarum rerum operam dantem reliquum anni hujus expendiſſe, ipſius vitæ hiſtoria tradit, quo tempore ſibi fuiſſe cœlitus proditum, ſanctam Tereſiam Abulæ commorantem, ſpiritualibus nimis preſſam anguſtiis, ſuo conſilio atque auxilio egere, ſequenti anno enarrabimus.

Pedroſum revertitur.

XXIV. Singulari affectu ſanctus Petrus de Alcantara Patres inclytæ Societatis Jeſu proſequebatur, ob communem animarum zelum, quo Fidei propagationi indefeſſam operam impendunt. Præ cæteris vero conſpicuos ejuſdem viros, quibus etiam familiariter uſus eſt, Ludovicum de Ponte, Chriſtophorum Cobos & Joannem a Monte Majore dilexit, qui Servi Dei poſtea vita functi, raram pœnitentiam & contemplationem ubique laudarunt. Arctiſſima quoque illi cum ſancto Franciſco Borgia neceſſitudo in-

Patres Societatis Jeſu valde diligit.

Anno Christi	Pauli IV.	Caroli V. Imp.	Religionis Mino-
1557.	anno 3.	anno 39.	rum anno 350.

interceſſit, quam ne longiori quam par eſt narratione exponam, ex cujuſdam epiſtolæ contextu eamdem colligere expeditius videbitur. Deſtinatus fuerat beatiſſimus Franciſcus anno MDLVII. ob eminentem ſanctitatis ac prudentiæ laudem, a Carolo V. ad ſororem Portugalliæ Reginam Catharinam, ut negotia momenti maximi ageret: hinc ut amoris ac exiſtimationis erga Alcantarenſem pignus relinqueret, ſequentem ei epiſtolam ex itinere quod ſcripſerit invenimus. *Admodum Reverende Pater in Chriſto. Gratia D.N.J.C. ſit nobiſcum ſemper. Amen. Novit Deus quantam conſolationem ex litteris aliiſque rebus Reverentiæ veſtræ anima mea capiat; libenter ad parvum illum Conventum veſtrum accederem, & pro Paradiſo haberem in terra, niſi quia audivi Deum ad ſe vocaſſe optimum Epiſcopum Pacis Juliæ; ideoque illac iter dirigendum non erit, ſed rectè Eboram; atque in Luſitaniam exiſtens, curam (quam oportet) de rebus Reverentiæ veſtræ habebo; ſicut & in Deo confido nos invicem in reditu meo viſuros, atque confidenter de omnibus collaturos. Audivi quoque, quod P. Magiſter Zapata valde ab eodem bonæ memoriæ Epiſcopo amatus fuerit: ora pro me, Pater mi, ut communicet Dominus mihi Spiritum ſanctum. Ex Xaradilla vigeſima ſecunda Auguſti, milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Quocumque modo aliter ſcripſerim, curabo tamen de via inſtrui, ut (ſi poſſim) illac tranſeam, quamvis aliquantulum declinem: Dominus cuncta dirigat. Et ſi extra viam fuerit, erit, quod ſuperius dixi; atque iterum peto, ut Reverentia veſtra oret pro me. Suus Servus in Domino Franciſcus Borgia.* Hujus promiſſi fidem ſanctus Franciſcus exolvit; quamprimum ex Portugallia reverſus Pedroſum acceſſit: Hic aliquot dies cum Petro in devotis collationibus cum Religioſis cæteris in communitatis frequentatione, cum Deo in variis ſpiritualibus conſolationibus tranſegit, quouſque muneris obligatio beatum Patrem a tam cœleſti habitatione ac ſocietate ſtupentem, & gaudentem ad propria avocaret. De venerabili quoque Servo Dei Joanne de Texeda Ordinis ſancti Franciſci narratur, quod cum ardenti flagraret deſiderio conferendi cum Petro, quem locorum diſtantia abſentem longe ſaciebat, aliquando a Deo id conceſſum fuit, ut uterque alterum in ſpiritu videret, ex quo inſignis ille Pater ſummam animæ ſuæ conſolationem caperet.

Et præcipue ſanctum Franciſcum Borgiam.

A quo epiſtolam recipit. *Ex Laur. a ſancto Paulo in vita S. Petri lib. 4. cap. 18.*

Et alia ingentis amoris argumenta.

XXV. Hæc in Hiſpania dum agerentur, cumque Romæ Monilianus ſacra, ut dicebamus, purpura donatus moraretur; eo generalia intermedia convocata ſunt Comitia, quibus juſſu Pontificis idem Monilianus præfuit, & in quibus Angelus de Averſa, Provinciæ Terræ laboris alumnus & rerum Ordinis Generalis Procurator, die XXII. Junii Vicarius Generalis ſalutatus eſt, & quidem jure; erat quippe Angelus de Ordine non uno nomine optime meritus, quum innumeris fere muneribus indeſinenter egregieque ſunctus fuiſſet. Ejus Commiſſarius pro ultramontanis partibus præclarus & ipſe vir Aloyſius Puteus de Burgonovo; & Ordinis in Romana Curia Procurator Antonius Monilianus ſunt electi. Pontifex litteris incipientibus: *Cum ſicut nobis &c.* datis Romæ XII. Junii, ratam electionem hujuſmodi ſignificavit, ut ex Regeſto liquet. Decretum in iis eſt, pro nullo haberi Capitulum paulo ante in Provincia Calabriæ celebratum, & Thomam de Poliſtina Provincialem electum nulla hoc titulo auctoritate potiri; ſed ut tanquam Commiſſarius dumtaxat, ad novum uſque Capitulum celebrandum cæteris præeſſet. Quum autem his temporibus nedum ſimultatis, & diſſidiorum inter ſeſe, verum & perduellionis ſcelera in Ordinem, quinimo & in ipſam Apoſtolicam Sedem nefarie fuerint a quibuſdam ſodalibus Gallis intentata, Miniſter Cardinalis ſtatuit, ut Vicarius Generalis continuo in Gallicas Provincias trajiceret, il-

Romæ celebrantur minora Generalia Comitia. *Chronolog. Ordin. Michael. Aug. de Neap. fol. mihi 320.* Pleraque in iiſdem ſancita. *Gab. Tom. 1. lib. 3. cap. 16.*

laſque inviſeret, ut maximi momenti cauſam ad Capitulum Generale decidendam traduceret. Num vero Averſanus trajecerit, non ita certum eſt, præcipue quia hoc eodem anno Franciſcus Zamorenſis ejuſdem Angeli juſſu, Commiſſarii titulo aſſumto, hanc Provinciam ſuſcepit. Hic ſecum detulit epiſtolas tum Regis Catholici, tum etiam Generalis Vicarii ad Franciſcum de Atrio, Artheſiæ (tunc Provinciæ Franciæ Pariſienſis Cuſtodiæ) Cuſtodem, cæteroſque ejuſdem Regionis Patres directas, quibus Zamorenſis pro ſuo exercendo munere enixe commendabatur, iidemque monebantur, ut negotium de eadem Cuſtodia in Provinciam erigendi inter ſe conſulerent. Inde factum eſt, ut idem Franciſcus ultro citroque ad optatum finem mediis opportunis adhibitis, Romam eodem hoc anno revocaretur. Quod autem ſuper hoc negotium evenerit, Deo favente, ſequenti anno dicemus.

Sua etiam celebrant Patres Tertii Inſtituti. *Bord. in Chronolog. 3. Ord. c. 13.*

XXVI. Patres etiam Tertii Ordinis in Cœnobium Caſalisbutani Inſubriæ oppidi ſua convocarunt Comitia, ut Generalem Præfectum eligerent, quæ die xx. Aprilis facta ſunt; atque ad hoc munus Damianum de Bonvinis Cremonenſem promoverunt, qui ſequenti anno, die xxii. Februarii viam univerſæ carnis ingreſſus eſt.

Monaſterii Marciæ jura validata. *Ex Regeſt. Vitramani. Archivo Araceli.*

XXVII. Franciſco quodam, *Guil* nuncupato, Hiſpano, in civitate Murciæ bona quædam Clariſſarum violenter occupante, ad Apoſtolicam Sedem recurrunt Moniales, ut ſequitur: *Beatiſſime Pater. Alias devotæ Sanctitatis Veſtræ Oratrices Abbatiſſa, & Sorores ſanctæ Claræ de ſecunda Regula Beati Franciſci Monaſterii extra muros oppidi Murcia nuncupati Carthaginenſis diœceſis, ex conceſſione & licentia Sedis Apoſtolicæ, & Regiæ Majeſtatis conſtruxerunt quoddam Molendinum contiguum parietibus & clauſuræ dicti Monaſterii, & licet nonnulli vicini rigantes ſuos hortos, ſeu prædia aqua dicti molendini, ut aſſeritur, obtinuerint licentiam ac proviſionem a Conſilio Regio tollendi præfatum molendinum a rivo fluentis aque, ſub tamen quibuſdam moderatione & tempore in dicta licentia expreſſis: tamen quidam Franciſcus Guil civis dicti Oppidi, tanquam unus ex vicinis prænominatis, extendendo terminos rationis ac formam fineſque dictæ regiæ proviſionis, non erubuit, etiam forſan violenter, & de facto, alia multa ædificia uſibus ejuſdem Monaſterii admodum utilia & neceſſaria eiſdem Oratricibus, etiam a Sede Apoſtolica conceſſa, partemque dictæ Clauſuræ dicti Monaſterii loci ſacri rumpere ſeu deſtruere, adeo quod Oratrices ipſæ enorme damnum, & forſan mille ducatorum, paſſæ fuerint; & quia intereſt earumdem Oratricum eis dictum damnum refici & reſarciri, & dictum Franciſcum adverſarium de ſua temeritate & audacia puniri, Juſtitia mediante, ſupplicant humiliter Sanctitatis Veſtræ Oratrices præfatæ, quatenus dignetur aliquibus probis Viris in partibus illis commorantibus, cum clauſula, vel eorum alteri committere & mandare, ut cauſam & cauſas dictorum damnorum, expenſarum & intereſſe, quantum ſufficere videbitur, aliorumque in actis deducendorum conjunctim vel diviſim, eorum arbitrio audiant; & conſtito eis, ſummarieque de præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum, eumdem Franciſcum adverſarium (demtis his, quæ proviſio regia concedebat) ad dicta ædificia, & alia opportuna reædificandum & reaptandum, prout orant, & dictum damnum, effectualiter exſolvendum, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia juris & facti remedia opportuna, prout juris fuerint, cogant & compellant, ipſumque de talibus temeritate ac violentia puniant & coerceant, ut aliis cedat in exemplum, & alias honori & indemnitati Oratricum provideant, prout Juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit rationis, cum poteſtate dictum Franciſcum adverſarium, omneſque alios & ſingulos ſua intereſſe putantes citandi, eiſque, ac quibuſvis Judicibus, & perſonis Eccleſiaſticis & ſæcularibus,*

qua-

quavis dignitate vel auctoritate & officio fungen., *& ſub cenſuris & pœnis*, *etiam pecuniariis*, *eorum arbitrio imponendis*, *quoties opus fuerit*, *inhibendi*, *& in eventum contraventionis*, *ſeu non apparitionis*, *cenſuras & pœnas hujuſmodi incurriſſe declarandi*, *aggravandi*, *reaggravandi*, *interdicendi*, *& ſi opus fuerit*, *auxilium brachii ſæcularis invocandi*, *cæteraque faciendi*, *dicendi*, *gerendi*, *& exequendi in præmiſſis*, *neceſſaria & opportuna præmiſſis*, *ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis*, *& præſertim Bonifacii VIII. de una*, *& Concilii Generalis de duabus dietis*, *dummodo non ultra tres*; *cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Conceſſ: ut petitur in præſentia D. N. PP. Jo: Ant. Card. de Medicis. Et per Breve Sanctitatis Veſtræ hac ſuppreſſione introcluſa*, *& cum decreto*, *quod in eventum recuſationis Judex teneatur aſſumere aſſeſſorem Jurisperitum neutri partium ſuſpectum. Conceſſ. J. A. Card. de Medicis. Dat. Romæ apud S. Petrum duodecimo Kalend. Januarii anno tertio. Committatur Vicario Epiſcopi Carthaginen.*, *ac Præpoſito Eccleſiæ Orivelen.*: *& Joanni* del Pozzo *Canonico Eccleſiæ Conchen.*, *vel eorum alteri*.

Quædam Pontifex præcipit ad bonum Ordinis regimen.

XXVIII. Ut Pontifex illum etiam in hac parte amorem oſtenderet, quo in Seraphicum Ordinem univerſum ferebatur, dedit in primis litteras, quarum initium *Cupientes &c.* Cardinali de Carpo ejuſdem Ordinis Protectori, ut ſedulo in eos Minoritas animadverteret, qui Superioribus ineonſultis, ultro, citroque diſcurrere non verebantur, ac de eadem re Provinciarum Miniſtros moneret. Aliis ſubinde litteris incipientibus: *Cum ſicut exponi &c.* ad Angelum Averſanum Vicarium Generalem, datis contra quoſdam Parochialium Eccleſiarum Rectores Brixien. Bergomen. Mediolanen. Bononien. qui Fratribus Sacramenta miniſtrantibus obſtabant, declaravit, quod *iidem Fratres a ſuis Superioribus*, *ut moris eſt*, *deputati confeſſores*, *etiam Infirmorum*, *ubilibet*, *etiam extra domos & habitacula eorumdem Fratrum*, *audire eoſque in caſibus & cenſuris*, *quibus eis per privilegia Sedis Apoſtolicæ hujuſmodi hactenus conceſſum eſt*, *poſſe abſolvere*, *& ipſi hactenus abſolvere conſueverunt*, *& pœnitentiam ſalutarem injungere*, *ac omni tempore*, *præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ*, *Sacramentum Euchariſtiæ tam illis*, *quam aliis quibuſvis perſonis licite miniſtrare poſſint*.

Conv. Roccæ Contratæ. *Goac. p. 2. in Provin. March. c. 10. MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 30. n. 34. fol. 118.*

XXIX. Cum Fratres noſtri, ait Gonzaga, unum vel alterum locum B. P. Antonio Sacratum, intra mœnia opulentiſſimi oppidi Roccæ Contratæ Picenæ Provinciæ, & Senogallienſis diœceſis, ex Summi Pontificis Pauli III. auctoritate per quadriennium & ultra occupaſſent, neuterque eorum quieti conſuleret, de alio ſibi extra ſepta eligendo agere cœperunt. Quibus morem gerere cupiens pia illius oppidi communitas, Paulo IV. Pont. Max. ſupplicavit, ut ejus votis annuere dignaretur; quo annuente, Conventus divo Martino dicatus, ad mille paſſus ab oppidi Vallo, ex publicis proventibus eſt ædificatus: in cujus Archivo Apoſtolicum Pontificiæ conceſſionis breve adhuc videre licet. Verum quo fundamento nixus Gonzaga novam hanc exſtructionem hoc anno factam recenſeat ipſi videant, qui Diploma Pauli IV. ab eodem citatum & in Regeſto noſtro relatum legent. Ibi namque de ſolo Eccleſiæ titulo *ſancti Antonii* in illum *ſancti Martini* mutando ſermonem haberi, ſatis comperitur. Quapropter ſua Cœnobium ſumſiſſe initia anno MDXLVI. horum Annalium continuator luculenter ſcribit. Nos autem autumamus, hæc ad annum ſequentem MDXLVII. potius contigiſſe, quia facultatem anno MDXLVI. præterlabente, die nempe XX. Novembris a Pontifice conceſſam leginus. Inter primos hujus ſacræ Ædis Accolas numerandus Pacificus de Rocca Contrata virtutibus clarus, cujus corpus poſt obitum, ut Populis totius regionis devotioni fieret ſatis, biduo inſepultum extitit.

Continuat. Annal Tom. 18. ad ann. 1546 & 1570. Pacificus de Rocca Contrata. *Barett. lib. 3. cap. 72. Gonz. cit. & alii.*

Anno Christi 1557.	Pauli IV. anno 3.	Caroli V. Imp. anno 39.	Religionis Minorum anno 550.

Conv. de Monſterio. *Gonz. p. 3. in Prov. Portugal. Con. 2.*

XXX. In Provincia Portugalliæ Cœnobio ſanctæ Mariæ de Monſterio, ab anno MCCCXCII. ruina his temporibus collabente, Didaeus de Anſede, qui iterato Provincialatus munere functus erat, copioſis collectis eleemoſynis cum a Rege Joanne III. tum ab aliis Benefactoribus, illud inſtaurandum, quinimo & reficiendum curavit.

Mirabilis quidſ refertur eventus.

XXXI. In Provincia vero ſancti Thomæ, in Orientalibus Indiis, quæ hoc anno Cuſtodiæ nomen adhuc retinebat, Chriſtianos Portugallenſes Dominus oppidi Naguapatani, coacto exercitu, volens opprimere, quum ab iiſdem incommodis maximis ſeſe perpeſſum diceret, ipſi, conſcenſis navibus, quæ ſub ancoris in portu forte ſubſiſtebant, fuga propriæ ſaluti conſuluere. Remanſerunt nihilominus, ob navium defectum, ſexaginta Luſitani, & ducentæ tum ejuſdem patriæ, tum quoque mixtæ mulieres, atque tria Indorum fidelium millia, cum uno Minorita dumtaxat, qui relictis aliis fugientibus, iſtis ſua ſponte adeſſe voluit. Superveniens igitur hoſtis hos omnes proprias domos, proprioſque lares deſerere, atque ejus Patriæ interiora petere coegit. Quibus tamen præfatus Minorita maximo fuit adjumento. Nam divino ſibi numine favente, tantum apud Gentilem illum Regem potuit, tantumque valuit, ut non ſolum profugos illos Chriſtianos ab omni injuria, atque morte liberarit, ſed & propriis ſedibus reſtituerit, imo & firmiſſimam, atque conſtantiſſimam pacem, poſitis quibuſdam conditionibus, inter ipſum Regem & Luſitanos, cæteroſque Chriſtianos tum præſentes, tum quoque abſentes compoſuerit. Eoque factum eſt, ut Rex ad propria, & Portugallenſes ad deſertas domos remearint: & maxima quiete, atque tranquillitate ille cum ſuis ſuperſtitioſo Idolorum cultui, & iſti ſoli Deo ſæculorum Imperatori ſub fideli Minorum diſciplina vacarent. Ad ſexaginta milliaria ab hoc maritimo portu Naguapatanico meridiem verſus, Vaccarum Inſula e profundo mari ſurgit, in qua primævi hujus Conventus Patres duas Eccleſias (quas *Chriſtianitates*, quod in illis Gentiles baptizent, Chriſtianiſque moribus imbuant, atque ſibi cætera Sacramenta miniſtrent, uſitatiori vocabulo nuncupant) erexerunt; quarum cura Franciſcanis commiſſa, qui ſtatis diebus quingentis Chriſtianis ad eos confluentibus ſpiritale pabulum de ſacroſancto Evangelio, ſecundum ritum Eccleſiæ catholicæ Romanæ, non abſque ingenti animarum fructu, miniſtrabant.

Conv. Naguapatani. *Gonz. p. 4. in Prov. S. Thomæ Con. 7.*

Conv. Concept. de Chile. *Gonz. p. 4. in Prov. SS. Trin. Conv. 2.*

XXXII. Cœnobium Immaculatæ Conceptionis urbis, pariter Conceptionis, Provinciæ SS. Trinitatis de Chile, apud Indos occiduos, incolarum eleemoſynis anno MDLIII. primo exſtructum, ut Auctor Voluminis XVIII. hujus Continuationis ad hunc annum §. ultimo ſcribit, Indiſque invadentibus, paulo poſt a Fratribus derelictum; hoc anno per novum Hiſpanum Præfectum Garziam de Mendozia firmius arce munita, iterum Sodales habitant. Non longe ab oppido Cogolluti, Provinciæ Caſtellæ in Hiſpania, Toletanæ diœceſis, ut domicilium Minoritis exſtrueret, Joannes Methymnæ Cœli Dux, ejuſque oppidi Marchio, de Franciſcanis aliis etiam nominibus optime meritus, anno MDLIII. a Clemente Moniliano Generali Miniſtro & a Gomezulo Tello Gironio, qui ex Pontificio, regioque mandato Eccleſiæ Toletanæ præerat, facultate impetrata, Petro de Bobadilia Provinciæ ejuſdem Miniſtro, Andrea Carvajalio Complutenſi Guardiano, aliiſque Sodalibus adſtantibus, die XXIX. Julii hujus anni ſolemni ritu ſacro peracto, & concione habita, lapis primus in honorem ſancti Petri Apoſtoli poſitus eſt: opuſque exinde pro oppidi opportunitate ſumtibus memorati Ducis eleganter abſolutum eſt. Hæc ex Gonzaga, in quo error Amanuenſis, ſeu Typographi corrigendus eſt; dum de Conventu Mechlinienſi Provinciæ Germaniæ inferioris ait, hoc anno reformatum eſſe,

Conv. Copoluti. *Gonz. p. 3. in Prov. Caſtel. Con. 23.*

Gonzagæ mendum. *Idem p. 3. in Provin. Germ. inferior. Con. 7.*

ſive

ſive ad Obſervantes perveniſſe, & pro MDLVII. ponendum eſt MCCCCXLVII. ex antiquiſſimo manuſcripto authographo.

MS Suaup. German. inf. ex Archiv. Aracœli.

XXXIII. Eccleſia Cœnobii ſancti Stephani Eſtenſis Patavinæ diœceſis a quibuſdam Sororibus hoc anno colebatur; quibus alio abeuntibus, laicorum Confraternitas ejuſdem Sancti, cujus erat ipſius Eccleſiæ & domorum vicinarum dominium, communitate loci aſſentiente, Patribus Conventualibus contuleruntcertis additis conditionibus, quæ ex utriuſque partis conſenſione ſtabilitæ fuerunt. Anno autem MDLXXXIX. opera Cardinalis Aloyſii Cornari Patavini Epiſcopi hinc diſcedere ſunt coacti, ut Patribus Capuccinis locum relinquerent, quibus tamen paulo poſt diſcedentibus, iterum Conventuales anno MDXCVII. eodem revertuntur.

Conv. Eſtenſis. *Ex MSS. auth. apud nos exiſtent. fol. 270.*

XXXIV. Anno MDLVI. Domitius Caracciolus Baro Terræ Turriculæ, ſive de *Torella* Neapolitani Regni, vendi quoddam prædium curavit, quod anno MDV. Michael Saracenus de Turella Epiſcopus Tivicienſis Patribus Conventualibus largitus fuerat, eum quodam Prato ſanctæ Mariæ Gratiarum, ut inibi Conventus exſtrueretur, Julii II. Romani Pontificis per ſuas litteras in forma Brevis accedente conſenſu; atque hoc anno tandem Conventus fabrica abſolvitur, cum Eccleſia SS. Annunciationis titulo inſignita. Cœnobium ſancti Antonii Patavini Baroli ejuſdem Provineiæ, & Tranenſis diœceſis, iiſdem Patribus Conventualibus datum eſt; cum per Magiſtrum Nicolaum Vincentium Bonaventuram ejuſdem Civitatis, ſolutis D. aureis a Patribus Cæleſtinis, domus ſancti Eligii titulo inſignita, quibuſdam præſcriptis conditionibus, fuerit comparata. Eorumdem Patrum Conventualium Reformationem Hieronymi Lanzæ in Cœnobium Neapolitanum ſanctæ Luciæ de Monte hoc anno die XII. Martii introductam Franchinus in ſua Biblioſophia refert.

Conv. Turriculæ, ſive de Turrella PP. Conven. *MSS. auth. Provinc. PP. Conv. fol. 439.*

Conv. Baroli eorumdem. *Ibidem fol. 548.*

Reformatio Conventualium Neapolis. *Franchin. in Biblioſoph. lit. A.*

XXXV. Extra urbem Conſentiæ in Neapolitano Regno publico ære in communi via Patribus Capuccinis domus exſtructa eſt, ſub auſpiciis Immaculatæ Conceptionis beatæ Virginis. Apud Ticinium in Inſubria ſimiliter alia iiſdem Fratribus ædificata eſt, communibus expenſis, piorumque eleemoſynis in honorem ſancti Antonii de Padua.

Conv. Conſentiæ Capuccinorum. *MSS. auth. ex Arch. PP. Capuccin. Urbis.*

Conv. eorumdem Ticini. *Ibidem.*

XXXVI. Monaſterium Cupramontanum Provinciæ Marchiæ, de quo ſuo loco Waddingus hoc anno inter Pontificem, & Hiſpaniarum Regem vigente bello, transfertur. Cum etenim is locus communiendæ Civitati impedimento eſſet, ſolo æquatum eſt, ejuſque Sorores ad Xenodochium ſanctæ Mariæ Magdalenæ translatæ fuerunt. Ubi, & earum XXIV. in præſentia commorantes, quaſdamque particulas ſanctæ Crucis Chriſti, ſpineæ ejuſdem coronæ, atque induſii Dei genitricis Mariæ diligentiſſime cuſtodiunt.

Monaſt. Ripæ-Tranſonum. *Gonz. p. 2. in Prov. Marchia Monaſt. 3.*

XXXVII. Extra mœnia urbis de Xera, vulgo *Xerez de la frontiera* Provinciæ Beticæ in Andalutia prope Oſtia Guadaletæ amnis, quæ & Cæſariana Colonia, Eremitorium quoddam erat exſtructum, cui titulus *ſancta & vera Crux*, in cujus honorem Sodalitium quoque laicorum egregium inibi conſtitutum, ejuſdem loci potiebatur dominio. A Sodalibus ergo ejuſdem Tertii Inſtituti accerſitis Presbyteris, ut eodem retento ſanctiſſimæ Crucis titulo, ſibi Eccleſiam ædificarent, eodem in loco, in quo nunc viſitur, ædificata eſt, etſi urbis ampliato ſitu intra ſepta deinde conſiſtat. Templum perpolito fornice ornatum, ſacellum quoddam habet inſigne, quod ſancti Joannis Lateranenſis dicitur, quum inſtar illius quæ Urbis & Orbis omnium Eccleſiarum Mater eſt, eam inviſentes ſpiritualibus quibuſcumque privilegiis ditentur, ut ex binis Diplomatibus ab iiſdem Sodalibus cuſtodita, ſatis ſuperque conſtat. Fratres, qui Incolis ſunt peraccepti, liberalium etiam artium ſtudiis dant operam.

Conv. de Xera. *MSS. auth. in Arch. S. Iſid. Armar. 5. n. 139. fol. 631.*

XXXVIII. At

Tertii Inſtituti in Luſitania propagatio.

Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 13. fol. 227.

Marc. in Chron. Ord. Min. p. 2. lib. 8. cap. 25.

XXXVIII. At cum ejuſdem Tertii Franciſcani Ordinis, hac præſertim ætate, bonus odor latius diffunderetur in dies, eidem certatim Chriſtifideles nomina dabant; quemadmodum hoc anno in Viſenſi Luſitanica urbe, ſub Braccarenſi Archiepiſcopatu, die omnium Sanctorum contigit, dum inibi ſacrum hoc Inſtitutum reſtaurari cœpit. Qua de re non adnotare non poſſumus, Marcum Oliſſyponenſem ex Diſcalceatorum ſancti Antonii Provincia Epiſcopum Portugallenſem, dum in tertia parte Chronicorum dixit, a ſeipſo introductum primo fuiſſe in Luſitaniam ſacrum hunc Ordinem de Pœnitentia, (dum anno MDLVII. in Conventu Viſenſi Guardianum agens, in ipſa omnium Sanctorum ſolemnitate, præhabita in Cathedrali Eccleſia in laudem illius efficaciſſima concione, habitum ejuſdem primum Petro Marquerio tunc Epiſcopatus Proviſori & Vicario Generali, cæteris deinde ſæcularibus magno applauſu, maximoque concurſu diſtribuit, qui ſancta æmulatione uniti in omni veræ pietatis exercitio, in componendis potiſſimum diſcordiis, atque curandis hoſpitalibus, in promovenda demum totius populi devotione, juxta ſuſceptæ Regulæ inſtituta efficaciter ſniciti, eumdem per univerſum Regnum dilatare meruerunt) intelligendum eſſe non de prima inſtitutione, ſed de reſtauratione, cum jam antecedentibus ſæculis illic Reges & Reginas, & multitudinem gentium ſub eodem Tertio Inſtituto ſancte militaſſe, conſtet communiter apud Hiſtoricos. Andream itidem Inſulanum, qui circa annum MDXLVII. univerſo Minorum Ordini Generalis Miniſter præſidebat, dum in Ultramontana Familia Generalem ageret Commiſſarium, ad hujus Tertii Ordinis feliciora incrementa egregie laboraſſe non dubito, dum expeditis ampliſſimis patentibus, omnes & ſingulos illius profeſſores in totius Ordinis Seraphici Confraternitatem & meritorum participationem, aggregavit.

Gab. Tom. 2. lib. 12. cap. 4.

S. Rochi Tertiarii ex quo tranſferuntur.

Petrus de Vega, & Ribadeo. To. 2. in vita illius. Sebaſt. de Ricon in Tabula Vir. illuſt. Miranda in expoſit. 3. Reg. cap. 32. Daça ad fin. 4. p. Chronic. De Sillis in cap. 2. ejuſdem Reg. Corſinus lib. 8. Strozzi. ad pag. 167. Wadd. ad ann. 1327. §. 10. Act. SS. menſ. Aug. die 16.

XXXIX. Tertii hujus Pœnitentium Ordinis ſanctum Rochum fuiſſe alumnum cum pleriſque ſacris Hiſtoricis de ea ſcribentibus Waddingus narravit, quidquid in contrarium continuatores Bolandiſticæ Hiſtoriæ arbitrentur. Ergo hunc ſanctiſſimum Virum diuturna, tantaque ſemper extitit populorum religio, ut etiam hoc anno die XX I. Maji ejus capitis quædam portio Arelate Maſſiliam delata ſit, & in Conventu ejuſdem Ordinis condigno honore repoſita (cujus Eccleſia ipſi ſancto Rocho dicata eſt) ſervatis omnibus debitis circumſtantiis, uti apparet ex verbali proceſſu, per M. Saxi Arelatenſem Notarium. Exindeque Officiales Archiepiſcopatus Arelatenſis ea de re litteras teſtimoniales dederunt ad Maſſilienſem Præſulem; quibus perlectis, fidelibus cunctis Chriſtianis præfatam ædem (ubi ſancti Rochi reliquiæ aſſervantur, Maſſiliæ) viſitantibus, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxavit idem Antiſtes: datum Maſſiliæ, die penultima Aprilis anno MDLXX.

Et eam Romæ S. Bartholomæi Apoſtoli, & nonnullorum S. Corpora.

Gonz. 2. p. in Prov. Rom. Conven. 5. Lib. cui titulus: Roma Sac. Antiq. & recens. Acta SS. menſ. Jun. Tom. 4. fol. mihi 234. Ciampin. de ædific. Conſtant. Torrig. Grott. Vat. p. 544. Oldoin. apud Ciacon. Tom. 3. col. 882.

XL. Transferuntur item Romæ ex Baſilica S. Bartholomæi Apoſtoli in Inſula Lycaonia, ſive Tyberina, quam ab anno MDXXXVI. ſive MDXXXVII. noſtri Obſervantes cuſtodiunt, corpus ejuſdem ſancti Apoſtoli, aliæque Sanctorum Reliquiæ. Cum etenim flumen univerſam Urbem inundaſſet, ruinamque ingentem, eidem Eccleſiæ contuliſſet, adeout Sodales inde diſcedere coacti fuerint, Pontifex ne Sanctorum Reliquiæ, quæ in eadem Eccleſia erant, ſine ſolita Eccleſiæ elauſura & Fratrum cuſtodia remanerent, illas ad Baſilicam ſancti Petri de Urbe tranſferri fecit; eæque in cuſtodiam Canonicorum & Capituli dictæ Baſilicæ per inventarium conſignatæ fuerunt, *uti ex publico Inſtrumento deſuper confecto narrat* Pius PP. IV. *in Brevi, quo mandat Canonicis ſancti Petri, ut quandoquidem* Fratres prædicti ex fidelium eleemoſynis dictam Eccleſiam reſtauraverint, eaſdem Reliquias, quotieſcumque eſſent requiſiti, ad Eccleſiam prædictam ſancti Bartholomæi proceſſionaliter, ut moris

moris eſt, deferendas ſe conferant. Breve autem Pii eſt tenoris ſequentis: *Pius PP. IV. Cum (ſicut accepimus) de anno* MDLVII. *Eccleſia ſancti Bartholomæi in Inſula de Urbe, vi fluminis, quod de illo anno fere univerſam Urbem Romam inundavit, notabilem ruinam tam ipſius Eccleſiæ, quam Monaſterii paſſa fuit, adeout Fratres dictæ Eccleſiæ ab inde recedere coacti fuerint, & Eccleſia diſruptis parietibus, undique aperta, claudi non poterat, & propterea fel. rec. Paulus PP. IV. prædeceſſor noſter, ne Reliquiæ Sanctorum quæ in eadem Eccleſia erant & venerabantur, ſine ſolita Eccleſiæ clauſura & Fratrum cuſtodia, inibi tunc remanerent, illas ad Baſilicam ſancti Petri de Urbe transferri fecit, & inibi in cuſtodiam dilectorum Filiorum Canonicorum & Capituli dictæ Baſilicæ per Inventarium conſignatæ fuerunt; prout ex publico inſtrumento deſuper, ut dicitur, confecto contineri dicitur. Cum poſtmodum Fratres prædicti ex plurium Fidelium eleemoſynis dictam Eccleſiam clauſerint &c. motu ſimili & ex certa ſcientia eiſdem dilectis filiis & Capitulo &c. Per præſentes committimus & mandamus, quod quotieſcumque pro parte dictorum Fratrum fuerint requiſiti, eaſdem Reliquias eis, ut præfertur, in cuſtodiam ſimiliter conſignatas eiſdem Fratribus & Conventui, ad Eccleſiam ſancti Bartholomæi proceſſionaliter, ut moris eſt, deferendas, reſtituant & conſignent; decernentes, quod præſentium ſola ſignatura, abſque alia regiſtratione & data ſufficiat &c.* Vigore hujus Motus proprii Capitulum ſancti Petri deputavit ad conſignandum Corpus ſancti Bartholomæi & alias Reliquias RR. DD. Epiſcopum Caſtrenſem, ſcilicet R. D. Hieronymum Machabæum, & Aurelium de Tortis Canonicos dictæ Baſilicæ Fratribus ſancti Bartholomæi, ſub die XXV. Julii MDLX. & eodem anno, die XXVII. ejuſdem, conſignaverunt Corpus ipſius glorioſi Apoſtoli & alias Reliquias Fratribus ſupradictis, ut patet ex publico Inſtrumento, in actis quondam D. Simonis Tegeroni Notarii Baſilicæ memoratæ. Cogimur interim vereri*, ne Pancirolus, præter hanc inundationem, male notet aliam anni MCLVII. per unius litteræ paullulum immutatæ errorem; fide dignior in eo quod ait, anno MDXCVIII. exundante ultimum Tiberi (ſcribebat autem ſub initium mox elapſi ſæculi) non fuit ejuſmodi cautela opus, eo quod ipſe ſanctus Apoſtolus prohibuerit circumſiſtentes aquas, ne arcam attingerent intervallo palmorum aliquot; qua de re publicum Inſtrumentum habetur. Ex huc uſque dictis comperitur etiam quantum a vero diſtet narratio, quam hac ſuper re habet Gonzaga, dum ſcribit: *Cum autem anno Dominicæ Incarnationis* MDLVII. *ſub Julio III. ſummo Pontifice, inundante Tyberi, quidquid ab Eccleſia erat ædificii inſanis aquis ceſſiſſet, ne tantum pignus, Corpus videlicet beati Bartholomæi periret, aquarumque injuriæ exponeretur, ab hac Eccleſia ad ſancti Petri in Vaticano Baſilicam, ex Pontificio mandato, translatum eſt. Sed reſtaurato Monaſterio, firmiuſque ſtabilito, atque Paulo IV. Pontifice itidem maximo, ac totius Eccleſiæ militantis clavum tenente, antiquiori huic loco reſtitutum extitit.* Non etenim hoc anno Julius III. ſed Paulus IV. neque anno MDLX. Paulus, ſed Pius IV. regnabat.

* *Ita Auctores Bolandiſticæ Continuationis.*

XLI. Conceſſa eſt etiam Apoſtolica quædam diſpenſatio pro Monaſterio ſanctæ Helenæ Clariſſarum Civitatis Naxeræ, Provinciæ Burgenſis, ut ſequitur: *Raynutius miſeratione divina tituli ſancti Angeli Cardinalis, dilectæ in Chriſto mulieri illuſtri Domine Aldonzæ Manrique, filiæ quondam Ducis de Naxera, Calaguritanæ Diœceſis, ſalutem in Domino. Injunctum nobis ab Apoſtolica Sede ſervitutis officium nos admonet & inducit, ut Chriſtifidelium, præſertim illuſtrium Perſonarum, votis quæ ad Religionis augmentum tendere, & eo religionis zelo prodire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter præſtemus aſſenſum. Exhibitæ ſiquidem nobis nuper pro parte tua peti-*

Quædam prohonaſterio Naxeræ diſpenſatio. *Ex MSS. Prov. Burg. auth. ſæculi miſſi.*

petitionis ſeries continebat, quod tu zelo devotionis, & pro religionis augmento unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Clarę pro mulieribus illuſtribus dictum Ordinem profiteri volentibus inibi recipiendis, in oppido de Naxera, Calaguritanæ diœceſis, conſtrui & ædificari feciſti; & ſi Monialibus in dicto Monaſterio pro tempore exiſtentibus, quæ cum illuſtres eſſe debeant in delitiis nutritæ, veroſimiliter auſteritates Regulæ dicti Ordinis ſuſtinere forſan non poterunt, linteaminibus lineis, groſſis tamen, in earum lectis hujuſmodi ſcapularia & velo tantum retinentibus, dormire poſſint, ab Apoſtolica Sede facultas concederetur; ex hoc profecto ſperari poſſet, quod plures ex ipſis illuſtribus mulieribus ad Monaſterium ipſum intrantes & in eo profitentes, libentius conduci poſſent, in Religionis augmentum, & dicti Monaſterii ſalubrem directionem. Quare ſupplicari feciſti humiliter, tibi ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, autoritate D. Papæ, cujus primariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, *modernis & pro tempore exiſtentibus dicti Monaſterii Monialibus in perpetuum indulgemus, ut ſuperiores earum, vel cujuſvis alterius licentia minime requiſita, linteaminibus lineis, groſſis tamen, in earum lectis uti; & in lectis hujuſmodi, ſcapulario & velo tantum retinentibus, dormire libere, & licite, & abſque alicujus cenſuræ vel pœnæ per earum Superiores impoſitæ vel imponendæ incurſu, aut conſcientiæ ſcrupulo poſſint & valeant, tenore præſentium concedimus & indulgemus, ac licentiam & liberam facultatem impartimur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, & juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque Indultis & Litteris Apoſtolicis eidem Ordini illiuſque Superioribus, ſub quibuſcumque verborum formis, clauſulis & Decretis conceſſis, confirmatis & innovatis, etiam mari magno, Bulla aurea, vel aliter nuncupatis. Quibus omnibus, illorumque tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliter in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ, nonis Julii, Pontificatus Domini Pauli Papæ IV. anno* III.

Anno Christi 1558.	Pauli IV. anno 4.	Ferdinandi I. Imp. anno 1.	Religionis Minorum anno 351.

ARGUMENTUM.

Maria Anglorum Regina e vivis erepta, Regnum hæthorodoxæ Eliſabethæ commendatum iterum Catholicam Religionem deſerere cogitur. Ex Franciſcanis propterea alii pœnis afflicti, alii in exilium miſſi. Reginaldus Polus Cardinalis etiam fatis cædit, cujus acta dum recenſentur, Pontifex a quibuſdam impiorum vindicatur calumniis. Similia narrare de Guillelmo Peto Franciſcano Anglo, eximio & eo Cardinali, ſe offerunt, opinionibus minus veris de tanto viro hoc eodem anno vita functo auferendo de medio. Plures viri cum ſanctitate, tum doctrina conſpicui vitam mortalem deſerunt, & plures etiam mulieres. Quidam creantur Epiſcopi. Patres Cappuccini ſua celebrant in Neapolitana urbe generalia Comitia, & Boverius de quibuſdam redarguitur. Patres quoque Tertii Inſtituti ſua indicunt Bettulæ apud Placentiam. Sancti Petri Alcantarenſis vitæ narratio continuatur. Agitur de diviſione Provinciæ ſancti Andreæ in Germania inferiori ab illa Franciæ. Ex Conventibus, & Monaſteriis alia exſtructa, & alia ad Obſervantes tranſlata. Contra quoſdam jura Ordinis perturbantes quædam Apoſtolicæ Sedis referuntur judicia. Quædam item privilegia conceſſa.

I. HOc anno, non autem MDLVII. ut minus vere in ſuo propugnaculo veritatis Antonius Broudinus, die XVII. Novembris Maria Anglorum Regina religione ac pietate conſpicua, Londini mortali vitæ finem imponens, ad cœleſtem gloriam, ut ſperare quidem nobis merito licet, a Deo evocata eſt. Cujus caſu, qui longam triſtemque malorum ſeriem florentiſſimo quondam, ac orthodoxo Regno attulit, collapſa eſt iterum illa gens, eo deſtituta valido præſidio, cui antea nitebatur. Nil ſane profuit pientiſſimæ Principi, lethali morbo invaleſcente, in quem inciderat, Eliſabethæ, ex Patre Sorori, e cuſtodia, in qua juſtis de cauſis detinebatur, eductæ Romanam fidem enixe commendare, ejuſque indemnitati pro viribus, ac ſtudioſe conſulere, quod eſt arbitrata ſatis ſuperque feciſſe, dum eamdem Eliſabetham coram regni Senatu, interpoſito Sacramento, pronunciantem ac promittentem audivit: *Volo mi Deus, ut terra debiſcat, meque vivam abſorbeat, antequam culpa mea permittam, ut fides tua catholica Romana ullum patiatur in Regnis noſtris detrimentum.* Vix etenim impia Regni ſolium aſcenderat, quum ſæviens in Catholicos, & Franciſcanos precipue, illud in primis *Monaſterium Grenovicenſe Minoriticum*, teſte Sandero, *in quo ipſa baptizata fuerat, a Maria Regina paulo antea reſtitutum, iterum dextruxit, & ad uſus prophanos ſui palatii, cui adhærebat, ædificia deſtinavit*; exinde autem, ut idem Sanderus ſcribit, *Franciſcani per inferiorem Germaniam diſperſi in exilio agunt. Non aliter ſæviit filia, quam pater, contra Fratres qui coguntur fugere in eumdem aſylii locum, ſcilicet Belgium, ſeu Germaniam inferiorem*: ubi (forte bono omine) iterum reſtituta eſt ipſa Provincia, ut deinceps patebit. Porro vero ſimile eſt, quod ex iis qui in hoc ultimo ſeralis exilii luctu Angliam deſeruerunt, Thomas Bourcherius illuſtri loco ortus unus fuerit, de quo Pitſæus hoc elogium contexuit: *Fuit vir pietatis, eruditionis nominibus commendabilis, quique de ſuo Ordine bene, de Patria noſtra non male, de Eccleſia Chriſti optime meritus eſt, & mortuus eſt anno* MDLXXXVI. ad quem iterum de ipſo mentio occurret. Idem etiam licet aſſerere de Henrico Holſtan, Genrgio Dionyſio, Joanne Elſtou, pleriſque aliis

Maria Anglorum Regina moritur. *Broudin. lib. 3. cap. 10. Sanderus lib. 1.*

Eliſabetha regnante, Anglia fidem iterum deſerit.

Nova Reginæ doloſum juſjurandum. *Broudin. cit. Sander. cit.*

Cœnobium Minorum Grenovicenſe ad prophanos uſus converſum.

Franciſcani in exilium amandati. *Sander. lib. 7.*

Thomas Bourqueritus.

Henricus Holſtan.
Georgius Dionyſius.
Joannes Helſtou.

aliis præſtantiſſimis Minoritis, qui in eamdem Provinciam ſunt profecti. Quibus patriam domumque pro fide relinquentibus, alii fortiori animo inibi perſiſtentes mox ſucceſſerunt. Non enim poſt tot clades illatas & intentatas, Minoritis pœnæ acerbiſſimæ deſuere, qui in Anglia ſtrenue & viriliter in vinea Domini laborarent, quorum unus *Joannes qui nomine Senismendici paſſim innotuit* (inquit Religioſus quidam Presbyter ab auctore Certaminis Seraphici * relatus) *Ordinem ſuit ſancti Franciſci amplexus, & ſecutus: vixitque in ædibus Rogeri Lokwood, ſuper viridarium Terpim in Parœchia de Layland in comitatu Lancaſtriæ, adeo celebris & omnibus virtutum numeris abſolutus, ut Comes de Darby, propter eximiam ipſius ſanctitatem, vel in maximis perſecutionibus Reginæ Eliſabethæ, procuravit ei litterat protectionis, ut publice in habitu religioſo degeret. Fratque ſpecialis a Deo gratia ei credita curandi inauditas infirmitates & morbos: adeo ſimul ac cubiculum deſerere nequivit, decrepita fractus ætate, magno inſuper vexatus dolore membrorum, quem ex auſteritate durioris vitæ, jam a pluribus annis contraxerat, confluxerit catervatim populus ex omni parte ſeptemtrionalis Angliæ, qui ſecum ducebant non modo uxores amicos & liberos, ſed etiam beſtias & pecora, ut ab ipſo medicinæ quaſi beneficio ſanarentur. Benedictini dicunt, eum ſui Inſtituti Monachum fuiſſe. Ratio quæ illos movet hæc una eſt, quod in ſepulcri lapide* Sacerdos, & Monachus *inſcribitur: quaſi Fratres Minores non æque ac illi* Monachi *indigitentur. Cæterum mulier quæ illi ægro adfuit, quæque etiamnum modo adhuc ſuperſtat, ait, illum nunquam pecuniam ullam recepiſſe vel tetigiſſe, ſed quod profeſſus ſit illi ſe fuiſſe mendicantem & mendicum, ut nomen ejus atteſtatur. Dominus etiam Guillelmus Walton, qui erat ejus filius ſpiritualis, affirmavit iiſdem Monachis, illum nudis pedibus inceſſiſſe & habitum griſeum geſtaſſe, cum corda ſancti Franciſci pro cingulo. Obiit autem circa annum* MDXC. *& ſepultus eſt in Cœmeterio præfati Layland, ad portam meridionalem Eccleſiæ, ante portam cancelli.*

Joannes Senismendicus.

* *Opuſculum hoc titulo inſignitur.*

Angelus a Sancto Franciſco in ſua Certam. Seraph. Prov. Angl.

II. Aliorum etiam idem Sacerdos eodem ſimplici ſtylo meminit dum ait: *Pater Riccardus Franciſcanus, poſtquam perpeſſus eſſet initio Regni Eliſabethæ in Anglia injuſte carcerationes & perſecutiones varias, ob fidei profeſſionem & opera charitativa in convertendo ab hæreſi gentiles ſuos, ſit exul a communi ſua patria. Poſtea vixit in Hiſpania, & mortuus eſt in Provincia Betica anno* MDCXIX. *In ejus ſepultura populus oppidi quod* Herez de la frontera *dicitur, ubi diem clauſit extremum, propter magnam opinionem quam merito de ſanctitate illius conceperat, habitum a corpore ejus pro reliquiis abſciderit: Pater Nilſon vir ſingularis pietatis Franciſcanus, a tempore Reginæ Mariæ vixit in Patria ſua toto tempore perſecutionis Eliſabethæ & Jacobi: mortuus eſt in ædibus cujuſdam Domini ..... duobus ab Herefordia milliaribus ad annum* MDCXXVIII. *ubi per triginta annos ante vixerat.* Circa hæc ipſa tempora captus P. Collier in carcere interiit, ex quibus paucis, cæteriſque non memoratis, ſatis ſuperque apparet, Minoritas Anglicanam Eccleſiam non omnino ſolitariam reliquiſſe, & ſi fere nullum Cœnobiorum veſtigium ibi remanſiſſet, de quibus ſuis temporibus ſermo erit habendus.

Richardus quidam Anglus. *Idem Angel. cit.*

Nilſon quidam Anglus.

Collier quidam Francisc. Anglus.

III. Miſerrimo Regno novas addidit clades mors quæ eadem die, qua Mariæ contigit, Reginaldi Poli Cardinalis, fulgentiſſimi hac ætate Eccleſiæ luminis, cujus mores, præclara in catholicam Eccleſiam merita & egregia facta non eſt cur referamus, cum ab omnibus pene hujus ævi ſcriptoribus jure meritoque celebrentur. At quia plerique ex heterodoxis calumnias nonnullas inique in Pontificem Maximum ſtruunt, dum ſanctæ Eccleſiæ Cardinalem commendant; noſtra præcipue intereſt, Paulum optimum piumque

Reginaldus Card. Polus diem claudit extremum.

Pontifex a calumniis vindicatur.

Pon-

Anno Christi 1558.	Pauli IV. anno 4.	Ferdinandi I. Imp. anno 1.	Religionis Minorum anno 351.

Pontificem, Obſervantium familiæ tantopere addictum, & dignis extollere encomiis, & ab iniquorum vindicare conviciis. Hiſtoricæ itaque veritati ab hæreticis labefactatæ, Pontificioque decori, dum juſte, pieque conſulimus, liceat nobis parumper ab inſtituta noſtrarum rerum narratione deflectere, ut uno eodemque tempore, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ communis matris, & Religioſæ familiæ noſtræ actis & nomini proſpicianus.

IV. Vix ergo Paulus Reginaldum ab Anglicana legatione removere tentavit, nonnulli in malam partem rem accipientes, illum reum vindictæ pronunciarunt, quaſi id ob eas, quas ipſi fingunt, inter Paulum & Reginaldum ortas ſimultates in Conclavi anno MDXLIX. feciſſet. Ajunt enim, quod cum Paulus IV. tunc Joannes Petrus Caraffa intellexiſſet, Cardinales de Polo eligendo cogitare, ſperans, *ſi hunc dejeciſſet, ſeſe fore eligendum, hæreſis, & incontinentiæ ſuſpectum accuſavit; in Germania, dicens, atque in Tridentina legatione (nam & illic unus fuerat illorum, qui Papæ gererent perſonam) Lutheranis aliquot nimium fuiſſe familiarem; cum Imm. Tremellio multam conſuetudinem habuiſſe, Antonium vero Flamminium Lutheraniſmi ſuſpectum, inter ejus domeſticos aliquandiu numeratum, & Eccleſiaſticis dignitatibus ab eo locupletatum: In Viterbienſi legatione ſontibus plerumque peperciſſe, & paucos modico ſupplicio, nullos autem morte affeciſſe. Neque vero eam vultus gravitatem a luxuriæ ſuſpicione tam immunem eum præſtare, ut puellam quamdam apud moniales enutritam a ſe genitam plurimi non exiſtiment. Mirari proinde, quid ſibi velint, quod tanto impetu ad hunc unum eligendum ferantur: Quaſi homines Pontificatu dignos Italia non progigneret, ab ultima ſcilicet Brittania hunc arceſſendum: At quem in finem? nempe ut Cæſar (cujus hic totus eſſet) Romam iterum quaſi convivando, diriperet.* Hucuſque Hæreticus Godvvinus, qui dum Poli amicitiam affectat, infenſum ſe prodit veritatis hoſtem.

Calumniæ recenſentur.

Franc. Godvvin. Comment. de Præſulibus Angliæ in Vita Card. Poli.

V. Quod Caraffa in Conclavi æquis ſibi viſis rationibus obſtiterit, ne Polus poſt obitum Pauli III. in Pontificem eligeretur, inficiari non audemus; quod autem in virum innocuum ira exanduerit, eumque carpſerit eo maledico dente, quo Godvvinus affirmat, mendacium apertum eſt, quod quis quis ſuo marte facile poteſt detegere. Verum hic nebulo nedum ſuis maledictis Joannem Petrum in Conclave perſequitur, ſed etiam eumdem ad ſummum Eccleſiæ faſtigium evectum calumnioſe criminatur. Ait namque vitam Cranmeri ſcribens, quod Paulus Gardineri Wintonienſis per clandeſtinos Nuncios molitione commotus *ut in ſe Cardinalitiam & legativam Poli poteſtatem transferret, pro odio quo Polum proſequebatur, petitioni libenter annuit, habens etiam in animo, illum Romam evocatum, hæreſeos reum agere, & eodem modo tractare, quo poſtea Moronum Cardinalem Poli amicum ſummum, quem in carcere, quoad ipſe vixit, detinuit.* Palmare hoc mendum, quod poſtremis verbis Godvvinus effutiit, lumen poterit facile noſtro lectori exhibere, ut cætera, quæ ſparſim in his hiſtoriis latent, agnoſcat. Tantum enim abeſt, Pontificem in carcere Moronum, quoad vixit, detinuiſſe, quinimo ipſe Moronus ibidem juſtis de cauſis permanere voluit. Ait enim Raynaldus vir graviſſimus Eccleſiaſticæ illorum temporum hiſtoriæ ſcriptor, judicii acrimonia, atque ſelecta eruditione nulli ſecundus, Dionyſio Athanaſio Urbinate Archiepiſcopo auctore coævo teſte, *quod Paulus in Cardinalis Moronti liberatione propendens, miſit, qui illi nunciarent, Pontificem ex gratia ipſum educere ſtatuiſſe*; Et quod Moronus *cauſam rite ſuam cognoſci conſtanter poſtulavit, ſeque ad cauſam uſque cognitam in arce permanere conſtituit.* Quinimo ab eodem Pontifice, ſi fides danda Thuano, Moroni cauſa

Idem in Vita Cranmeri Epiſc. Cantuar.

Raynald. ad annum 1557. n. 46.

detecta diſtricto examine, omni non modo culpa, ſed etiam culpæ ſuſpicione liberatus eſt.

Pontifex Polum laudibus extollit.

VI. Ejuſdem furfuris narrationem eſſe arbitramur, quam Godvvinus de Polo attexit; cujus egregiæ dotes cum non laterent Pontificem, eumdem ad Inſulas Cantuarienſes evexit, ſimulque a pietate, zelo, religione cæteriſque virtutibus etiam atque etiam commendavit, & Apoſtolicis litteris de ſua in Anglia legatione ſummopere gratulatus eſt his verbis: *Dilecte fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cognovimus ex tuis literis, & ex dilecto filio noſtro eodemque tui amantiſſimo Fratre, & Collega Joanne Cardinale Morono, te inſtituiſſe Synodum Illius Nationis Epiſcoporum ad ea quæ correctione indigent emendanda, & Eccleſiaſticam diſciplinam, quæ propter ſuperiorum temporum calamitatem penitus collapſa interierat, reſtituendam, jamque aliquot Epiſcopos convenire cœpiſſe, quod tam pium & ſalutare conſilium ſummopere in Domino approbamus, & cum ipſis Epiſcopis, prope præclaram ipſorum voluntatem, magnam laudem tribuimus. tum illius nobis in Chriſto chariſſimæ filiæ Reginæ pietatem tot aliis in rebus ſpectatam, hac quoque in re ex teſtimonio literarum tuarum libenter agnovimus. Quamobrem tam neceſſarium, & Deo gratum opus quamprimum ad exitum perduci optantes, circumſpectionem tuam in Domino hortamur, ut illud urgere ne deſinas, quoad tandem ad ſacrorum, quos ſervari volumus, canonum normam, ipſa Eccleſiaſtica Iſthic fuerit diſciplina, Deo juvante, revocata, quam ad rem perficiendam in iis, quæ æqua fuerint, noſtram & Sanctæ hujus Sedis auctoritatem, ad Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti honorem, tibi illiſque, & nunciam afferimus, & libentiſſime in poſterum impertiemur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* XXIII. *Decembris* MDLV. *Pontificatus noſtri anno* 1. Non minori ſtudio & amore Polus grati animi ergo eumdem Pontificem proſequebatur, ut videre licet ex illius Epiſtolis, quarum verba opus non eſt referre. Id etiam patefecit poſtremis ſuis tabulis, in quibus legitur: *A Sanctiſſimo autem Patre, & D. N. Paulo Papa IV. quem ante Pontificatum, ſemper ut Patrem colui, & cujus honori in ejus Pontificatu, ſecundum Deum, ſemper fideliter inſervivi; & quemadmodum in omnibus actionibus & legationibus, quas pro Sede Apoſtolica ſuſcepi, mihi conſcius non ſum, quidquam me unquam quæſiſſe, præter Dei honorem & ejus Eccleſiæ dignitatem, & utilitatem, poſt pedum oſcula beatorum, paternam benedictionem, cum omni reverentia peto, pacem & incolumitatem & omnem veram conſolationem illi optans.* Num autem iſthæc in Polum pontificiæ vindictæ & odii ſint argumenta, lectoris eſto judicium. Non ergo *reum agendi* Paulus Romam evocavit egregium virum, *qui dixit, quod volebat vocare omnes Cardinales ad Curiam propter multas cauſas*, quemadmodum in Actis Conſiſtorialibus legitur. Neque nos propterea facile inducimur in eorum ſententiam, qui opinantur, Pontificem ad talia commotum, quod inducias inter Philippum & Henricum Reges, ſeſe inconſulto, olim Polus firmaſſet: ſive cum aliis id egiſſet, quod Mariam Reginam ab inferendo Henrico bello nuper non abduxiſſet: ſive demum, quod fidem ſuam, quam ſemper illibatam ſervaverat, dubiam feciſſet, illorum qui non recte ſentiebant, conſortio. Quæ ſane ſi vera eſſent, in eximiam Pontificis commendationem cederent, qui flagrantiſſimum ſtudium, quo æſtuabat, tuendi catholicam fidem, paternæ dilectioni, qua Polum proſequebatur, præpoſuiſſet, illumque propterea Romam ad cauſam dicendam accerſiſſet. Immerito igitur Godvvinus, aliique ejus corruptæ mentis auctores decus tanti Pontificis carpunt, *quem morum optimorum religioſæque vitæ peritum in paucis*,

Epiſt. Pontif. ad Polum. *Apud Raynal. ad ann. 1555. n. 34.*

Card. Poli ultima Tabulæ. *Ex Ciacon. in Vita Poli ſub Paulo III. ad annum 1534.*

Pauli Pontificis encomia. *Auctores citati.*

qui

quo vix plura quiſpiam, aut ſalubriora ad collapſos Chriſtianæ reipublicæ mores reſtituendos, vel ad caſtitatem religionis retinendam, ad illud tempus, decreverat, Sacchinus teſtatus eſt. Eo addito: *hoſtes ipſos, Paulum vitæ, Sanctiorum modo, faſtigium impoſuiſſe, faſſos*. A Guillelmo Sirleto, *Chriſtianæ pietatis aſſertor atque reſtaurator dictus eſt Paulus*; Italiam illud ei elogium debere, *Reparator labentis Catholicæ Fidei*, dixit vir graviſſimus Antonius Bandinus, Octavii Cardinalis parens. Joannes Paulus Flavius, oratione ad Cardinales in ejus funere habita, *ſine ulla vitæ labe, ſine ullo aperto aut gravi crimine, in perpetua* LXXXIII. *annorum vita eum conſtanter verſatum, nullumque pene verbum ab eo vel Italice, vel Hiſpanice, vel Græce, vel Hebraice, vel Latine prolatum, quod pro oraculo accipi non poſſe videretur*. Homines improbi Pauſum lætis oculis viderunt extinctum. Cur? reſpondebit vir diſertus. (*Quia Dei honorem zelatus eſt ad Chriſti formam, quia de medio fuſtulit impios, quia flagris cæcidit blaſphemos, quia a prædonibus tutatus eſt negotiantium merces, quia flammis dedit Hæreticos & Pædicones, quia in ergaſtula conjecit Apoſtatas, quia neminem permiſit impune mœchari, quia Judæos conſpicuo ſigno diſtinxit a Chriſtianis, quia quoſdam immeritos indignoſque nobuit in Senatum ..... adlegere, quia Aulæ mores a recto tramite devios corrigere ſtuduit, quia Orbem legibus ſalutaribus coercuit, quia fratris ſui filios ipſemet ejecit ..... Denique ..... quia ſanctis prorſus moribus, quoad vixit enituit.*) Longe plura in laudem tanti Pontificis habes apud Ciacconium in additionibus Auguſtini Oldoini.

VII. Polo in eodem legationis munere ſubrogatus fuit Guilielmus Petus Ordinis noſtri alumnus, de quo anno præterito diſſeruimus, & qui hoc eodem anno, quo Polus & Maria, vita functus eſt, ut hujus etiam eximii viri morte res Fidei in Anglia in ſummo diſcrimine, Deo ſic diſponente, conſtituerentur. Cæterum hoc ſolum de Peto certum nobis narrant Hiſtorici, quod anno præſenti obierit: reliqua vero ejus vitæ tam dubia ſunt & obſcura, ut novus Melchiſedech hac ætate in illo dixiſſes exortum. Pater certe & patria ita in tenebris latent, ut nullum de iis documentum ſit invenire: Anglum oriundum Godvvinus opinatur, in Anglia ortum cæteri Auctores affirmant. *Petum* idem Nebulo vocat, alii *Peytoum*, quidam *Peytum*, cæteri *Petum* appellant. Obſcuris ortum Parentibus eum Thuano, & Auctore vitæ Cardinalis Poli, quem Raynaldus refert, Ciacconius aſſerit, dum Peti vitam narrat, ſui oblitus, qui in vita Poli ſententiæ Waddingi, Spondani, Godvvini, cæterorumque adhærens *nobilem Anglum* ſcripſerat. *Ordinis Minorum* Spondanus; *Franciſcanum* Godvvinus; *Strictioris Obſervantiæ* Ciacconius; & *de Familia, quam de Obſervantia appellant* Joſeph Silos, & Acta Conſiſtorialia faciunt. Epiſcopum Sarisburienſem omnes fuiſſe affirmant; quinimo talem diſerte Acta Conſiſtorialia ad annum MDXLVII. conſtituunt; & tamen (quod ſane mirum) de hujuſmodi Epiſcopatu, neque in Pontificiis litteris, neque in actis, quæ præterito anno dedimus, dum Petus Cardinalis declaratus eſt, vel minima mentio fit. A Paulo IV. ad eamdem Eccleſiam promotum affirmant Spondanus, Ciacconius & Godvvinus; perperam tamen, quum anno MDXLVII., quo ad hoc regimen promotus eſt, Paulus III. regnaret: *Fato præventum, antequam Angliam intraret, oblatos ſibi honores* (Purpuræ nimirum & Legationis) *inire non potuiſſe, quos nec niſi coacte ob reverentiam Poli, quem ſumma obſervantia, ut par erat, proſequebatur, ſuſceperat*, ſubdit Spondanus Godvvino adhærens: Quod tamen inficiatur Silos, cui Ciacconius conſentit, dum ait, *quod Petus, quandiu deinde ſupervixit apud ipſum Polum permanſerit, ignarus, quid de ipſo Romæ factum eſſet, & quod in An-*

Guillelmus Petus Legatus ad Anglos. *Ciaccon. in vita Pauli IV. Spondan. ad annum 1557. n. 7. Joſeph Sylos in hiſtor. Cleric. Regul.*

De eo plerique diverſa opinantur

Ex Arch. Vatic. in Act. Conſiſtor. an. 1547. Spond. ad ann. 1557. n. 7. Ciaccon. in vita Card. Poli ſub Paulo III. Card. XVIII. & in vita Petri ſub Paulo IV. Godvvin. in vita Epiſc. Sarisbur. Ciaccon. in vita Petri ſub Paulo IV. Card. XIX.

Anglia fato conceſſerit, apud Cantuariam tumulatus. Demum Legati poteſtatem Polo ademtam Guillelmo Pontificem contuliſſe nemo neſcit, qui ſacram prælibavit hiſtoriam; & tamen Polus in ultimis tabulis, diebus quatuor dumtaxat ſupra quadraginta, antequam moreretur, ſe *Apoſtolicæ Sedis Legatum* nominare non dubitat: niſi velimus dicere, eamdem poteſtatem eidem fuiſſe deinceps reſtitutam, de quo certi nihil habemus. De tanto Viro nos certiora ſectati, quam breviſſime e re duximus poſteritati memorare, ne ſuo ſatis nomine clarus rebus geſtis prorſus lateat.

Petri vitæ compendium. *Auctores citati.*

VIII. Guillelmus Petus ergo in Anglia nobilibus ortus parentibus, Franciſcanæ Familiæ, quam de Obſervantia dicunt, dato nomine, pietate atque doctrina adeo reſulſit, ut ad plures meruerit in Ordine honorificos gradus aſcendere, Mariæ Angliæ Reginæ ſacras Confeſſiones exſcipere, & quod cæteris præſtat, a ſummo Pontifice Paulo IV. ſequenti honeſtari elogio: *Dilectus filius noſter Guillelmus Peto Fratrum Minorum Profeſſor, nemo veſtrum, ut credimus, ignorat, quanta vitæ integritate, quanta ſacrarum litterarum ſcientia, quamque ſana doctrina præditus ſit, quantum Catholicæ Fidei, ac Religionis ſtudium turbulentiſſimis illis temporibus, quantum denique erga Sereniſſimam Reginam fidem ac devotionem declaravit; cum ex illo tempore, quo hic eum cognovimus, adeo ſemper dileximus, propter ſpectatam ipſius probitatem, & fidei zelum, cujus non in patria modo, ſed Romæ etiam ſpecimen dedit, ut ab ipſo Pontificatus initio de eo in Cardinalium Ordinem cooptando, veſtræque nationi hoc habendo honore cogitaverimus, Reginæ quoque ipſi id gratum fore exiſtimantes; dilatus autem hic honor, & non ſine divino conſilio ad hoc tempus illi reſervatus fuit. Etenim cum de Cardinali Presbytero creando, & Legato in locum ipſius Reginaldi ſubſtituendo, conſilium noſtrum cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus communicavimus, mirifico omnium conſenſu & ſtudio utrumque factum eſt; itaque miſimus ad eum hujus honoris inſignia.* Anno MDXXXII. Oratoris ſacri munere eo animi robore functus eſt, ut primus omnium e ſuggeſto in Grenovicenſi apud Londinum Minoritarum Cœnobio, velut antemurale pro domo Dei, Henrici matrimonio cum Bolena palam ſeſe oppoſuerit, illumque acriter arguerit. Ut vero egregia viri fortitudo in hoc ſpectetur, lubet hic narrationem, quam de hac re auctor citati operis, cui titulus: *Certamen Seraphicum Provinciæ Angliæ* ex Annalibus Joannis Stovv ab Hovves adnectere: *Primus omnium, qui eum Anna Bolena inito matrimonio, Regi palam ſeſe oppoſuit, illumque coram reprehendit & arguit, fuit frater quidam Peto nomine, vir ſimplici ac aperto pectore, pietate vero inſignis, de Ordine Obſervantium. Hic Grenoveci prædicans ſuper cap. 21. 3. lib. Reg., videlicet ultimam partem hiſtoriæ Aehab dixit:* In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum o Rex. *Hinc occaſionem loquendi de Pſeudoprophetis, qui Regem deceperant; illumque injuria affecerunt, arripuit: Ego,* inquit, *ſum ille Michæas, quem odio habebis, & exoſum, quoniam me hoc tibi matrimonium plane eſſe illicitum, ſecundum veritatem, denunciare oportet. Et quamvis pane tribulationis, & aqua angustiæ me ſuſtentandum iri præſciam: nihilominus, quia divinus me Spiritus afflavit, & os meum erudivit, loqui neceſſe habeo:* Poſtea vero cum adverſus ſecundas Regis nuptias, ut ab eis illum avelleret, luculenter & nervoſe invexiſſet; *fateor,* inquit, *nec diffiteor, multos, imo nimis multos eſſe concionatores, qui ſpe promotionis temporalis alia, & his diſſimilia tibi proponunt, ſuadent, & inanes fragileſque tui animi motus, rationis prorſus expertes, fovent. At quorum? nimirum, ut pinguia acquirant beneficia, divites evadant, ac Abbates fiant; ut juriſdictionem com-*

Primus omnium Henrico Regi in factum reſtitit.

Auctor de ſancto Franc. in ſuo Certam. Seraph. Regni Anglia.

pa-

parent Epiſcopalem, alioſque Eccleſiaſticos dignitatis gradus obtineant; cum interim his, & hujuſmodi modis, prob dolor! Animam tuam, honorem tuum, poſteritatem tuam produnt, perduntque in æternum: Hos dico ego & pronuncio libera voce, quadringentos illos eſſe Prophetas, quos ſpiritus erroris, ac mendacii afflavit: qui te in idipſum decipere & adducere conantur. Verumtamen, o Rex, cave tibi, ne ſeductus, pœnas Achab, cujus ſanguinem linxerunt canes, eaſdem & perſolvas & luas &c. Rex ſic correptus æquo tuliſſe animo viſus eſt; nec ullam Peto vim aut violentiam intulit. Cæterum Dominica ſequenti, quæ octava Maii incidit, Doctor Curvinus pro ſuggeſtu late peroravit; ubi contra Petum, ejuſque concionem acriter egit, inclamando illum *canem, detractorem, vilem Fratrem mendicum, ignobile caput, perduellionem denique & proditorem.* Subinferens, nullum ſubditum tanta cum audacia Principem alloqui debere aut poſſe: multiſque aliis ad eamdem rem, & in commendationem matrimonii, quod per illud ſcilicet, ſemen ejus in Throno ſuo ſtabiliretur ſempiternum, prolatis; arbitratus ex hoc ſe Petum, & Fratres ejus obruiſſe & ſuperaſſe, vocem extulit. *Te Peto*, inquit, *alloquor, qui te Michæam alterum facis, ut de Regibus male & liberius loquaris; at nunc non es inventus, utpote qui meis argumentis nequaquam facere ſatis potuiſti, præ timore pariter ac pudore fugam arripuiſti.* Dum vero hæc effutiret, erat quidam F. Elſtovv haud Peto conſtantia, & religione ſecundus, qui in doxali Eccleſiæ juxta crucem conſiſtens, libera & alta voce ſic D. Curvinum affatus eſt: *Bone Domine, ſcias, Patrem Peto, prout in mandatis habuit, ad Concilium Provinciale Cantuariæ convocatum adiiſſe; & non præ tui timore fugiſſe; minime te fugit; eras denuo aderit. Interea temporis, en tibi velut alter Michæas ad comprobanda ex ſacris paginis univerſa pariter ac ſingula, quæ docuit cum periculo capitis, paratus adſto, atque adeo, te coram Deo, & omnibus æquis Judicibus ad hoc certamen voco & provoco: Te te Curvine compello, qui unus ex iſtis quadringentis es Prophetis, in quo ſpiritus mendacii & erroris ſe totum infudit, ad te dirigitur oratio mea, qui per adulterium ſucceſſionem regiam ſtabilire contendis: Te qui Regem interminabili involvis perditione, ad te, inquam, qui ſtudio magis inanis gloriæ & dignitatis ambiendæ, quam ut, vel aggravatam tuam exoneres conſcientiam, vel Regis ſaluti conſulas, totus hic ſermo meus convertitur & collimat.* His dictis, inardeſcens tanto cœpit cum fervore eloqui, ut nemo illum, quoad uſque Rex ipſemet ſilentium indixiſſet, cohibere ullo modo potuerit. Poſtera die ex juſſu Regis, ille una cum Peto Concilio regio ſiſtitur. Ubi cum nonnulli, qui Regi a conſiliis erant, illos acriter increpaſſent, tum Comes de Eſſex ſuam de iis tulit ſententiam, afferens eos dignos eſſe, qui ſacco incluſi in Tameſis flumen merito eſſent projiciendi: cui Elſtovv ſubridens; *Hæc & hujuſmodi minare eis, qui magnam pecuniarum vim, & ingentes numerant poſſeſſiones; eis qui ſplendide induti purpura, in delitiis ac voluptatibus dies ſuos tranſigunt traducuntque: Etenim ea nos flocci & nihili pendimus: quinimo lætabundi ſumus, quod hinc pro muneris noſtri expletione pellimur & abigimur: cumque nos probe ſciamus viam, quæ ad Cælos ducit, mari æque ac terra patere; ſummas Deo Optimo Maximo gratias agimus; quo fit, ut ſive hac ſive illac nobis incedendum ſit, ne hilum quidem, aut quidquam penſi faciamus.* Fratres hi, & reliqui omnes ejuſdem Ordinis brevi poſt expulſi & eliminati fuerunt: a quo tempore nulli deinceps ſeſe Regis libidini animique affectionibus palam opponere auſi ſunt. Hæc ille Chronologus. Fertur etiam ab aliis, Petum, antequam concionem coram Rege inchoaſſet, in ſuggeſtu aliquantiſper conticuiſſe; poſtmodum velut ſeipſum excitando ad rumpendum ſilentium, dixiſſe:

Ex eod. Auctore.

Ex eod. Auctore.

Ex eod. Auctore.

Fa-

Ex cod. Auctore.

Fare, Frater minime, inquit, *adeo, & quæ*, rursus ait, *tibi tanta causa timoris? Regem formido. Ita ne vero? Et Deum præpotentem Regem Regum præ illo non perhorrescis ac pertimescis? Si æquum sit hominem potius quam Deum Dominum Dominantium timere, vos ipsi o Rex judicate &c.* Atque ita concionem prosequutum fuisse. Alii insuper referunt, illum in eadem concione prædixisse Regi, nisi aliam iniret vivendi rationem, neminem fore in posterum de progenie superstitem, qui contra parietem mingeret; quod & rei comprobavit eventus & exitus. An non igitur illud Psalmistæ; *Non confundebar, cum loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum*. Hactenus auctor citatus. Hac de causa cum suis Franciscanis, cæterisque Catholicis in exilium abire cogitur; sociisque per inferiorem Germaniam dispersis, ipse in Galliam eodem anno MDXXXII. primo aufugit, ad Pontisaræ nimirum Cœnobium, ut ex publicis tabulis licuit nobis eruere, quæ sunt ibidem scriptæ a Paulo Pisotto totius Ordinis Generali Ministro, & a Jacobo Antonio Ferdutio de Ancona Patrum Conventualium Vicario Generali, illisque in partibus Commissario Apostolico, circa controversias Provinciarum domorumque, quas Observantes iis in locis obtinuerant, quarum tabularum sequens est tenor. *In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Universis & singulis, ad quos præsens publicum Instrumentum devenerit, notum sit, quatenus ex pluribus causis importantibus, accersitis omnibus Patribus Citramontanis Ordinis Minorum Observantiæ, qui pro tempore fuerunt Definitores in Capitulis Generalibus, a Reverendissimo Patre fratre Paulo Pisotto de Parma totius prædicti Ordinis Generali Ministro, & illis illorumque, qui nequierunt personaliter interesse, vicibus supplentis, aliisque Patribus, quamvis non Definitoribus, neque eorum vices supplentibus in Conventu Pontisarensi, Provinciæ Franciæ Parisiensis, ejusdem Ordinis, die* x. *Januarii* MDXXXIII. *in unum congregatis, videlicet eodem Reverendissimo Patre Ministro Generali, Reverendis Patribus Ministro provinciæ Franciæ Parisiensis, Ministro provinciæ Turoniæ Pictaviensis, Ministro provinciæ sancti Bonaventuræ, Ministro provinciæ Flandriæ, Ministro provinciæ Alemaniæ inferioris, Ministro provinciæ Britanniæ, necnon venerandis Patribus Reginaldo dictæ provinciæ Turoniæ Pictaviensis, Joanne* de la Haye *dictæ provinciæ Flandriæ, Guilielmo Peto de provincia Angliæ ..... Datum Pontisaræ die* x. *Januarii* MDXXXIII. *anno a partu Virgineo, tempore prædictæ Congregationis nostræ*. Ex his liquet, Ciacconium eaute legendum, dum scribit, quod Petus *in exilium pulsus, in Italiam se contulit* (si tamen hoc accidisse statim & immediate intendat) & Joannem Stovv ab Hovves, asserentem, quod anno MDXXXIII. fuerit in exilium amandatus; die siquidem x. Januarii hujus anni Pontisaræ morabatur in Galliis. Et quia eamdem ob causam eodem tempore discessit ex Anglia, quo Reginaldus Polus, non erit abs re asserere, Guillelmum Petum cum eodem Polo amicitiæ fœdere jam pridem inito, iter etiam arripuisse simul: quamvis hæc non dicant Historici, quia & Polus in Galliam, Avenionem videlicet, primum hæsit; & Guillelmus, suis sociis in Germaniam abeuntibus, vale dixit, ut Polum, ut opinari licet, sociaret. Qua de causa de eo scribit Gallus auctor Oberius, quod ex Anglia exivit æque ac Polus, aliique Angli, Alpinosque Montes pertransiit, quamvis Polus Avenione, ut narrat Ciacconius, Guillelmus autem Pontisaræ saltem aliquantisper permanserit. Una cum Polo autem (ut quidem conjicimus) Patavium in Italia redeunte, ubi per septem annos studiorum causa commoratus est, e Gallia discedens proficiscitur; quod deinde fecit quum idem Polus Romam a Paulo III. vocatus est, ut Cardinalatus dignitate donaretur. Romæ itaque noster Guillelmus Pontifici, & Car-

In exilium amandatur.

In Italiam primo aufugit.

Vide Wadd. ad ann. 1533. n. 1.

Ciaccon. in vita Petri cit. Jo: Stovv apud Certam. Seraph. Wadd. ad ann. mox cit.

Ciaccon. cit. in vita Poli.

Patavii manet.

Romam proficiscitur.

& Cardinalibus, præcipue tamen Joanni Petro Carafæ valde acceptus, anno MDXLVII. Epiſcopatum Sarisburienſem ab eodem Paulo III. conſequitur. Quum autem Paulus IV. ſuis in orationibus, & litteris datis, quo tempore Guillelmum Cardinalem ac Legatum inſtituit, nec verbum quidam de hujuſmodi Epiſcopatu habeat, quæ ſorte cauſa fuit Ciacconin, cæteriſque minus vere ſcribendi, Petum a Paulo IV. Epiſcopum Sarisburienſem renunciatum fuiſſe, cogimur proinde aſſerere, aut Eccleſiam ſibi oblatam, rationabilibus cauſis ſuadentibus, accipere noluiſſe, aut ſuſcepto prius Epiſcopatui nuntium remiſiſſe. Romæ ergo permanſit ab omnibus ſingulari amore complexus, donec Romanam veram fidem ſui Angli, Mariæ Reginæ ope, iterum coluerunt. Tunc namque cum Polo, exilii ceſſante cauſa, in patriam reverſus, illic rebus fidei ac religionis orthodoxæ inſtaurandis manum præcipuam adhibuit, atque Mariæ Reginæ continuo a ſacris conſiliis adſtitit. Cardinalis tandem atque Legatus, ut dicebamus, electus, neque Legationis, neque Cardinalatus ſumſiſſe inſignia, contra Suavem Pallavicinus jure meritoque ſuſtinet; verum ea omnia præſtitit, quæ probabiliori innixi ſententiæ ad annum præteritum enarravimus. Hoc autem anno, menſe Aprilis, meritis cumulatus & laude, vita deceſſit, ingenti relicto ſui deſiderio.

Ciacc. Spond. aliique citati.

Angliam revertitur. Pallav. hiſt. Concil. Trid. lib. 14. cap. 2. n. 5.

IX. Hoc item anno Clementem Monilianum Cardinalem obiiſſe minus vere apud Natalem Alexandrum legimus, forte ex numerorum figura mutata, quum pro LXVIII. LVIII. fuerit expreſſum, de quo libuit lectorem noſtrum monere, ne idem mendum imprudens hauriat. Deceſſit namque an. MDLXVIII. ut ſuo loco dicemus.

Morirur. Godov. in Catal. Epiſcop. Sarisburienſ. Natal. Alexan. Hiſt. lib. 9. ſæcul. 16. fol. mihi 201.

X. Obiere autem in Cœnobio Capreolæ prope Senas in Tuſcia Ruffinus de Battignano Lucus, in miniſtrando Sodalibus ægrotis ingenti caritate flagrans; item Franciſcus Yepes in Conventu ſancti Joannis Regum apud Toletum, qui otio quaminaxime inſenſus, orationi ſuperniſque contemplationibus aſſidue erat addictus; Joannes a Spinoſa in Conventu ſanctæ Mariæ de Luce Montis Cœlii Provinciæ ſancti Gabrielis, cujus Miniſteriatum, non abſque opinione ſanctitatis, abſolvit; Petrus Barnerus in Conventu ſanctæ Margharitæ Pruvini (Arturo Privinii) Provinciæ Franciæ, divini verbi egregius diſſeminator, & virtutum omnium ſervidus cultor; Franciſcus Legionenſis in Conventu Mexicano Provinciæ ſancti Evangelii Occiduarum Indiarum. Hic primo Archidiaconus Eccleſiæ Tlaſcalenſis, quæ in Angelorum urbe ſedem habet, extitit. Ferunt autem, ipſum vntum olim emiſiſſe ut Minoritis nomen daret, utque Deo quod promiſerat adimpleret. In Provinciali Capitulo apud Conventum de Nuexotzinco celebrato, religioſum habitum poſtulavit, aſſentientibus libentiſſime Patribus, quod etiam in ſæculo ſanctimoniæ ſpeculum eſſet. Morbo demum oppreſſus extremo, antequam animam exhalaret, rogatus a quibuſdam, num pauculas res quibus utebatur in Præſulis manibus reſignaſſet, converſo ad eos hilari vultu, admirabundus: *ego*, inquit, *ob quam rem Deo meo gratias ago, nihil habeo, quod relinquam præter animum iſtum in ejus manibus*: & hoc ſupremo ſuæ probitatis teſtimonio, die XXVIII. Martii obdormivit in Domino.

Ruffinus de Batignano.

Franciſcus Yepes. Ex Arch. S. Iſid. Monum. MSS. Arm. 3. num. 32. fol. 1.

Joannes de Spinoſa. Ex Arch. S. Iſid. Monum. MSS. Arm 3. n. 2. fol. 134.

Petrus Barnerus. Ex eod. Archivo Arm. 3. n. 51. fol. 183.

Franciſcus Legionenſis. Gonz. par. 4. in Prov. S. Evang. Con. 1. Baret. lib. 3. cap. 69. Artur. ad 28. Mart.

XI. In iiſdem Regionibus Franciſcus Marguina, Victoria, diœceſis Calaguritanæ in Hiſpania oriundus, & Provinciæ Cantabriæ Alumnus. Is in Indias Occiduas trajiciens, anno MDL. finem vivendi fecit, Indorum idioma aſſecutus eſt, Evangeliciſque laboribus cuivis ex præcipuis, ſanctiſque Viris illarum Regionum cultoribus facile comparari potuit. Graviſſimo demum morbo contracto, Xalapæ, die X. Decembris moritur & in Cœnobio Dominicæ Nativitatis tumulatur.

Franciſcus Marguina. Gonz. p. 4. in Prov. S. Evang. Con. 65. Baret. lib. 4. cap. 22. Gravina in voce Turtur. p. 2. cap. 24.

Franciſcus Domelanus. *Gen. par. 3. in Prov. Germ. inf. Cap. 1.*

Jacobus Dieſt. *Gonz. cit.*

Petrus Amſtelodamus. Ægidius de Monte. Petrus de Monte. *Gonz. cit.*

XII. Franciſcus Domelanus in Conventu Lovanii Provinciæ inferioris Germaniæ pietate, ac doctrina clarus, iterato Cœnobii moderator & Provinciæ, adoleſcentibus inſtruendis Præpoſitus, mira arte reſulſit. Ex quo factum eſt, ut præclariſſimos Viros ſibi ſimiles in Ordine formaverit, quorum plerique in eodem Cœnobio floruere, ac præ cæteris Jacobus Dieſt laicus orationi & laboribus adſtrictiſſimus, qui tandem in Conventu Trajectenſi ad Moſam animam Deo reddidit. Ei non abſimiles fuere Petrus Amſtelodamenſis item laicus: Ægidius de Monte, vir doctrina eximius, ejuſque germanus frater Petrus de Monte, qui ſacræ Theologiæ licentiatus ac Lovanienſis Univerſitatis ſupremus moderator, tanti honoris faſtigio, cunctis admirantibus, contemto, Seraphici Ordinis diſciplinam pluribus in locis reſtituit. Quum aliquando a Regiæ majeſtatis perduellibus poſtulatus ſuiſſet, ut eis jurejurando Antuerpiæ adhæreret, alacriter illis obſiſtens, illud Apoſtolicum uſurpavit: *Obedire Deo oportere magis, quam hominibus*; malens in exilium cum ſuis amandari, quinimo & damnari morte, quam vel minimum a recto diſcedere. Scripſit in ſeptem Pſalmos pœnitentiales & in Pſalmum CXVIII. ſermones, non minus eruditionem, quam pietatem ſpirantes; quos prælo committere non fuit illi conceſſum, quia Principis Auriaci vitia acriter in iis inſectabatur. Scripſit præterea pium ac eruditum tractatum *De Paſſione Domini ea*, in cujus aſſidua meditatione adeo movebatur, ut totus abiret in lacrymas, & multoties cordis etiam deliquium pateretur. Demum P. Arnaldus * Aloſtanus, acerrimus hæreticorum inſectator, nec minori pietate conſpicuus, qui ſequentia opera edidit: *De plauſtris hæreticorum ad Senatum, populumque Antuerpienſem*: item *De Confeſſione Sacramentali*: *De Purgatorio ad D. Duciſſam Parmenſem*: *De peregrinationibus ſacris & veneratione ſacrarum reliquiarum ad Thildium*: *De fugienda hæreticorum conſuetudine*: *De hæreticis deferendis & accuſandis*: *elucubrationem unam*: *De Confeſſione Sacerdoti facienda*: *De pœnitentia publica & ſolemni, tractatum unicum*: *Cathechiſmum inſtar dialogi inter pœnitentem & Catheehiſtam*, quæ omnia dedicata ſunt Granvellano Archiepiſcopo Mechlinienſi. Inſuper *Theacrum converſionis gentium totius Orbis*, ſive *Chronologiam de vocatione ad unitatem fidei omnium populorum*. Scripſit, & alia, quæ morte præventus, edere in lucem non potuit. *Theatrum converſionis gentium*, ſive *Chronologica de vocatione omnium populorum per univerſum Orbem Fidei*, *Chriſtianæque Religionis deſcriptio*, Antuerpiæ, typis Plantini MDLXIII & MDLXXII. in 8. cum Appendice. *Fulgentii de Brabantia & Lucana Paræneſi de Triumphalibus Evangelii*, Antuerpiæ MDLXXII. in 8. *De Rogationibus, peregrinationibus, Hymnis & ſolemnibus ſupplicationibus, cum Lucernis, & omni Religionis Panoplia* lib. 3. Lovanii MDLVI. ac Lugduni MDLVI. in 8. *De Euchariſtiæ Sacramento contra Sacramentarios*, vernacule, Antuerpiæ MDLXVII. *De ſancta Cruce, ejuſque religioſa adoratione* MDLXVIII. in 8. *Rerum publicarum perturbator*, Lovanii MDLXIV. in 8. Agit in eo de *Fide Catholica*: *Orationem Paræneticam* de *Hæreticis deferendis & accuſandis* ad Franciſcum Zamorenſem totius Ordinis Minorum Generalem, Lovanii formis Joannis Bogardi MDLXIV. in 8. *Imagines mortis cum epigrammatibus & iconibus*, Coloniæ anno MDLXVII. *Medicinam animæ*, ibidem typis Birkmanni. Peſte ſublatus, naturæ debitum ſolvit Lovanii, ſepultuſque apud Minores in loco Capitulari, hoc epitaphio meruit decorari.

Arnoldus Aloſtanus. * *Alias Arnoldus.*

AN-

Anno Christi	Pauli IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 351.
1558.	anno 4.	anno 1.	

ANNO DOMINI MDLXXVIII. V. SEPTEMBRIS
CONTAGIOSA LUE EX ERGASTULO CARNIS
EREPTUS EST VENERANDUS
PROVINCIÆ PATER ET DEFINITOR,
F. ARNALDUS ALOSTANUS,
QUI CUM PROVINCIAM IN VARIIS ORDINIS
OFFICIIS PRÆCLARE ORNASSET,
ECCLESIAMQUE CHRISTI MULTIS EDITIS
PIIS VOLUMINIBUS ILLUSTRASSET,
DIEM HIC CLAUSIT EXTREMUM, CUJUS ANIMA
REQUIESCAT IN PACE.

XIII. Sed ad eorum celebrandam memoriam, qui hoc anno cœlesti sunt corona exornati, redeuntes: par est, ut non minori spectandos virtutum merito adjungamus. In Monasterio Monialium de Hoechstraten Antuerpianæ diœcesis, Provinciæ ejusdem Germaniæ inferioris, frater Nicolaus Meynardi obiit in Domino hoc anno, non MDLVI. ut in Waddingo legitur, dum de fundatione laudati Monasterii agens, scribit: *Fuit in hoc Monasterio Nicolaus Meynardi Rosch a Monfort aliquando Sororum Confessarius, juxta summam aram ad Epistolæ cornu sepultus, cujus hoc legitur epitaphium = Ingressus est Ordinem sancti Francisci Lovanii anno* MDII. *vestitus a V. P. Theodorico a Monasterio, festo trium Regum. Eumdem Ordinem professus anno sequenti* MDXII. *festo trium Regum. Missarum primitias obtulit Deo anno* MDXIII. *festo trium Regum. Mortuus est in hoc Cœnobio Monialium Confessorius anno* MDLVI. *festo trium Regum.* Monumenta etenim Provinciæ Germaniæ inferioris pervetusta, ex quibus ad verbum præcitatus Waddingus notitiam hujusmodi excepit, habent MDLVIII. non annum MDLVI. Nicolaus Meynardi. *Ex Arch. S Ifid. MSS. auth. Arm. 5. n. 144. fol. 13. Wadd. ad ann. 1490. n. 67.*

XIV. Multi etiam ex Patribus Capuccinis se offerunt, qui novam & florescentem in Ecclesia & Orbe Seraphico sobolem suis virtutibus magis magisque illustrarunt. Bernardinus de Balbano Lucaniæ oppido, Apostoli instar, fere universas Apuliæ, Calabriæ, ac Salentinorum urbes Apostolicis laboribus excoluit, ubique ingenti cum animarum profectu, & aliquando non sine vitæ discrimine, verbum Dei disseminavit, virtute cujus, ferunt, quosdam invalescentes hæreticos in Licienli urbe profligasse, & non semel Columbæ nitidissimæ speciem, eo e suggestu dicente, apparuisse. Ita lumine divino perfusus, rerum erat absentium, ac futurarum conscius. Ejusdem meritis, legitur, Fratribus annonam cœlitus ministratam. Nonnulla etiam reliquit spiritualia opuscula: *Methodum orandi: Meditationes de vita Christi: Mysterium flagellationis Jesu Christi in formam meditationum redactum, pro singulis hebdomadæ diebus*, quod Gallice versum, prodiit Parisiis, anno MDCI. apud Robertum le Fizelier: *De novem effusionibus Sanguinis Christi: De septem Regulis bene vivendi: Tractatum de Prædestinatione & libero arbitrio hominis*, Venetiis MDXCIII. *Tractatum de gloria Paradisi* tom. 1. in 16. *Speculum Orationis*, in quo exprimitur ejus necessitas & utilitas, atque alia pissima opuscula, quæ etiam nunc inter hominum manus versantur. Obiit hoc anno Consentiæ. Bernardinus de Balbano. *Wadd. de Script. Ord. lit. B. Dionys. Genuens. in Bibl. Script. Capucc. lit. B. Bover. ad hunc ann. n. 4. Flor. Seraph. To. 2. fol. 151.*

XV. Bernardinus Ophidanus, minus vere Bernardus ab Arturo nuncupatus, Picenæ Provinciæ laicus, ex primis qui Observantium familiæ vale dixerunt, ut ad novam Cappuccinorum Congregationem transmearent, a Clemente VII. Diplomate impetrato, prope Colmazonem, juxta Camerinum, decessit. Refert autem Olissyponensis, quod Deus suis precibus extinctum puerum revocavit ad vitam. Bernardinus Ophidanus. *Bover. cit. n. 6. Ibidem fol. 35. & 160. Act. SS. Tom. 1. mensis Junii fol. mihi 627. Artur. ad diem 4. Junii.*

Anno Christi 1558.	Pauli IV. anno 4.	Ferdinandi I. Imp. anno 1.	Religionis Minorum anno 351.

Ægidius Turianus.
Bover. cit. n.13.
ibidem fol. 102.

XVI. Ægidius Turrianus in Conventu ſancti Petri Porcariæ, ſive Aquæſpartæ in Umbria, hoc item anno migravit ad ſuperos. Viri pietatem in egenos Deus probatam quibuſdam prodigiis voluit, de quibus Boverius ad hunc annum conſulendus eſt.

Paulus de Arenario.
Flor. Seraph. cit. fol. 153.

XVII. Paulus de Arenario, Scandriliæ Conventus Guardianus, Vir omnium virtutum ornatiſſimus, ac tantæ ſingularis abſtinentiæ, ut per aliquot annos quotidiano victui, unum tantum, vel duos ad ſummum leguminum pugillos & aqua adhiberet; cunctaque temporum ſpatia ſibi ad orandum data exiſtimaret. In eodem Conventu ſub maximæ Corvorum miræ magnitudinis, ac horribilis aſpectus, multitudinis imagine hortum, tecta, arboreſque implentium, horridoque ſtrepitu crocitantium conſpicit, Dæmones: Fratribus inſidiantes eſſe divina revelatione, dum orat, accipit; quos ſuo conſilio prudentia & oratione fugat, ita ut maximo cum ſtrepitu abeuntes, roſtra ungueſque in mutuam cædem convertentes, ſe ipſos diſcerperent, volatuque celerrimo in propinquam vallem præcipites ſecederent.

Amarellæ Mentalis M.
Wadd. in Catal. Martyr.
Ex MSS. auth. Prov. Majoric. Arm. 3. num. 55. fol. 91.
Bartholomæus Geneſtar.
Franciſcus laicus MM.
Dacta lib. 3. cap. 29.
Gonz. p. 3. in Provin. Major. Con. 3.
Mentia de Mendotia.
Barett. lib. 3. cap. 72.
Wadd. ad ann. 1371. §. 33.
Eleonora Luco de Vega.
Ex Arch. S. Iſid. MSS. auth. Arm. 5. n. 142. fol. 296.
Catharina de Matre Dei.
Emanuel. de Spe in hiſt. Provin. Portugal. lib. 5. cap. 11.
Joanna de Altovitis.
Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. num. 22. fol. 267.
Margharita Lucenſis.
Wadd. ad ann. 1426. §. 23. 1459. §. 76. 1460. §. 63.

XVIII. Ex noſtris Virginibus legimus, cœleſti Sponſo per Martyrii palmam ſuiſſe hoc eodem anno conjunctam Amarellam quamdam (in MSS. Provinciæ Minoricæ *Agueda Amallera*) dum Civitatulæ, oppidum Minoricarum (Arturo *Majoricarum*) una cum Cœnobiis Franciſcanorum & Clariſſarum a Turcis expugnaretur. Eamdem ad Cœlos evolantem martyrii corona decorati ſociarunt Bartholomæus Geneſtar adoleſcens Clericus, & Franciſcus laicus.

XIX. Cœnobium Giennenſe ſanctæ Claræ Provinciæ Granatenſis Mentia a Mendotia nobilitavit, laude virtutum & ſanguinis, cibi abſtinentia admiranda potius, quam imitanda: imitatæ ſunt tamen in cæteris piæ Sorores ætate ſequenti, ſacræ domus diſciplinam ejus exemplo perpetuo retinentes.

Idem *Wadd. ad an. 1489. §. 14.*

XX. Huic non abſimiles aliæ tres obierunt Sorores, magna nominis fama poſteritati relicta, Eleonora Luco de Vega nobiliſſimo viro Laurentio Suarecio de Figueroa, & Mendotia nata Connubio, ſed ſanctimonia nobilior in Monaſterio ſanctæ Annæ Badejocii, Provinciæ ſancti Michaelis in Hiſpania, cujus fundatrix, ac moderatrix fuit. In Monaſterio ſanctæ Claræ Santarenenſi, Provinciæ Portugalliæ omnibus virtutibus, ſed præcipue humilitate, aſſidua oratione, atque contemplatione illuſtris. Catharina de Matre Dei moritur, Præfectæ munere fungi non ſemel recuſans, ſoliſque divinis rebus intenta, pluribus donis a ſuo cœleſti Sponſo ditari meruit. Joanna de Altovitis Florentina, quæ ab ineunte ætate eremiticam vitam ducere conſtituens, mentito habitu clam ad ſolitaria loca ſeceſſit. A Patruo tamen inventa, & ad Patriam domum reducta, in Monaſterio ſancti Georgii, ſive ſancti Hieronymi nemoris Florentiæ Chriſto ſponſo ſe dicavit. Pro Animabus Purgatorii brachiis extenſis preces fundere perpetuo conſuevit, aliis etiam virtutibus præſtans, a Deo meruit pluribus gratiis ditari. Obiit die XVIII. Martii. Demum quædam Margharita Monaſterii Clariſſarum ſancti Michaelis urbis Lucenſis in Tuſcia divino nutu, ita ejus eximiis dotibus exigentibus, in Abbatiſſam aſſumta. In eodem ſacro Lucenſi Monaſterio, cujus Waddingus non ſemel meminit, diverſis tamen, incertiſque temporibus, aliæ quamplures Virgines religione & pietate floruere, in quarum ſanctimoniæ teſtimonium pluribus cœleſtibus apparitionibus, frequentiſque, dignatas, atque ſpiritu prophetico illuſtratas fuiſſe legimus. Nulla tamen ab anno MCCCCLXXXIX. quantavis ſanctitate prædita, ſignum ullum (miracula dicimus) unquam patravit; quod ad miraculum referunt, & precibus ac meritis beati Bernardini Feltrenſis aſcribunt, qui anno MCCCCLXXXIX. ut inquit Waddingus, ea in urbe aliquot menſibus commoratus, viſaque populorum frequentia in hac Eccleſia, atque auditis applau-

Anno Christi	Pauli IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 351.
1558.	anno 4.	anno 1.	

plaudibus, quibus ſacræ Virgines extollebantur, ob quarumdam Conſodalium defunctarum ſigna & miracula; timens Vir ſanctus, ne ex his viventibus laudi ſubreperet appetitus, in humilitatis Chriſtianæ præjudicium, aut importunis hominum acceſſibus ſpiritus ſervorem remitterent, oraſſe fertur & exoraſſe, ut nulla deinceps, licet ſanctiſſima, miracula patraret, ut hac ratione tutius in humilitatis ſpiritu altiſſimo famulatum ducerent. Porro plurimas in ſacro Sanctimonialium Cœnobio ſanctimonia floruiſſe Sorores, luculento Dionyſii Pulinar. comprobamus teſtimonio. Neque ſequentes degeneres unquam fuerunt; optime enim Minoriticas leges cuſtodiunt, & in populo audiunt: unde etiam anno MDCLXXVIII. Julius Cardinalis Spinula Epiſcopus Lucenſis, poſtquam ſingulas auriculariter audivit, & ſepta Monaſterii luſtravit, in egreſſu adſtantibus dixit: *biſogneria, che tutte le Monache del Mondo ſtaſſero qua dentro*. Licet enim ſecundam ſanctæ Claræ Regulam, quo ad bona immobilia poſſidenda, profiteantur, in reliquis tamen rigorem primæ regulæ ſervant. In Brulæ Cœnobio Provinciæ Colonienſis cor & præcordia, apud Aram maximam, e regione tumuli Adolphi ſui deceſſoris depoſitanda reliquit Antonius Archiepiſcopus, & Elector Colonienſis e Comitibus Schavvemburgicis, qui die XVIII. Junii ſatis ceſſit.

Pulin. in Chron. MS. Prov. Tuſciæ p. 2. fol. 370.

XXI. Ex Tertio item Inſtituto Congregationis Zepperenſis in Belgio Petrus Godefridus Cœnobii Andarturienſis Pater, Generalis Miniſter & Cameracenſis Suffraganeus deſignatus, onus indoli ſuæ, ac eximiæ humilitati impar recuſare non detrectavit. Iterato Romam petiit, familiæ ſuæ impulſus negociis, pro qua etiam multa prudenter conſtituit, & ab aliis fieri curavit. Sodalibus integritate morum erat exemplo, alienis admiratione, omnibus adjumento. Scripſit autem *Concionem de Reſurrectione Salvatoris noſtri*, Antuerpiæ anno MDLI. *Chlamydem Sponſi, de interiore invitatione vitæ ac Crucis Chriſti*, ibidem MDLXIII. *Deſertum* ſive *Eremus Domini* vernaculo idiomate, quo probat quomodo Chriſtianus debeat ſequi Chriſtum; *Lumen veritatis in hoc tenebroſo Mundo*, ibidem. Sanctiſſime diem ſuum obiit Antuerpiæ, & ſepultus in ſummo choro, ante templi ab hetherodoxis devaſtationem, adjuncto hoc epitaphio:

Petrus Godefridus. *Bordon. in Chronolog. Ter. Ord. cap. 38.*

Cujus in hoc templo, Lector, venerabile buſtum
Aſpicias, monitis certior eſto meis.
Nempe Pater tumulo requieſcit Petrus in iſto,
Cui cognomentum gens Godefrida dedit.
Cuique fuit genitor Cornelius, iſtius urbis
Indigena, & gnatus Cœnobiarcha domus.
In qua Franciſci reſidet ſpecioſa propago
Sancti, cognomen Tertius Ordo fecit.
Vixit in hac luſtris, ſanctiſſima vota profeſſus,
Bis quinque, haud multa, pluſve minuſve, pius.
Divorum factus myſtes, Chriſtique Sacerdos,
Quatuor æſtates, deinde quaterque decem.
Exegit, facto numquam reprehenſus in ullo,
Integer uſque adeo, morigeruſque fuit.
Ergo illum probitas, ne non dotata maneret,
Præcipuo ornavit ſemper honore Deus.
Principio hanc ædem juſto moderamine rexit,
Præfectus Sancti bis tria luſtra loci.
Hocque gradu aſcenſo, meritis poſcentibus, idem
Ordinis Antiſtites totius inde fuit.

In

In quo ſic pietas, cunctis innotuit illis,
Concilii ditio quos Zeperenſis habet.
Ut ſibi non alium oſtarent habuiſſe Miniſtrum,
Præfuit annos ſex, quinque, quaterque, quibus
Expletis, donec vitæ felicíter annis
Septem, ſed decies addidit, uſque bonus.
Cum Deus æterni moderator, & arbiter Orbis
Evocat ad grati præmia certa poli.
Sol ter quingentos fere ab orto ut voluerat annos
Jam Chriſto, & decies quinque, quaterque duos.
Dena pruinoſi nam lux erat orta Novembris
Quarta, nunc animæ fauſta precatus, Abi.

Alphonſus de Caſtro. *Ex Arch. S. Sfd. Monum. MSS. Arm. 5. n. 144. fol. 59. Wadd. de Script. Ord. Ep. A. Natal. Alex. To. 9. ſæcul. 16. fol. mihi 42. & 200.*

XXII. Sexagenario major e vita migravit etiam Alphonſus de Caſtro Zamorenſis, philoſophicis, ac theologicis diſciplinis eruditiſſimus, Salamaticenſis Cœnobii Provinciæ Compoſtellanæ Regularis Obſervantiæ Alumnus, qui merito audivit a Joanne de l'Haye *Potens hæreticorum flagellum*: a Gonzaga *Hæreſiomaſtix acerrimus, & Scriptor feliciſſimus*: a Boſquierio *Faber Theologorum, & Vulcanus Deorum*: & ab Eiſengrenio *Apoſtolicæ vitæ vir, arcana, & myſtica divinarum Scripturarum interpretatione altus*: Demum a Petro Annato: *Concionator totius Hiſpaniæ celeberrimus ſub Carolo V. & Philippo II.* Hic ad Epiſcopatum Compoſtellanum promotus, ſed morte interceptus, Bruxellis in Brabantia, nondum conſecratus, e terra cœlum petiit. Unus fuit ex Patribus Tridentini Concilii, ut alias dictum; variis & eximiis relictis profundis eruditionis monumentis, inter quæ inſigne reperitur opus *Adverſus hæreſes* in libros 14. diſtributum. Opus hoc ordine alphabetico diſpoſitum, utiliſſimum ſane ad tuendam Catholicam fidem, prodiit primum Pariſiis apud Aſcentium MDXXXIV. in fol. Venetiis deinde & Lugduni MDXLVI. atque aliis in locis; ex tertiaque Authoris ipſius recognitione, anno MDLVI. item Antuerpiæ apud Steelſium MDLXVIII. Pariſiis etiam iterum MDLXV. Tandemque cum Appendice Franciſci Fevardentii, ejuſdem Ordinis Theologi clariſſimi in tres libros diſtributo, quibus XL. hæreſes ab eodem Alphonſo vel prætermiſſæ, vel poſt ejus obitum natæ, reſelluntur duobus tomis, una cum reliquis operibus apud Michaelem Sonium, Pariſiis, anno MDLXXVIII.

Wadd. de Script. Ord. cit.

Aliqua ex hoc egregio opere reprehendit Bellarminus, cui modeſte & luculenter occurrit Waddingus noſter de Script. pag. 11. *Robertus Cardinalis Bellarminus* (Wad. inquit) *vir alioquin modeſtiſſimus, inſignem hunc Authorem, a quo potiſſimum pro ſuis ſcribendis controverſiis, ſubſidium accepit, aliquanto duriuſcule ſecundo & tertio cenſurat. Tom. 2. l. 2. de Imaginibus cap. 6. dicit, eum, non ſine temeritate & præjudicio Catholicæ fidei tam craſſos errores, tam magnis viris, Sereno ſcilicet, Epiſcopo Maſſilienſi, & Epiphanio Cyprio attribuiſſe. Attamen ſi quis legerit Alphonſum, videbit tantumodo vera retuliſſe in Sereno, quod ſanctus Gregorius in eo reprehenderat de fractis per eum Imaginibus; & in Epiphanio, quod ipſe in Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum narravit, quod ſciderit velum in quo depicta erat Chriſti imago, de quo adeo illuſtre apud aliquos audivit, ut* VII. *in Synodo Act. 6. re mature diſcuſſa, fuerit purgatus ab omni errore. Et quidem utrumque Epiſcopum ipſe Caſtro reverenter ab omni hæreſis nota dedit. Tom. 3. lib. 3. de Grat. & libero arbitrio cap. 4. ait Bellarminus, videri Alphonſum acceſſiſſe ad ſententiam Calvini in conſtituenda libertatis eſſentia, dum ait, eam eſſe libertatem quæ opponitur neceſſitati, vel ut verius dicat, coactioni; ſed tamen ipſe poſtea admittit, Alphonſum ſatis aperte indicare ſe per* coactionem *intelligere quamlibet*

Ejuſdem Alphonſi vindicatur doctrina.

bet determinationem ad unum, atque ita ſolum in modo loquendi eum recedere a communi ſententia. Tom. 4. lib. 1. de Matrimonio cap. 5. ait, eum admittere Matrimonium non eſſe Sacramentum proprium novæ legis; ſed fuiſſe in lege veteri, & a Chriſto non tam inſtitutum, quam confirmatum, quod (inquit) *tuto defendi non poteſt; ſed nihil horum habet Caſtro; docet tantum exordium habuiſſe Matrimonium in conjugio primorum Parentum, quod nullus negavit, ſaltem ratione conjugii & contractus. Vide Bonav. in 4. Diſtinct. 26. artic. 2. quæſt. 2. Et Petrum de Soto lect. 2. de Matrimonio. Numquam autem dixit Caſtro fuiſſe proprie Sacramentum ante legem gratiæ.* Hactenus Waddingus. Extant quoque noſtri Authoris. *De juxta Hæreticorum punitione* lib. 3. Salamanticæ MDXLVII. in fol. ex Officina Joannis Juntæ, Antuerpiæ apud Steelſii hæredes MDLXVIII. in 8. ut confirmaret juſtas eſſe omnes illas pœnas, quibus in Jure Civili atque Canonico Hæretici addicuntur. *De poteſtate Legis pœnalis* lib. 2. Salamanticæ MDL. in fol. ad Michaelem Munoſium, Præſulem Conchenſis urbis & Pincianæ Cancellariæ Præfectum; ſcopus eſt prioris libri, ut probet, eos falſos eſſe, qui dicunt, nullam legem pœnalem obligare ſubditorum conſcientias ad culpam, præſertim læthalem: poſterioris, eos ſimiliter a vero errare, qui dicunt, legem pœnalem numquam ſine declaratione, aut facto Judicis obligare ad pœnam. Pariſiis etiam prodierunt in fol. an. MDLXXI. & MDLXXVIII. *Nonnullos Pſalmos expoſuiſſe* teſtatur Sixtus Senenſis lib. 4. ſuæ Bibliothecæ. Ex his extant: in Pſal. 1. *Miſerere mei Deus &c. Homiliæ* XXV. Salamanticæ in Eccl. Fratrum Minorum, dictæ ad Joannem III. Luſitaniæ Regem. Salamanticæ MDXXXVII. in 8. *In Pſal.* XXXI. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, homil.* XXIV. ad Populum Salamantinum, Henrico Portugalliæ Infanti S. R. E. Cardinali nuncupatæ. Salamanticæ MDXL. Item MDLXVIII. in 8. Opera hæc omnia Pariſiis quatuor voluminibus primum edita ſunt an. MDLXV. Poſtea duobus, curante Franciſco Fevardentio, MDLXXVIII. in fol. Præterea, uti refert D. Nicolaus Antonius, ſcripſiſſe eum *pro validitate Matrimonii Henrici VIII. Angliæ Regis & Catharinæ Conjugis*, conſtat ex Nicolao Sandero lib. 1. Schiſmat. Anglic. cujus hæc verba ſunt Hiſpanos referentis, qui pro Regina ſcripſerunt. *Apud Hiſpanos vero Franciſcus Roxas, Alphonſus Vilveſius, Alphonſus a Caſtro, & Sepulveda.* His adde ex Ludovico Dupin in ſuis additionibus & correctionibus, opus aliud Authoribus domeſticis ignotum, nempe: *Commentaria in* XII. *Prophetas Minores.* Moguntiæ MDCXVII. Laudant Alphonſum, præter citatos, Jacobus de Caſtro tom. 1. Chron. Provin. ſancti Jacobi, ac Carolus de Coundhenove in compilatione Chronolog. Prov. Recollect. Germaniæ inferioris MS. Matriti apud Archivum Generale Ordinis pag. 12. ubi, inquit, Gaſpar Tamayo Salamantinus ejus charus diſcipulus hujuſmodi ad ſepulcrum epitaphium adſcripſit.

R. P. Alphonſo a Caſtro Zamorenſi,
Viro prophanis, omnibuſque ſacris doctrinis ornatiſſimo,
Qui cum Salmanticæ ann. XXX. *Theologiam*
Magna cum laude profeſſus fuiſſet,
Atque inter alia præclara, divinum illud, nec unquam
Intermoriturum opus adverſus omnes hæreſes poſt
Chriſtum Salvatorem natas edidiſſet.
Tridentum deinde adſcitus, celebre ſibi nomen comparaſſet, atque in
Sancti Evangelii, per annos XLIII. *prædicatione, ingenii, pietatis,*
Eruditionis gloriam apud Hiſpanos adeptus fuiſſet,
A Philippo II. Hiſpaniarum Rege inter alios Divinarum rerum
Conſiliarios, & Eccleſiaſtes cooptatus eſt,

Cui

Cui in Anglia dum Religionem in eo Regno reſtituit, Inſignem operam navavit.

Demum in Belgium ipſum ſecutus, a Deo optimo evocatus Bruxelle Tertio Non. Feb. MDLVIII. *ætatis an.* LXIII. *ſub Inſtituto Autem ſancti Franciſci* XLVIII.

Gaſpar Tamayo Salmanticen. Præceptori cariſſimo, ac contubernali Dulciſſimo, mœſtiſſimus poſuit.

Joannes Enoc. *Ex Arch. S. Iſid. Monum. MSS. Arm. 3. num. 11. fol. 262.*

Annalium quoque digni ſunt memoria, qui doctrinæ laude claruerunt, Joannes Enoc inſignis Theologus, ſuæque Provinciæ Flandriæ Miniſter, quem referunt, non unum opus reliquiſſe, quamvis nullum ad manus noſtras pervenerit.

Antonius Scaragius de Altimura. *Bibliot. Franciſc. I. 1. A*

XXIII. Ex libro, cui titulus: *Ornamentum Animæ*, quod in lucem prodiit anno MDLVII., iterumque Neapoli excuſum, eruimus, hac ætate floruiſſe Antonium Scaragium, aliis *Scalagius* ab Altimura, qui egregie ſuam S. Nicolai Obſervantium Provinciam moderatus eſt. Huic coævus fuit *Joannes Henricus* ſive *Henrici Ordinis Minorum ad Archiepiſcopatum Damaſcenum* in Syria *promotus* XXIII. *Martii, per obitum Joannis Bothiani*, quem Joannem Henricum, natione Gallum, licet conjicere. In Conventu namque Lodoniſalnerii provinciæ ſancti Bonaventuræ in Gallia fuiſſe alumnum Gonzaga teſtatur. Habuit facultatem pontificalia exercendi munera in civitate & diœceſi Lugdunenſi: *Apoſtolatus officium* x. Kal. Aprilis. Philippus etiam *de Arrighettis* (*Rodulpho de Anglettis*) *Ordinis Minorum de Obſervantia*, non ut apud Ughellum *ſtrictioris Obſervantiæ*, die XVI. Decembris dicitur factus Epiſcopus Nebien., ſive Nubien. in Corſica ſub Archiepiſcopo Januenſi, per obitum Andreæ de Grimaldis. Noſtri autem Viridarii auctor Joannem Henricum anno præterito, Philippum vero ſequenti, in ſua Epiſcoporum ſerie, tam primi quam ſecundi Tomi, creatum ſcribit; qui etiam aſſerit, Magiſtrum quemdam *Divum* de Venetiis Adriæ, & in Rodigina Peninſula; & Magiſtrum Valerium Tiſanum de Pitiano Juſtinopolis, & in Dalmatia in Veneto Dominio Inquiſitores pro fide tuenda conſtitutos eſſe.

Philippus de Arighettis Epiſcop. Nebien. *Ughel. Ital. Sac. Tom. 4. fol. 1013. Rodulph. cit. Ex Archiv. Vatic. in Regeſt. Conſiſt.*

Divus de Venetiis, & Valerius Tiſanus Inquiſitores.

XXIV. Euſebius Anconitanus Patrum Capuccinorum Generalis Præfectus decimum eorumdem Neapolim Generale Capitulum indicit, in quo novus Generalis eligitur vir eximius Thomas Thiphernas, quondam Bernardini Aſtenſis ſocius. Rodulphus & Baretius falſo ſcribunt, ab iiſdem Capuccinis anno MDLIX. idem Capitulum celebratum eſſe. Pleraque in his Comitiis, ait Boverius, ad præſtantiorem Religionis adminiſtrationem conſtituta ſunt. In his, ut Ordinis Procurator (qui antea ex Romana tantum Provincia aſſumebatur, ita ut Romani Conventus Guardianus etiam Procuratorio officio fungeretur) ex omnibus Ordinis Provinciis eligi poſſet; quapropter ex Mediolanenſi Provincia Evangeliſta a Canobio ad hoc munus hoc anno vocatus fuit. Idem quoque de Romani Conventus Guardiano pro tempore decretum fuit, donec ſcilicet Romana Provincia idoneos ad illud munus, quod iis præſertim temporibus graviſſimum erat, viros haberet. Provincia ſancti Bernardini, cum ob exiguum Conventuum numerum, quo concluſa videbatur, Provinciæ nomine frui minime poſſet, Patrum decreto diviſa, pars Conventuum Romanæ Provinciæ attributa fuit, altera ad Picenam Provinciam translata. Nonnulla denique in Apuliæ Provincia de quorumdam Cœnobiorum mutatione, quæ neceſſaria videbantur, ac plura alia Religioni utilia ſancita fuere. Quibus ita conſtitutis ac ſolutis Comitiis, Thomæ Generali bene viſum fuit, antequam viſitationem auſpicaretur, a novo Pontifice Paulo IV. Ordinis ac privilegiorum confirmationem quærere, quam cum nonniſi poſt ſex menſes, ob Aulicorum quorumdam conſpirationem, qui eum male erga Religionem

Capit. Generale PP. Capuccinor. Neap. *Bover. ad hunc ann. n. 1.*

Thomas Thiphernas Generalis Præfectus. *Rodulph. fol. 201. Barett. lib. 3. cap. 81.*

Pleraque his in Comitiis conſtituta.

Evangeliſta de Canobio Ordinis Proc.

Bover. cit. n. 2.

affe-

affecti essent, omnes illi ad Pontincem aditus intercluserant, vocetenus impetrasset: tandem visitationem aggressus, maxima in eo munere cum prudentiæ laude, ac regularis Observantiæ zelo, tametsi aliquanto quam priores Generales severius se gessit. Usque huc laudatus Boverius, qui *suis insidiis, tempestatibus, procellis, & discriminibus* Observantes, quos insectatur, aliosque Religiosos etiam ex sua inclyta Familia magis magisque intemperantem, minusque rectum historici animum aperit. Videtur namque Boveriani styli acrimonia cum annis crescere, nam ad hunc annum num. 3. ait: *Antiquos Religionis adversarios cujusdam Cardinalis* * *(cujus consulto nomen retineo) qui plurimum gratia apud Paulum IV. valebat, benevolentiam atque auctoritatem sibi conciliassent, cum eo conjuraverant, ut Capuccinorum Religio ad Minorum Observantium Ordinem & obedientiam Pontificia potestate revocaretur. Jamque Bulla ab iis conscripta ac parata erat, quam Cardinalis facere ob summam illius auctoritatem, sibi a Pontifice confirmandam pollicebatur. Res nulli, præterquam solis conspiratoribus, manifesta erat: Religioque in eo discrimine versabatur, ut sola Dei virtute ac potentia a supremis funeribus liberari, atque in vitam vendicari posset. Plurimæ quidem hactenus procellæ jam ab exordio in Religionem excitatæ fuerant, quæ cum palam desævirent, iis ratione & consilio obsisti poterat. Atque nulla hac sævior tempestas, quæ Religionem in utramque aurem obdormientem, neque ab ullo prorsus sibi periculo cavente, invasit. At summa Dei providentia, quæ jam ab exordio hujus Religionis naviculam, & tot ingruentibus procellis servaverat, ne his etiam hoc tempore clam concitatis fluctibus operiretur, e Cælo invigilat. Dum enim Cardinalis exitialem Religioni Bullam ad confirmationem parat, opportunamque ad illius expeditionem dumtaxat tempus expectat, Dei prorsus judicio fit, ut is ob plurima criminum capita, quibus eo tempore apud Pontificem pulsatus fuit, fugam arripuerit, neque usque ad hujus Pontificis obitum in Urbem redierit.* Est dubio procul ex alibi a nobis, & ab aliis in cæteris apologetice dictis, quod Observantium Præfecti Ordinis unionem ex animo optantes, suos adhibuerint conatus rationabiles, ut divisioni obsisterent: quod profecto etiam Patrum Capuccinorum Superiores facerent merito, si nunc ex suis sodalibus quisquam cogitaret aliam instituere Familiam, iis inconsultis. Et hæc Boverius ipse fatetur, dum ad annum MDLXII. Generalem Ordinis Minorum ad illum Patrum Capuccinorum, ait, *graves viros ex Reformatorum numero mississe, ut eidem persuaderent Capuccinorum Ordinem cum Observantium Familia unire.* Hæc tamen de Boverianis hujusmodi conviciis monuisse satis: nostra namque interest universos Fratres nostros in caritate diligere, sive Capuccinorum, sive Conventualium, sive demum Observantium Cœtui sint ascripti, quia ex animo decrevimus historiam pro veritate contexere, cujus præcipua pars est, ne quid veri celemus, vel falsi quidpiam admittamus. Quod munus fideliter implebimus, si veritati constanter ubique studeamus, suum cuique jus tribuentes, perpetuo insensi calumniis atque commentis. Sed eo, unde discessit, revocetur sermo.

Boverius item arguitur. *Bover. cit. n. 3.*

* Forte de Carpensi Ordinis Protectore intendit, de quo ita Oldoinus apud Ciacconium sub Paulo III. *Capuccinos PP. fovit, eorumque Institutum in ipsius emascentis primordiis titubantem apud Pontificem protexit, & indefessa cura atque auctoritate a variis procellis ostutatur.*

XXV. Patres etiam Tertii Ordinis sua celebrare hoc ipso anno Generalia Comitia coacti sunt, quum Damianus de Bonvinis Cremonensis anno elapso Generalis electus, viam universæ carnis fuerit ingressus. Convocati ergo Patres in Conventum Bettulæ Placentinæ, ait Bordonus, die prima Maii, iterum in Ministrum Generalem salutarunt Bonaventuram Vicentinum, in sacris litteris egregium Magistrum, qui prudentia in regimine, cum nemini esset secundus, plurimum Ordini profuit in ministerio: quo tamen nondum absoluto, diem extremum obivit.

Capitulum Generale Tertii Ordinis. Damiano de Bonvinis mortuo Bonaventura Vicentinus Min. Generalis eligitur. *Bordon. in Chronolog. Tert. Ord. cap. 13.*

Anno Christi 1558.	Pauli IV. anno 4.	Ferdinandi I. Imp. anno 1.	Religionis Minorum anno 351.

S. Petrus de Alcantara Abulam proficiſcitur.

XXVI. Anno elapſo apud Pedroſum in rerum divinarum contemplationibus, conſuetiſque corporis cruciatibus, cum ſuis Fratribus conſumto, hoc eodem elabente, ſanctus Petrus Alcantarenſis Abulam venit, a nemine, præter morem, vocatus, ſed divino ſpiritu ductus; quemadmodum etiam Petrus de Yepes Tarraconenſis Epiſcopus opinatus eſt, ut Tereſiam a Jeſu ibidem in Cœnobio Incarnationis Carmelitani Ordinis, commorantem inviſeret. Erat Tereſiæ tunc animus quammaximè exagitatus, quum ii etiam, qui probitate atque doctrina pollebant, ſpiritus dotes, quibus ipſa cœlitus ditabatur, ſatagebant, ne ſuos aſſequerentur effectus. Quoniam vero humilitate præſtabat inſigni, ne objectis in dies ſibi propoſitis faceret ſatis, pluribus annis hoc ſolum eſt experta ſolatium, ut certo ſciret, Spiritus ſancti gratiæ vel minimum umquam reſtitiſſe. At adveniente Petro, procellæ ſedatæ ſunt, quod indicatum voluit Omnipotens per crinitam ſtellam, Solis inſtar fulgentem, & ſupra urbis januam conſiſtentem, ſpectantibus & admirantibus magnum portentum incolis, quod per octo continuos dies permanſit, donec videlicet Petrus Abulæ eſt commoratus. Interea piæ Fœminæ Juniaræ de Uloa, cui Petrus a confeſſionibus, & Tereſia a ſpiritualibus conſiliis erat, hortatu, Ordinis Provinciali Priore aſſentiente, Tereſia Petrum alloquitur. Quæ autem inter ſeſe contulerint, eadem Tereſia prodiit ſequentibus verbis a nobis latinitate donatis, integra ſervata ſententia: *Narranti mihi ea, quæ potui, facilitate, methodum, qua in diebus divino famulatui operam dabam, & quæ præcipue utebar inter orandum, ſanctus hic Vir* (Petrus videlicet) *ſupernum lumen oſtendit, quod ſaltem eas viſiones, quas reales dicunt, & quas præviis temporibus non fuerat mihi conceſſum intelligere, etſi eaſdem animæ oculus perſpicue intueretur; quoniam hæc dumtaxat, quæ corporeis oculis conſpiciuntur, mihi perſuaſum erat, quod eſſent in pretium habenda, quibus tamen penitus eram orbata: Hic ſanctus Vir univerſorum mihi perſpicuam lucem indidit, & extricatis undique ambagibus, ne ſpiritualibus pœnis amplius cor torqueretur, ratam me fecit, quod viſiones hujuſmodi veri erant divini ſpiritus effectus; & quod, præter fidei certitudinem, nulla hac major contigit humanæ menti ineſſe. Ipſe meam conſuetudinem experiebatur gratiſſimam, eſtque mihi favores ingentes largitus, mei magni faciens, & propria conferens, quæ præ manibus habebat, negotia. Agnoſcens autem ea me expetere ingentia dona, quibus ipſe cœlitus ditabatur, quæque etiam mihi aliquantiſper Dominus impertiebatur, meam quanti maximi faciebat conſuetudinem: quoniam ei, quem Dominus in hoc ſtatu firmavit, nil gratius poteſt profecto ſibi accidere, quam tum homine ſortis ejuſdem ſpiritualem converſationem habere. Tum ego, pauliſper ſaltem, ſuper hujus vitæ principia perveni, & utinam quod ibi hæc in mea mente permaneant. Valde mei miſertus, ait, ex præcipuis mundanis ærumnis, quibus ſubjecta fueram, oppoſitionem proborum extitiſſe, & quod deinceps opus erat, etiam majora pati, quia me egente, non erat quiſpiam in urbe, qui egeſtatem cognoſceret, & egenæ ſuccurreret. Ipſe autem ex animo ſerioque ſe obtulit, eum allocuturum, qui meas exciebat ſacras confeſſiones; eumque conjugatum virum ſanguine ac probitate nobilem* (hunc Franciſcum de Salzedo Tereſiæ addictiſſimum fuiſſe, licet conjicere) *qui plus cæteris angentem animum meum contrariis argumentis cruciare conſueverant, quia plus cæteris me caſtiſſimo proſequebatur affectu; ſed quia minus, quam oportebat, agnoverat me virtutes excolere, non erat, unde tunc de iis faceret certum exploratumque judicium. Porro ita Vir ſanctus egit, iis argumentis uſus, quibus placido animo eſſent ipſi, meque ſinerent eſſe. Plenis numeris Præsbyter perſuaſus eſt, Nobilis vero non ita. Attamen hoc boni ſum deinceps experta,*

S. Tereſiam invilit.

In ejus adventu prodigium.

Juniæ de Uloa.

S. Tereſia ea quæ tunc acciderunt narrat.

quod

Anno Christi 1558.	Pauli IV. anno 4.	Ferdinandi I. Imp. anno 1.	Religionis Minorum anno 351.

quod non tam ingenti timore animus cruciatus eſt. Uſque huc Tereſia.

Epiſcopum urbis certiore de Tereſiæ ſanctimonia reddit.

XXVII. Urbis etiam Epiſcopum Alvarum de Mendotia ab iiſdem, & a doctis & probis Viris permaxime hallucinatum, oportuit ut Petrus opportune moneret, cujus ſolis rationibus acquieſcens, Tereſiamque deinceps maximi faciens, gratias Domino agebat, quod tam ingenti theſauro ſuam urbem ditare dignatus ſuerit. Mox converſa rerum facie, gens univerſa ſuum imitantur Antiſtitem, divinoque ſpiritu plenam dicunt Tereſiam, quam prius a ſpiritu malo illuſam dictitabant. Qualem autem cum Petro Tereſia neceſſitudinem ſpiritualem ſanctamque contraxerit, laudatus Tarraconenſis Antiſtes, qui ejus vitam ſcribit, ſequentibus verbis narrat: *B. P. F. Petrus Alcantarenſis ingenti ſpiritu & oratione donatus, cujus labore permaxime Excalceatorum ſancti Franciſci Ordo coruſcat, is fuit præ cæteris, qui cum ſancta Parente intimius loqui conſuevit, & qui plus cæteris illius ſpiritum atque ſanctimoniam agnovit. Ipſe ſua auctoritate, ſuiſque argumentis hæſitantem Antiſtitem fecit veritatis hujus certiorem; qui propterea eamdem exinde favoribus ingentibus cumulare non deſiitit. Generis hujuſmodi erat Petri de Tereſiæ ſanctitate opinio, ut dicere ſæpius conſueverit, Tereſiæ animam inter eas magis Domino acceptas numerari debere: nec præter fidem certius probato Tereſiæ ſpiritu inveniri poſſe. Qua de re manum ſemper ſuis fundationibus atque ærumnis admovit.*

Ejuſdem Antiſtitis facti narratio.

Cæterorum teſtimonia.

XXVIII. Hæc eadem Magiſter Didacus Bagneſius Dominicanus Tereſiæ a confeſſionibus per integrum ſexennium faſſus eſt, cuique, habitis cum Petro colloquiis, beata Virgo exultantem animum profeſecit. Ita igitur Thereſiæ ſanctimonia in hominum mente firmata, Jumaræ, & Salſedi commendatam relinquens, ſimul ac ſeipſum Virginis precibus enixe commendans, Abula Pedroſum verſus diſcedit. Eadem Tereſia factum narrat, cum ait: *Eximiæ ſuæ humilitatis* (ſancti Petri videlicet) *fuit orationibus ſeſe commendare, videlicet, qui miſerrimæ hujus mulierculæ preces, quidquam exiſtimabat prodeſſe, quod ingenti me perfudit rubore*. Paucos inde poſt dies, ea duo Cœnobiola quæ Oropeſiæ Comes exſtrui curabat, ut inviſeret, profectus eſt, ne paupertatis Seraphicæ limites excederent. Lorianam poſtea tranſiens, ſodalem idoneum pro viſitandis Galleciæ Monaſteriis Cuſtodem inſtituit, cæteroſque monet, ne ab inceptis, quæ reformationem juvant, diſcedant. Interea a Joanna Auſtriaca, Caroli V. filia, & pauperculæ exorienti Familiæ addictiſſima, Vallifoletum vocatus, & honorifice acceptus, pietati optimæ Principis ſpiritualibus colloquiis ſatisfecit. Eas deinde octo Clariſſas Moniales inviſit, quæ per id temporis e Gandienſi Cœnobio Vallifoletum, ejuſdem Joanne juſſu, appulerant, ut Matritenſe Monaſterium ingrederentur, quod titulo *Regalium Diſcalceatarum* inſignitum, ſanctimoniæ odorem undequaque redolet, ut dicemus anno ſequenti. Ad domum item cujuſdam mulieris animam agentis ſe tranſtulit, dulcique facto ſermone, in extaſim raptus, ægrotæ benedicens, nihil hæſitans, ſalutem æternam eidem prænuntiat.

Pedroſum revertitur.

Cuſtodem Viſitatorem inſtituit.

Eum Joanna Auſtriaca Vallifoletum vocat.

In extaſim rapitur.

XXIX. Iterum ad caram ſibi domum Pedroſi reverſus, quoſdam adoleſcentes ipſum redeuntem præſtolantes invenit, ut Inſtituto nomen darent; quibus rite probatis habitum conferens, gratias Deo agit, qui in dies pauperculam Familiam dignabatur augere. Quum in Pedroſi oppido tertiam Paſchatis diem ſolemniter celebrandi, undique concurrentibus populis, invaleſceret uſus, quod celebriori ritu id ageretur hoc anno, Proceres Petrum obſecrant, ut ſacrum faciat, quibus Viro Dei annuente, populi de hoc moniti numero tam ingenti ad ſolemnitatem concurrunt, ut opus fuerit, Aram in apertis campis erigere. Ibi dum Petrus dat Sacrificio initia, Sathan repente

Pedroſum item reverticur.

Petro ſacrum faciente procella exorta ſedatur.

aerem undequaque ſerenum perturbat, & procellis, tonitruis ac fulminibus præ devotione lacrymantem populum a religioſo opere conatur avertere. Incaſſum tamen tartareus conatus accidit: Petri etenim hortatu quiſque perſiſtens, illico factum eſt, ut ventus impetu ingenti irrumpens nullam ex ardentibus facellis extinxerit; imber vero, qui huc & illuc circum copioſiſſimus cæcidit, nec minimum Chriſtifideles adſtantes læſerit. Miraculum tot circumſtantiis præclarum celebrantes Petrus hortatur divini Sacrificii virtuti aſcribi debere.

Conv. Villæ Vicioſæ abſolutus.

XXX. Suis numeris Cœnobiolo Villæ Vicioſæ a Comite Oropeſenſi abſoluto, pergit Præfectus optimus illuc, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuis manibus ibidem collocaturus; quum autem ſitus montibus aſperrimis circumvallatus, valde ſibi arrideret, placuit ibidem aliquandiu immorari. In horto igitur exigua exſtructa domo, quam Dominæ noſtræ de Bethleem appellari voluit, & in qua myſterium Chriſti nativitatis expreſſit, divinis revelationibus, aliiſque ſupernis donis cœlitus donatus eſt, de quibus a ſodalibus non ſemel quæſitus, reſpondere conſuevit, *nil veſtrum eſt, filioli, de revelationibus cogitare, neque deſiderare, ut occulta neſciatis Dei obſequio dare operam in ſpiritu, & veritate; ſacras literas legite, nilve aliud agere oportet, quam Dei præcepta adimplere.*

Divinis revelationibus recreatus.

XXXI. Hoc in loco populi Petri venerantur memoriam etiam in ea pini arbore a Viro Dei ſicco baculo, quo utebatur, plantata, quam ad hanc uſque diem ingentem ac vireſcentem, non ſine admiratione intuentur. Deſtinavit hoc inde Cœnobium pro inſtruendis Tyronibus, quorum Rectorem, ſimulque Conventus Guardianum elegit Alphonſum de Gleriena celebrem virum, quem Provinciæ ſancti Joannis Baptiſtæ fundatorem ſuo loco audiemus. Adhuc Petro hic commorante, Incolis Truxilli, urbis non longe a Pedroſo diſtantis, expetentibus divinum ab eo audire verbum, ingenti cum eorum ſpirituali emolumento ſatisfecit: exinde Pedroſum revertens, imber irrumpens impedit, qui tamen Almontem amnem excreſcentem noctu ſicco pede pertranſiit; quod non ſemel contigiſſe, præcipue ad Tagum, cum Alcantaram peteret, Michael de Catena ſocius, aliique oculati teſtes aſſeruerunt, & conſtans accolarum fama enarrat ac prædicat, ut ſuo loco referemus.

Alphonſus de Gleriena.

Iterum flumen ſicco pede pertranſit.

Provinciæ ſancti Andreæ inſtitutio. *Gonz. in proem. Provin. Francia*

XXXII. Cum Romanæ Generalis nuper celebratæ Congregationis ſanctioni de Franciſcano-Gallicis diſſidiis ſarta tecta componendis Averſanus ſatisfacere non potuerit, Franciſcus Zamorenſis anni hujus initio, non autem MDLIX. ut minus vere Gonzaga, ejus loco ſufficitur, qui tamen etiam, infecto negotio, Romam reverti cogitur. Quocirca Pontifex ad Philippum Catholicum Regem litteras, *Exponi nobis &c. die* XX. *Auguſti* mittit, ejuſdem ſupplicationibus annuens, diviſionem Artheſiæ Cuſtodiæ a Provincia Franciæ, erectionemque ipſius in Provinciam exoptantis. Eadem die Bernardo Freſnenſi Regi a ſacris conſiliis Minoritæ per alias litteras committit, ut Provinciæ nuper erectæ, ampliſſimis cum facultatibus, primo Capitulo Apoſtolicus Præſes aſſiſtat: *Religionis zelus &c.* Quod ſi fuerit aliis negotiis, aut ægritudine quomodocumque præpeditus, ne Capituli ejuſdem celebratio protrahatur, per iteratas litteras: *Superioribus diebus &c.* IV. *Octob.* eidem Bernardo concedit, ut poſſit Franciſco Paceco, & Angelo Caſtello conſodalibus ſuas vices committere. Gonzaga tamen ſcribit, quod Bernardus per ſemetipſum convocatis in profeſto ſancti Lucæ Conſcriptis Patribus, litteriſque cum Pontificiis, tum etiam Regiis exhibitis, eoſdem ſerio monuit, ut ſedulo in Provinciæ primum Miniſtrum virum idoneum eligendum incumberent. Ipſi vero Sebaſtianum de Villemart ſacræ Theologiæ licentiatum, & Conventus Monten-

In Regeſt.

Bernardus de Freſneda Apoſtolicus Commiſſarius.

In Regeſt.

In Regeſt.

Gonz. in proem. Prov. Francia, & Prov. S. Andreæ.

Sebaſtianus de Villemart Miniſter.

tenſis Guardianum tanti muneris dignum agnoſcentes, eumdem eligunt, ſicque optatam Ordini pacem reſtituunt. Maxima etiam Bernardo demandatur hoc anno a Pontifice Provincia, per litteras incipien. *Sinceritas fidei* XXIII. *Januarii*, quod nimirum *per univerſas Hiſpaniarum Regiones libros ſuſpectos, & hæreſi infectos penitus aboleri* curet inquiratque *an ſint Catholici, vel de hæreſi ſuſpecti*, & quos tales *eſſe cognoverit, damnare & reprobare, eorumque lectiuram, necnon emptionem & venditionem, ac apud quaſvis perſonas retentionem, pœnis, de quibus* ſibi *videbitur, interdicere, ac comburi facere libere & licite Apoſtolica auctoritate* poſſit. Cætera eximii Viri facinora ad ſuos quoſque annos, Deo favente, pollicemur enarrare.

Citatus Bernardus Inquiſitor ſuo per libros proſcriptos. *In Regeſt.*

XXXIII. Hoc eodem anno Ludovicus Ferdinandus a Corduba, Comarenſium Marchio, Cœnobium ſanctæ Mariæ Illiciæ urbis, Provinciæ Granatenſis in Hiſpania, curavit erigere. Interim non abs re me facturum exiſtimo, ſi quid de nobilibus duabus Virginibus hac in Illicienſi Civitate, anno Domini MDLXXXII. circa menſis Auguſti medium contigerit, paucis enarravero. Cum etenim nobiles duo Fratres maxima duarum ſororum uterinarum, ex familiari earum cum ſæculari quodam Sacerdote conſuetudine, zelotipia agitarentur, eas in villam ad ſextum lapidem a Civitate diſtantem, ſub carpendæ ſalubrioris auræ prætextu eductas, duabus arboribus alligarunt, flagriſque crudeliſſime cæciderunt, atque illis ita in nemore relictis, abierunt. Cumque poſt tranſitum diei cum dimidio, pauperculæ illæ Virgines, ſe ex intimo cordis affectu, tum beato Franciſco, tum quoque beato Antonio de Padua commendaſſent, venerabiles duo Minoritæ aſpectu graves atque ætate provecti, celeri paſſu gradientes, eas primo ſolutas propriis palliis contexerunt, & ad portam uſque Civitatis ſub maximo ſilentio conduxere. Quibus denique omnibus ad cujuſdam earumdem ſororis domum perventis, cum eorum alter ſe beatum Franciſcum, alter vero beatum Antonium eſſe faſſus fuiſſet, & iſti ex tempore diſparuerunt, & illæ a cariſſima ſorore humaniſſimo hoſpitio exceptæ ſunt. Quod ut Illicianis innotuit, in cauſa extitit, ut majori affectu atque animi propenſione, tum in beatos ipſos Patres, tum quoque in ejus alumnos in poſterum ferrentur. Præfatæ vero Virgines, altero eorum fratre repentina morte infra triduum e vivis miſerrime ſublato; altero vero infra annum vita functo, ne tandem illis aliquando pejus eſſet, neve ingratitudinis arguerentur, ſacrarum Virginum Monaſterium Cordubæ, non ita poſt multum temporis, ingreſſæ ſunt. Uſque huc Gonzaga.

Conv. S. Mariæ Illiciæ. *Gonz. par. 3. in Provin. Granat. Con. 21.*

SS. Franciſci, & Antonii ingens miraculum.

XXXIV. Paulus item Piretius pagi Fovearum in provincia ſancti Michaelis incola, propriam domum Fratribus ad Conventus dignitatem promovendam obtulit: Provincialis Miniſter Eccleſiam, facta ſibi a Carianorum Epiſcopo, in cujus diœceſi Conventus ſitus eſt, facultate, die XV. Septembris benedixit, atque ſanctiſſimo Spiritui ſacravit. Hanc poſtmodum Fratres ex diverſis eleemoſynis hinc inde acquiſitis in juſtum Conventum evexerunt, atque honeſtam Eccleſiam ſibi annectendam curarunt. Quorum itaque opera factum eſt, ut a pluribus Religioſis commode ſatis impreſentia habitetur.

Conv. Fovearum. *Ex Archiv. ſancti Ild. Arm. 5. n. 142. fol. 199.*

XXXV. Tria etiam Patribus Capuccinis exſtructa Cœnobia hoc anno, ex eorum authenticis monumentis diſcimus: Alterum Caſtrovillaris, Caſſanenſis diœceſis in Conſentina Provincia, M. P. ab Oppido, communi ære, in honorem Viſitationis beatæ Virginis, R. D. Julio Verzerico ſolum pro ſua pietate largiente. At malo aere, nimiaque ab ipſo oppido diſtantia Fratribus laborantibus, novum proximius anno MDCXXVII. exſtructum eſt, Eccleſia ſancti Joſephi titulo inſignita. Domum hanc ædificatam anno MDLXI. MSS. authenticis apud nos exiſtentibus contrarius Boverius narrat. Alterum Brandi in Cor-

Conv. Caſtrovillaris PP. Capuc. *Ex Archiv. PP. Capuccin. Urbis.*

Conv. Brandi eorumdem. *Ex Archiv. cit.*

Corſica Inſula, Marianenſis diœceſis, d. paſſibus ab oppido, ſancto Bartholomæo Apoſtolo dicatum, populi expenſis ædificatum eſt. Tertium denique apud Ebolum Lucaniæ oppidum in citeriore principatu, die xiii. Julii iiſdem erectum eſt, d. p. a mœniis diſtans, eo in loco, ubi olim Sanctimoniales Ordinis ſancti Benedicti Domino famulabantur, ab Oppidanorum pietate, penes quos adhuc ejus extat dominium.

Conv. S. Geminiani PP. Conventt. *Ex MSS. auth. Provinciar. PP. Convent. fol. 429.* Conv. Bellimontis eorumdem. *Ibidem fol. 769.*

XXXVI. Per Tuſciam olim irruente milite, Cœnobium ſancti Franciſci apud ſanctum Geminianum Patrum Conventualium ſolo æquatum extitit; hoc autem anno ab Alexandro Bondelmontio Hieroſolymitano Equite locus emitur, cui ſancti Joannis nomen, ubi iterum Conventus exſtruitur. Illud vero S. Nicolai Bellimontis Romanæ Provinciæ, & diœceſis Reatinæ ab iiſdem Patribus Conventualibus deſeritur, quod deinceps, anno videlicet MDLXXV. reaſſumtum eſt.

Conv. Sanginetti Tertii Ordinis. *Bordon. in Chronolog. Tertii Ordinis cap. 24.* Con. Angloni. *Ex Arch. S. Iſid. Arm. 1. num. 23. fol. 615. Gonz. p. 2. in Provin. S. Ang. Con. 8. Wadd. ad ann. 1451. n. 59.* Benedictus Cremonenſis, & Gaſparinus ſocius. *Wadd. ad ann. 1451. n. 59.* Benedictus de Anglone. Antonius de Campoleto. Moniales Metis, e ſuo loco expulſæ. *Gonz. p. 3. in Prov. Franc. Pariſ. Mon. 1. Wadd. ad ann. 1480. n. 33.* Conv. Carmaniolæ. *Wadd. ad ann. 1493. n. 49. Paulus Brit. Hiſtor. Prov. S. Thomæ lib. 2.*

XXXVII. Patres item Tertii Ordinis in oppido Sanginetti, diœceſis ſancti Marci, provinciæ Calabriæ, ſuum ædificarunt Cœnobium in ſolo, quod Franciſcus quidam de Simone eis conceſſit.

XXXVIII. Cœnobium S. Bernardini Angloni (non recte apud Gonzagam *Agnonis*) Provinciæ ſancti Angeli, cujus fundationem Waddingus memorat, hoc anno Patribus Reformatis, die vii. Maji datum eſſe, Provinciæ ejuſdem acta teſtantur. Hic præter Benedictum Cremonenſem, ejuſque ſocium Gaſparinum, de quibus idem Waddingus aliqualem facit memoriam, Benedictus etiam de Anglone & Antonius de Campoleto, qui rigido vivendi genere, multiſque virtutibus emicuerunt, ultimum in oſculo Domini obiere diem.

XXXIX. Monaſterio Metis quondam exſtructo, cujus fundationem Waddingus ſuo loco recenſet, Sorores hoc anno coactæ ſunt vale dicere, cum urbs olim in Gallorum poteſtatem deveniſſet, eo prætextu deturbatæ, quod locus e regione urbis, arcem reſpiceret. Ipſæ primum in SS. Trinitatis Eccleſia receptæ, dein ad Parochialem ſanctorum Ferrucii, atque Ferreoli Ædem ſacrám tranſire compelluntur, ut citato loco ex Gonzaga idem narrat Waddingus.

XL. Cum bellorum cladibus celebre illud Obſervantium Cœnobium, quod in Carmaniolæ Suburbiis in Pedemontio erat, & de quo Waddingus ad ſuum annum ſcribit, funditus eſſet everſum, alterum noſtris temporibus iiſdem ædificatum eſt, ubi SS. Dei Genitricis, ſub Annunciationis myſterio, imago colitur, quæ *Virgo Salzaſii* vulgo conſuevit appellari. Hoc eodem anno Teutonum, Germanorumque turmis Carignano digreſſis, Carmagnolæ cladi inhiantibus, Virgo pro Populi incolumitate in ſtatione vigilat. Jam hoſtes adſunt, jamque Templi foribus appropinquant, incautos & nil metuentes oppreſſuri, cum Virgo ob militum, quot quot ſacram Ædem prætergreſſi ſunt oculos tantum tenebrarum, & cæcitatis injicit, ut licet invium irruentes, neuter tamen neutrum aſpicit, amiſſumque armorum & oculorum uſum, non antea recipiunt, quam reſipiſcant, & caſtra repetant, urbemque intactam relinquant. Hæc ex hyſtoria Provinciæ ſancti Thomæ eruitur; quibus in Regionibus, iiſdem de cauſis etiam factum eſt, ut Villæ novæ Conventus ad Provinciam Genuenſem, nunc autem ad eamdem ſancti Thomæ pertinens, extra oppidi mœnia fundatus, & ſolo æquatus adeo ab hominum cognitione conciderit, ut ejus locum incolæ quaſi non agnoſcerent. Propterea ejuſdem Provinciæ Genuenſis Fratres aliam Domum ibidem exſtruere poſtularunt, & Philippo Boetio de Carmaniola commiſſo negotio, ac Antonio de Fatis Cremonenſis Eccleſiæ S. Petri de Supponito Priori, eamdem Eccleſiam cum ſuis

B. Virginis mirabile prodigium.

Con. Villæ novæ. *Idem Brit. citat.*

per-

Anno Christi 1558.	Pauli IV. anno 4.	Ferdinandi I. Imp. anno 1.	Religionis Minorum anno 351.

pertinentiis concedente, hoc anno, ex Pontificio oraculo, Raynutius Cardinalis Protector ſequens Diploma expedivit: *Raynutius miſeratione Divina tituli ſancti Angeli Presbyter Cardinalis. Dilectis in Chriſto Fratribus Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia Provinciæ Genuen. ſalutem in Domino. Ex parte veſtra nobis oblata petitio continebat, quod alias, poſtquam Monaſterium dicti Ordinis, quod vos dudum prope, & extra muros oppidi Villæ novæ Aſten. diœceſis tenebatis, ob fortificationem ejuſdem oppidi penitus deſtructum, & ſolo æquatum fuerit. Cum vos cupereris intra oppidum præfatum aliud Monaſterium erigere, dilectus in Chriſto frater Philippus Boeti de Carmagnolia veſter Commiſſarius ad id ſpecialiter deputatus, veſtris vice, & nomine, cum dilecto etiam in Chriſto Antonio de Fatis Cremonen. Priore Prioratus ſancti Petri de Suppoſito dicti oppidi, ad concordiam & conventionem deveuit, ſalvo Sedis Apoſtolicæ beneplacito, per quam dictus Antonius Prior per ſe & ſuos ſucceſſores, in dicto Prioratu Eccleſiam dicti Prioratus cum illius domo, ædificiis, cœmeterio, ſedimiuibus, & aliis vacuis eidem Eccleſiæ adjacen. & ad illam pertinentibus, & ſpectantibus vobis, & præfato veſtro Commiſſario, nomine veſtro, ac veſtris ſucceſſoribus, pro veſtro uſu & habitatione perpetuo dedit, ceſſit & committit; & viceverſa præfatus frater Philippus Commiſſarius in recompenſationem, & cambium dictorum domus, & ſediminis & pertinentium Eccleſiæ præfatæ, præfato Antonio, nomine ejuſdem ſuam Eccleſiam, ac pro ſe & ejus ſucceſſoribus prædictis, omnes & quaſcumque Terras cum Eccleſiis ibidem exiſtentibus, quas & quæ vos extra, & prope muros dicti oppidi in loco, ubi alias ædificatum erat dictum Monaſterium, tenebatis, pratis ibidem exiſtentibus in parte inferiori, & de præſenti menſuræ jugerum trium, vel circa, necnon ea parte prædictarum Terrarum, in qua erat chorus, ſive major Cappella, mœnia præfata, ac clauſtro adhærent: ipſi choro in longum verſus Prata exceptis, & vobis reſervatis dedit, tradidit & remiſit, cum pacto, quod idem Antonius teneàtur, & debeat vobis dare, & dimittere a veſtris Pratis per dictas Terras iter, & viam latitudinis pedum trium Trabucchi, capiendo ipſum iter, & viam ab extremo, & ſpondili parte ipſarum Terrarum verſus ipſa Prata ad minus damnum, ac alias cum certis pactis & modis, prout in inſtrumento publico deſuper confecto dicit latius contineri. Cum autem ſicut eadem ſubjungebat petitio: quia firmiora ſunt ea, quibus Apoſtolicæ Sedis intercedit authoritas, tam vos, quam præfatus Antonius cupiatis præmiſſa omnia pro illorum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolicæ confirmationis munimine roborari; ſupplicari feciſtis humiliter nobis ſuper his, per Sedem eamdem, de opportuno remedio nunc provideri. Nos igitur dicti Inſtrumenti tenore, ac ſi de verbo ad verbum inſereretur, præſentibus pro ſufficienter expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, authoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, concordiam & conventionem, ac prout ea concernunt omnia & ſingula in dicto Inſtrumento contenta, & inde ſecuta, quæcumque alias tamen licita & honeſta, dummodo ad eam Loci Ordinarii, & Parochianorum Eccleſiæ dicti Prioratus conſenſus accedat, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adjicimus; ac omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, in eodem ſupplemus, eaque omnia & ſingula perpetuo inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcumque tam Eccleſiaſticos, quam ſeculares Judices & perſonas cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, & quacumque etiam Pontificali præfulgeant dignitate, vel authoritate etiam Apoſtolica, fungantur, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis*

Ex Reg. Ciſm. Archiv. Aracœli fol. 181.

vis aliqua judican. definien. & interpretan. facultate & authoritate, judicari, definiri & interpretari debere: irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter quomodolibet contigerit attentari decernimus. Non obſtantibus Apoſtolicis, & tam Provincialibus, quam Synodalibus Conſtitutionibus & ordinationibus dictique Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis & litteris Apoſtolicis eidem Ordini quomodolibet conceſſis: quibus omnibus illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſereretur præſentibus, pro plene & ſufficientibus expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub ſigillo Officii Pœnitentiariæ, ſecundo nonas Julii, Pontif. D. Pauli Papæ IV. anno IV. MDLVIII.

Con. Palenæ. *Ex Reg. Ciſmont. Archiv. Aracœli. fol. 184.*

XLI. Simile ab eodem Raynutio invenimus expeditum Diploma pro Conventu ſancti Antonii Palenæ, Sulmonenſis diœceſis, & ſancti Bernardini Provinciæ, cujus Fratribus quum a Clero ejuſdem oppidi fuerit quædam terræ portio in hortorum uſu Monaſterio contigua conceſſa, Pontificium oraculum hujuſmodi donationem confirmat ut ſequitur: *Raynutius, miſeratione Divina tituli ſancti Angeli Presbyter Cardinalis. Dilectis in Chriſto Guardianis, & Fratribus domus ſancti Antonii de Padua Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia Sulmonen. diœceſis, ſalutem in Domino. Ex parte veſtra nobis oblata petitio continebat, quod alias Clerus dictæ Terræ conſiderans anguſtiam clauſtri Domus præfatæ, ac propterea cupiens huic incommodo occurrere, unum Pratum, & tres petias vineæ incultas, ſive ſteriles & deſertas, in contrata, quæ dicitur* la Villa *juxta certos tunc expreſſos, aut alios veriores confines poſita, ad dictos Clerum communiter pertinen. quorum proventus valorem annuatim quatuor ducatorum auri de Camera non excedebat: eadem domus per vos habenda, tenenda & poſſidenda, & bene uſufructuanda cum omnibus juriſdictionibus, & pertinentibus ſuis perpetuo conceſſerunt, donarunt, & tranſtulerunt, ea conditione, quod vos dictum Clerum onere ſolutionis quinque carlenorum monetæ illarum partium pro decimis, quibus ipſi Clero ratione Prati, & vinearum hujuſmodi annuatim obnoxii erant eximere teneremini, ac alias prout in inſtrumento publico deſuper confecto plenius continetur, cujus vigore ipſius Prati, & vinearum hujuſmodi corporalem poſſeſſionem conſecuti fuiſtis. Cum autem, ſicut eadem ſubjungebat petitio, quia firmiora ſunt ea, quibus Apoſtolicæ Sedis intercedit authoritas, vos cupiatis conceſſionem, donationem, & translationem hujuſmodi pro illarum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolicæ confirmationis munimine roborari, ſupplicari feciſtis humiliter nobis ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio vellc provideri. Nos igitur commoditati ejuſdem domus in hac parte conſulentes, dictorum Prati & vinearum ſituationes, & denotationes continens, valores, qualitates, & circumſtantias dictique inſtrumenti tenore præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, authoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, conceſſionem, donationem & translationem præfatas, ac prout illas concernunt, omnia & ſingula in dicto Inſtrumento contineri, & inde ſecuta, quæcumque alias tamen licita & honeſta, accedente ad id conſenſu Ordinarii, approbamus, ordinamus & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem ſupplemus, illaque omnia & ſingula perpetuo valida fore; ſicque per quoſcumque judicandi, interpretandi, &*

de-

definiendi facultate, judicari, interpretari & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus; necnon vobiscum, ut pratum, & petias vinearum hujusmodi recipere, & perpetuo, ac illorum fructus, redditus, ac proventus, jura obventiones, & emolumenta quæcumque percipere, exigere & levare, ac in suos & dictæ domus usus, & utilitatem convertere, libenter & licite posse dispensamus, non obstantibus præmissis, ac Nicolai III. & Bonifacii Papæ VIII. ac aliis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon domus, & Ordinis præfatorum, & juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & Litteris Apostolicis, illis, illorumque superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis de imposterum concedendi, confirmandi & innovandi; quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentibus, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, ac expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub sigillo Officii Pœnitentiariæ, secundo Nonas Julii, Pontificatus Domini Pauli Papæ IV. anno IV. MDLVIII.

Monitorium contra Capitulum Civit. Vigiliarum pro Con. S. Laur. ejusdem loci. *Ex Reg. Cism. Archiv. Avacelit. fol.* 183.

XLII. Contra Capitulum Civitatis Vigiliarum in Neapolitano Regno Fratribus Provinciæ sancti Nicolai, in Cœnobio sancti Laurentii ejusdem loci habitantibus, cadavera sepeliendi juri contradicens ab Apostolico Auditore sequens expeditum est monitorium: *Paulus Odescalcus juris utriusque Doctor, Protonotarius Apostolicus, Cancellariæ Apostolicæ Corrector, ac Sanctissimi Domini nostri Papæ ejusque Cammerarii, necnon Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius sententiarumque censurarum, & pœnarum in eadem Romana Curia, & extra eam latarum, ac quarumcumque Litterarum Apostolicarum universalis, & merus executor a Sño D.N. Papa specialiter & expresse deputatus. Universis & singulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Thesaurariis, Sacristis tam Cathedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum Canonicis, Parrochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, Cappellanis, Curatis & non Curatis, cæterisque Presbyteris, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis, quibuscumque per Civitatem & diœcesim Vigiliarum, ac alias ubilibet constitutis, ac illi vel illis ad quem, vel ad quos præsentes nostræ Litteræ pervenerint, salutem in Domino, & misericordiam hujusmodi, immo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis quod nuper pro parte Reverendorum DD. Guardiani & Fratrum, & Monasterii Ecclesiæ sancti Laurentii Ordinis Minorum Observantiæ de Bisceglia Principalium coram nobis expositum fuit, quod Dominus Franciscus de Melazo de dicto loco pro ejus familia, & suis successoribus habuerunt sepulturam, sive depositum, & Cappellam in dicta Ecclesia sancti Laurentii, in qua, seu quo ejus antecessores & ejus filii, & filiæ mortui fuerunt sepulti, seu sepulturæ traditi, & vita functa quadam filia dicti Domini Francisci, idem Franciscus miserit ad dictum Monasterium pro cruce accipienda, & campanis pulsari faciendis, juxta solitum dicti loci de Bisceglia, hujusmodi cruce portata, & campanis dicti Monasterii pulsatis, & dictis Fratribus ante domum dictæ filiæ mortuæ ad effectum conducendum cadaver ad sepulturam præfatam appulsis, adductisque Archidiacono Presbyteris, ac Capitulo Cathedralis Ecclesiæ de Bisceglia exadverso Principalibus, nescitur, quo spiritu ducti, dicentes, se nolle dictum cadaver in dicta Ecclesia Monasterii, & sepultura sepeliri permit-*

mittere, ſed ſepeliri debere in dicta Eccleſia Cathedrali contra mentem & voluntatem dicti Domini Franciſci, & Parentum dictæ Filiæ mortuæ, prædicta parvipendens, miniſque dictos Fratres afficien. dictæ Filiæ mortuæ corpus, ſive cadaver vi & violentia, non obſtantibus proteſtationibus coram Notario, Judice, & Teſtibus de omnibus damnis expenſis intereſſe per dictos Fratres præmiſſorum occaſione patientes, contra dictos Archidiaconum & Presbyteros prædictos Fratres factis aſportarunt, & in eorum Eccleſia ſepelierunt, contra mentem, & voluntatem dicti Franciſci Patris & Parentum, ac in grave damnum, præjudicium quoque dictorum Fratrum, & contra conſuetudinem dicti loci, & jura præfati Monaſterii. Quare pro parte Guardiani dicti Monaſterii & Fratrum Principalium inſtanter, & debite requiſiti, diſcretioni veſtræ, & cujuslibet veſtrum tenore præſentium committimus, ac in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam in vos, & veſtrum quemlibet, trium tamen dierum canonica monitione præmiſſa, ferimus in his ſcriptis, niſi feceritis, quæ mandamus, diſtincte præcipimus, quatenus ſtatim receptis præſentibus, vos, vel quicumque veſtrum fuerit requiſitus per vos, vel alium, ſeu alios ex parte noſtra moneatur, & requiratur primo, ſecundo, tertio & peremtorie dictos Archidiaconum & Presbyteros, & omnes alios & ſingulos tamen executione præfata nominanda & cognominanda, ex adverſo Principales, quatenus infra ſex dierum ſpatium a die monitionis hujuſmodi, per vos, vel alterum veſtrum eis factis immediate ſequen. quorum ſex dierum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies eis, & eorum cuilibet pro tertio & peremtorio termino, ac monitione canonica aſſignamus, ſub excommunicationis majoris & interdicti, & mille ducatorum auri Cameræ Apoſtolicæ ipſo facto applicandorum pœnis, debeant dictum corpus mortuum, ſive cadaver, necnon jura ſepulturæ, iiſdem Dominis inſtantibus, conſignare & ſolvere reſpective, necnon a quibuſcumque moleſtiis, vexationibus, perturbationibus, inquietationibus & impedimentis, eoſdem Dominos inſtantes, liberare, aut hujuſmodi ſepultura, & jura ſepelientibus cadaveribus ſepultis & in futurum ſepeliendis, & eiſdem Guardiano & Fratribus inſtantibus per eoſdem Adverſarios illatis, & ingeriri comminatis deſtitiſſe & ceſſaſſe, & præſentibus noſtris litteris monitorialibus, juxta earum formam & tenorem paruiſſe, obtemperaſſe & obediviſſe; & inſuper eiſdem Dominis Archidiacono & Presbyteris & Capitulo præfatis, ſub eiſdem excommunicatione, & mille ducatorum aurei pœnis inhibeatis, quibus, & eorum cuilibet, nos & tenore præſentium, ne ipſi ſeu eorum alter audeat, ſive præſumat ſuper præmiſſis, & eorum juribus perturbare, vexare, aut quovis modo inquietare alias ſi prænominatis, ſic monitis in præmiſſis ſe fore gravatos ſenſerint, modo & forma præmiſſis & peremtorie eitare curetis, prout & nos citamus eoſdem die vigeſima poſt citationem veſtram hujuſmodi eis factam immediate ſequentibus, ſi juridica fuerit, & nos vel Locumtenentem noſtrum ad jura reddendum, & cauſas audiendum pro Tribunali ſedere contigerit, compareat in Romana Curia, & in judicio legitime coram nobis, vel Locumtenente noſtro præfatis per ſe, vel Procuratorem, ſeu Procuratores ſuos idoneos cauſam ſui gravaminis allegaturos, alioſque dicturos, factnros, & a nobis juſtitiæ complementum recepturos quæ juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit locum. Certificantes nihilominus eoſdem ſic monitos, & citatos quoque, ſive in dicto citationis termino ut præmiſſum eſt, comparere curaverint, ſive non, tamen, nos, vel Locumtenens præfatus ad declarationem, & executionem dictarum ſententiarum, cenſurarum & pœnarum, & etiam ad graviora procedemus, ſeu reſpective procedet dictorum citatorum abſentia, ſeu contumacia in aliquo & aliqua non obſtantibus, quidquid aut in præmiſſis feceri-

ceritis, nobis fideliter remiſſi præſentibus intimare curetis. Abſolutionem vero omnium & ſingulorum præmiſſorum, qui præſentes noſtras excommunicationis ſententias incurrerint, ſive incurrerit quoquomodo nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. Datum Romæ in ædibus noſtris, ſub anno Domini MDLVIII. *primæ Indictionis, die vero* XXXI. *menſis Auguſti, Pontificatus SS. D. N. D. Pauli, Divina providentia PP. IV. an.* IV.

Deſiderius Bonus Imenel Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſt. Notarius.

Aliud Monitorium pro Monaſterus Viterbii. *Ex Reg. Ciſm. Archiv. Aracœli fol.* 184.

XLIII. Contra etiam Priores, ac Deputatos Communitatis Viterbii, ut Monaſteriorum ſancti Bernardini, & Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ jura, quantum ad prætenſam decimarum, ſubſidiorum, gabbellarumque ſolutionem, a qua Ordinem univerſum non ſemel eſſe exemtum declaratum eſt, hoc alterum ab eodem Auditore Monitorium emanatum eſt: *Paulus Odeſcalcus J. U. D. Prothonotarius Apoſtolicus, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, ejuſque Camerarii, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, Romaneque Curiæ Judex ordinarius, ſententiarumque pœnarum, & cenſurarum in dicta Romana Curia latarum univerſalis executor, ab eodem Domino noſtro Papa ſpecialiter deputatus. Univerſis & ſingulis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Cantoribus, Theſaurariis, Sacriſtis, Canonicis, Parrochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Locotenente eorumdem, Plebanis, Cappellanis, Curatis & non Curatis, cæteriſque Presbyteris, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis, quibuſcumque per Civitatem & diœceſim Viterbien. ac alias ubilibet conſtitutis, & earum Eccleſiarum in ſolidum, ac illi, vel illis ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint, ſalutem in Domino, & noſtris hujuſmodi, immo verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis quod coram nobis pro parte Reverendarum Dominarum Abbatiſſarum, & Monialium Monaſteriorum ſancti Bernardini, & Sanctorum Simonis & Judæ Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia, Civitatis Viterbii principalium gravi cum querela expoſitum fuit, quod licet ratione privilegiorum & litterarum Apoſtolicarum ſibi a fel. record. Paulo III. ac Sanctiſſimo Domino noſtro Paulo IV. & aliis prædefunctis Pontificibus conceſſorum & expeditorum, ac obtentorum per eas, necnon ex forma ſacrorum Canonum eedem exponentes, etiam pro tempore exiſtentes, eorumque Monaſteria, Eccleſiæ, loca, & bona mobilia & immobilia univerſa fuerint, & ſint immunia penitus & exempta a quarumcumque decimarum, & ſubſidiorum per præfatum Sanctiſſimum Dominum noſtrum Dominum Paulum Papam IV. & alios Pontifices prædefunctos, & quaſvis alias perſonas quacumque authoritate fungentes quomodolibet impoſitarum & imponendarum, etiam pro expeditione contra Turchas, vel Fidei tuitione facta, quoque præmiſſorum occaſione, nullatenus moleſtari, vexari, aut perturbari, aut inquietari non debent. Nihilominus tamen R.DD. Priores, & Deputati Communitatis Viterbii, & Communitas ipſa & homines illius, & nonnulli alii exadverſo Principales, etiam forſan contra formam dictorum privilegiorum & litterarum Apoſtolicarum, ac ſacrorum Canonum indebite & injuſte, ac nulla præcedente legitima cauſa, eaſdem exponentes, & earum Monaſteria, Eccleſias, & bona ad nonnullas aſſertas decimas, & ſubſidia, impoſitiones, & gabellas, occaſione macinæ in eadem Civitate Viterbii, aut alias, ut impoſitas, & ſeu forſan imponendas eiſdem Adverſariis, ſea eorum alteri ſolventur, moleſtare velle jactarunt & jactant, & forſan moleſtarunt, & moleſtant indebite & injuſte, ideo fuimus pro parte dictarum exponentium ſuper præmiſſis de opportuno remedio requiſiti. Propterea vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, & veſtrum cuilibet inſolidum tenore præſentium committimus, & ſub excommunicationis pœna*

diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſtatim viſis præſentibus, ac alias, ubi quando & quoties, pro parte dictarum exponentium Principalium fueritis requiſiti, ſeu alter eorum fuerit requiſitus, moneatis, & requiratis primo, ſecundo, tertio, & peremtorie ſupradictos Priores, & Deputatos dictæ Communitatis Viterbii & ipſam Communitatem, & homines illius, omneſque alios, & ſingulos ſua communiter, vel diviſim intereſſe putantes, & in executione præſentium vobis nominandos & cognominandos, eiſque, & eorum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis, ſuſpenſionis, aliiſque ſententiis & cenſuris Eccleſiaſticis, ac mille ducatorum auri de Camera, Cameræ Apoſtolicæ applicandorum pœnis, diſtricte præcipiendo mandetis, quos nos etiam, & eorum quemlibet ſub eiſdem cenſuris & pœnis monemus, & requirimus, ac mandamus eiſdem, quatenus infra ſex dierum ſpatium poſt monitionem, & requiſitionem hujuſmodi, eis vel eorum alteri per nos, aut alterum noſtrum factam immediate ſequentes, quorum ſex dierum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies, eis, & eorum cuilibet pro tertio, & peremtoria termino aſſignamus, debeant, & eorum quilibet debeas prout ad eos, & eorum quemlibet ſpectat & pertinet, a quibuſvis moleſtiis eiſdem inſtantibus præmiſſorum occaſione, aut alias quomodocumque, & qualitercumque contra formam dictorum privilegiorum, ac litterarum Apoſtolicarum, & ſacrorum Canonum, vel alterius eorum illatis, factis, & compoſitis, fierique, & inferri comminatis deſiſtiſſe & ceſſaſſe, & omnia & ſingula in priſtinum ſtatum reduxiſſe, & ſi aliquas pecuniarum, rerum, & bonorum ſummas, & quantitates ratione dictarum gabellarum, impoſitionum, & aliorum præmiſſorum perceperunt, & exigerunt, illaſque eiſdem inſtantibus, aut earum legitimo Procuratori ſi extant, ſin autem de eorum vero valore, & ſpatio ad rationem quanti plurimi valuerint, & valere poterunt reſtituiſſe, tradidiſſe & conſignaſſe, ac ſolutionem, & tranſactionem reſpective impendiſſe, eaſque dictis earum Eccleſiis, Monaſteriis, bonis, domibus, fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus, ac pertinentiis univerſis ad eas, & earum quamlibet, ac earum Monaſteria, & Eccleſias reſpective pleno jure ſpectantibus, & pertinentibus ſpectandiſque & pertinendis pacifice & quiete uti, frui, ac dictos fructus percipere, & percipi facere libere & licite permiſiſſe, & præſentibus noſtris litteris in omnibus & per omnia realiter, & cum effectu paruiſſe & obediviſſe, & de paritione hujuſmodi nos certioraſſe, & inſuper ſub eiſdem pœnis inhibentes eiſdem ne de cætero audeant, vel præſumant eaſdem inſtantes ratione dictarum decimarum, & impoſitionum, ac aliorum præmiſſorum, moleſtare, vexare & pertarbare, ſed eas dictis earum Eccleſiis, Monaſteriis & bonis, necnon fructibus & juribus prædictis, pacifice & quiete uti, frui & gaudere permittere, alioquin ſi ſe gravatas ſenſerint peremtorie citare curetis, quatenus ſexta die poſt citationem hujuſmodi eis factam immediate ſequen. ſi dies ipſa juridica fuerit, aliqua prima die juridica, qua nos, ſeu Locumtenentem noſtrum Romæ in domo noſtræ ſolitæ reſidentiæ ad jura reddendum, & cauſas audiendum pro Tribunali ſedere contigerit, compareant in judicio legitime coram nobis, ſeu Locumtenente noſtro per ſe, ſeu eorum plures, & cauſam ſui gravaminis allegan. aliaſque dicturi, facturi, recepturi & audiri, ac procedi viſuri, quidquid juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit rationis, certifican. eodemque ſive in dicto citationis termino, ut præmiſſum eſt, comparuerint, ſive non, nos nihilominus, ſeu Locumtenens noſter ad præmiſſa omnia & ſingula, & ad declarationem dictarum pœnarum procedemus, ſeu procedet juſtitia mediantes; quidquid autem in præmiſſis feceritis nobis quantocitius intimare curetis; abſolutionem vero omnium & ſingulorum per præfatas noſtras ſententias, aut ea-

earum aliquam incurrerint nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum teſtimonium præſentes exinde fieri, & per Notarium noſtrum publicum infraſcriptum ſubſcribi, Sigillique Cameræ Apoſtolicæ juſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in ædibus noſtris, ſub anno a Nativitate Domini MDLVIII. *Indictione prima, die vero* XXVII. *menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pauli, divina providentia Papæ* IV. *an.* IV.

Jo. Antonius Curtus Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſt. Notarius.

Et Monaſterii Potentiæ. *Ex Reg. Ciſm. Arch. Aracœli. fol.* 285.

XLIV. Demum contra Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Potentinæ Urbis Neapolitani Regni, & Baſilicatæ Provinciæ, ac Franciſcanos incolas, bona Monaſterii Clariſſarum ſancti Lucæ uſurpare tentantes, præfatus Paulus Odeſcalcus aliud monitorium dedit: *Paulus Odeſcalcus Prothonotarius Apoſtolicus J. U. D., SS. D. N. Papæ, & ejus Camerarii, necnon Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, ſententiarum quoque & cauſarum in eadem Curia Romana latarum, ac litterarum Apoſtolicarum univerſalis & merus executor, cauſæque & cauſis in Fratribus & aliis ſimilibus Judex Commiſſarius a SS. D. N. Papa ſpecialiter & expreſſe, ſui motus proprii ſpecialiter deputatus. Univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Cathedralium, quam Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Locumtenentium eorumdem, cæteriſque Presbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis quibuſcumque per Civitatem & diœceſim Potentinen. ac alias ubilibet conſtitutis, illique, vel illis ad quem, vel ad quos præſentes litteræ noſtræ pervenerint ſalutem in Domino, & præſentibus noſtris imo verius, Apoſtolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis quod alias SS. D. N. Paulus Papa IV. ſuper reſciſſum contractum rerum & bonorum Eccleſiarum male, & alias in damnum Eccleſiarum earumdem, & illas pro tempore obtinendas, alienatas quaſdam ſuas litteras Apoſtolicas coram nobis exhibitas, & in actis Notarii infraſcripti productas, quas hic inſeri, brevitatis cauſa, omittimus, edidit, & pro illarum executione debita quemdam motum proprium per unum ex ſuis Curſoribus præſentari fecit, quem nos cum ea qua decuit reverentia recipimus hujuſmodi ſub tenore cum motu proprio; cum nos nuper juſtis cauſis tunc expreſſis omnes & ſingulas alienationes, & cenſum perpetuum, aut tertiam vel aliam generationem, ſeu hominis vitam, aut aliud tempus ultra triennium locationes vel conceſſiones, ſeu permutationes, hypothecas vel obligationes de quibuſvis Caſtris, Terris, Oppidis & locis, aut aliis bonis immobilibus, ſeu rebus & juribus tam ſpiritualibus quam temporalibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & quarumcumque aliarum Cathedralium, ſeu Metropolitanæ, & aliarum Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum, Domorum, & aliorum Regularium locorum, & quorumvis beneficiorum Eccleſiarum ſæcularium, & regularium, necnon hoſpitalium, & aliorum piorum locorum quorumlibet, per quoſque etiam Romanas Pontifices prædeceſſores noſtros, ſeu eorum auctoritate vel mandato, Camerarios, & Clericos Cameræ Apoſtolicæ, ac quoſvis Eccleſiarum, Monaſteriorum, & Domorum Prælatos & Beneficiatos, necnon hoſpitalium, & aliorum regularium & piorum locorum Rectores, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtentis, etiamſi Cardinalatus honore polleretis, in damnum Eccleſiæ, ſeu non ſervatis ſolemnitatibus a jure requiſitis, aut alias nulliter hactenus factis, & contractus ſuperinde habitos & celebratos Apoſtolica auctoritate reſcinderimus, irritaverimus, taſſaverimus & annullaverimus, ipſoſque detentores ad Caſtra, Terras, Oppida, Ci-*

Civitates & loca occupata, ac bona, res & jura prædicta Romanæ, & aliis Eccleſiis, necnon Monaſteriis, Domibus, Hoſpitalibus, Beneficiatis, & Regularibus, ac piis locis præfatis relaxandis, & de fructibus tam hactenus faciendis, quam impoſterum perficiendis realiter ſatisfaciendis teneri; & ad hoc etiam ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac etiam pecuniariis omnibuſque aliis opportunis juris & facti remediis cogi & compelli poſſe per noſtram conſtitutionem vitam perpetuam vim legis habituram decrevimus, illiuſque utpote utillimæ & ſanctiſſimæ conſtitutionis executionem ſummopere cupiamus, ne de jure edictionis hujuſmodi proceden. dubitare contingat. Dilecto filio curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, coram quo, ut accepimus, jam conſtitutio noſtra prædicta, ſeu illius ſumptum prædictum productum reperitur, ut tam ad dilecti filii procuratoris noſtri Fiſcalis, pro his, quæ Romanam Curiam, & Sedem Apoſtolicam concernunt, quam ad ſingularum aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Domorum, Hoſpitalium, beneficiorum, & piorum prædictorum locorum, qui coram, & ad execeutionem. hujuſmodi petendam comparebunt, Prælatorum, ſeu Procuratorum, Syndicorum, aut alias quomodolibet ad hoc faciendum mandatum ſeu poteſtatem legitimam habentium inſtantiam, ſingulos Caſtrorum, Terrarum, Oppidorum, Civitatum, & locorum, aliorumque bonorum immobilium, ſeu rerum & jurium prædictorum detentores ad illos, illas, & illa reſpective relaxandum, & ex fructibus prædictis ſatisfaciendum, vel quamobrem id facere non teneantur docendum, ſub excommunicatianis latæ ſententiæ, necnon pecuniariis ipſius Auditoris &c. moderandum & applicandum, necnon rebellionis & indignationis noſtræ pœnis etiam per edictum publicum, conſtito ſummarie de non tuto acceſſu, moneat & requirat, & elapſo tempore & termino in ſingulis monitoriis hujuſmodi per eos ſtatuen., illis non comparentibus illico, ſeu illis comparentibus, & ut præfertur, non docen. ſeu alias conſtito ſibi ſummarie ſimpliciter, & de plano ſine ulla terminorum ſubſtantialium nuncupatarum, aut alterius cujuſcumque formæ judicialis obſervatione de alienationibus, ſeu locationum permutationibus, hipothecis, vel obligationibus prædictis, & qualiter earum, & quod in damnum Eccleſiæ, ſeu loci, a qua vel a quo facta fuiſſe prætenduntur, tenderent aut tendant, ſeu non ſervatis ſolemnitatibus a jure requiſitis, aut alias nulliter facta fuerint, & quatuor terminis ad docendum tam noſtris quam ipſius Auditoris monitorialibus litteris, ut præfertur, decernendis paruiſſe contra, & adverſus ipſos non parentes ad declarationem, ne curſus cenſurarum & pœnarum prædictarum, & poſt declarationem hujuſmodi ad earumdem cenſurarum & pœnarum aggravationem, reſgravationem, necnon interdictum, & bracbii ſæcularis invocationem, etiam unico contextu, ac ſimul & ſemel procedat, & totaliter exequatur & exequi mandat, & faciat quacumque appellatione remota, præſentium tenore committimus & mandamus, cum poteſtate, non ſolum detentores ipſos præſentes, ſed etiam anteriorum detentorum, ſi qui fuerint, pro fructibus perceperint alios quoſcumque tam in decretis quam in executione decernendarum litterarum monitorialium hujuſmodi nominandos, etiam per ſimile edictum monendi & requirendi, ac quibus & quoties opus fuerit, etiam ſub ſimilibus cenſuris & pœnis inhibendo, & contra inobedientes, ſeu contravenientes ſimili modo, ut ſupra, procedendi, & illos ſiqui ex monendis prædictis, pupilli aut minores fuerint, ad legitime comparendum citandi, & eis non comparentibus, etiam abſentibus, & non petentibus de Curatore ad litem hujuſmodi, ut moris eſt, providendi, & in præmiſſis etiam ſingulis diebus & horis, præterquam in honorem Dei feriatis, ac alias, juxta ordinariam Curiæ ſuæ in ſimilibus ſtilum, & in omnibus & ſingulis præmiſſis,

tam

Anno Christi 1558.	Pauli IV. anno 4.	Ferdinandi I. Imp. anno 1.	Religionis Minorum anno 351.

tam per ſeipſum, quam per ſuum in civitibus Locumtenentem, ſeu alium ab eo ſubdelegandum procedendi, aliiſque facultatibus neceſſariis & opportunis. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in conſtitutione noſtra prædicta volumus non obſtare, & quibuſcumque Clericis derogatarum derogatoriis, irritantibuſque, & aliis decretis, & contractibus, & litteris, forſan etiam Apoſtolicis, ſuper ſingulis alienationum, locationum, & aliis prædictis diſpoſitionibus, expeditionibus confirmatis & innovatis cujuſcumque tenoris exiſtunt, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de eis eorumque totis tenoribus expreſſa mentio facienda, aut alia exquiſita forma ſervanda eſſet, ſeriis generalibus de mandato noſtro uſque ad Kalendas Octobris indictis, & in futurum indicendis, ac quacumque pendentia inter ipſas partes, & quamlibet ex eis ſuper eiſdem rebus in petitorio, vel quocumque poſſeſſorio, ſeu alienatione, aliorumque contractuum & conceſſionum prædictarum invaliditate, aut alias coram quibuſcumque Judicibus Palatii noſtri Cauſarum Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus introductarum, & quacumque inſtan. penden, per quas lites dictæ noſtræ conſtitutionis, execution. & judiciis præſen. vigore movendis nullatenus præjudicari, neque executionis, & judicii exeeutionum hujuſmodi curſum impediri poſſe decernimus, necnon quibuſcumque locorum ſtatutis & privilegiis, etiam de civibus ad alia Tribunalia, & alia loca non traben. etiam Civibus Romanis, & Curiæ Capitolii conceſſis quorumcumque tenorum exiſtant, cæteriſque in contrarium faven. quibuſcumque, omnium & ſingulorum prædictorum, aliorumque forſan latius exprimen. tenores pro ſufficienter expreſſis habendum. Qui quidem motus proprii manu ejuſdem Sanctiſſimi taliter ſubſcriptis reperitur. Ut placet, motu proprio. *Poſt cujus quidem motus proprii præſentationem & receptionem, nobis & per nos, ut præmittitur, factis, fuit nobis cum querela pro parte Reverendiſſimarum Dominarum Abbatiſſæ & Monialium Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia Monaſterii ſancti Lucæ dictæ Civitatis Potentinæ expoſitum, Capitulum & Canonicos Eccleſiæ Potentinæ, necnon Priorem & Fratres Monaſterii Ordinis ſancti Franciſci ejuſdem Civitatis Potentinæ, & nonnullos in executione præſentium noſtrarum litterarum monitorialium nominandos & cognominandos, in animarum ſuarum ſalutis perniciem & damnationem, earumdemque inſtantium damnum, & intereſſe maximum per multa bona & res, utpote domos, vineas, hortos, viridaria, terras, prata, ac nemora, & alia tam mobilia quam immobilia in progreſſu cauſæ & cauſarum hujuſmodi ſpecificandi, & denotanda ſibi indebite & injuſte, & contra formam dict. litterarum, & motus proprii appropriaſſe & uſurpaſſe, occupareque & detinere. Quare fuimus rogati pro earumdem Abbatiſſæ & Monialium parte, quatenus ſibi ſuper præmiſſis de opportuno juris remedio providere dignaremur & vellemus. Nos igitur Paulus Auditor & Judex præfatus, attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam & rationi conſentaneam, volenteſque nobis in hac parte commiſſa executioni debitæ, ut tenemur, & noſtro incumbit officio demandare, præfatiſque Dominis inſtantibus in præmiſſis pro juſtitia adeſſe, ac jus & juſtitiam miniſtrare, idcirco vobis omnibus & ſingulis ſupradictis committimus, & ſub excommunicationis pœna præcipimus & mandamus, quatenus ſtatim præſentibus receptis, ac poſtquam pro parte earumdem Dominarum inſtantium, ſuper eiſdem fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum fuerit requiſitus ex parte noſtra, imo verius, auctoritate Apoſtolica moneatis & requiratis primo, ſecundo & tertio, & peremptorie dictum Capitulum & Canonicos Eccleſiæ Potentinæ, necnon Priorem & Fratres ſancti Franciſci prædictos exadverſo principales, omneſque alios & ſingulos quorumcumque bonorum, Domorum, Terrarum, & poſſeſſionum, & aliarum rerum dictæ Eccleſiæ*

ſiæ ſancti Lucæ occupatores & detentores & uſurpatores in executione præſentium a nobis nominandos & cognominandos, eiſque & eorum cuilibet in ſolidum in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis majoris, ac interdicti ingreſſus Eccleſiæ, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis & cenſuris, & mille ducatorum auri in auro de Camera Cameræ Apoſtolicæ, & inſtantibus reſpective applicandis in perſolvendis pœnis præcipiatis & mandetis, prout & nos tenore præſentium eiſdem & eorum cuilibet in ſolidum præcipimus & mandamus, quatenus infra ſex dierum ſpatium a die monitionis & requiſitionis veſtrarum hujuſmodi eiſdem ſic factis ex tunc proxime & immediate ſequen. debeant, & eorum quilibet, prout ipſum tangit & concernit, debeat ab omnibus & ſingulis bonorum hujuſmodi vinearum, domorum, pratorum, terrarum, poſſeſſionum, ac aliarum rerum & bonorum prædictorum detentionibus, occupationibus & uſurpationibus deſtitiſſe, ceſſaſſe, & ſe abſtinuiſſe, illaſque & illa dictis Dominabus Abbatiſſæ & Monialibus inſtantibus, vacuas, liberas & expeditas, liberaque, vacua & expedita dimiſiſſe, illorumque poſſeſſionem corporalem & actualem relaxaſſe, necnon de omnibus & ſingulis illorum fructibus, redditibus & proventibus, & illis & eorum quolibet a die eorum occupationis & intruſionis hujuſmodi hactenus per eos & eorum quemlibet perceptis, exactis, recollectis, & de in futurum percipiendis, recolligendis reſpondiſſe, ſeu de eorum vero valore ad rationem quantiplurimi valuerunt, & valere potuerunt ſatisfeciſſe, & debitam ſolutionem & ſatisfactionem impendiſſe, vel cauſam ſi quam habeant relevantem & rationabilem, cur premiſſa minime fieri debeant dixiſſe. Et interim de juribus ſuis, ſi qua ſuper præmiſſis prætendant allegaſſe deduxiſſe, & demonſtraſſe, præſentibus quoque noſtris litteris monitorialibus in omnibus & per omnia paruiſſe & obediviſſe. Et quod ſic paruerint & obediverint nos per legitima documenta certioraſſe & certificaſſe. Attento quod fuit coram nobis pro parte dictarum Dominarum inſtantium comparitum & allegatum bona ſic occupata alias per ipſas, ſeu in dicto earum Monaſterio antecedenter fuiſſe poſſeſſa, ac ad eamdem Eccleſiam, & ſucceſſive ipſas, & dictum earum Monaſterium pleno jure ſpectaſſe & pertinuiſſe, ſpectareque & pertinere, & ſi qua de illis prætenſa alienatio in Emphitheuſim, datio, locatio vel ad longum tempus ſeu in perpetuum, alienatio per quemvis de illis quandocumque & qualitercumque facta reperiatur & exiſtat talis aſſerta locatio, datio & conceſſio fuit, & eſt facta in evidentiſſimum damnum & præjudicium dictarum Dominarum inſtantium, & dictarum Monaſterii & Eccleſiæ, & earum in eodem pro tempore ſuccedentium, ac alias non ſervatis de jure ſolemnitatibus ad hoc requiſitis, & ſic per damnum & præjudicium dictarum Dominarum inſtantium, & dictarum Eccleſiæ & Monaſterii conſtitutionem, ſanctionem prætermiſſarum ſeu mentionatarum litterarum Apoſtolicarum, ac motus proprii vigore reviſa, invalidata, irrita & inania, nulliuſque exiſtit aut eſt roboris & momenti. Alioquin eoſdem Capitulum & Canonicos, ac Priorem & Fratres nominandoſque hujuſmodi, ſi in præmiſſis ſe fore gravatos ſenſerint, peremtorie citare curetis, prout & nos citamus eoſdem, & eorum quemlibet, quatenus decima quinta die juridica poſt monitionem & citationem veſtram hujuſmodi eiſdem ſic fact., ex tunc proxime & immediate ſequen., quam nos, ſeu noſtrum in civilibus Locumtenentem hic Romæ ad jura reddendum, & cauſas audiendum in loco noſtro ſolito & conſueto pro Tribunali ſedere contigerit compareant judicialiter coram nobis, ſeu dicto Locumtenente, aut interim loco noſtri ſurrogando per ſe, vel per Procuratores ſuos legitimos ſe ſententias, cenſuras & pœnas prædictas incidiſſe, incurriſſe, declarari viſuri, aliaſque & alia dicturi, facturi, ac fieri viſuri, quod juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit

rit rationes certificantes eoſdem ſic citatos, quod, ſive in dicto citationis termino, ut præmiſſum eſt, comparere curaverint, ſive non, nos tamen, ſive Locumtenens præfatus, aut loco noſtri forſan ſurrogandus ad dictarum ſententiarum, cenſurarum & pœnarum declarationem, ac alias ad graviora juris remedia procedemus, ſeu procedere dictorum citatorum contumacia, ſeu abſque, in aliquo non obſtante, quidquid autem in præmiſſis feceritis nobis vel ſupradictis noſtris fideliter, quantocitius fieri poterit fideliter intimare curetis. Abſolutionem vero omnium & ſingulorum, qui præfatas noſtras ſententias, cenſuras & pœnas, ſeu earum aliquam incurrerent, ſive incurrerit quoquomodo, nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras exinde fieri, & per Notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique noſtri, quo in ſimilibus utimur, juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum Romæ in ædibus noſtris, ſub anno a Nativitate Domini MDLVIII. *Indictione prima, die vero* XXIX. *menſis Octobris, Pontificatus Domini noſtri Pauli divina providentia Pape IV. Pro ſen. Domino Andrea Gerardi, & Deſiderio Bonavena dictæ Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notariis publicis teſtibus ad præmiſſa omnia & ſingula vocatis ad hoc ſpecialiter, atque rogatis inſtanter & debite requiſiti.*

Pro D. Fabritio Galetto Notario.
Jo: Antonius Curtus.

XLV. Sua conſtitutione, cujus initium: *Cum ex Apoſtolatus officio* &c. *Datum Romæ* XXIV. *Aprilis Clementis VII.* ſui deceſſoris Conſtitutionem Pontifex confirmat de non promovendis ad Ordinis dignitates &c. ſanguine maculatis; irritamque illam Julii III. huic contrariam jure meritoque declarat. Et inſuper altera Conſtitutione plenariam Indulgentiam ad modum Jubilæi ſtatis diebus viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum largitur, Capitulo Generali anno ſequenti in Civitate Aquilana celebrandi ergo: *A ſupremo Principe* &c. die XV. Octobris: Die vero VIII. ejuſdem menſis ſacello Expectationis beatæ Virginis in Templo Conventus noſtri Ubetenſis erecto, omnia privilegia gratiæ, atque indulta ſunt a Capitulo Lateranenſi conceſſa, quibus ſacroſancta illa Baſilica gaudere conſuevit. Et demum Philippus II. Catholicus Rex die XIII. Septembris illud idem privilegium benefactoribus noſtris confirmat, quod illis ſui parentes olim conceſſere, quodque nos alibi memoravimus.

Quædam privilegia Pont. confirmat, & quædam alia largitur.

Regeſt.

Conv. Ubetæ. *Regeſt.*

ARGUMENTUM.

Plures Franciſcani in Indiis alii Martyres, alii Confeſſores cœleſtem retributionem accipiunt. Iidem in Anglia palam impiæ Eliſabethæ Regno adminiſtrando advectæ, ſeſe opponunt, cujus ſub imperio etiam in Scotia Religionis Catholicæ atque Franciſcanæ ruina ſuccedit. Minoriticæ Scotiæ Provinciæ ſtatus ſub illis temporibus Joannis de l'Haye monumento ſynchrono oſtenditur. Paulus IV. ſummus Pontifex moritur, eique Pius item IV. ſufficitur. Beati Salvatoris ab Horta quædam referuntur mirabilia. Plures cum probitate tum etiam doctrina præditi ultimum obeunt diem. Aquilæ in Veſtinis Ordinis celebrantur generalia Comitia, ubi Franciſcus Zamora, cujus merita narrantur, in Miniſtrum Generalem eligitur, ac quædam ad bonum Ordinis regimen decernuntur. Cuſtodiæ ſancti Joſeph de Jucatan, & Nominis Jeſu de Guatemala in unam coaleſcunt Provinciam, qua occaſione de Cocolata ſuis in regionibus, & de Incolarum vivendi genere diſſeritur. Suum etiam Aſſiſii Patres Conventuales Generalem vocant Conventum, & Magiſtrum Joannem Antonium Cervienſem Præſulem Generalem ſalutant; quo deficiente Joannes Antonius Delphini Vicarius Generalis ſufficitur. Sancti Petri de Alcantara vitæ narratio continuatur. Illuſtre Monaſterium Matritenſe Diſcalceatarum deſcribitur. Unus dumtaxat hoc anno creatur Antiſtes; plures tamen ex Conventualium Familia pro Veneto Dominio Inquiſitores inſtituuntur. Nonnulla tam Virorum quam Mulierum de novo exſtruuntur Cœnobia, aliaque acquiruntur.

Plerique Minoritæ in Indiis gloriosè decedunt.

I. MOrs glorioſa, quam hoc eirciter anno plerique Franciſcanorum in Indiis poſt eos, qui primi ſunt eaſdem Regiones ingreſſi, fortiter obiere, ut ſpiritualia apud illas immanes Gentes commercia tuerentur, earumque animas Deo luerarentur, cogit nos ab eorum hiſtoria etiam hujus anni ſumere initium. Ut autem ab Orientalibus exordiamur, Antonius quidam laicus profeſſione, quum in Cœnobio ſanctæ Barbaræ Cauli provinciæ ſancti Thomæ moraretur, eo tempore quo bellum inter Luſitanos, Indoſque gentiles gerebatur, & ab iiſdem Indis premebatur obſidione urbs, inter tela atque gladios cruci affixi Jeſu imaginem geſtans, pro Chriſtiana fide exaltanda intrepide huc illucque diſcurrens, Gentilium impiorum gladiis conſoſſus, glorioſe occubuit. Eo tempore Cœnobii hujus Guardianum agebat Joannes Numantinus, ſive de *Soria* nuncupatus, qui pro ſua pietate ac zelo Fidelium cauſas Deo enixe commendans, vocem ſibi dicentem audivit: *Vigilate, præliamini, & vincetis*: qui poſtmodum eiſdem verbis, dum inter primos concertantes atque confligentes Chriſtianum militem confortaturus verſaretur, opportune uſus, amicis animum addidit, & inimicis non parvum timorem incuſſit, qui tandem in fugam ſunt converſi.

Antonius Laicus Martyr Cauli. *Barett. lib. 5. cap. 75.*

Joannes Numantinus. *Caret. cit.*

II. Alius etiam Guardianus Cochinicenſis, dum a quodam Presbytero, cui nomen *Sixtus*, ſuæ familiæ ſociatus, Comitiorum cauſa Goam verſus per Oceanum pergit, a Malabaribus Chriſtianæ Fidei valde infenſis in mari demergitur, & martyrio cum eodem ſocio coronatus, Cœlum die XXVIII. Auguſti felix ingreditur.

Anonymus Guardianus Martyr. *Wadd. in Catal. MM. Barett. cit.*

III. Eodem anno, eodemque menſe, die vero XVII. ab iiſdem piratis Malabaribus Joannes Clericus, & nonnulli alii ſodales ab urbe ſancti Thomæ ſolventes, Goamque petentes, pro Chriſto necati ſunt. Idem feliciter contigit Martino Guardenſi, qui ab iiſdem Malabaribus in mari captus, propoſi-

Joannes Clericus & ſocii Martyres. *Barett. cit.* Martinus Guardenſis M.

tiſ-

tiſque ingentibus præmiis, ut Catholicam Fidem abnegaret, adeo eorum increpavit impudentiam, ut in ſe ipſorum gladios converterit.

Antonius Patronus.

IV. Præclarus item Confeſſor Antonius Patroni, ſive Petronius Portugallenſis ad ſancti Thomæ Civitatem, vulgo *Melapurgam*, trecentis milliabus a Zeilamica Inſula, atque mille & ducentis a Goa, Chriſti Fidem prædicaturus, cum uno tantum ſocio anno MOXL. ſe contulerat, piorumque eleemoſynis primum ſancti Thomæ Provinciæ Conventum exſtruxerat, mille trecentos Infideles ſacro Baptiſmate breviſſimo temporis ſpatio laverat, hoc circiter anno meritis cumulatus occubuit. De hoc Viro Dei ita Maffejus, dum Nonnii Acuniæ Prætoris acta recenſet: *Damavum oppidum oræ Cambaicæ proceſſit, Nonnius videlicet, metu defertum ab incolis; ibi, ſolemni peracto Sacrificio, Antonius Petronius Franciſcanus pro concione cunctos ad obeunda fortiter militiæ munera, pellendoſque ex urbe Deos nefarios, Chriſtiani nominis hoſtes Mahumetanæ ſectæ cultores, hortatus eſt.*

Maff. in Hiſtor. Ind. lib. 11. in init.

Anonymus Laicus Martyr in Indiis occiduis. *Wadd. in Catal. MM. lit. A.*

V. In Indiis quoque occiduis Chriſti milites Franciſcani hac ætate fuere, qui vineam Domini, adhuc ibi pubeſcentem, ſanguine aut laboribus irrigarunt. In Chilenſi namque remotiſſima regione quidam ſodalis, profeſſione laicus, cujus memoria in benedictione, fame a feris incolis pro Chriſti Fide necatur.

Jacobus de Penna. *Baretti. lib. 3. cap. 80. Arturus. ad 14. Novemb. Wadd. ad ann. 1271. n. 9.*

VI. Jacobus de Penna (perperam *Joannes* apud Baretium, quem Leonardus Neapolitanus ſequitur; Joannem namque de Penna Picenum ad annum MCCLXXI. in Cœnobio ſancti Joannis Baptiſtæ de Penna obiiſſe Waddingus teſtatur) verus ſancti Franciſci filius, quia omnium virtutum, ſed præcipue paupertatis ſtrictiſſimæ extitit cultor, ex Provincia ſancti Gabrielis cujus erat alumnus, in novam Hiſpaniam cum Ludovico Fonſalidenſi profectus eſt, ibique Indorum converſioni vacans, & Inſulanæ Provinciæ Reformationi ſatagens, in Mexicano Conventu tandem mortem, quæ Michaeli a Benevento revelata eſt, religioſiſſime obiit.

Franciſcus de Villabar.

VII. Franciſcus item de Villabar Provinciæ Burgenſis, vir ſanctitate conſpicuus, & ipſe Indiam Occidentalem trajiciens, Evangelica prædicatione & exemplo incolarum multitudini cauſa ſalutis extitit.

Antonius Lopetius. *Baretti. lib. 3. cap. 81. Gonz. par. 3. in Prov. S. Gabr. Con. 8.* Jacobus Italus. *Gonz. cit. Baretti. cit. Wadd. cit.* Antonius Ortitius. *Wadd. ad ann. 1432. §. 17. Rapin. Decad. 8. p. 1. §. 8. Wadd. ad ann. 1440. §. 19. Gonz. par. 3. in Prov. S. Gabr. Conv. 10. Baretti. lib. 2. cap. 46.*

VIII. Deceſſit etiam hoc anno Maniaretibus in Luſitaniæ, & Caſtellæ confinio, ad tertium ab oppido Valentiæ Alcantarenſi, in diœceſi Caurienſi lapidem, eximius verbi Dei diſſeminator Antonius Lopetius, qui ſi ejus mores atque pœnitentiam attendas, Seraphicum Parentem adamuſſim imitatus videbitur. Ejus corpus, multo poſt caſu aperto illius ſepulcro, incorruptum atque ſuaviſſime redolens inventum eſt. Apud eumdem tumulatus jacet Jacobus Italus laicus eximia ſimplicitate ac obedientia præditus, qui propterea ab quibuſcumque Provinciæ ſancti Gabrielis Patribus *Beati* nomine fuerat honeſtatus. Antonius item Ortitius parem finem vivendi fecit, de quo ita ſcribit Gonzaga: *Sepultus jacet in hujus Monaſterii* (Xereſii videlicet) *Eccleſia omni virtutum genere præditus, omnique ſanctitate conſpicuus P. F. Antonius Ortitius, qui poſt miniſteriatus officium hac in Provincia bis laudabiliter functum, ad occiduos Indos prædicandæ Catholicæ Fidei gratia, cum quibuſdam aliis Patribus trajecit; quique martyrii deſiderio flagrans, ex India reverſus ad infideles Aphros transfretavit. A quibus tamen poſt perpeſſa plurima ludibria, verbera atque tormenta, Deo Optimo Maximo, cujus conſilium inſcrutabile eſt, ſic diſponente, in Hiſpaniam, ſua ſpe fruſtratus, remiſſus eſt.* In Indiam cum proficiſceretur, ſocium Martinum de Valentia habuit, a quo de die ſui obitus ante decem annos monitus, ejuſdem morti aſſiſtit. Quidam hunc Antonium cum altero Ortitio, ſeu Orteſio Toletano male confundunt, quum patria, genere, ſepulturæ loco, cæteriſque actis, ab illo diſtinctum

Hieronymus de Ariza. *Gonz. par. 3. in Prov. S. Gabr. Conv. 10. Wadd. ad ann. 1440. §. 39.*

fuiſſe, nemo eſt qui videre non poſſit. Xereſii etiam tumulatus Hieronymus de Ariza Concionatorum ſuæ ætatis facile princeps, atque morum integritate celebris, ubi magna frequentia populi ejus veneratur memoria. His omnibus Provinciæ ſancti Gabrielis alumnis hoc anno decedentibus.

Antonius de Guzman. *Ex Archiv. ſancti Iſid. MSS. autent. Arm. 3. nu. 52. fol. 15.*

IX. In illa ſimiliter ſancti Jacobi deceſſit Antonius Guſmanius illuſtris generis ſplendore præclarus, qui paulo poſt Obſervantium a Conventualibus diviſione, iiſdem Obſervantibus nomen dedit; prudentia, doctrina ac regulari obſervantia adeo enituit, ut quinquies Provinciam moderatus fuerit; quod nondum his temporibus de quopiam alio auditum eſt. Ejus intuitu eleemoſynis ingentibus erogatis, Cœnobium ſancti Franciſci Salamanticenſe, ubi deceſſit, non pauca beneficia expertum eſt. In eadem ſancti Jacobi Provincia obitus contigit Joannis de Navariete, de quo Waddingus iterum monet, ob prodigia ingentia, quæ ſervi ſui meritis Omnipotens operari dignatus eſt, quorum duo dumtaxat referimus. Agnes cujuſdam Gregorii de ſancto Martino filia, paralyſi correpta, & Joannes de Caſtro, ab incunabulis morbo qui nervos læſerat tybiæ, motus proinde expertes, ubi ad Servi Dei ſepulcrum accedunt, incolumes evadunt.

Joannes Navaretus. *Wadd. ad ann. 1395. §. 4. & 1528. §. 11. Baret. lib. 3. cap. 81.*

Franciſcus Luſitanus Martyr. *Artur. in Prolog. Martyrol. §. 168. Gonz. par. 4. in Prov. S. Thomæ ſub finem. Baret. libi 3. cap. 75.*

X. Item alius Minorita, Franciſcus nomine, ignotus tamen patria, ſed natione, ut putatur, Luſitanus, Martyr glorioſus occubuit, dum primus omnium Caſreriam ad evangelizandum ingreditur. Ea eſt Caſreria, meridionalis Africæ portio, juxta litoralem Oceani oram ſita, eujus incolæ antropophagi, humanæ carnis videlicet voratores, ſunt. Ad has igitur gentes Franciſcus hic Minorita primus omnium ad evangelizandum ingreditur a Luſitano milite viæ duce aſſociatus, ut eos & humanas leges, & Chriſtianam religionem edoceret. Ibidem aliquandiu commoratus, prædicationi incumbens, tandem Manicis, quæ caſtrorum patria eſt (inquit Gonzaga, quia nondum alia loca ſuo tempore in hac regione fuerunt exſtructa) die quinta Auguſti, omnium tormentorum genere in odium Fidei eſt interemtus. Hujus forſan ex obitu unum ex Caſræ promontoriis in ora littorali ad ortum promontorii bonæ ſpei *ſancti Franciſci* nomen audit.

Gonz. cit. 1. par. ubi de Martyrib. Ind.

Gonſalvus Silveira Soc. Jeſu. *Artur. cit. Orb. Seraph. lib. 1. de Miſſion. c. 4. n. 12.*

XI. *Anno deinde* MDLX. *ait Dom. de Guber. P. Gonſalvus Silveria, ſive Sylveira Societatis Jeſu melioremſortem inveniſſe videbatur in Orientali Caffreria, in Regnis videlicet Inambanenſi, & Monopatenſ. Vocatus namque ab iiſdem Regibus, plurimos in utroque Regno fructus ſe collegiſſe, opinabatur; at dum de Inambunc proficiſcitur in Monopotan, ſocii ejus ibi relicti, ut in novæ Chriſti vineæ cultura laborarent, videntes, quod Afri, ſpecialiſſime vero Caffri, etſi tandem admittendo Baptiſmo aures aperuerint, eſſent correctionis omnis incapaces, multoque pervicaciores, cum de admiſſo crimine corriguntur; confeſſi, nullam de illorum ſalute poſſe ſpem habere; remeantes poſt biennium in Indiam, Miſſionem omnino dimiſerunt. Gonſalvus etiam Monomotaræ humaniter a Rege Luſitanis amico ſuſceptus jam pene quinquaginta viros ſacris aquis abluerat; imo, & Regem ipſum & Reginam, multoſque Proceres. At dum illorum inhumanos mores apoſtolico zelo nititur emendare, crudeliſſimi Regis edicto, die* XI. *Auguſti an.* MDLXI. *poſt dira tormenta trucidatur a Caffris, legem Chriſti, quam verbo prædicaverat, ſuo ſanguine confirmavit; unde ſic etiam in Monopotama finem habuit ex deſperata ſpe progreſſus, Miſſio apoſtolica. Nec tamen inde habebat Poyræus, unde deberet Silveyram ſuum primum Caffreriæ Apoſtolum inſcribere, cum jam a duobus annis ante Silveyræ obitum fuerit F. Franciſci Minoritæ ſanguine irrigata.* Franciſcum Minoritam propterea, Chriſti Martyrem, regionis hujus Apoſtolum non dubitamus aſſerere; quemadmodum cæterarum quamplurium, nedum Africæ, verum Indiarum

Minoritæ pluriú Orbis Regionum Apoſtoli. *Artur. cit.*

& Si-

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 352.

& Sinarum, etianique Europæ partium gloriam hujuſmodi nemo debet Minoritis contendere; & Anglicæ Regionis præcipue, ubi etiam hoc anno, ſub Eliſabetha perſecutione recrudeſcente, ex Minoritis omnibus hac deplorabili tempeſtate Londini moram trahentibus, nemo fuit, qui, aut poſt celebrata die xv. Januarii coronationis ſolemnia, ut Surius refert, aut in celebri diſputatione Catholicos inter & Hæreticos III. die Aprilis habita, aut demum poſt edictum, ne poſt diem feſtum ſancti Joannis Baptiſtæ quiſquam ſacrum ritu Romano celebraret; nemo, inquam, fuit ex Minoritis, qui in faciem novæ Anglicanæ Jezabelis ſorti animo non reſtiterit.

Et Angliæ præcipue.
Antonius Bruodin. in propugnaculo Cathol. veritat. lib. 5. cap. 13.
Ubi immaniter infectati.

XII. Decretis igitur iniquiſſimis e ſuggeſtu palam ſe omnes Franciſcani oppoſuere; quapropter ait Bruodinus: *Singulari edicto ex toto Regno proſcripti ſunt. Plerique ex iis, qui carcerum ſqualore non erant extincti cum integerrimis trium Clariſſarum Conventuum familiis ex Inſula in Belgium navigarunt, quo etiam illos ſequuti ſunt plurimi utriuſque ſexus ſæculares & Eccleſiaſtici, ex quibus multi multa præclare ſcripſerunt contra hæreticos.*

Bruod. cit.

XIII. Sub ejuſdem impiæ Reginæ auſpiciis dum Novatorum in Mariam Stuardam Scotiæ Reginam petulantia funeſtis ac barbaris exemplis debaccharetur, eodem vulnere in ipſo Regno, cum Catholica Religione, noſtra Seraphica Familia transfixa eſt, ſicque adimpletum eſt, quod ſuperno ſpiritu prædixit, futuram nimirum Scotiæ calamitatem, Servus Dei Robertus Stuardus Jacobi V. Scotorum Regis cognatus, Ordiniſque noſtri Alumnus, & illis in Regionibus ſua ætate decor, & ſulcimentum, de quo Waddingus ſatis luculenter ſcripſit. Etenim Perthi, ſive ſancti Joannis in urbe quæ eſt Atholiæ Regionis caput, Procerum populorumque animis hæreticus Jo. Knoxius luculenta & vehementi habita oratione, facem ſubjiciens, ſurentes ad noſtrum primum (hoc illud eſt, quod Gonzaga ſub nomine ſancti Joannis in Provincia Scotiæ Conventu III. recenſet) deinde ad Dominicanorum Cœnobium diſcurrunt, tum Carthuſienſium quoque Monaſterium diripiunt, aris, Sanctorumque ſimulacris dejectis.

Et in Scotia.
Roberti Stuardi Minoritæ prædicio.
Wadd. ad ann. 1446. n. 18.
Con. Perthi, ſive S. Jo. direptio.
Thuan. hiſt. ſui temp. ad init. hujus anni lib. 16.

XIV. Perthorum exemplum per alia oppida ſerpens, ad Fanum ſancti Andreæ, ſive Andreanopolim Archiepiſcopalem urbem in Tiſa Provincia, in ora Oceani Germanici ſitam, veræ fidei, ac Religionis hoſtes progrediuntur, ubi ſpoliatis cæteris Templis, Cœnobium etiam noſtrum, tum Eccleſiam in ipſius Archiepiſcopi conſpectu demoliuntur. Deinde Jacobus Stuardus Nothus cum aliis, collectis copiis, nocte quadam Pertho movet, & Strivelinum (Thuano Sterlinium) ad forteam fluvium, occupat Conventum noſtrum cum cæteris immaniter ſolo æquans, quod & Edimburgi feciſſe Gonzaga narrat, nihil prorſus ſuo ſtudio, atque induſtria catholica Regina proficiente, ut tantum in ſui ditione impediret flagitium.

Con. S. Andreæ ſimiliter.
Thuan. cit.
Con. Strivelini, & Edimburgi ſolo æquati.
Gonz. p. 1. in Provin. Scotiæ Con. 1.

XV. Joannes autem Patricius olim Prov. Obſerv. Miniſter, & eidem Jacobo Regi a ſacris Confeſſionibus, quum præ cæteris impiorum conatibus reſtitiſſet, hoc eodem anno (non MDLVII. ut in notis Arturi legimus) in exilium Belgium verſus amandatus eſt, cum octoginta aliis Minoritis Presbyteris, quorum religioſiſſimos mores non unus tantum hiſtoricus hujus ætatis celebrat.

Jo. Patricius in exilium amandatus.
Barett. lib. 3. cap. 79.
Wadd. ad ann. 1304. n. 20. & 1446. n. 18.
Gonz. p. 1. in Prov. Germ. infer. Con. 1. Et in proem Prov. Scotiæ.
Daza lib. 1. cap. 16.

XVI. Quum autem Scotiæ Provinciæ hoc anno his de cauſis ultima ruina acciderit, quamvis Waddingus ad ſua reſpective tempora, cujuslibet ejuſdem Provinciæ Religioſæ Domus meminere non prætermiſerit, tamen illud hic exſcribere libet, quod Joannes Hayus illiuſmet Provinciæ Alumnus ad Franciſci Gonzagæ totius Ordinis Generalis Miniſtri manus pervenire fecit pulcherrimum, & uſque huc ineditum ſequens monumentum, ne religioſiſſimo-

morum, atque doctiſſimorum inclytæ illius Nationis Virorum, vel minimum memoria depereat. Hoc ergo tenore vir eximius ſuo Generali Præfecto ſcribebat: *Reverendiſſimo Patri fratri Franciſco de Gonzaga totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro, frater Joannes Hayus ejuſdem Ordinis, & Provinciæ Coloniæ indignus Miniſter omnem obedientiam, & reverentiam ex animo offert: Cogis me, Reverendiſſime Pater, in arenam difficilem deſcendere, a qua Provinciæ Scotiæ (quæ me Religioni, per ſecundam poſt ſecuti naufragii tabulam, immeritum genuit) exordium, progreſſum & finem, Eccleſiæ Catholicæ, & Ordini meo exponam grave certamen, niſi certo ſcirem, hujus hiſtoriæ veritatem, & mei ſacri exilii, & Religionis meæ beati Franciſci in Regno Scotiæ plantatæ teſtimonium uſum fideliſſimum. Quod cum lubens acceperis, cave Reverendiſſime Pater, ne ipſius veri teſtimonii ornamenta in lucem prodeant, niſi uti fuerint judicio tuæ amplitudinis purgata. Vale. Datum Coloniæ in Domo Fratrum Minorum de Obſervantia, anno* MDLXXXVI. *menſis Januarii, die* XXVIII. *V. Rme P.*

F. Joannes Hayus Provinciæ Miniſter indignus.

Monum. auth. MSS. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 5. n. 141. fol. 177. Jo. de l'Haye Epiſtola.

MSS. citata. Ejuſdem Provinciæ Scotiæ deſcriptio.

» XVII. Provincia Scotiæ, ut ab iis accepimus, qui in ea profeſſi ſunt, » anno Domini MCCXXIV. vivente beato Franciſco, originem habuit, ubi flo- » ruit quidem per viros doctiſſimos in XIV. Conventibus, ſed qui a puritate » ſuæ profeſſionis poſt obitum B. P. Bonaventuræ defecerat. Verum enim » anno Domini MCCCCXXX. per Diſcipulos beati Bernardini denuo Religio » ad ſuam primam puritatem, in qua B. P. Franciſcus reliquerat, in multis » Mundi partibus fuiſſet reſtituta. Jacobus hujus nominis primus Scotorum » Rex centeſimus primus, audiens in partibus Germaniæ inferioris Ordinem » beati Franciſci per Viros quoſdam pietate inſignes ad ſuum primum ſplen- » dorem reſtitutum, miſſis his ad Provinciam Colonienſem, petiit, ut Pa- » tres Germani pii & docti in Scotiam mitterentur, qui Religionem colla- » pſam ad puram obſervantiam reducerent. Itaque P. Joannes de Mauberto » primus Vicarius Apoſtolicus, & Generalis per Eugenium IV. anno Domini » MCCCCXLVI. declaratus, poſtea informatus de petitione præfati Regis, ex » Provincia Coloniæ S. P. Cornelium a Zericzea cum ſex Sociis in Scotiam » miſit; qui tanta ſanctitate & admiratione apud populum, & Regni Pri- » mates claruit, ut ſtatim ipſius, & Sociorum vita & doctrina efficeret, quod » novem loca de Obſervantia erigerentur, quorum primicerius fuit, qui in » Civitate Metropoli Regni Edimburgo emerſit, qui cum inter reliquos » principatum obtineat ab eo auſpicandum nobis erit.

De primo Conventu Obſervantiæ Edimburgi erecto.

Conv. Edimburgi. MSS. cit.

» XVIII. Sumſit hic locus exordium ſtatim primo anno adventus P. Cor- » nelii a Zericzea in Scotiam: cujus ſanctiſſimæ paupertatis conſervandæ ar- » dor, adeo nedum plæbeorum & omnis populi, verum, & nobilium ac » Eccleſiaſticorum corda commoverat, ut illius Metropolis Civitatis inſi- » gnem, & ſitu accommodiſſimam acciperet portionem ſibi, & Ordini in Do- » mini hæreditatem, & tam notabiliter ſtructuris & ædificiis, ac hortorum » amœnitate ornatam, ut non habitacula pauperum, ſed magnatum vide- » rentur, quæ cum ille mundi contemtor P. Cornelius non acceptaret, af- » firmans Ordinis Fundatorem in teſtamento reliquiſſe, quod Fratres liben- » ter maneremus in domibus, & Eccleſiis pauperculis & derelictis: Primas » Regni Archiepiſcopus ſancti Andreæ non ceſſavit donec anno MCCCCLV. » Pius II. (Æneas Silvius prius dictus, qui in Scotia apud Jacobum I. Regem

le-

„ legatum egerat) Litteris Apoſtolicis, eumdem locum Romanæ Eccleſiæ
„ incorporavit: at Fratribus etiam nolentibus, ut peregrinis, ſecundum ſuæ
„ profeſſionis normam, ad inhabitandum dedit. In quo vixere ſemper L. vel
„ LX. Patres Sacerdotes, ex quibus primi fuerunt, & genere ac ſanctimo-
„ nia clari, & pietate & doctrina vere clariſſimi. Fama ſiquidem ſancti viri
„ Cornelii & Sociorum, undique diffuſa, ſtatim comitum, & nobilium filii
„ ex Accademiis potiſſimum Pariſienſi & Colonienſi, advolantes in Patriam,
„ & verbis, & exemplis illius patris Cornelii commoti, tamquam Chriſtum
„ in eo loquentem *ſequere me* audientes, ſequuti ſunt: ac titulis nobilitatis,
„ & doctoratus mundique pompis contemtis, Apoſtolicam vitam cum Patre
„ ſancto filii agere cœperunt. Tanta fuit eo tempore pauperum Chriſti in
„ honore ſacra veſtis, quod magnatum filii purpura & byſſo abjectis, certa-
„ tim accurrentes, eam tanquam ſtolam innocentiæ per vitæ profeſſionem
„ amplecterentur, de quibus Fratribus poſtea ſuo loco dicetur. In hoc Con-
„ ventu potiſſimum continuo fuit, & floruit Provinciæ Seminarium Philoſo-
„ phiæ & ſacræ Theologiæ, ex quo Viri pientiſſimi, & prudentiſſimi prodie-
„ runt, qui Provinciam in pura Regulæ Obſervantia obſervant uſque ad an-
„ num Domini MDLIX. quo fides, & Religio ex Scotiæ Regno profligata eſt.

De ſecundo Conventu in S. Andrea erecto.

Conv. S. Andreæ. *MSS. cit.*

„ XIX. Secundus Obſervantiæ locus fundatus eſt ab Archiepiſcopo ſan-
„ cti Andreæ, in ejus Metropoli ſede ſancti Andreæ dictæ. D Jacobo, anno
„ Domini MCCCCLVIII. exemplo, & pietate P. Roberti Crethy, Comitis de
„ Merthal legitimi filii, ante Religionis ingreſſum ſacræ Theologiæ Doctoris
„ clariſſimi. Cujus nedum doctrina eximia, ſed & humilitas profundiſſima
„ effecit, quod flos univerſitatis ſacræ juventutis in præfata Civitate, relictis
„ Mundi illecebris, eumdem pium Patrem profeſſione ſequerentur. Sacræ
„ enim Religionis fundamentum humilitas adeo Virum Dei ad ſui cognitio-
„ nem dejecerat: ut cum eſſet omnium illius temporis, & fama, & experien-
„ tia eruditiſſimus, cum in humanis, tum in divinis litteris: in oculis ſuis ta-
„ men ſe nihil ſcire perturbat. Unde quadam nocte media, horæ matutina-
„ les cum Edimburgi a Fratribus cantarentur, & ipſe Novitius, a P. Cornelio
„ ibidem receptus, a præſidente chori lectio ei daretur ad legendum, correc-
„ tor eum tentaturus male correxit; ille ex vera humilitate ſui, exemplum
„ poſteris relicturus, ſtatim quod bene lectum ab eo erat, male legendo re-
„ petebat. Idem Conventus ſemper Seminarium Novitiorum extitit, ubi
„ præter Novitios habitabant paſſim XXIV. Patres Sacerdotes, Concionatores,
„ & Confeſſarii ab Archiepiſcopo ordinati, qui confeſſiones juvenum ſtuden-
„ tium in Univerſitate frequentium exciperet.

De tertio Conventu in S. Joanne erecto.

Conv. S. Joannis. *MSS. cit.*

„ XX. Tertius de Obſervantia locus, anno Domini MCCCCLX. in oppido
„ ſancti Joannis dicto erectus eſt per Comitem de Olyphant. Miſſo ſiquidem
„ eo patre Hieronymo Zyndſay filio Comitis de Crafordt, ad Religionem
„ converſo per patrem Cornelium a Zericzea, & ante Religionis ingreſſum
„ Pariſiis utriuſque juris Doctor promoto, tam efficaciter Civium, & populi
„ corda pietate, & concionibus ad opera miſericordiæ commovebat, quod
„ trium annorum ſpatio alii Religioſi Ordinis ſancti Dominici, & Fratres de
„ Monte Carmelo loca erecta acceperint in eodem oppido.

De

De quarto Conventu in Aberdonia erecto.

Conv. Aberdoniæ. *MSS. cit.*

„ XXI. Quartus locus Ordini datus fuit in Aberdonia Civitate, ubi prima Univerſitas erat, conſtitutus anno Domini MCCCCLXX. ab Epiſcopo loci pro tempore, vere pientiſſimo. Is ex Eccleſiæ ſuæ theſauris ſempiternam poſteris ſui reliquit memoriam. Nam poſteaque quatuor celeberrima Collegia juris artium liberalium, Medicinæ & Philoſophiæ erexiſſet, eaque amplis fundis, & poſſeſſionibus vallaſſet, paupereſque viros numero XX. Hoſpitali inſigni cum redditibus amplis ditaſſet; etiam Conventum amœniſſimum in oppido univerſitati adjuncto conſtruxit, ubi Viri graves & celebres ad religionem converſi, magna pietatis & mortificationis exempla poſteris tranſmiſerunt. In eodem loco Sacerdotes XXIV. & aliquando XXX. habitabant pro Confeſſionibus ſuſcipiendis juvenum ſtudentium, ab Epiſcopo ordinati.

De quinto loco in Civitate Glaſco erecto.

Conv. de Glaſco. *MSS. cit.*

„ XXII. Cum in Regno Scotiæ duæ ſint Metropolitanæ Eccleſiæ, altera in ſancto Andræa, altera in Civitate Glaſco, hujus Archiepiſcopus flagrantiſſimo amore erga Ordinis Obſervantiam præditus, & ipſe miſſis pro quibuſdam ſanctis Patribus converſis per patrem Cornelium, anno Domini MCCCCLXXII. locum inſignem in ſua Civitate eis ædificavit, ubi habitabant paſsim probi XX. Sacerdotes, deputati potiſsimum pro audiendis Confeſſionibus ſtudentium.

De ſexto loco in oppido Area erecto.

Conv. de Area. *MSS. cit.*

„ XXIII. In occidentali plaga Regni Scotiæ oppidum eſt antiquiſſimum Area nomine, cujus incolæ famam odoriferam diffuſam de Fratribus audientes, qui Gloſcoam advenerant, & ipſi non ceſſarunt, donec Monaſterium Fratribus a fundamentis continerent anno MCCCCLXXIV. Maxima ibi fuit frequentia mercatorum confitentium Patribus, qui 20. numero quotidie ibi habitabant. In Eccleſia Fratrum B. Virgo Maria Dei Genetrix ſumma veneratione, frequentia Chriſtianorum colebatur, cujus precibus & meritis ibidem plurima miracula fiebant.

De ſeptimo loco in oppido Elginio erecto.

Conv. Elginii. *MSS. cit.*

„ XXIV. Dominus Joannes Vicecomes de Innes, in partibus Regni Borealibus inter nobiles clariſſimus, anno MCCCCLXXIX. animatus ad pœnitentiam & fervorem prædicationis Fratrum, qui Aberdoniæ reſidebant, præclarum locum a fundamentis in oppido Elginio conſtrui fecit, ubi 24. Sacerdotes morabantur occupatiſſimi in prædicatione verbi Dei, & Confeſſionibus Cleri ibidem copioſi & populi, ſuſcipiendis.

De octavo loco erecto Striſſingi.

„ XXV. Octavus de Obſervantia locus fundatus eſt, & ædificatus a Jacobo Rege Scotorum, ejus nominis quarto, anno Domini MCCCCXCIV. Vir certe pientiſſimo, qui poſteaquam palatium in eodem oppido plane Regium paraſſet elegantiſſimum, Cœnobium Ordinis tanquam ſuum futurum Oratorium, & Sacellum maximis ſumtibus erigere curavit. Tanta zelotypia circa illius loci executionem ferebatur, quod ſub gravibus pœnis præfectis operis interdixit, ne ab ullo mortali nobili, aut divite quidquam ad clavum uſque, pro ædificatione illius loci acciperent, ſed ex Regis era-

„ rio

» rio duntaxat. Rex in tanta veneratione locum illum habuit, quod quotidie (curia in eo oppido conſtituta) ad Miſſam, & Veſperas, cum tota » nobilitate ibidem convenire ſolitus erat; pari ratione, ſi qui exterorum » Regum, aut Principum Legati, ſive Nuntii Apoſtolici in Regnum veniſſent, non prius ſuam præſentiam eis dediſſent, niſi ubi ad locum veniſſent. » Idem Rex in hæbdomada ſancta, quandiu vixit, ipſe ab omni Mundi » ſtrepitu, & Curiæ ſui Regni ſequeſtratus, cum fratribus in eodem loco » pœnitentiam ſolemnem, cum ſuorum ſubditorum ædificatione maxima, » fecit, qui in die paraſceves cum panem, & aquam comeſturus humi cum » fratribus ſedere vellet, rogatur a Guardiano loci, ut tandiu lectoris officio » ſua Majeſtas fungeretur menſæ aſſidendo, donec illa vetus Cœnobitarum » Cæremonia de humi prandendo a Fratribus fuiſſet peracta. Idem admonitus a ſuo Confeſſario P. Patritio Ranny illius Inci Guardiano, quod cum » puer eſſet, & infans a nobilibus, qui in mortem Patris ſui Jacobi III. conſpiraverant, ad prælium adductus, neci Patris interfuerat, cathenam ferream groſſam pro pœnitentia, circa lumbos geſſit, a qua nec a Confeſſario, » nec a Pontifice Maximo diſpenſationem accipere voluit, *ad vitam*, inquit » *meam, cathena hac circumdatus ero, qui mea præſentia, etſi coacta, occaſio fuerim, qua Pater meus vitam amiſerit*. In eodem loco Patres 40. » habitabant, qui potiſſimum orationi, & contemplationi vacabant. In » eodem loco anno MDLI. die V. Aprilis, coram Sereniſſima Maria Guiſiana » Jacobi V. relicta, & Primatibus Regni præcipuis, ſacram Religionem ſuſcepit, & profeſſus eſt hujus hiſtoriæ Scriptor, qui Dei gratia in eadem uſque » in finem perſeverabit. Jo: Hayus Scot. Prov. Alumnus.

De nono loco in Jedvvardiæ oppido erecto.

» XXVI. Nonus, & poſtremus locus Obſervantiæ a nobilibus Patriæ pro- Conv. Jedvvardiæ. *MSS. cit.*
» ximæ Angliæ in oppido Jedvvardiæ erectus eſt, ſub principio Regni Ja- » cobi V. anno Domini MDXIII. in quo habitabant communiter 30. Sacerdo- » tes, qui ob continua bella inter Anglos, & Scotos habita, locus cum op- » pido flammis traditus eſt, non diu poſt ipſius erectionem.

De interna, & externa Fratrum converſatione.

» XXVII. Fratres ita diſperſi per Regnum per varia loca, propter divi- De Sodalium Prov. Scotiæ conſuetudine. *MSS. cit.*
» num cultum, quem tragica voce cantando diu noctuque incunctanter » perſolvebant, ſemper orationi, & lectioni publicæ intenti erant, ſuis, & » aliorum conſcientiis ſerenandis occupatiſſimi. A conſuetudine, & conſortio » quorumcumque, niſi in re conſcientiæ, remotiſſimi. Tanta fuit ratio » Fratribus Domi manendi, ut nunquam in publicum prodirent, niſi ad prædicandum verbum Dei, & audiendum Confeſſiones eorum, qui morti » proximi erant. Unde diebus non feſtivis, cum Fratres in Plateis oppidi » ubi morabantur, viderentur, ſtatim Populus attonitus clamabat, *Fratres* » *exeunt*; *aliquis moritur*. Et quia ipſi Reges ac Principes, Regnique Prælati Fratrum converſationem amant, ad ipſos Fratres tanquam ad divina » oracula pro conſiliis habendis, paſſim omnes currebant. Nulla publica » negotia Regni attentata, niſi PP. conſilio. Nullæ ſententiæ mortis, etiam » nobiliſſimorum, a Regibus, & Conſilio datæ executioni traditæ ſunt, niſi » prius probatiſſimorum Patrum conſilio, & conſcientia limatæ fuiſſent. Ea » de cauſa, ſi quæ lites inter nobiles componendæ, ſi quæ matrimonia contrahenda ſemper fuerit, tanquam mediatoribus nobiles utebantur, quo

» factum eſt, ut rariſſimæ diſcordiæ, divortia nunquam in familiis nobilium
» invenirentur.

De ratione Victus, & Veſtitus Fratrum.

De eorumdem vivendi ratione. *MSS. cit.*

» XXVIII. Cum ſecundum Regulam B. Patris Franciſci triplex ſit ratio
» vivendi Fratribus, aut ex iis, quæ offeruntur liberaliter, vel ex iis, quæ
» mendicantur humiliter, vel ex iis, quæ acquiruntur labore manuum ſolli-
» cite; prima vivendi ratio Fratribus tam fuit copioſa & abundans, ut rariſ-
» ſime aliis duabus ad vitæ neceſſaria acquirenda uſi ſint; unde eis nulla gra-
» narea, nulla cellaria fuere; tantum de quotidianis oblatis eleemoſynis a
» Rege, Principibus, Epiſcopis, Dominis, & Populo actitarunt, quæ in
» tanta copia dabantur (etiam poſtremis temporibus, quibus Religio peri-
» clitabatur) omni in loco, quod locorum Guardiani magnam eleemoſy-
» narum oblatarum partem ad eos, a quibus acceperant remittere cogeban-
» tur. Nulla cum Sæcularibus quibuſcumque communia, ſive prandia in
» locis Fratrum permiſſa ſunt inſtrui. Ibi ſempiternum ſilentium in refecto-
» rio Fratrum audire erat, facta lectione conditum. Veſtitus Fratrum humi-
» lis, & dimiſſus, coloris cinericii, panni quidem lanei pro interiori exterio-
» rique tunica, non auro, vel argento comparati, ſed manibus, & labore
» nobiliſſimarum dominarum confecti; putabant enim ipſæ, & pro Religione
» habebant, imitatrices illarum ſanctarum fœminarum Dorcadis, & Eliſabethæ
» effectæ, magnam ſibi fieri gratiam, ſi poſſent ſingulis annis telas pannis Fra-
» tribus ſufficientes ſuis manibus conficere. Inde ſancta contentio ſubinde
» inter ipſas nobiles matronas ſuborta eſt, contendentibus, quænam prior
» eſſet, quæ illo panno telas panni pro habitibus Fratrum pararet; qui denuo
» a Fratribus contriti ab eiſdem dominabus repetebantur. Et pro magnis reli-
» quiis pro ſepeliendis, & involvendis defunctarum ſuarum prolium, &
» cognatorum corporibus reſervabantur. Quamobrem nedum alienus pecu-
» niæ tactus deteſtabilis incognitus Fratribus: verum ne, & pecuniæ quidem
» apud Syndicos ullus fuit uſus, quorſum pecuniæ uſus Syndicis pro neceſſita-
» tibus Fratrum, cum omnia ſine uſu pecuniæ Fratribus neceſſaria darentur.
» Tanta enim fuit ratio adminiſtrandi neceſſaria Fratribus per amicos, ut ne
» Fratres quidem de pecunia cogitarent. Si quando ad domos, ac caſtra no-
» bilium concionandi cauſa diverterent Fratres, in tanta veneratione ſunt
» habiti, ut ipſe Comes, aut Baro ſuis manibus pelvinus cum aqua Fratribus
» pro abluendis manibus offerret, ipſiuſque Domina Conjux ſuis manibus
» pedes Fratrum lavaret; & antequam ulla ad comedendum fercula pone-
» bantur, prius ſigno campanæ facelli dato, tota familia comparebat, cibum
» vitæ ab altero Fratrum acceptura. Si qui vero nobiliſſimi, etiam Epiſcopi,
» interea ad Caſtrum amicitiæ cauſa accederent, ſemper is honos, mundi
» contemptoribus, & offerebatur, & nolentibus tradebatur. Primum in menſis
» nobilium locum inviti debebant Fratres accipere; ubi non ſales facetia
» riſu dignæ a ſeniore Fratrum, ſed veteris, vel novi Teſtamenti, aut pro-
» batorum ſanctorum Patrum hiſtoriæ, tempori, loco, & præſentibus per-
» ſonis accommodæ in medium adſerebatur, quibus ſæpe aſſidentium la-
» crymis perfundebantur. Quid multis immoror? tam charum fuit Fratrum
» omnibus contubernium, ut putarent ſe Angelum Domini recepiſſe, aut
» comitaſſe, ſi Fratrem aliquem hoſpitio, vel collegiſſent, vel per viam
» comitaſſent.

De

Anno Christi	Pauli IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 352.
1559.	anno 5.	anno 2.	

De ſignis, & miraculis multorum Fratrum ante, & poſt mortem oſtenſis, eorum ſanctimoniam declarantibus.

De Miraculis ab iiſdem patratis. *MSS. cit.*

» XXIX. Poſtea quam S. P. Cornelius a Zericzea, cum Sociis Provin-
» eiam Scotiæ ſpatio quindecim annorum fundaſſet, & pro ipſius funda-
» mento ſtabiliendo, ſcientia Evangelicæ converſationis in cordibus & cor-
» poribus plurimorum jeciſſet, ſuos Fratres per Regnum prædicaturus edo-
» euit: ut quorum fides potentium exigeret, manus ſuper infirmos ponerent,
» quorum plurimi, & tactu manuum, & oratione communi Eccleſiæ præ-
» miſſa, cum recitatione Evangelii *In principio erat Verbum*, a Fratribus,
» & morbis natura incurabilibus ſanabantur. Cæci ad lumen oculorum reſti-
» tuebantur. Hæc pia, & ſancta cæremonia adeo eum effectu a Diſcipulis
» S. P. Cornelii ſuit obſervata, quod eorum Diſcipuli, non ſine fructu
» eandem cæremoniam poſteris continuo tranſmiſerunt. Unde quidam ab
» Ordinis profeſſione alieni, cum turpis lucri gratia ſanctos hos Patres imi-
» tari ſatagerent, ſanctam illam cæremoniam contaminantes nihil officerunt,
» & in riſum fidelibus habiti ſunt. Ob hæc, & hujuſmodi dona S. P. Cornelio
» collata, ipſe in ſuam propriam Provinciam Colonienſem rediens, & in Con-
» ventu Antuerpienſi moriens, ejus caput parietibus Eccleſiæ inſertum erat,
» ubi cum debita veneratione manſit uſque ad annum MDLXVI. quo D. O. M. Hæreticorum ſagitta.
» rebelles hæretici, & Catholici Regis Hiſpaniarum infideles Miniſtri ipſum
» Caput, cum aliis Sanctorum Reliquiis & Imaginibus Eccleſiæ Antuerpiæ,
» & in pleriſque civitatibus, & oppidis inferioris Germaniæ, flammis tradi-
» derunt, quorum nefandiſſimorum hominum ſcelus, graviſſimis pœnis, uſ-
» que in hodiernum diem juſto Dei judicio caſtigatur. Commune etiam
» hoc ſuit Patribus morituris, ut pauciſſimi mortem attingerent, niſi prius
» aut 80. aut certe nonageſimum attigiſſent: quando paſſim eis (divina di-
» ſpenſatione ſingulari) ante obitum revelatio certa ſalutis æternæ oſtende-
» batur. Voces Angelorum canentium in navi Eccleſiæ non raro, ante &
» poſt mortem eorum audiebantur, revelationes non paucis factæ de Eccle-
» ſiæ Catholicæ ex Scotia tranſmigratione. Hæc & multa majora a ſanctis
» illis Patribus facta ſunt.

Nomina præcipuorum Patrum, qui & ſanctitate, & miraculis in regimine Provinciæ præfuerunt.

Catalogus præcipuorum PP. ejuſdem Provinciæ. *MSS. cit.*

» XXX. P. Robertus Creyth Doctor Sacræ Theologiæ ſanctitate clarus Robertus Creyth
» bis Miniſter Provinciæ ſuit poſt P. Cornelium eum ſuo germano F. Joanne
» Creyth Miniſtro ſemel.

» P. Hieronymus Zyndſay Sacræ Theologiæ doctor, ter Miniſter Provinciæ Hieron. Zynds.
» fuit: Ordinem & ſanctitate, & doctrina mirabiliter illuſtravit.

» P. Joannes Roberti ter Miniſter electus, quarta vice anno ætatis Joannes Roberti.
» ſuæ LXXVIII. ad Capitulum generale profectus, ibi multis lacrymis & pre-
» cibus ſui depoſitionem petiit, & impetravit.

» P. Joannes Lytſtar ſenior, & junior, ambo bis Miniſtri fratres in Domi- Joannes Lyſtar.
» no, & in carne chariſſimi ſanctitate, & doctrina multum conſpicui.

» P. Archibaldus Meltrinus, eum ſuo germano fratre Davide Meltrin. ille Archibaldus Meltrinus.
» Miniſter ter ſuit, hic lectoris officio ad vitam functus eſt.

» P. Patritius Ranus ter Miniſter, & duorum Regum Confeſſarius exem- Patricius Ranus.
» plar omnis pœnitentiæ fuit.

» P. Joannes Boytnoall quater Miniſterio functus eſt, miræ ſanctitatis, & Joannes Boytnoall.
» Angelicæ contemplationis fuit. In regimine mirificus fuit, & dexterrimus.

Andreas Curnius.

P. Andreas Curnius Juris doctor celeberrimus ter Miniſter exſtitit, de quo dicebatur, quod ipſius vita & reſponſa, plus negotia Regni promovebant, quam omnium Aulicorum, & Conſiliariorum ingenia exquiſitiſſima.

Ludovicus Gulielmi.

P. Ludovicus Gulielmi ſanctæ auſteritatis & abſtinentiæ Pater, ob ſui ſanctimoniam bis miniſterio functus eſt, in quo octuagenarius exiſtens, diem, & locum mortis ſuæ Fratribus prædixit: inter quos ille unus exſtitit, qui hunc Catalogum Patrum Provinciæ Scotiæ, uti ex traditione patrum ſuorum accepit, conſcripſit; nam idem anno Domini MOLIII. præſcius ſuæ mortis Stirlingo Edimburgum proficiſcens, vocatis potioribus Provinciæ Patribus, reſignatoque eis Provinciæ ſigillo, plenus virtutibus & dierum, in feſto Immaculatæ Conceptionis B. V. quam unice colebat, diem clauſit extremum, maximo ſui inter Patres Provinciæ deſiderio relicto. Pridie quam moreretur jubet ad ſe Præfectum, & Burgimagiſtros vocari, quos admonens, ut in conſtantia fidei, & obedientia Romanæ Eccleſiæ perſtarent: prædixit futurum infra annos paucos, præcipua Regni membra a ſuo capite Eccleſiæ, & Regni lapſuros.

Robertus Stuoardt.

P. Robertus Stuoardt (de quo ſupra) Jacobi V. Regis cognatus, bis Miniſter Provinciæ fuit, ſanctæ humilitatis, & auſteritatis vir, tunicam laneam interiorem, quam ſemel induit, nunquam, donec interiret mutavit, indignum aſſerens, pœnitentiam ſolemnem agentem debere uti, mutatoriis. Fortis tamen robore, & ſpiritu fortior, vixit uſque ad annum ætatis ſuæ 80. Is moriens in Conventu ſancti Andreæ, & mortis ſuæ diem prædicens, calamitatem Regni in januis eſſe, etiam prædixit: Lætus in domino moritur. *

* Hunc in Conventu Toletano S. Joannis mortuum, & tumulatum neſcio num vera Waddingus ſcribat. *Wadd. ad ann.* 1531. n. XIII.

Joannes Patricius.

P. Joannes Patricii bis miniſterio functus, eximiæ ſanctitatis, & experientiæ Pater Jubilatus in Ordine, & Sacerdotio, meruit pro Confeſſione nominis Chriſti, & ſacræ Religionis, ſacrum exilium ex Scotia cum 80. Patribus Sacerdotibus pati; qui omnes anno MOLIX. a rebellibus, & hæreticis Regno diſturbati, in Provincia inferioris Germaniæ cum ſumma charitate

Franciſcus Immomelanus Prov. German.

a P. Franciſco Immonellano P. Miniſtro recepti, & a Reverendiſſimo P. Franciſco Zamorra tunc Generali Miniſtro, Provinciæ anno Domini MDLXIII. incorporati ſuere, inter quos duo erant Guardiani vita, & doctrina celebres: alter P. Robertus Riccardi Lovanii receptus anno MDLX.

Robertus Riccardi.

Kal. Septembris diem mortis prædicens, ac coram Patribus Conventus, qui aderant calamitatem in Provincia inferioris Germaniæ ex profeſſo pronuncians: ipſo die Nativitatis B. Mariæ ex hac vita migravit.

Thomas Motto.

Alter Pater Guardianus Thomas *Motto* nomine, Pedagogus juvenum Provinciæ inferioris Germaniæ continuo extitit, donec anno MOLXXIX. provincia pene a rebellibus, & hæreticis fuit extincta, quo anno cum quibuſdam aliis in Provinciam Franciæ Pariſienſis profectus eſt, ubi in Rotomagi Conventu Fratrum adhuc Dei beneficio vivit *, a quo plura accepit fide digna, qui hanc hiſtoriam texuit.

* De illis temporibus quibus Hayus ſcribebat, intelligo.

Alexander Arbuchell.

P. Alexander Arbuchell pius, & fidelis Provinciæ Miniſter, quo miniſterio ter functus eſt. Is cum eſſet in omnibus liberalibus ſcientiis apprime eruditus, neque parem in Regno in tribus linguis latina, græca, & hebraica haberet, plurima certamina cum hæreticis, & hæreſiarchis habuit: in quibus victor ſemper evaſit. Dolore calculi ad mortem afflictus, expulſuſque ex ſua Religione in patria, & in familia cujuſdam catholici Epiſcopi diem clauſit extremum anno MOLXII. De aliis Patribus, & Fratribus diſſerere, eorumque pietatem admirabilem, doctrinam eximiam cum humilitate,

» tate, & vitæ auſteritate ſingulari conjuncta, per ſingula recenſere mihi dies » deficeret. Itaque Provincia Scotiæ in obſervantia regularis vitæ per Diſcipulos D. Bernardini ſtabilita duravit continuo, ab anno Domini » MCCCCXXXVI. uſque ad annum Domini MDLIX. hoc eſt a Generalatu » P. Antonii de Ruſconibus electi in Generalem Paduæ anno MCCCCXXXV.* » uſque ad Generalatum P. Franciſci Zamorenſis electi in Capitulo Generali Aquilano anno, ni fallor, MDLIX. Provinciæ ſigillum impreſſerat ſanctum » Andream, & ſanctum Franciſcum. Conventuumque ſigilla ſanctum Franciſcum, & patronum oppidi, aut Civitatis, ubi Conventus erant erecti pro » tempore. Si quis cauſas everſionis fidei, & Religionis Catholicæ ex Scotia » diſſerere velit, habet de origine, moribus, & rebus geſtis Scotorum libros » decem, Joanne Leſlæo Epiſcopo Roſſenſi authore, Romæ ad Gregorium XIII. dedicatos, & impreſſos anno Domini MDLXXVIII. ubi libro decimo pag. 465. cauſas ruinæ fidei oſtendit: hoc tamen de duobus, vel » tribus Patribus, qui a fide deſtructa Religione (defecerant) dixerim. » Cum a fundatæ Provinciæ exordio, nec unus quidem, vel ſuſpectus in » fide, vel hæreticus unquam fuerit, ſubverſa Religione, & Provincia, hæreticorum & rebellium injuria, duo, aut tres erunt ad ſummum Patres Obſ. » concionatores, & Guardiani, qui ſub ſpe prædicandi verbum Dei, & » audiendi confeſſiones in caſtris nobilium hæſerunt, idque in habitu ſæculari, qui quotidiana conſuetudine cum hæreticis, & blanditiis mundi allecti, » & ipſi tandem hæreticis rebellibus ſubſcripſerunt. Reliqui omnes uſque ad » 140. Patres Sacerdotes in Germaniam inferiorem, vel in Franciam ad ſuam » Religionem profecti ſunt, anno MDLIX. in quibus Provinciis ſuperſtites » quidam manent uſque in hodiernum diem XXVIII. Januarii anni MDLXXXVI.

» Hæc ſunt, Reverendiſſime Pater, de Provinciæ Scotiæ origine progreſſu, & fine, quæ partim fida relatione a Patribus accepi, partim experientia » oculata didici, partim ex ſcripto præfati Patris Thnmæ Motto collegi, quæ » omnium limata, & trutinata a Veſtra Reverendiſſima Paternitate velim » antequam in lucem prodeant. Hæc de Scotiæ Provincia Joannes Hayus.

* *Corrige* MCDXLIII.

XXXI. Facile autem lupis Anglicanis, Scotiſque diſperdere fidelem gregem potuit contingere, ſublato Romano Paſtore: nam Paulus IV. cujus famam adverſus iniquos obtrectatores ſupra vindicavimus, quia Minorum Ordinem multis rebus decoravit, auxitque, & noſtrorum virorum opera maximis in rebus Eccleſiæ, ut jam narravimus, plurimum uſus eſt, hoc anno mortalem carnem exuit, de cujus morte hæc acta conſiſtorialia referunt: *Romæ die veneris* XVIII. *Auguſti* MDLIX. *felicis recordationis Paulus Papa IV. quadam ægritudine detentus, ſicut Domino placuit, rebus fuit humanis exemptus hora* XXI. *vel circa*. His conſentit Panvinius inquiens: *Deceſſit Paulus* IV. *Kal. Septembris hora* XXI. *an.* MDLIX. *Pontificatus an.* IV. *ſupra menſem ſecundum, & diem* XVII. *Cadaver Canonicis ſancti Petri feretrum ſuſtulentibus, in Baſilicam Vaticanam tenui pompa delatum eſt, & lateritio tumulo ſepultum. Vacavit tunc ſedes menſes quatuor, & dies ſeptem, poſt quos* ſequuntur acta conſiſtorialia, *conclavi de more confecto, die lunæ* XXV. *menſis Decembris* MDLIX. *a nativitate Domini, hora ſeptima noctis vel circa, fuit a RR.DD. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus electus, & aſſumptus in ſummum Pontificem Reverendiſſimus Dominus Joannes Angelus tituli ſanctæ Priſcæ Presbyter Cardinalis de Mediceis nuncupatus, qui nuncupari voluit Pius IV. & die martis ſequentis cum decantationibus ſolitis fuit deductus ad Baſilicam ſancti Petri, & deinde ſolitis cæremoniis, ſolemnitatibus ibidem peractis, reductus ad Cameras Pontificales, parte Reverendiſſimorum Cardinalium illum comitante, aliis*

Paulus IV. facis credit.

Minorum opera Pontifex non ſemel uſus.

Acta Conſiſtor. MSS. Vatic.

Panv. in vita Paul. IV.

Act. Conſiſt. cit.

aliis vero, habita licentia a Sanctitate Sua, in porticu dictæ Basilicæ ad domus suas revertentibus. Die vero Epiphaniæ D.N.J.C. debitis præcedentibus cæremoniis, solemnitatibus, & paramentis, ad quodquam theatrum super scalas Basilicæ sancti Petri paratum adductus, ibidem fuit triplici diademate coronatus.

B. Salvatoris de Horta res illustratur, & prosequitur vitæ narratio.

Alla SS. Tom. 2. mensis Martii die XVIII. *Wadding. ad an.* 1348. XIV. 1479. XXVI. 1547. XXIV. *Arturr. ad 18. Mart. Gonz. in Provin. Sardiniæ Con. 2.*

XXXII. Quamvis beati Salvatoris *ab Horta* ob diuturnum loci incolatum, ita ab Arturo etiam cognominati (quidquid PP. Henschenius, & Papebrochius in vita hujus Servi Dei minus vere affirment, scilicet Arturum temere credidisse, ideo Salvatorem *ab Horta* nuncupatum, quod Hortæ natus esset). Quamvis, inquam, ejus vitæ initium, ad suum annum Waddingus describens, reliqua ad ejusdem obitus annum commodius polliceatur referre; cum tamen, Gonzaga, & Dima Serpio testibus, hoc anno Dei Servus magis, magisque, vere thaumaturgus, suis corruscaverit prodigiis, propterea illius actorum narrationem hic prosequi ordo chronologicus postulare visus est. Et primum cum Waddingum latuisse deprehendamus plenam tyrocinii beati Salvatoris historiam, quam ipse ex uno Serpio ab eo dumtaxat cum Baretio, citato desumserat; placet proinde eamdem iterum ab initio texere, prout in Analectis Vincentii Domenecii & Processibus pro ejus canonizatione confectis luculentius dissertis verbis narratur, quæ est hujusmodi. „ Beatus Pater frater Salvator de Horta origine Catalanus fuit, ejusque Parentes

B. Salvatoris Parentes ex commoda fortuna.

„ opulenti agricolæ, inquilini Parrochiæ de Brunnola diœcesis Gerundensis, „ & possessores cujusdam turris, seu prædii dicti *Mastavall*, quod hodie de„ structum desolatumque visitur supra Colliculum, totumque in sylvam abiit. „ Hi Domini nostri Jesu Christi famuli ex dispositione divina, in extremam „ paupertatem, gravesque inciderunt infirmitates, ad exemplum justi Job „ probandi. Quæ calamitas necessitatem eis attulit, curationis ergo sese abji„ ciendi ad Hospitale sanctæ Columbæ Farnezie; ubi a suis morbis recreati,

Ad Hospitale reducti.

„ ita se probaverunt Balivio juratisque illius loci, ut eos rogarent, isthic re„ manere, & suscipere curam Hospitalis, ac pauperum eo divertentium. „ Quam conditionem, cogente paupertate, alacres susceperunt, ad magni „ Abrahami similitudinem in eo se exercentes munere, caritate tanta, quan„ tam visus est probasse Deus, largiens iis fructum benedictionis, beatum, „ inquam, hunc Salvatorem, quem Christiane solliciteque educarunt. Ha„ bet de eo traditio loci, quod circa sextum suæ ætatis annum, Davidis in„ star, gregem pascens, cum eum vellet adaquare, in ipsum rivuli alveum „ prolapsus sit, impetuque decurrentis ad volvendum proximum molendi-

Ipse ab aquis miraculo ereptus.

„ num aquæ, ad ipsum ejus canalem provolutus. Per quem sub molendini „ rotam trahendum existimavere, qui eminus labentem viderant; sed accur„ rentes, aquas plaudentem palmis, iisque innoxie illudentem invenerunt, „ eduxeruntque, nihil dubii, quin esset miraculo conservatus. Adultior,

Barcinonem cum Sorore ducitur.

„ cum quadam sororcula sua Barcinonem adductus est, & ambo in Magistri „ cujusdam obsequio constituti. Istic Soror, *Blasia* nomine, Viro cuidam ho„ nesto nupsit, Magistro Antonio Traver dicto, vendenti æneam, ferream„ que suppellectilem in foro, quod Catalani *del Blat* cognominant. Fuit au„ tem, ut ex Processu habetur, honestæ vitæ, ac famæ mulier, vixitque, ac „ mortua est improlis.

Ubi Minoritis dat nomen.

„ XXXIII. Salvator autem Sutoriæ admotus arti, postquam suum perdi„ dicit opificium, Deo inspirante, petiit obtinuitque Ordinis Seraphici habi„ tum, in laicum Fratrem admissus, propter donum raræ simplicitatis, quæ fu„ turæ sanctitatis magnam omnibus spem faciebat. Et hæc neutiquam vana „ apparuit, etiam tyrocinii tempore, quando, ipso in templo orante, cun-

cta

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 352.

» cta in culina obſerrata parata reperta ſunt ad opiparum præter morem
» prandium, cujus præ orationis fervore oblitus Salvator fuerat: eidem in-
» ſuper inſtruendo nequaquam idoneus, utpote miniſterii illius parum peri-
» tus, etiam cum conſuetæ dapes apparandæ forent.

Prandii ſolemnis parandi inter orandum oblitus.

XXXIV. Rem ita contigiſſe citatus Serpius narrat » Aderat Circumciſio-
» nis dies Dominicæ feſtum; unde huic Conventui nomen inditum, quod
» proinde magna ibidem ſolet ſolemnitate celebrari, quam munificentia ſua
» augere volens Regni Cancellarius, Vir admodum pius religioſuſque, ver-
» veces aliquot aliaque cibaria ad Fratres miſit, jubens ea apparari in pran-
» dium, quod una cum ipſis ſumturus eſſet in comitatu multarum primæ
» dignitatis & nobilitatis perſonarum. Mandavit igitur Guardianus Coco
» quæ facienda erant; hic autem media in nocte graviſſima ſe febri teneri
» ſentiens, neque exequendo muneri ſuo idoneum, advocato ad ſe Salvato-
» ri claves tradidit: *Vade*, inquiens ſibi, *ad patrem Guardianum, eique ſi-
» gnifica, me graviter ægrotantem haſce claves mittere, ut prandii Fratribus
» Domiſque venturis inſtruendi curam alteri alicui committat*. Accepto
» mandato, abiit ad Templum Frater nocturnæ interventurus pſalmodiæ, to-
» tamque eam noctem in oratione perſeverans, circa auroram, præmiſſa cor-
» poris verberatione, conſueta Confeſſionis & Communionis uſurpavit Sa-
» cramenta, nec verbum ullum Guardiano dixit, propter continuatæ oratio-
» nis ſervorem, penitus oblitus quid ſibi fuiſſet imperatum.

A Præfecto increpatur.

» XXXV. Interim appropinquabat prandii tempus, & ſolicitus Guar-
» dianus, ut ordine omnia, riteque agerentur, ad culinam acceſſit; eam-
» que etiamnum clauſam reperiens, coquum ad ſe imperat accerſiri: qui per
» Fratrem ad ſe miſſum, cum excuſaret morbum, ideoque tranſmiſſam ab
» ſe claves per fratrem Salvatorem nocte media fuiſſe renuntiaret; juſta, ut
» ſibi videbatur, indignatione commotus, intelligenſque ex iis, quos quæ-
» rendi Salvatoris cauſa miſerat, ipſum in Eccleſia ſolis divinis rebus inten-
» tum quietiſſime orare, recta eo ſe contulit, & multis eum conviciis onerans
» ſatuum appellavit: & pro injuria ſibi, ac talibus Dominis facta procul
» amandandum minatus, claves illi e manibus conſeſtim eripit, & culinam
» aperit, nihil minus expectans, quam ut omnia recte apparata eo in loco
» inveniret, quo teſtabantur omnes, neminem ingreſſum tota illa nocte die-
» que fuiſſe; ac ne ipſum quidem patentem conſpectum ab ullo. Atque hoc

Angelorum ope ſunt omnia parata.

» primum eſt ſignum, quod ejus cauſa Deum operatum eſſe cognoſcere po-
» tuimus, Angelorum, aut alio ignoto nobis miniſterio uſum ad ſupplendum
» famuli ſui, devotiſſimis precibus intenti, defectum.

Solemnem emittit profeſſionem, & janitor conſtitutus, erga pauperes caritate flagrat.

» XXXVI. Tyrocinii autem anno expleto, & votis nuncupatis, in Reli-
» gionem inſertus, ad alia virtutum exercitia, magnam adjunxit erga paupe-
» res caritatem: quare in officio janitoris conſtitutus, quam largiſſimas pote-
» rat in eos eleemoſynas diſtribuebat. Quod animadvertens Guardianus,
» metuenſque ne totam pœnum evacuaret, occludi officinas juſſit, ipſique
» ingrediendi eas poteſtates ademit. Itaque aliunde conabatur pauperum
» proſpicere indigentiæ, ad quod magna ei ſuppetebat facultas: cum enim
» cunctis eſſet exemplo vitæ ſuæ innocentiſſimæ amabilis, plenos panum ca-
» niſtros ad eum ſubmittebant amici & homines pii; unde factum eſt, ut ita
» onuſtum videns Guardianus, ad pauperes procedere, ei diceret: *Conſide-
» ra Frater, quod nos quoque pauperes ſumus, & prius conveniat domeſticis,
» quam extraneis providere*. At ille: *non ideo, Pater, mihi datur, ut eis qui
» habent, donem: ſed pauperibus, qui non habent: jam Deus curam Fratrum
» gerit, neque unquam vidi fame mortuos.*

XXXVII.

Aqua ferventi perfuſus non læditur.

» XXXVII. Manſuetudinis ſingularis hoc exemplum eſto. Aſſidebat aliquando foco Salvator, quem ut arderet luculentius congeſtis titionibus excitans coquus, caldariam aqua bulliente plenam ſuper aſſidentis evertit pedes: qui nihil commotus, modeſto cum riſu dixit: *Nunc, Frater, iterum laborandum tibi erit ut novam fervere facias: cur non agis attentius?* Qui autem præſentes aderant accurrerunt, viſuri, quam graviter eum aduſſiſſet aqua. Quibus ipſe reſpondit: *nihil mali accidit: imo quia multum eſt, quod pedes non lavi, commodum fuit eos, vel ſic ablui: Deus caritatem remuneretur.* Evidentioribus porro curationum miraculis Servum ſuum honoravit Deus. Mulier quædam ex puerperio contracta ipſis octo annis loco movere ſe non potuerat, cum eleemoſynas colligens Salvator, domum ejus tranſiit: qui ut ipſam curare intro vocatus: *Confitere*, inquit, *filia, ante omnia, tum revertar ego, & confide in Deo, quod ipſe te curabit.* Eodem die acceſſito Confeſſario, expiata mulier, Euchariſtiæ Sacramentum ſumſit: moxque viderunt omnes admonitum a nemine Salvatorem in cubiculum ingredi, qui & dixit: *Filia, quia te commendaſti Deo, ipſe te ſanet ab infirmitate hac:* & crucis ſignum formavit ſuper infirmam: quæ continuo exurrexit e lecto, domoque exuit, Deo pro collata per ſui Servi meritum ſanitate, gratias habitura. Ad eumdem aliquando adductus eſt homo, cui pugionem pectori infixum eximi vetabant Medici, ne priuſquam ſua eſſet peccata confeſſus mori eum contingeret: eximit tamen eum manu Salvator, periculoque exemptum dimiſit, & ipſum vulnus brevi curatum eſt.

Curationum gratia claret.

Fratribus proſpicit de pane.

» XXXVIII. Guardianum aliquando ſuum, cum panis Fratribus deeſſet, ſubtriſtem intuitus, dixit Salvator: *Pater modicam fidem habes: confide Deo: mox enim ſufficientiſſime nobis, quod deeſt, adfertur.* Dixerat, & ecce pulſatur ad oſtium, quo digreſſus Sanctus redivit, & Guardianum advocavit, ut videret quatuor caniſtros optimo pane plenos. Cui Salvator: *Viden, Pater, quo modo nobis provideat Deus?* Unde autem allatus hic panis eſſet ſciri nunquam potuit: nemo enim comparuit unquam, qui caniſtros repoſceret. Sed & prophetia claruit: *recordor enim* (inquit F. Dimas-Serpi) *quod Pater meus aliquando me ad eum duxerit, dixeritque: ora Deum Pater, ut Puerum hunc ſervum ſuum efficiat.* Ille autem mihi benedicens, Patri meo dixit: *Fac ut ſtudeat Puer iſte, cave ne a ſtudiis eum abſtineas*; & vere audita rethorica, dimiſeram ſtudia litterarum, nec enim Calari Philoſophica, aut Theologica docebantur: ſed Salvatoris conſilio obſequens pater meus, Valentiam me ablegavit, ubi ſtudiorum abſoluto curſu, habitum Religionis Seraphicæ indui, & deinde Sardiniæ Provincialis factus, operam dedi, ut mirabilia ipſius opera proferrentur in lucem; & nunc in Hiſpaniam ex Apoſtolica juſſione Commiſſarius veni, intendens proceſſui pro illius canonizatione formando, quem hæc omnia credo tunc prævidiſſe.

Futura prænoſcit.

» XXXIX. Interim Salvator a ſuo Provinciali Miniſtro ductus eſt ad Conventum ſanctæ Mariæ de Jeſu in Civitate Dertuſana, vulgo *Tortoſa* (ad Iberum Amnem, in extrema pene verſus Valentinum Regnum Catalonia) in quo Fratres Excalceati morabantur. Hic proſequi Beatus cœpit eam, quam ceperat in tyrocinio, & deinde conſtantiſſime ſemper tenuit vivendi formam; quotidiano ipſe ſe flagello caſtigans, & poſt peccatorum confeſſionem Dominici Corporis Sacramento reficiens: quæ cauſa fuit ut a tota mox Civitate haberetur Sanctus; & Beatum ſe crederet quicumque, vel ſemel poſſet veſtimenta ejus exoſculari. Accidit ibi, ut nobilis quidam

Dertuſam migrat.

filio-

Anno Christi	Pauli IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 352.
1559.	anno 5.	anno 2.	

» filiolum habens tanta calculoſæ concretionis mole gravatum, ut quoties
» mittenda urina foret, pene mortuus collaberetur in terram, in vanum re-
» media tentaverit omnia: qui cum die quodam beatum Salvatorem conſpi-
» catus eſſet per ſuos hortos tranſeuntem, eleemoſynæ querendæ gratia, ad
» illius ſe abjecit pedes, atque ut filioli ſui miſertus, præces pro eo ad Deum
» funderet, obteſtatus eſt. Movit lacrymabilis ſpecies ſupplicantis tenerum
» ad ejuſmodi affectus animum Salvatoris, & continuo manum impoſuit ca-
» piti pueri infirmi, oculiſque in cœlum defixis, ſalutationem angelicam di-
» xit, atque improviſo abiit. Veſpere autem facto, cum conſueta medica-
» menta filiolo exhibituri parentes pannis eum ſuis nudaſſent, ſanum incolu-
» memque reperunt: nec ullam deinceps, vel urinæ difficultatem, vel cal-
» culi moleſtiam paſſus eſt infans: quod miraculo manifeſto nobilis ille adſcri-
» bens per totam mox Civitatem vulgavit.

A calculis ſanat infantem.

» XL. Quadam die ad corrogandas eleemoſynas dimiſſo Salvatori
» Guardianus mulum junxerat, portaturum quidquid fidelium liberalitas
» contribuiſſet: hic autem liberum nactus campum, curriculo ſe in fugam
» dedit verſus Conventum, fruſtra inſequente eum ſocio Salvatori, ac reti-
» nere conato. Qui videns, nihil ad ſe proſici, retro converſus inclamavit au-
» xilium Salvatoris; hic vero genua in terram fixit, eodemque momento
» temporis ſtetit mulus, ſeque apprehendendum præbuit Fratri: cui jam
» propius facto ſubridens Salvator, *qualem*, inquit, *Fratribus non ridendi*
» *materiam dediſſet hic mulus, ſi abſque nobis revertiſſet domum?* Bilem inno-
» cuum iſtud verbum ſocio movit, ſic ut duriora quædam regereret: ad quæ
» ille manſueta, ut ſolebat, voce: *Ignoſce*, inquit, *Frater: nam iſtæc omnis*
» *mea culpa fuit: nunquid enim non ſum inſenſatior ipſe quam ſi jumentum*
» *forem, qui mulo ratione non utenti credidi? verum ex hoc metum pone, &*
» *liberum illum ambulare permitte, certus quod non diffugiet amplius*: quod
» nec fecit. Ita pervenerunt ad locum cui *Galera* nomen, Trans Iberum Tor-
» toſa diſtans miliaribus tribus, ubi infantula erat diu quartanis afflictata fe-
» bribus; ab eiſque fuit liberata, ſtatim ac Beatus, injecto circum ejus col-
» lum Roſario, *Ave Maria* recitavit.

Fugientē mulum precibus ſiſtit.

Et infantulam a quartana liberat.

» XLI. Eodem ex Conventu tam celebris miraculorum ejus fama toto ſe
» Regno diffudit, ut confluentium ad ipſum undique mortalium pertæſi fre-
» quentiam boni illi Fratres, Provincialem rogarint, ut quieti ipſorum con-
» ſulens, alio abduceret Salvatorem. Audivit ſupplicantes Miniſter; & ne quis
» conſilii ſui rumor ad illius Civitatis incolas permaneret, ſecreto abduxit
» Beatum ad alium Conventum a Virgine Hortenſi cognominatum, aſperri-
» mis in Montibus * Horta duobus paſſuum millibus diſtantem ſitum, ubi
» religioſiſſimæ converſationis Fratres perpetuo reſidebant (ut conſtat ex
» Chronicis) & Salvator aſperam jejuniis, flagellis, orationibus vitam du-
» cens, a ſua ipſe luce, ſeu potius a Deo virtutem ipſius latere nolente, pro-
» ditus eſt: brevique affuerunt prædictæ Hortæ Conſules, ſupplicantes, ut
» Deo vellet locum iſtum ſuas per preces commendare. Quibus Salvator
» divina inſpiratione admonitus, dixit, viderent ut domus ſatis ampla mul-
» tis lectis inſtrueretur, magnaque neceſſariarum ad vitam rerum, tritici,
» avenæ, olei, vitulinæ, ac vervecinæ carnis copia in promptu eſſet: futu-
» rum enim, ut iſto in loco Divina Omnipotentia magnifice ipſam ſe exhibe-
» ret, & ſuarum miſerans creaturarum Matris ſuæ honorem glorioſiſſime ma-
» niſeſtaret.

Hortam ſecreto abducitur.

* *Quinque, aut ſex milliaribus ſupra Tortoſam ad Borream.*

Conſules de futura populi conflictia monet.

» XLII. Abierunt illi his auditis, variæ cogitationis fluctuatione diſcor-
» des: quidam enim fidem adhibendam verbis ejus opinabantur, alii vero ab-

Negligentes arguit.

» abſolute negabant eorum ſenſum ſe poſſe capere: omnes denique neglectim habuere, quæ audiverant. Itaque eleemoſynæ cauſa verſus Oppidum poſtea egreſſus Salvator, iiſdem juxta urbem obviam ſibi venientibus dixit: *Vos quidem mihi fidem habere noluiſtis, & vobis dico, futurum, ut veram fuiſſe prædictionem paucos intra dies videatis.* Quibus tranſactis, ingens duorum circiter millium apparuit multitudo. Gibboſi, contracti, paralytici, cæci, ſurdi, muti, febricitantes, hydropici, hernioſi, quorum omnium vox una erat quærentium, ubi Homo ille ſanctus commoraretur, qui tanta Tortoſæ operabatur miracula? Cumque eis monſtratum eſſet ſanctiſſimæ Cœlorum Reginæ Cœnobium, rectum eo iter tenuerunt, petieruntque in ſuis malis ab eo remedium obtinere. Juſſit ille ut Sacramenta Confeſſionis, & S. Communionis reciperent omnes, & ſua denique benedictione, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, impertitus dimiſit: divina in eo continuo operante virtute, atque ab omnibus quot quot tenebantur infirmitatibus liberos faciente.

Ingens adeſt curata multitudo.

» XLIII. Fuit inter illos nihilominus paralyticus quidam communis gratiæ & lætitiæ expers: quem cum jumento ſuo impoſitum ſocii avehere parabant in comitatu cæterorum, prodiit foras Vir beatus, inſpecturus illam hominum multitudinem maximam, eoſque admonuit, ut ne obliviſcerentur debitas Deo gratiarum referre actiones pro beneficiis, per interceſſionem beatæ Virginis Mariæ impetratis. Ad quem paralyticus: *Ego vero*, inquit, *Pater, cur non æque, ac cæteri ſanatus ſum? Quia*, reſpondit Beatus, *confeſſionem tibi præſcriptam neglexiſti, nec ea qua ceteri fide huc advectus es.* Tum paralyticus; *pœnitet*, inquit, *offenſi Numinis, firmiterque propono peccata confiteri*: at Beatus, *eja ergo ſurge, atque deſcende ex equo, & ad Confeſſarium abi propere, dein glorioſæ Dominæ gratias habe, quod optatam tibi reſtituat ſanitatem.* Eodemque momento ſinus prompte præſtitit quantum fuerat imperatum. Ex hinc cum illa ſanatorum multitudo factam in ſe virtutem ubique prædicaret, & alii alios continua beneficiorum receptorum experientia traherent ad Beatum, multis annis duravit ille confluxus hominum undique advenientium, ut nullus non dies eſſet, quo non aliquot hominum millia concurrerent; atque in hebdomada ſanctiore ad quatuor millia excreſceret numerus: quinimo in feſto Annuntiatæ Virginis ad ſex omnino millia confluxere; adeo ut, cum turbas hoſpitia publica non caperent, ſub arboribus tentoriiſque ſparſim toto monte locatis pernoctandum cunctis fuerit, ut educti in campum milites ſolent.

Præter unum Paralyticum.

Quem tamen peccaſſe pœnitet.

» XLIV. Atque in hoc potentiam ſuam ſimul & miſericordiam Deus exercuit: ſiquidem tanta cum eſſet quotidie multitudo, neceſſario victu, neminem deſtitui contigit, ſed undique ex toto regno, & vicinis maxime regionibus venalia afferebantur cujuſvis generis edulia. Dignum autem imprimis viſum eſt, quod in proceſſibus quoque notaretur, videlicet homini cuidam, qui vervecis unius caput regali vendiderat, poſt acrem avaritiæ & crudelitatis reprehenſionem, prædictum ab eo eſſe futurum, ut nemo ex familia ejus conquiſitis ab eo bonis frueretur: itaque accidit, familia ipſius ſimul cum re familiari intra breve tempus penitus evaneſcente. Videntes igitur prædicti Conſules, veram fuiſſe beati Salvatoris prædictionem, mandarunt, ut multæ neceſſariæ merces verſus Monaſterium deportarentur; affirmaruntque deinceps, præter ea, quæ ultro exciti undique eo ferrent propolæ eodem miſſas fuiſſe, quotidie non pauciores, quam centum vecturas tritici in panes laborati: adeo ut non ſolum iis, quæ ſervili

Multitudini victus non deeſt.

» vili operi addicuntur diebus, ſed Dominicis quoque, ac feſtis, ipſoque
» die Paſchæ laborandum fuerit circa furnos piſtoribus, ne cibus deficeret
» multitudini.

XLV. Ita ergo erumpente hoc anno per univerſas Hiſpaniarum regiones ſana beati Salvatoris, magis magiſque corruſcare miraculis cœpit, ex quibus unum vel alterum hic ex ejuſdem Beatificationis proceſſibus, ut Hortani Seniores teſtantur, adnotare non piget. » Cum autem (ita ex iiſdem pro-
» ceſſibus apud laudatos auctores legitur) confluentium multitudo ad Cœ-
» nobiolum fere innumera eſſet, inter eos parentes cujuſdam puellæ Beatri-
» cis nomine, quæ ex viſceribus maternis monſtroſitatem contraxerat (in-
» cedens enim, caput ſuum cum omnium admiratione & commiſeratione ver-
» ſus dorſum ſuum flectebat) inter cæteros acceſſere præcantes, ut eam a
» monſtroſitate hujuſmodi liberaret: quod & obtinuerunt: nam tanti viri
» meritis puella a deformitate præfata libera mirabiliter evaſit. Etiam cui-
» dam filio Alphonſi a Mena Bætici, muto & ſurdo a nativitate, loquela &
» auditus reſtituta fuere. Jacobus Pallares hujus Sancti interceſſione amiſſum
» viſum recuperavit, & quatuor vel quinque homines a paralyſi liberati exti-
» terunt. De quibus aliiſque cum ſemel iterumque ad Sixtum V. retuliſſet
» Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Franciſcus Gonzaga Epiſcopus Mantua-
» nus, ratam probatamque habuit eam informationem Pontifex per Breve,
» quod incipit: *Cum ſicut nobis nuper expoſuiſti* &c. *Datum Romæ apud ſan-*
» *ctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris die* III. *Septembris anno* MDLXXXVI.
» *Pontificatus anno* II.

Hoc anno præcipue miraculorum copia erumpit.

Puellam a monſtroſitate liberat.

» XLVI. Adoleſcentulus brachio, latere & crure dextris paralyticus ad
» Beatum Salvatorem deportatus fuit, qui habita peccatorum, ut juſſus erat,
» confeſſione, ſacraque Euchariſtia ſuſcepta, illius benedictione ſignatus,
» manuſque, & Roſarii impoſitione dignatus, ſanus extemplo aſſurrexit,
» Deoque, & beatiſſimæ ejus matri gratias dicens abiit. Michael Salinas,
» ex Oppido, quod in Aragonia ſitum *Carignena* dicitur, contractus genua,
» ſola Beati benedictione opus habuit, ut furcillis abjectis, firmis greſſibus
» ſanus abiret. Joannes Penar de Aranda, ex eodem oriundus Oppido, ad ſe-
» xtum annum paralyticus, menſibus omnino quindecim ita jacuerat lecto
» affixus, ut ex eo levari nunquam potuerit: hic intra lecticam deportari ſe
» voluit ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Horta, confectiſque ea ratione ſupra
» centum quinquaginta milliariis, ante beati Salvatoris pedes extitit ſe, pec-
» cataque confeſſus, & Chriſti refectus corpore, poſt illius benedictionem
» ſurrexit in pedes, incolumitate recepta, lætus.

Sanat Paralyticum.

Contractum.

Paralyticum alium.

» XLVII. Petrus Ales, ex Oppido, Pauls filiolam Magdalenam nomine,
» quam huic luci cœcam ſua uxor pepererat, ante biennium eodem attulit cir-
» ca natalitia Chriſti Domini feſta, cui ut Salvator benedixit, ſiniſtrum ocu-
» lum aperuit infantula. Ita domum tunc quidem læti ſatis dimidiato quam-
» vis beneficio reverſi ſunt: ſed Martio ſubſequente, ad Beatum reverterunt,
» rogantes atque obſecrantes, ut ſuum vellet implere beneficium, & alterius
» quoque uſum oculi filiolæ impetrare. Audivit ille, manumque oculo te-
» nebricoſo imponens, hunc quoque videndæ lucis compotem fecit, puel-
» lamque viſus integri facultate donavit. Barbara Cabelli ex oppido Alca-
» gnis, uno brachio paralytica, facta peccatorum ſuorum de mandato beati
» Salvatoris confeſſione, ſana atque hilaris ab eo receſſit. Martino de Giara,
» ex oppido Luizio diœceſis Pampilonenſis in Cantabria, alterius oculi uſum
» cœcitas, & brachii motum paralyſis abſtulerat; utrumque reddidit petita
» ſuſceptaque devote beati Salvatoris benedictio: quod eadem paralyticæ

Cœcam puellam.

Aliae duas Paralyticas.

mulieri ex Navarreo Regno præſtitit, receptæ ſanitatis ſignum poſt ſe relinquenti exillares furculas, quibus greſſum moliens corpus ſuſtinebat. Sic etiam ab hernia gravi curatus eſt puer Valentia Hortam deportatus. Simile malum patiebatur quidam ex oppido Monzonio in Agronia vir magnæ dignitatis Dominus *Excalara* dictus; cui a Beato benedici, & rupturam ſolidari idem fecit.

Herniosum.

Muti plures loquuntur, & caſus futurus prædicitur.

XLVIII. Fuit cum ultra duo hominum millia impleſſent montem, in quo Monaſterium, ubi tunc beati Salvatoris domicilium exiſtebat: qui omnes jurati confirmarunt, ſuis ſe vidiſſe oculis, quomodo vir mutus a nativitate coram Beato conſiſtens ab eodem ad compaſſionem moto juſſus ſuerit *Ave Maria* recitare; qui cum nec prima, nec ſecunda vice ad imperantis vocem linguam reſolvere poſſet in verba, tertia demum vice ori ejus Beatus digitos ſuos inſeruit, apprehenſaque ejus lingua, dixit: *In nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti, dic Ave Maria*; & continuo reſpondit mutus, *Ave Maria*, & reliquam ex ordine Angelicam ſalutationem percurrit, una cum Patre, atque exinde libera loquendi facultate præditus perſeveravit. Plurima eo die miracula alia beatus Salvatori perpetravit, quorum copia fecit, ut eorum memoria non ſuerit ſcripto conſervata.

Reptantem erigit Mulierem.

XLIX. Quidam Jacobus *Amargos* dictus, beato Salvatori commendans fratris ſui vitam, cui proſcriptorum aliqui ipſius inimici haud obſcure interitum moliebantur; & Sanctus *Sclopos quidem*, inquit, *ſuos in illum exonerabunt, nullum tamen vulnus inferent, beata Virgine, cui eſt perquam devotus, fratrem tuum protegente*. Itaque evenit paulo poſt, cum loco opportuno deprehenſus, plumbea glande eſt ab inimicis petitus; ſed quæ ſolas veſtes tranſiit, innoxia corpori. Siniſtro brachio paralyticus puer benedictione Beati ſanitatem accepit: eadem cœcus quidam viſum obtinuit: alia toto corpore reſoluta puellula, hac quoque ratione toto corpore perſanata in pedes ſe levavit. Erat viginti annorum juvenis, & hic a nativitate ſua mutus, cui ad pedes ſuos proſtrato imperavit Sanctus, ut *Ave Maria* recitaret, & deinceps perfecte locuturum dimiſit. Reptabat per terram manibus & pedibus vetula mulier: cui poſtquam bene precari Beatus cœpit; erexit illa ſe coram eo, & reliquit fulcimina, quibus nixa ſeſe loco movebat.

Dat iterum mutis loquelam.

L. Alia annorum quadraginta quinque, pridem amiſſa loquendi facultate, mœrebat: pro qua deprecantibus reſpondit Sanctus: *Peccavit ipſa peccatum grande, ipſoque quo id commiſit die privata linguæ ſuæ uſu, neque eum recipiet prius, quam ſuum faſſa delictum fuerit*. Inſtantibus porro illis ut commiſſi facinoris confeſſionem ipſe ab ea exprimeret: *In nomine*, inquit, *Patris & Filii & Spiritus ſancti, eja inquit, edicito nobis, verumne ſit quod grave quoddam ſcelus admiſeris? Verum*, reſpondit illa. *Ergo coram omnibus iſtud fatere*, ait Sanctus: tum illa: *nimia temporalium bonorum cupidini ſtimulata, colaphum patri meo impegi*. Mox Sanctus loquelam ei totam reſtituit, juſſamque ſacramentalem facinoris ſui a Presbytero abſolutionem petere, ſuoque patri ſupplicem illatæ injuriæ poſtulare veniam, a ſe dimiſit perfecte ſanam, duplex in una muliere eodem tempore miraculum operatus.

Sanat reptantem puerum.

Vidit aliquando puerum Salvator annorum quindecim, manibus genibuſque reptantem, eique commiſerando precatus bene, per manus arreptum in pedes ſuſtulit, aitque, *vade, & beatiſſimæ Virgini gratias age, quæ tanto te malo liberavit*.

Aliis mutis loquelam largitur.

LI. Alias adducti ad eum pueri ſuerunt quatuor ab ipſa nativitatis hora ſurdi ac muti: juſſit Sanctus, ut *Ave Maria* dicerent: verum illi abſque ſer-

» ſermone manſerunt. Iterum igitur, ſed conſueta ſanctiſſimæ Trinitatis per
» Crucis ſignum invocatione præmiſſa, nunc, inquit, *Ave Mariæ* dicite,
» & continuo omnes quatuor loqui expedite cœperunt. Puellam recens viro
» deſponſatam arripuerat dœmon, & graviter cruciabat: alligatam igitur fra-
» tres ipſius quatuor ad Sanctum adducunt, rogantque, ut ejus miſereatur.
» Nec fuit precibus opus, cum eſſet ad commiſerationis affectus tenerrimus:
» itaque imperavit e veſtigio dœmoni, ut male obſeſſum corpus relinqueret,
» reſiſtentemque iterato, cum ſanctiſſimæ Trinitatis invocatione imperio ad
» egreſſum coegit. Qui cum paruiſſet, remanſit libera quidem, ſed viribus
» cunctis deſtituta puella. Dixit ergo Sanctus, *vade, & tuæ liberatrici Ma-*
» *riæ refer gratias*; quod faciens etiam priſtinum corporis robur recepit.

» LII. Homini quoque muto ad ſe adducto, & Cruce ſignato orationem
» dominicam recitandam præmit, & in ſubſequendo habuit obſequentem,
» admirantibus, qui aderant cunctis tam ſubitam ſanitatem, ac Deum lau-
» dantibus. Alias attulere ad ipſum infantulum, quem mater ſua cœcum in
» lucem protulerat, rogaveruntque, ut tenellæ miſeratus creaturæ oculos
» ejus aperiret, qui ſic elauſi erant, ut eorum nec minima quidem particula
» videretur: fecit pro eo orationem Beatus, & quod petebatur impetravit
» a Deo, puerique parentes cum filio vidente lætos domum remiſit. Nunc
» quoniam miraculorum copia faſtidium parere lectori poſſet, quorum ſum-
» marium in extremo vitæ hujus capite legi poteſt, ſatis deinceps habebimus
» celebriora quædam proferre in medium.

Cæco infanti lumen reſtituit.

» LIII. Accidit aliquando ut viginti ſimul paralytici ad beatum Salvatorem
» venirent, ab eoque inſtanter & humiliter expoſcerent ſanitatem: quibus
» ille, *promitto*, inquit, *quod pro vobis ſanctiſſimam Virginem deprecaturus*
» *ſim: vos quoque, quod veſtrarum eſt partium, de peccatis veſtris conterimi-*
» *ni, & mecum orationem Dominicam, ſalutationemque Angelicam toto cor-*
» *dis recitate affectu*. Quod cum illi, Sancto præeunte, feciſſent, converſus
» ad ipſos alta voce cunctis benedictis dicens: *In nomine Patris* &c. & con-
» tinuo integra donati ſunt omnes ſanitate, relictiſque ibidem cruciis, atque
» aliis movendi corporis adminiculis, Deum ac beatam Virginem collaudan-
» tes, ſancto autem Fratri gratias agentes, abierunt. Franciſcus Alos civis
» Hortenſis teſtatur, a Conſulibus illius loci varios eſſe electos, qui proſpi-
» cerent, ne frumentum deeſſet conficiendis panibus concurrenti in dies
» multitudini neceſſariis, ſeque cum eſſet ex eorum numero, inter ſex men-
» ſes exerciti muneris vendidiſſe populo ter mille ſeptingentos rubos (quod
» menſuræ genus quater acceptum quintale unum farinæ implet) alios autem
» in eodem munere conſtitutos majori frumenti quantitatem vendidiſſe,
» præter eam quæ aliunde inferebatur ab inſtitoribus panariis, atque piſtori-
» bus aliarum partium.

Viginti Paralyticos liberat.

Pavis ingens copia ad multitudinem ſaturandam.

» LIV. Puella, quæ ſurda & muta venerat in hunc mundum, adducta
» ad Salvatorem eſt ſexennis, ſoloque Crucis ſigno ſanata, imperatum ſibi,
» *Ave Maria* clara voce continuo recitavit, & læta abiit. Alia annorum qua-
» tuordecim eodem plane laborabat vitio itidem a nativitate, eodemque
» ſignata modo, tertio imperio opus habuit, digitique ſuper linguam iner-
» tem poſitione, antequam eam in verba præſcripta reſolveret. Alio die præ-
» ſentata Beato mulier eſt maligno infeſſa ſpiritu: quam ſtatim ac coram ſe
» vidit Salvator: *In nomine Patris* &c., inquit, *tibi impero Diabole, ut ex*
» *hoc corpore egrediaris. Egrediar*, reponit ille, *modo per os vel nares ocu-*
» *loſve egredi permittar*. At Beatus: *In nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, bea-*
» *tiſſimæque Virginis Mariæ nihil horum licebit: ſed per eas, quæ te tuique*
ſimi-

Duæ puellæ mutæ ſanatæ.

» *similes decent, potentissimas partes egredieris*: ipsaque hora egressus est » Dæmon, tanto cum strepitu atque fragore, ut tonare Cœlum videretur: » pessimoque hospite liberata mulier, agendis Deo & Virgini gratiis, ipsi- » que beato Salvatori gratitudinis conata explere affectum, domum tandem » hilaris recessit.

Curati Paralytici.

» LV. Homini cuidam ad alterius eruris paralysim ita inflatum tumebat » genu, ut unius pelvis magnitudinem æquaret: qui obita ex Beati præscri- » ptione peccatorum confessione, & illius benedictione signatus, absque cru- » cibus domum expedite rediit. Ludovicus quoque Pilliur civis Hortensis, &

Cœcus.

» longa ægritudine lucem amiserat oculorum, & cœcus multis annis vixerat: » donec tandem ad beatum Salvatorem accessit, & confessione Sacramentali » præmissa, eum rogavit, ut propter Dei amorem sibi etiam restitueret visum » quod & obtinuit, illius benedictione accepta. Eodem die surdus & mutus

Muti, & surdi.

» ad Beatum adductus, post Crucis signaculum ipsi impressum, jussus est *Ave* » *Maria* dicere: dixit; & exinde expedite loqui atque audire potuit.

» LVI. Quidam nobilis Navarrus duodennem filiam, ab ortu surdam si- » mul & mutam, ad beatum Salvatorem portari fecit, ipsumque rogavit, ut » eam ex caritate sanaret. Respondit Beatus: *Vade, & confessus ac sacra* » *Eucharistia refectus octiduum in hac Ecclesia mane, vigiliis orationibusque* » *coram Virgine insistens: & prius quam hinc egredieris filiam expedite lo-* » *quentem audientemque habebis*. Fecit pater afflictus, quod erat impera- » tum: transactoque octiduo, cum nihilo melius quam antea filiæ suæ esse vi- » deret, diffidens de facta sibi promissione, ac mœstus; *Heu me infelicem!* » inquit, *F. Salvator, cui cum tu promiseris, ut prius sanam haberem filiam,* » *quam ex hoc abirem loco, neque voti mei, neque promissi tui merui videre* » *effectum*. Cui Beatus: *& tamen, ut dixi*, inquit, *fic fiet*. Exivit nihilo- » minus mœstus e Conventu Nobilis, atque in urbem regressus, jumenta & » vehicula oneravit rediturus ad sua: quo facto filiam per manus capiens: » *Heu!* inquit, *iterum infelicem me, filia, qui separatam a Viro Dei gratiam* » *non valuerim obtinere*. At puella fixis oculis intuita patrem, *ne plangas*, » refert, *care pater, etenim Vir sanctus audiendi mihi simul & loquendi fa-* » *cultatem expedivit*. Audiens ille loquentem filiam, amplexus eam præ » gaudio est, &, *miraculum, miraculum* exclamans, continuo calceos pedi- » bus suis detraxit, eisque nudis regredi cum filia festinavit ad Sanctum, » gratias eidem acturus: qui alios octo dies ibidem remanere jussit, ut eadem » in Ecclesia meritas beatæ Virgini gratias ageret: quibus fideliter pieque » expletis, ad propria lætus remeavit cum filia audiente & loquente. Eo- » demque die paralytica mulier Crucis signo adhibito sanata fuit.

Miracula cætera ejusdem generis.

» LVII. Similem priori calamitatem Cantaber quidam cum uxore sua la- » mentabantur in filia, octo jam annis nata: quam cum Sancto obtuliffent, » & ejus super ipsam impetravissent benedictionem, jussi sunt octo dies ibi- » dem remanere, & pro impetranda filiæ sanitate beatissimam Dei Matrem » fideliter exorare: *loquetur enim*, inquit, *post hæc filia vestra*. Quarto die » puella cum Hortensis urbis indigenis loqui cœpit Catalano idiomate, om- » nibusque *miraculum, miraculum* inclamantibus. Soli tristabantur parentes, » quod filiam loquentem, nec intelligerent ipsi, nec vicissim intelligerentur » ab ea, cunctis, qui aderant, supra modum mirantibus prodigii istius inso- » lentiam. Ergo ad sanctum Virum recurrunt, rogantes ut Cantabrica lin- » gua, non Catalanica filiæ suæ daretur; quibus Beatus, *Ita Virgo*, inquit, » *beatissima voluit, ut omnes hujus loci indigenæ sua ipsam lingua loquentem* » *audirent: prosequimini orationem institutam, & ego vobiscum deprecabor*,

ut

» *ut quam petitis, gratia ipſi fiat*. Reliquis igitur diebus quatuor continuata ſupplicatio eſt: poſt quos parvulæ benedicens Salvator, *Voluit*, inquit, » *amici mei, Virgo ſanctiſſima, ut filia veſtra ſolo Catalanorum idiomate, dum intra eorum fines erit, utatur; hos poſtquam exceſſeritis, Cantabricum ipſa ſermonem loquetur*. Quod qui audierunt multi ad Aragonici Regni » fines, quoniam ſolis duobus milliaribus aberant *, comitati ſunt abeuntes, » ut novum miraculum præſentes cognoſcerent: ſtatimque ac flumen tranſmiſerunt, patrio vernaculoque ſermone loqui puella cœpit.

* *Aragonia Regnum a Cataloniæ Principatu ad Occidentem rivus Alos dictus diſterminat.*

» LVIII. Memoratus ſupra Franciſcus Alos, medio juramento fide teſtatus eſt, viros duos in ſui patris domum hoſpitium elegiſſe, ſecum habentes puerum immani utrimque ruptura cruciatum, ſic ut ejulare nunquam deſineret, identidem clamans, *O ſancte Salvator, quando optatus illuceſcet dies, quo coram te ſanandus veniam? O Vir ſancte, audi quæſo, lamenta mea, tormenta reſpice, ut mei miſereris*. Cumque hæc diceret, » ſubito ſanatum puerum oculis ſuis conſpexit, nec ulla prioris mali veſtigia retinentem. Joanna Excudir etiam Hortæ nata ſimili fide teſtatur, quod in lucem venerit fiſſo in duas partes pectore, itaque ut ad decimum annum ætatis pervenerit, multis gravibuſque ob eam aperturam malis, & doloribus obnoxia; quibus nulla quidquam remedia proderant. Tandem eam mater decrevit ad beatum Salvatorem adducere, qui ei *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* benedicens, abire juſſit, & Deiparæ Matri pro data ſanitate gratiarum perſolvere actiones. Juravit autem Joanna prædicta, ex eo die nullum ſe in pectore dolorem ſenſiſſe: hodieque in illius miraculi memoriam puellaris pectoris monſtratur effigies ſimilis fiſſuræ ſigna exhibens. Eadem teſtatur in domo paterna plurimos exceptos fuiſſe hoſpitio variis infirmitatibus afflictos, gibboſos, paralyticos, cæcos, ſurdos, mutos, & contractos, quibus Beatus ſanitatem ſua benedictione conferebat.

Alii curati morbi.

» LIX. Bartholomæus *Zoig* Hortenſis, ut alii ipſe etiam juravit, vidiſſe ſe adſerri in lecto paralyticum; cui cum Sanctus in nomine Sanctæ Trinitatis benedixiſſet, ſanus ille ſurrexit, & abiit: vidiſſe item eodem die inferri infantulum utroque orbatum lumine, quod accepit, ſtatim ac Salvator pro eo oravit. Joannes Utquet pari jurisjurandi religione affirmavit verum eſſe, quod cum beatus Salvator ſtans in gradibus templi pluſquam duobus hominum millibus, per montem, & circa templum ſuis benediceret, mulier quædam ſinu tenens parvulam filiam, eamque a nativitate cæcam, in turba aſtiterit: quam cum filia ſua adapertis ſubito oculis ſubridens aſpexiſſet, attonita illa in terram corruit, ſubitæ lætitiæ vim non ferens: quo factum ſit, ut undique ad miraculum cognoſcendum alii accurrerint. Juravit etiam patri ſuo tum viventi accidiſſe, ut iret ad Sanctum pro filio, qui domo fugitivus exceſſerat, deprecaturus, qui reſponderit, iret ad templum, & iſtic ante Aram Virginis oraret. Quod dum facit, adeſt Sacriſta, & campanam pulſat. Beatus autem ad Patrem dixit: *Bono fac ſis animo, jam filium tuum vocari juſſit Domina noſtra, eumque tali die videbis reducem*: prout factum eſt, cumque receptum pater ad Salvatorem adduxit, qui requiſivit, ubinam fuiſſet, & quis reditum perſuaſiſſet. Reſpondit ille: *Eram ego die tali in oppido Regni Valentini Canabar dicto* *, *ibique ſonitum campanæ audivi ſimilem ei qualem in hoc Monaſterio pulſant, cui attentius aures advertens, judicavi haud dubie eandem eſſe; quamvis non viderem quomodo id fieri poſſet, cum tam multis milliaribus hinc diſtarem, eodemque tempore inſpirari mihi ſenſi deſiderium*

Parentibus Natum reſtituit exulem.

* Cabannes in geographicis tabulis.

» *rium ingens revisendi patris, & ad hoc sanctum Monasterium veniendi.*
» Cognoverunt igitur, quot quot ea narrantem audivere, rem actam esse
» eo ipso tempore, quo Sacrista campanam pulsabat, de pueri reditu Beatus
» fuit vaticinatus.

Beatus ægrotat.

» LX. Hæc dum fierent, & accurrentium ad se hominum multitudine
» fatigatus suum insuper corpus gravium pœnitentiarum rigore debilitare
» non cessaret; prolixis jejuniis, disciplinis asperrimis, nullo lecto, nullis
» calceis utens; in gravem tandem febrem incidit, cujus causa aperiendam
» ei venam esse, sanguinemque minuendum medici judjearunt. Quod cum
» factum esset atque in vulgo innotuisset, prohibere Fratres non potuere,
» quominus in Monasterium irrumperent turbæ, eoque se penetrarent ubi
» lances sanguinem continentes erant, in quo sua plurimi tingebant sudaria

Ejus sanguinis usu sanati plures.

» lineosque pannos, pro reliquiis collectum, hac ratione cruorem secum
» ablaturi: tingebant eodem rosaria quidam. Quin & mulier fuit gravissime
» infirma, quæ arreptam scutellam lingua tergens mundavit, & subito se sa-
» natam sensit. Plures ad sua reversi, infirmis præsens ferebant auxilium,
» imponentes eis rosaria, vel panniculos suos, quos beati Viri sanguine tin-
» gentes consecraverant.

LXI. Hoc anno, non autem 1539. ut Serpius scribit (facilis enim est in vicinis istis cifris 3 & 5 error. Patet enim, religiosum, & quidem plurium annorum fuisse Salvatorem cum ista agerentur) » Matthæo *Zuiz* (forte
» *Ruiz*, sive *Ruizzio*, nomen Hispanis notum) nobili Valentino majori
» domus Ducis de Maqueda filius, erat annorum duodecim patris cognomi-
» nis: qui cum die quodam per civitatem Valentinam inambularet, subita
» morte in ipsa platea extinctus corruit; mortuumque testati sunt, quotquot
» confestim collecti medici ad relatum in domum paternam corpus visen-
» dum convenere; profitentes, penes patrem esse patientiæ remedium, quod
» unicum hoc in casu sperari posset: neque enim in sua arte quidquam præ-

Mortuum Puerum ad vitam revocat.

» sidii superesse. Plangebat inconsolabiliter mater filii hujus amantissima,
» & adeo ipsa cruciabat sese in aspectu mortui, ut sublatum ex oculis dome-
» stici famuli in aliud conclave asportarint, ubi pro more regionis curarunt
» funus, involventes cadaver Hollandicæ sindoni, eique sic insuentes, ut
» nulla ejus pars conspiceretur. Die sequenti, omnibus jam ad funebrem
» pompam paratis, cohiberi non potuit mater, quin irrumperet ubi triste
» filii cadaver jacebat: super quod collapsa, *O Frater*, inquit, *Salvator*,
» *vir sancte, tu scis, quam tibi bene afficiar; sæpe in hac domo mea mihi di-*
» *xisti, quod pro me semper oraturus esses: nunc enimvero tempus postulat,*
» *ut huic afflictissimæ Matri auxilium porrigas, & ego polliceor, quod mis-*
» *sura sim ipsum hinc ad te in tua domo visitandum.* Hæc cum diceret, ite-
» rumque repeteret, sensit filium linteo insutum movere brachia, & conti-
» nuo exclamans: *Adeste*, inquit, *concurrite ocyus, & hanc mihi findonem*
» *discindite, quia filius meus vivit.* Prodiit itaque vivus puer, atque a patre
» adductus ad Dei famulum, eique oblatus est. Ipso autem monente, ut
» gratiarum actiones Virgini Matri persolverent pro eo beneficio (cujus am-
» plum deinde testimonium præbuere) octo diebus ibidem permanserunt;
» ac demum, sumpta cum benedictione licentia redeundi, in viam dederunt

Herniosus liberatus.

» se pater ac filius, non tantum liberatus a morte, sed etiam ab hernia,
» quam passus fuerat usque ad illud tempus, quo sua eum sanatus benedi-

Sequuntur miracula.

» ctione signavit.
» LXII. Mulieri cuidam Sperantiæ Fontanes dictæ, civi Dertusanæ, filius,
» & ipse duodecim annorum *Michael* nomine, hoc eodem anno in Iberum

in-

incidit, ſubmerſuſque eſt. Forte illac tranſibat Sperantiæ frater ad quandam ſuam vineam iter habens, & ſub arboris cujuſdam inclinatæ ramis neſcio quid obſervavit ſaſci pannorum ſimile. Cucurrit igitur ut baculum inveniret per modum unci aliqua parte recuruum, eoque propius ad terram attrahens id quod invenerat; primo puerum eſſe aqua plenum tumentemque, deinde attentius lineamenta conſiderans, deprehendit ſororis ſuæ filium eſſe. Extractum igitur ſupra majorem petram, iſtic caſu jacentem, poſuit, atque ad ſororem properavit: quæ in lacrymas plantuſque ad dilecti filii conſpectum reſoluta, dicere cœpit: *O Vir ſancte frater, Salvator, audi plantus, & lamenta mea, & filium mihi meum reſuſcita: & ego promitto venturam me cum ipſo ad te, atque ad illam Eccleſiam tuam in qua tam multa miracula operaris, ibique octiduo toto permanſuram.* Vix ea dixerat, cum puer aperto ore aquam omnem evomere cœpit, quam intromiſerat, eumque ſic reſuſcitatum duxit ad virum Dei: cui antequam verbum diceret ipſa, prior ille ſic orſus eſt: *O improvida, cur tam male cuſtodiſti hunc filium tuum, ut fuerit in flumine ſubmerſus? Fatere igitur, pro beneficio refer. Recte mones*, reſpondit illa, *Pater mi: verum ſcito, quod poſt quam reſuſcitatus eſt, tam moleſtum circa pectus ſpaſmum patiatur, ut opus mihi ſit eum ambabus ulnis fortiter circumplexum ſtringere, alioqui moriturum.* Sanctus vero ipſius capiti Roſarium impoſuit cum invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, exindeque nil ſimile paſſus eſt. Addidit deinde prædicta mulier: *Hanc quoque filiolam meam huc adduxi, cui jam hinc a duobus annis ulcus in capite apertum, ingentem putis copiam foras mittere non deſinit.* Huic autem ſimiliter ſanctus Roſarium ſuum ſuper caput poſuit, lineumque quod manu præferebat puella, velum accipiens, capiti ejus ſuis impoſuit manibus, eoque ſtrictim alligato dixit: *Vide ne infra octavum diem illud reſolvas: quia brevi eam Dei mater ſanabit.* Et vere, tranſactis diebus octo, integre ſana reperta eſt parvula, & a fœtido iſto malo liberata.

Et ſanitatem integram.

Ejus item ſororem a fœtida liberat ulcere.

LXIII. Similiter hoc anno frater Stephanus, Vicarius Conventus Fratrum Minorum Obſervantium in Alicante, * ulcus habebat ſub ipſis genitalibus, ejus naturæ, ut hac eadem via, non alia, poſſet urinam mittere. Tentata incaſſum fuerant remedia varia, quorum tandem deſperato effectu, Hortam ire diſpoſuit, & quidem pedes, quia hæc ipſa infirmitas equo inſidere prohibebat. Quævis dies ultima ei videbatur, ita graves dolores patiebatur; donec unius ſolum diei itinere diſtans a Monaſterio, & diffidens, eo ſe poſſe pertingere, infra arborem ſe abjecit, mortem velut proximam propter intolerabiles cruciatus præſtolans; ſic autem effari mæſtus cœpit: *O Frater Salvator, quoniam ea mihi non poteſt obvenire felicitas, ut ad te veniam, nunc ſaltem pro me deprecare Deum, ut animam meam miſericors ſuſcipiat.* Dixit, & doloribus victus obdormivit: pauloque poſt experrectus, cum ſomno etiam malum omne abiiſſe non minus miratus, quam gaviſus eſt, iterque cœptum ſtrenue proſecutus, acceſſit ad Beatum, eique gratias agere inſtituit. At ille monuit ut Sanctiſſimæ Virgini grates ageret, quæ a morbo, & morte eum liberaret. Ita ipſum Stephanum jurato teſtimonio aſſeruiſſe ex proceſſu patet.

* *Maritimæ urbis in Regno Valentino.*

Simul etiam liberat ægrotum Cœſodalem.

LXIV. In eodem proceſſu Andreas Zecca ex Catalani regni villa Trix (mappæ quædam Geographicæ *Flix* nominant: abeſt Horta milliaribus quatuor, proxime ad Iberum) affirmat, quod ſeptennis puer ex ſcala decidit, atque ore in unum ejus gradum impactus, omnes totius oris dentes excuſſos doluit: cumque videret quotidie multam turbam tranſire Hor-

Miraculoſe puer excuſſos dentes recipit.

» tam verſus, ſanitatis a Viro ſancto ſperatæ ergo, patrem ſuum, matrem-
» que rogavit, ut ſe quoque ad Sanctum duceret: cui reſponderunt ipſi,
» Sanctum iſtum a malo dentium neminem ſuis liberare miraculis, nec in-
» duci potuerunt unquam ut puerum, quo volebat, ducerent. Imo cum
» poſtero die ſoror quoque ipſius lapſa fregiſſet tibiam, eaque de cauſa iter
» ad virum Dei inſtituiſſent portata ſecum filia, rurſum roganti filio ut nunc
» ſaltem ipſum accipere ſecum vellent, idem reſponſum dedere. Ergo mæ-
» ſtus domi miſellus relinquitur, ipſiſque digreſſis, ſumpto in manus Roſario,
» quas ſciebat, dicere orationes inſtituit, ſeque, vel e longinquo meritis San-
» cti commendare, dicens: *O Frater Salvator, homo ſancte, adjuva me, &*
» *intolerabilem hunc ab excuſſis dentibus dolorem mihi infelici depelle: neque*
» *mei non miſereariſ, quia pater meus me noluit ad te adducere.* Quæ cum
» dixiſſet ad lectum abiit, dormivitque, & poſtero die mane experrectus,
» non modo nullos in ore dolores; ſed dentes quoque omnes in eo ſenſit:
» quare repletus gaudio exclamare cœpit, *Miraculum, miraculum.* Accur-
» rere ad eum clamorem vicini, & noti, ipſumque ſic eſſe, ut dicebat, co-
» gnovere. Ille autem egreſſus domo in viam ſe dedit, qua pater rediturus
» erat, eumque eminus conſpicatus, cucurrit obviam, quæſivit hilaris num
» ſororem ſuam Sanctus ſanaſſet, affirmantique dixit: *Et me idem Sanctus*
» *malo dentium liberavit, cum eos mihi hac nocte reſtituit*: quos & patri
» oſtendit, eoſque ſe habere ſanos, & integros in *hodiernum diem* anni
» MDCIII. dixit.

Ejusque sorori fracta solidatur tybia.

LXV. Sebaſtiana de Meſtram ex vico Catalanico e Vil-Alba *, affir-
» mat, quod annum implens ætatis decimum quartum, impediente ipſam
» calculo, tantam pateretur in emittenda urina difficultatem, ut quoties id
» faciendum eſſet, toties mortuæ ſimilis collaberetur in terram. Patrem au-
» tem ſuum orant ut ſe ad Sanctum duceret, perſuadere ei non potuit, ut
» faceret, quoniam ipſe dicebat ejuſmodi malis Sanctum illum non mederi.
» Quo reſponſo triſtis illa nimiumque afflicta, incepit omni die Deum, San-
» ctiſſimamque illius Matrem deprecari, recitando Roſarium: quo decurſo,
» dicebat: *Ah! Beate Frater Salvator, ora pro me Dei Matrem, ut a gravi*
» *me hac liberet infirmitate.* Quod cum ſæpe feciſſet, quadam vice preſſa
» neceſſitate mingendi, fecit illud abſque labore: quemadmodum etiam
» ſexageſimum quartum vitæ annum egreſſa: neque ex eo momento dein-
» ceps quidquam in ea re paſſa eſt laboris.

* *Spatio milliarium trium Horta diſtans.*

Diversa alia narrantur prodigia.

Sequuntur miracula.

LXVI. Feminæ cuidam ex Horta oriundæ, cui Martinæ Arti nomen,
» nares cancro exeſæ multo putre ſtillabant: cujus illa mali remedium a
» beato Salvatore petiit, mandatumque accepit confitendi, communicandi-
» que, & Sanctiſſimam Virginem deprecandi, itu futurum, ut illa medicum
» ipſi mitteret domum, a quo ſananda foret. Fecit illa, ut juſſa fuerat, do-
» mumque reverſa, & ſequenti nocte lecto decumbens, cubiculum plenum
» ſubito ſplendore conſpexit, in eoque beatum Salvatorem, qui formato
» crucis ſignaculo, dixit: *In Nomine Patris* &c. voluit illa exilire ſtrato, &
» curriculo accedere ad manus ejus exoſculandas: ſed mox ab oculis eva-
» nuit viſio; ipſa vero ſano ex toto remanſit. Mane autem facto, ad eum
» acceſſit, qui dixit: *Vide nemini dixeris viſionem, & glorioſæ Virgini Dei*
» *Matri gratias age: ipſa enim te ſanavit.*

* *In Cæſaraugustana Diœceſi.*

LXVII. Caſtellanus quidam paralyticus ad Virum ſanctum ſe perfe-
» rendum curavit, cumque perveniſſet ad oppidum Fuentes in Aragonia, *
» dictum ei eſt, amandatum Horta Dei famulum, neque iſtic amplius inve-
» niendum. Mæſtus igitur eo nuntio, ad ipſam dicti jam oppidi Eccleſiam

de-

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 352.

» deferri ſe juſſit, ibique ſortem ſuam deplorans dixit: *O Vir ſancte frater* » *Salvator, miſerere mei, atque iſtic ubicumque nunc degis meam exaudi* » *orationem; pro me Deiparam Virginem deprecans, ut integræ reſtituar* » *ſanitati*. Nec mora, obdormivit eodem in loco, & ſomno ſolutus, ſoli- » datos, qui ſoluti fuerant, nervos ſenſit, pleneque ſanatus domum hilaris » remeavit.

» LXVIII. Domina Elenora de ſancto Angelo de Saragoſa ex Regno » Aragoniæ, filium habebat trimulum, Don Franciſcum nomine, eumque » graviſſima hernia laborantem: quo ejus malo ſupra modum afflicta Matrona » illuſtriſſima, ipſa Hortam profecta eſt una cum filiolo. Cum vero ad op- » pidum Alcanitiæ perveniſſet, & filius ſolito deterius haberet, cœpit illa » orando dicere: *O Beate Frater Salvator, hanc ſaltem mihi modo largire* » *gratiam, ut cum filio hoc vivo ad eum poſſim locum pervenire, in quo mo-* » *raris, & plenæ ſanitatis beneficium, & per te obtinendum confido*. Plus » autem obtinuit quam petierat: ex illa enim hora ſanatus eſt puerulus. » Cum vero ad eum perveniſſet, priuſquam verbum ullum proferretur ipſa, » ultro audivit ſic monentem, *quoniam id quod deſiderabas obtinuiſti, ne* » *prætermittas obire, quæ ſuſceptura alias adveneras Sacramenta, & Do-* » *minæ noſtræ per quam ea impetrata eſt ſanitas, gratias agere*: cui man- » dato morem gerens promptiſſima voluntate, Deumque glorificans, & Vir- » ginem gloriosiſſimam, læta domum eſt reverſa. Sequuntur miracula.

» LXIX. Denique omnes teſtantur, quod quacumque ex parte adiretur » Horta, undique viderentur appenſa ex arboribus morborum depulſorum » indicia, cruces, ſcipiones, faſciæ, & ligaturæ, quibus quot quot eaſdem » inſiſtebant vias monebantur, movebanturque, ut in ſimilibus malis reme- » dium a beato Salvatore ſe quoque ſperarent obtenturos ſibi aliiſque. Con- » ſtat porro ex ipſo Deiparæ Templo, juxta quod Beatus morabatur, eductos » eſſe ſex plenos currus ejuſmodi inſtrumentis, adminiculis, faſciiſque, quæ » iſtic reliquerant, qui ſanitatem recuperarant, necnon & grabata, atque le- » cticas plurimas, in quibus paralytici, & clinici alias deſperati advenerant. » Itaque de vivente quoque tota ea regione circumferebantur verſus qui- » dam Catalana lingua compoſiti, & vulgi ore paſſim canebantur: quos in » linguam latinam convertere viſum eſt, ad comprobandum notiſſimam locis » illis fuiſſe ſanctitatis ejus, & miraculorum famam. Miraculorum ſigna appenſa.

Hymnus de vivente Salvatore vulgatus.

Numinis Virgo Genitrix in Hortæ
Grandibus fulget celebranda ſignis,
Vota Salvator quoties rogatus,
Mittit Olympo.
Hujus orantis merito, videndi
Redditur eiauſis oculis facultas.
Si graves culpæ metanæa ſolvat
Vera reatus.
Nec fides deſit precibus, favores
Quiſque quæſitos recipit. Levantur
Quolibet tandem teneantur ægra
Corpora morbo.
Debiles, elaudos, variiſque vulgus
Mutilum membris, calidaſque febres
Hic dies omnis videt expetitam
Ferre medelam.

Ergo gens terris ſapereſt Iberis
Nulla quin greſſus ferat ad Beatum,
Congruo a dando miſeris ſalute
Nomine dictum.

Sequuntur miracula. LXX. Eulalia Baſſa Barcinonenſis, cum annum ætatis ageret dumtaxat octavum ex ſcalis decidit, alterumque pedem labens rupit: qui fœde inflatus, nihil proficientibus chirurgorum, & medicorum inventis, contractis nervis, remanſit inutilis; ſicut gravius paralyſi malum eſſet, nec pedibus niti puella poſſet; paſſa interim plus quam ſepties candentis ferri uſtionem ſectionemque, qua plures oſſis comminutæ particulæ exemptæ ſuerunt. In decimum annum cruciabatur, quando Barcinonem frater Salvator advenit: de quo cum in auditum eſſet, quod multa miracula operaretur, delata ad ipſum puella hæc eſt, & impetrata benedictione, ipſius domum relata. Dies multi tranſierant, nec tamen ſanitatem ſperatam miſera conſecuta erat: quare iterum F. Salvatorem repetit, Confeſſione, & Communione præmiſſis, eique dicit: *Rogo te frater Salvator ut Dominam noſtram deprecceris, quo mihi pedis prorſus perditi reſtituat integritatem. Nunc enim vero*, reſpondit Sanctus, *recte orare ineipis: ideo enim deſiderio tuo nuper fruſtrata es, quia credebas me operari miracula: at modo cum divinorum beneficiorum verum fontem agnoſcis, eoque quo oportet te convertis, orabo pro te ut ſaneris.* Cui illa: *Obſecro Pater, ut vel tangere pedem meum digneris.* At ille: *Vade, filia, & confide: nam, & P. Paulum pro te orabo, qui hodie hoc ipſo in loco duas coſtas viro euidam ruptas ſanavit.* Abiit igitur ejuſmodi dictis animata, & nihil dubitans ſomno ſe dedit, a quo poſtridie ſana ſurrexit; & quamvis complura oſſium fragmina exempta eſſent a pede, libero tamen rectoque greſſu incedere potuit, inceſſitque deinceps, nunquam deſinens Deo, & ſanctiſſimæ Virgini pro tam inſigni beneficio gratias agere.

Occulta cognoſcit, & futura prædicit. LXXI. Decennem puellam ab utero Matris pedibus diſtortis deformem, & gradiendi facultate privatam, parentes jam decennem portare ad virum Dei decreverant. Per viam autem videns illa ſutoriam officinam: *Eja*, inquit, Matri ſuæ, *hic mihi par calceorum eme, ut cum ab homine iſto Sancto ſanata fuero, illos induam.* Movit tam firma filiæ fiducia Matrem, ut morem petenti gereret: ut autem ad beatum Salvatorem venit, ipſeque, invocata ſanctiſſima Trinitate, bene ei precatus eſt, *Filiam tuam*, inquit, *eis indue calceis, quos emiſti; jam enim ſanata eſt.* Obſtupuit ad imperium iſtjuſmodi mater, oculoſque ad filiæ ſuæ pedes convertens, eos rectos, ſanoſque conſpexit, & domum revertens Deum glorificavit, magnamque Servi ejus caritatem omnibus prædicavit.

Sequuntur miracula. LXXII. Eques quidam Joannes nomine, Gazophylacio Ducis Medinæ cœli præfectus, filiam habebat nomine Beatricem, cui facies verſus dorſum enormiter retorta miſerandum cunctis præbebat ſpectaculum, idque jam duodecimum, quo vivebat annum: illa autem de eadem fama inaudiens Hortam deferri juſſit filiam ſuam ad Sanctum (ita enim ab omnibus nominabatur Salvator) eoque perveniens ipſum rogavit ut eam curare vellet. Qui ait, *confide, & confeſſus eum filia Sacrum Euchariſtiæ eibum ſume, pariterque ſanctiſſimam Virginem orate, atque inde ad me revertimini.* Fecit homo, quod præſcripſerat Sanctus eodem in loco, & ad ipſum regreſſus in genua coram illo procubuit. Tum vero manus, oculoſque ſuſtulit in Cœlum Beatus, dixitque: *O Cœli Regina audi devotos hoſce famulos tuos*, & converſus ad circumſtantes, omnes, inquit, *pro hac tam mon-*

„ *monſtroſa puella*, *Pater noſter dicite*, *& Ave Maria*: deinde *In nomine*
„ *Patris* &c. pronuntians, puellæ caput complectitur manibus, & illud, tan-
„ quam ſi ex molli cera fuiſſet, torquens, debitum ad ſitum reduxit, nullo
„ deformitatis prioris veſtigio remanente.

Sequuntur miracula.

„ LXXIII. Ex urbe Gariera deportatus ad Sanctum paralyticus in lectica
„ eſt, precibus ejus curandus, Michael Gariera dictus in ordine equeſtri vir
„ primarius. Hic cum in navi ſancti Andreæ * prope Barcinonem trajiceret
„ flumen, calcitrare cœpere muli, qui lecticam ferebant, ſic ut eorum po-
„ ſterior in flumen incideret, altero in navi cum lectica, ſuper extremum
„ marginem pendula remanente, & nemine dubitante, quin everſa navi
„ paralyticus quoque, & quotquot ſimul vehebantur provolvendi eſſent in
„ flumen, & aquis ſuffocandi. Omnes igitur elata voce cœperunt exclama-
„ re, *O beate Salvator*, *auxilii tui manum devotis porrige*: *quippe qui tui*
„ *viſitandi cauſa*, *& Dominam noſtram apud te bonorandi*, *in viam nos de-*
„ *dimus*. Et ſubito ab iſto periculo liberatos ſe, navimque indemnem ripæ
„ viderunt applicatam. Cum igitur ad locum perveniſſent, paralyticus,
„ ſuſceptis rite ſacramentis, juxta aram principem collocari ſe juſſit, ad
„ quem veniens frater Salvator dixit: *Quot annis paralyticus in lecto decum-*
„ *bis? Sexdecim*, inquit ille. Tum Sanctus: *In Nomine Patris* &c. *ſurge*,
„ *quia ſanitas tibi a Deipara Virgine reſtituitur*. Dubitantem an ſurgere
„ poſſet, per manum ultro arripuit Sanctus, elevatumque ad aram duxit
„ dicens: *Hic Deo*, *& Matri ejus age gratias*, *quæ ſanitatem tibi perfe-*
„ *ctam reddidit*: itaque ſanus perſeveravit, domum cum gaudio magno
„ reverſus. Dominus Abdon Maſderi, presbyter Eccleſiæ Cathedralis Ge-
„ rundenſis teſtatur, ſe brachium ſiniſtrum ita contractum in mundum naſcen-
„ do attuliſſe, ut deinceps nec elevare illud, nec ori potuerit admovere,
„ aut capiti imponere. Auditis autem Dei per Servum ſuum mirabilibus,
„ eum annum ætatis duodecimum attingeret, ad ipſum portari voluiſſe, &
„ ſola benedictione ſanatum præſentem adfuiſſe prædictis de navi, & para-
„ lytico miraculis.

* *Nomen non minuti navigii, ſed Vici S. Andreæ, ad quem idem navigium pertinebat.*

Sequuntur miracula.

„ LXXIV. Eleonora de Garbina nobilis Gerundenſis * mammillarum
„ unam cancro infectam habens, Chirurgos e Francia evocari juſſerat: qui-
„ bus curationes ſuas per annos duodecim continuantibus, nec quidquam
„ proficientibus, Barcinonem ſe transferendam curavit ad Conventum Do-
„ minæ de Jeſu dictum, quo iſtis diebus F. Salvator advenerat, ibique ſupra
„ viginti hominum millia reperit, partim civium, partim extraneorum, qui
„ eo confluxerant, vel ſanitatis recipiendæ, vel Sancti intuendi gratia, cum-
„ que etiam ipſa ad illius præſentiam perveniſſet, provoluta in genua obſe-
„ crare cœpit, ut ſe quoque ſanaret: cui ipſe dixit: *Triduum jejuna*, *filia*,
„ *confeſſaque*, *& ſacro refecta epulo*, *Virginem deprecare pro impetranda ſa-*
„ *nitate*, *& poſt tertium diem ad me revertere*. Abiit, fecit, regreſſa eſt,
„ ut fuerat imperatum: ille autem mammillam ejus apprehendens, omnem
„ ex ea ſaniem expreſſit, & facto crucis ſigno, dixit: *Vade*, *filia*, *jam tota es*
„ *ſana*, itaque eſſe admirabunda cognovit.

* *Abeſt a Gerunda Horta leucis 40.*

Sequuntur miracula.

„ LXXV. Ejuſdem Civitatis Gerundenſis mercator, cognomine Cam-
„ pollerus, crure uno mancus erat, cunctiſque ei ſuadentibus, ut Hortam
„ iret certo ſanandus, irridebat miracula, quæ ſanctum Virum facere au-
„ diebat. Denique cum prædictus paralyticus eques ſanus revertiſſet, nec
„ diutius poſſet reſiſtere, importunis amicorum ſuaſionibus, inſtanter ur-
„ gentium, ut eamdem ipſe peteret medicinam: *Vadam*, inquit, *verum ſi*
„ *crure*, *non perſanato revertar*, *vos mihi burſam meam ſanabitis*, *reſti-*

tuen-

» *tuentes pecuniam, quam veſtri cauſa fruſtra in iter inſumpſero.* Ivit igi-
» tur, & cum multis aliis poſuit ſe ante Beatum, qui benedicebat ſingulis,
» dicens: *In nomine Patris* &c. ad ipſum autem cum perveniſſet: *Tua qui-*
» *dem*, inquit, *tibia non ſanabitur: ſed brevi ſanus eris a malo burſæ.* His
» ille auditis ſurrexit indignans, & dicens: *Fraterculus hic Diabolum haud*
» *duble aliquem habet, qui ei retulit verba mea, quæ ego hinc procul ad*
» *centum viginti milliaria dixi*: itaque domum reverſus eſt, explodens
» irridenſque miracula, quæ fieri dicebantur: ſed celeri extinctus morte,
» quam totius familiæ ejus eſt ſubſecuta ruina, veritatem prædictionis defi-
» nienda brevi ipſius burſa comprobavit.

Sequuntur miracula. *Sive Arnes, perperam ſtatim Arces.

» LXXVI. Quidam a nativitate cœcus Joannes nuncupatus ad beatum
» Salvatorem venit; cumque ad villam Arenes * perveniſſet Hortæ vicinam,
» obvium habuit Andream Calaps, qui & requiſivit quo iret? *Ad Diabolum*,
» reſpondit cœcus: *Num ſatis juſtam deſperandi cauſam tibi habere videor,*
» *qui ſupra ducentorum milliarium iter confeci, hominis cujuſdam, quem*
» *ajebant Sanctum, adeundi gratia, & modo Sacerdos quidam ex villa Ca-*
» *laſſeit mihi dixit, quod ille nequaquam Sanctus ſit, ſed impoſtor, &*
» *falſorum miraculorum operator; ut proinde opus non fuerit ad eum me*
» *proficiſci: parum igitur abeſt quin laqueo mihi guttur præcludam. Poſ-*
» *ſum*, inquit Andreas, *ſcire Sacerdotis illius nomen; potes*, reſpondit cœ-
» cus, & nomen edixit, quod propterea, quæ mox dicentur, ne cogna-
» tioni ejus creetur infamia hic omittitur. Ille autem dixit cœco. *Vade*
» *Frater cariſſime, & magna cum fide ſanctum Dei viſita, cujus huc cauſa*
» *veniſti, nihil dubitans, quin ſperatam oculorum lucem conſecuturus ſis; ju-*
» *ratus namque tibi affirmo, quod me præſente, cœcis pluribus viſum dedit,*
» *ſurdiſque, & mutis auditum, & loquelam. Vidi ab eo curatos energume-*
» *nos; vidi plurimos, dum iſtic eſſem, quotidie ab eo miraculoſe ſanatos.*
» *Cum autem, & ipſe ſanatus redieris, huc revertere, & apud me hoſpitium*
» *ſume*: ſimul, & nomen ſuum, quod memoria retineret, cœco enuntiavit.
» Iyit ille jam melius animatus, eoque perveniens juſſus eſt confiteri, atque
» communicare, & fidem certam collocare in Deum, quod eſſet per mor-
» tem ejus illuminandus. Quibus factis, redivit ad Sanctum, qui ſuam ei
» benedictionem impertiens: *Aperi*, inquit, *oculos, & in me reſpice*; ille
» oculos aperuit, cui Sanctus *Men vides?* inquit: *Video*, reſpondit qui
» cœcus fuerat: juſſuſque Deiparæ gratias agere, non diſtulit ad Andream
» lætus reverti, eique felicem conſilii ſui ſucceſſum gratulando annunciare.
» Neque multi poſtea effluxere menſes, quin Sacerdos ille deprehenſus eſt
» hæreticus eſſe, atque ad Inquiſitores delatus fuiſſet capiendus, niſi com-
» prehenſores ſuos, arrepta in Franciam fuga, pervertiſſet; unde quid de eo
» factum ſit, nunquam deinceps eſt auditum.

Sequuntur miracula. * *Dioceſis Caſarangulana.*

» LXXVII. Joannes Carolus, ejuſque uxor Suſanna, ex villa Bezeit *,
» videntes nullam procreatarum a ſe prolium remanere in vivis, decreve-
» runt ſimul proficiſci ad Sanctum, & coram eo venientes dixerunt: *Frater*
» *ſancte, pro nobis infauſtis peccatoribus apud Deum intercede: nam quotquot*
» *hactenus genuimus liberos circa ſextum a nativitate menſem mortui ſunt*;
» quibus ait Salvator: *Ite, & Confeſſionis, atque Euchariſtiæ ſacramenta*
» *ſuſcipite, & in nomine Dei Genitricis miracula facientis, tibi prænuntio,*
» *quod duos filios ſitis generaturi, quos ad maturam ætatem perductos vide-*
» *bitis*. Deinde ad mulierem converſus, *tibi verò*, inquit, *prædico, quod*
» *ſerviturl ſint ſenectuti tuæ, multamque ex iis jucunditatem ipſa ſis perce-*
» *ptura*; tacite innuens moriturum ante ipſam maritum: reliqua autem, ut
» prædixerat, ſic facta ſunt. LXXVIII. Do-

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 352.

Sequuntur miracula.

» LXXVIII. Domina Helena de Cardona, Caralitanæ civitatis in Si-
» cilia Matrona nobiliſſima, multis vicibus ſanctum hunc Fratrem rogavit,
» ut filium ſibi impetraret a Deo: ad quam ille petitionem nunquam ver-
» bum reſpondit. Itaque die quodam ſubiraſcens, *quid*, inquit, *Frater Sal-*
» *vator, rem petis caro tibi ſtaturam quocunque, refert illa; mihi pretia*
» *feceris, nihil caro, modo filium habere liceat.* Tum Sanctus: *En acquie-*
» *ſco: habebis filium: verum vide, ut tuas cum Domino rationis bene habeas*
» *conſtituas: caro enim tibi ſtabit filius iſte.* Concepit ergo Matrona iſta
» Dei Matri devotiſſima filium, ac vivum peperit, & nomen ei baptizato
» Joachimi impoſuit, atque ipſo partus die ſub veſperam eſt extincta.

Sequuntur miracula.

» LXXIX. Hiſpaniarum Rex Catholicus Philippus II. cum ſua aula Man-
» zonii reſidens, ad ſe accerſiri juſſerat Dominum Admirantium Neapoli-
» tanum Raymundum Folcum de Cardona. Erat hic in ſua villa Belpuig *
» dicta, cum hæc ad eum allata nova, non modice ipſius animum conſter-
» narunt, ſcientis nonnulla indignatione motum contra ſe Regem, timen-
» tiſque, ut ex honore, & commodo ſuo eſſet ea appellatio. Cum igitur
» beatus Frater tunc temporis ibidem loci cocum ageret Monaſterii, & nul-
» lis licet miraculis clarus, in magna tamen apud omnes eſſet opinione ſan-
» ctitatis, juſſit eum advocari Admirantius, eique ſeorſim accepto dixit:
» *Frater Salvator, mandavit mihi Rex, ut ad ſe veniam: maleque metuo,*
» *ne propter negotia Neapoli peracta, Majeſtas ſua Manzonii mihi ſe exhi-*
» *beat ſuboffenſum: verum, obſecro, pro me Dominum deprecare, ut propi-*
» *tium ipſum mihi, ac pacatum reddat. Confide*, reſpondit ille, *in Domino,*
» *& Matre ejus, quia non modo nihil iſtic tibi adverſi accidet; ſed magnus*
» *honor deferetur.* Cumque inſtaret Admirantius ſupplicans, ut ſibi indica-
» ret, qua de cauſa Rex eum venire juſſiſſet: reſpondit Sanctus: *Difficili*
» *loco res tuæ eſſe videbuntur, uſque ad illud punctum temporis, quo ad Re-*
» *gem intrabis: eademque hora omnia tibi in plenum gaudium converterentur,*
» *nec minorem honorem; atque iſtud ex me tibi dictum memineris.*

* *Inter Manzanium & Cardonam.*

Sequuntur miracula.

» LXXX. His Salvatoris verbis optime animatus heros, ad aulam prope-
» ravit intrepidus: ubi non defuerunt, qui ut inter Magnates fieri aſſolet,
» male ipſi affecti palam jactarent, quod etiam aliquis ipſi in faciem dixit,
» non aliud, quam caput ejus peti a Rege, ea de cauſa vocatum eſſe: per-
» ſtitit nihilominus ille animo imperterrito, frætus pollicitatione Salvatoris,
» & impavide ad Regias manus exoſculandas ingreſſus eſt, nobilium comi-
» tatu ſollicite in atrio præſtolante eventum colloquii: cujus hoc principium
» fuit a Rege factum: *Opportune enimvero huc advenis: nec enim niſi duæ*
» *elapſæ ſunt horæ, quod certa per veredarios accepi nuntia de obſidione Per-*
» *piniani a Francis inchoata, quapropter omni poſtpoſita mora, & collecto un-*
» *decumque ex regni noſtri Provinciis, quantum ſubito colligi poterit milite,*
» *iſtuc propera, & quod de tua virtute confidimus ſtrenue incunctanter exe-*
» *quere.* Lætus tam honoratis imperiis Admirantius, & Regis manum deoſcu-
» latus, colætantibus gratulantibuſque amicis, in aream Palatii prodiit; &
» regios tubicines ad ſe vocatos proclamare juſſit, cuicumque venire cupienti
» ad ſolvendam obſidionem Perpinianenſem parata eſſe apud Admirantium
» Neapolitanum, ex proprio ipſius ære ſtipendia pro ſuo cuique gradu. Con-
» ſcenſiſque equis feſtinus abiit in ſuam Bellopodienſem villam, ibique ad ſe
» accerſitum fratrem Salvatorem omnibus commendavit ut Sanctum, qui ſibi
» cuncta eventura prædixerit.

Sequuntur mir. cula.

» LXXXI. Senex quidam Calaritanus aliquando ſuit oblatus Sancto, ut vi-
» ſum reciperet oculorum, verum deprecantibus pro eo amicis, reſpondit

Sal-

„ Salvator; *Nunquam iſte deſideratam obtinebit gratiam, quia nunquam dimittet peccatum grave, ſibique ex multo tempore quotidianum*. Quod reipſa „ patuit; quantumcumque enim cognatus quidam ipſius inſtaret, ut illud „ quodcumque eſſet expiare vellet confeſſione ſpontanea, nunquam perſuadere ei quidquam in animæ ſuæ utilitatem potuit, atque ita etiam cæcus „ corpore quoad vixit remanſit. Domina Hieronyma Cardona Abbatiſſa religioſiſſimi Monaſterii de Petra-alba Barcinone, teſtatur vidiſſe ſe cum aliis „ Monialibus ſuis, quod frater Salvator cæco viſum redderet: addiditque eo „ ſucceſſu excitatam, ſe locutam ipſi fuiſſe, atque rogaſſe, ut pro duobus „ cognatis ſuis in bellum Gerbienſe * profectis, deprecator exiſteret apud „ Deum. Qui reſpondit; *Alter quidem eorum Fridericus præmium ſuum „ apud Dominum obtinet; alter vero, Joannes ſcilicet, captivus agit Conſtantinopoli; brevi (ne ea te cura ſollicitet) redimendus, maximoque in honore, quantum alius e ſuis quiſpiam, futurus apud Regem Philippum*. Ergo „ ſubintulit illa, *mortuus eſt cognatus meus*: cui Sanctus: *Ne mortuum dixeris, neque enim mori dicendi ſunt, qui in obſequio fidei vitam ponentes, „ jam ſuam apud Dominum mercedem poſſident*. Eoque dicto, ſe convertit, „ & abiit. Poſt menſem vero nuntius adfuit, exercitus noſtri cladem portans, in qua Fridericus cæſus, captus vero eſſet Joannes: Regi deinde „ Philippo tam carus, ut hodieque Navarram gubernet cum titulo Poteſta- „ teque Pro-regis.

* *Eſt* Gerbis, *ſeu* Zerbus *Syrtis minoris in Africa inſula initio anni* 1560. *occupata.*

Sequuntur miracula.

„ LXXXII. Angela Taragona Barcinonenſis affirmat, ex puerperio relictam ſibi fuiſſe paralyſim, a qua ſe curandam deportari fecit ad Sanctum, „ qui ſibi ſupplicanti dixit: *Æquoanimis eſto, vult enim Deus iſto in morbo, „ ut perſeveres: verum hic, quem peperiſti filius lætam te faciet vivere ſenectutem, mortuo ante te marito tuo*. Planeque ſic evenit, ut prædixit Sal- „ vator, & ipſi uſque hodie a filio ſuo honorabiliter ſervitur. Sunt autem „ anni pluſquam quadraginta, quod iſtud accidit, nempe ad diem quo iſtud in „ proceſſu coram Barcinonenſi Epiſcopo formato declaravit. In Monaſterio „ ſanctæ Claræ Gerundenſis urbis, ſoror Hieronyma Camps manibus contracta accerſivit Beatum, qui apprehenſarum manuum ejus digitos, rectos ac „ ſanos fecit. Vetulæ cuidam gravem capitis dolorem patienti, & poſtulanti „ ab eo liberari; *o faccus*, inquit, *terreus vade, quia cito ab iſto dolore eris „ libera*: mortua videlicet, ut eventus docuit. Alia non uni pœnæ cruciatuique obnoxia cum ſimiliter peteret ſanitatem, reſpondit ei: *Cum ſis indole uſque adeo iracunda, atque difficili adverſus omnes domeſticos tuos, multo magis expedit ita manere te, neque enim ſi convaleſceres, vivere aliquis „ tecum poſſet. Dolores itaque tuos ad modicum ſuſtine, & in æternum beata eris*.

Sequuntur miracula.

„ LXXXIII. Venit aliquando ad virum Dei Stephanus Paſqualis Presbyter „ Gerundenſis, multi putis vomicam habens in facie, eoque malo jam decimum annum laborabat: ipſe autem ſeorſim acceptum in Monaſterium ducens, ſecreto monuit, quod extra Eccleſiæ communionem viveret, & ideo „ deformem iſtum morbum pateretur, a quo liberandus eſſet, ſimul atque „ excommunicationis vinculum ſibi ſolvi petiiſſet: quod beneficium, ut a „ ſuo Epiſcopo poſtularet hortatus, perſuaſit homini, ut morem gereret recte momenti, itaque optatam conſequeretur ſanitatem. Minus moræ fuit „ in muliere quadam, cui Joannæ nomen, a grandi, quod vultum occupa- „ verat, apoſtemate curanda: audiens ſiquidem in villa Aulot * ubi mora- „ batur mirabilia hominis Dei opera, iter ad illum inſtituit ſuum, & ſola benedictione ipſius ſana deceſſit. Pari promptitudine in Civitate Gerundenſi cu-

* *Vicus ad exordia fere Fluviani, ſeu Cloviani amnis.*

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 352.

curavit viri unius linguam adeo magnam, ut nec intra os contineri poſſet, nec formando ſermoni eſſet idonea, ſigno enim crucis ſuper eam formato, apprehenſam ſic conſtruxit, ut intra juſtam menſuram collecta, ſuis deinceps uſibus omnibus deſerviret, & imprimis referendis Deo pro accepto per ejus famulum beneficio gratiis.

Sequuntur miracula.

LXXXIV. Receperat aliquando ſe Ilerdam Salvator, ibidem Coci functurus officio, cum iſtic adoleſcens Gerundenſis moraretur, Joanoes Ornos dictus: qui abſolutis in ea Accademia ſtudiis, & doctorali juris laurea donatus, priuſquam reverteretur in Patriam, Sanctum adivit ejus ſe precibus commendaturus. Hic juveni bene precatus, addidit: *Vade feliciter, fili, & eſto Virgini Matri ſemper devotus, favorem ipſius enim experieris: unum autem memori hinc animo aufer, ut ſcilicet cum Gerundam redieris, atque per forum publicum illius urbis tranſibis, curioſe conſideres domorum feneſtras in quarum una videbis puellam cinereis indutam, quæ uxor tua futura eſt.* Abiit actis gratiis juvenis doctor, ſuamque ingreſſus urbem, curioſe cœpit feneſtras obſervare in foro potiſſimum, omneſque, propterea quod veliementiſſimus eo die ſpiraret ventus, clauſas reperit: itaque dum de B. Salvatoris prædictione ſecum ipſe dubitare incipit; audivit ſonitum recluſæ feneſtræ, ad eamque ſe convertens, puellam cinereo colore veſtitam vidit, filiam nobilis mercatoris Nicolai Terræ: ex quo conſpectu diverſarum cogitationum fluctibus agitatus, nunquam illac amplius tranſire voluit, quamvis & ipſe viſam Virginem ſalutaſſet, & viciſſim ab ea par humanitatis recepiſſet officium, ſed penes ſe ipſe conſtituit movere nihil, potiuſque expectare, qua ratione Matrimonium illud tandem foret concludendum. Poſt aliquantum igitur tempus acceſſerunt ad ipſum quidam nohiles, expoſueruntque, quod habita ratione virtutum ejus, uxorem ei legiſſent, divitem pariter & formoſam, ejus quem diximus Nicolai filiam, cum quo, & puellæ matre jam eſſet de nuptiis illis conciliandis actum, niſi ipſe abnueret. Quæ cum ex præditione beati Salvatoris procedere agnoſceret juvenis, gratanter reſpondit, placere conditionem, & gratum ac ratum habere ſe velle, quidquid ab iis actum erat, quorum benevolentiæ, prudentiæque plurimum fideret. Itaque ad finem res perducta eſt, & ſponſus devotiſſimus Sancto remanſit, ſolitus prædictionis hujus ſeriem hilariter amicis ſuis enarrare.

Sequuntur miracula.

LXXXV. Elephantiaſi laborabat Catarina Oliverii Gerundenſis, eamque ad ſe devectam, & Confeſſione, ac ſacra Communione præparatam ſolita benedictione curavit. Petrus Sabatir villæ Ziviſſenſis Presbyter de ſe teſtatur, quod puerili in ætate grave patiebatur incommodum a ſcrofulis circa collum enatis: quibus removendis cum nihil prodeſſent adhibita medicamina, ductus a Patre ad Sanctum eſt: qui, ea conſuetæ benedictionis formula *in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis* munito, dixit ad Patrem: *Tuum iſtum filium ad Confeſſarium ducito, duodennis eſt enim; & jube roſarium ſertum tertio percurrere; ita ſanabitur.* At puer indignatus non æque, ac aliis ſanitatem ſibi eſſe e veſtigio collatam, nihil eorum facere voluit, quæ fuerant imperata, & ira plenus domum revertit. Poſt duos vero menſes Barcinone puerum in platea offendens Salvator; *quia exigua*, inquit, *fides tua fuit, ideo ſanatus non es.* Reſpondit puer: *non abeo in Franciam ad Regem, Pater, ut ſanctitatem per ipſum conſequar? Neque tu Regem videbis*, replicat Sanctus, *neque ab eo ſanaberis, ſed ad me ſanandus reverteris.* Abiit nihilominus Pariſios puer, & urbi appropinquans obvium habuit militum globum, prohibendis per Regnum tumultibus expeditum, e quibus

audivit mortuum eſſe Regem * a quo proinde fruſtra ſe curandum ſperaverat. Veritatem igitur factæ ſibi prædictionis agnoſcens, ad Beatum rediit Salvatorem, qui ſua eum benedictione perfecte ſanavit.

* *Sive Henricum II hoc anno, ſive Franciſcum II. ſequenti.*

Sequuntur miracula.

LXXXVI. Lazarus Bruelz Presbyter Gerundenſis brachii dexteri uſu, jam inde a tertio ætatis ſuæ anno privatus, ſic ut ultra cingulum illud nequiret attollere, anno ætatis ſuæ vigeſimo ad Virum Dei adiit, qui manibus brachium apprehendens, ad caput uſque illud produxit (quod ante hac facere nunquam potuerat) dicenſque *in nomine Patris &c.* ac brachium eatenus contractum extendens, *vide*, inquit, *quam longum habeas, & ſignum Crucis eo deſigna*: quod continuo fecit, eoque deinceps expedite uſus, etiam Sacerdos eſt ordinatus, propter ipſius Sancti amorem & affectum gratitudinis erga Deum. Hieronyma Vicaria Gerundenſis Monacha, cum adhuc eſſet annorum duodecim, collum vomicis plenum, & ſcroſularum morbo fœde inflatum habebat, donec ad Sanctum delata, benedictione ipſius libera ab omni incommodo facta, gratias deinceps Deo egit pro munere.

LXXXVII. Eliſabetha Ribera, nobili ſtirpe Tarraconæ orta, octavum circiter annum ingreſſa incidit in paralyſim, & lecto exinde affixa jacuit, intenſiſſimis per omne corpus cruciata doloribus, ut ejulare nunquam ceſſaret. In quam cum Pater ſuus longo tempore magnum feciſſet pecuniarum impendium, deſperato tandem artis humanæ remedio, ad divina ſe convertit auxilia, eamque cum Matre, ac famulitio neceſſario ad Dei Servum miſit clamantem per iter, dicentemque, *o beate Salvator adjuva me.* Aſcendendum erat aſperum nimiumque acclive jugum montis: quo dum enituntur muli, excidit eis retrorſum lectica; nec dubitabat Mater, & qui aderat filius alter cum famulis, quin gravi caſu afflictam infirmam mortuam eſſent relaturi. In plantum igitur convertuntur, & ejulatum: quos illa ſic afflictos videns, oculos ad cœlum ſuſtulit, & dixit: *o beate Salvator, in hoc nunc me periculo adjuva, ut ad te ſimul omnes poſſimus pervenire. Ah, Vir ſancte! qui fieri poterit, ut tam aſperi montis aſcendamus faſtigium, niſi tu auxilium tuleris?* Eoque dicto puella, quæ multis annis non potuerat manum ad os ducere, exilivit e lectica, atque in amplexum Matris cucurrit dicens; *eja Mater, animos reſume: jam enim a beato Salvatore me ſanatam vides. Age puriter pedites aſcendamus hunc montem: vos mihi manum aſcenſuræ porrigite.* Stabant attoniti quotquot aderant, imprimis dolentiſſima Mater: dein mœrore converſo in lætitiam, quod ſupererat viæ conficiunt alacres, & ſolam ſancti Viri benedictionem expoſcunt. Qui puellæ dixit: *vade, & ſanctiſſimæ Matri gratias age, quæ te ſanavit in via, cum cecidiſſet lectica*; prout illa læta ac ſana fecit, antequam domum regrederetur. Ut autem eo redierunt, redarguit Uxorem ſuam Maritus, quod Sancto aſſiſtens non etiam puellæ caput a multo tempore in humerum dexterum flexum, eidem obtuliſſet erigendum. Itaque cum poſt aliquot menſes tranſitum illac haberet Salvator, rurſus ei ſtitere Eliſabetham: ſuper quam ipſe ſanctam invocans Trinitatem, abſque ullo doloris ſenſu caput ei, ut decebat, erexit.

Sequuntur miracula.

LXXXVIIII. Per eamdem civitatem tranſeunti oblata puella eſt, Joanna nomine, cui Perfici mali officulum ita adhæſerat faucibus, ut neque deglutire ulla ratione poſſet, nec foras educere, quæcumque media adhiberentur: cumque jam quintus is eſſet dies, de vita ejus conclamatum eſſe merito putabatur. At Sanctus leniter ſubridens. *O quam guloſa es*, inquit, & addens *in nomine Patris &c.* alapam ejus maxillæ levem infixit, dixitque:

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 352.

» xitque : *huc age, mihi illud in manum expue* : quod abſque ullo omnino la-
» bore continuo fecit, ac mortem evaſit. Teſtatur de ſe Joannes Miſtræ,
» quod toto corpore natus ſit contractus, ſic ut manibus ſupra genua poſitis
» ægre didicerit ambulare: quinquennem vero ſe, narrat, portatum ſuiſſe a
» Patre iſtuc, ubi eſſet a Dei famulo ſanandus benedictione accepta: in cujus
» beneficii agnitionem ſacris ſe initiari voluiſſe Ordinibus, & Presbyterum
» rite conſecratum ſuiſſe.

» LXXXIX. Pares Dertuſanis * civibus collatæ ſunt per Sanctum gratiæ.
» Erat in his Franciſcus Chriſtophorus, multis annis continuis alvi doloribus, quibus nullum inveniebatur remedium, exercitus; donec nempe
» Hortam adiit, ubi ei poſt imperatam Confeſſionem, Communionemque,
» benedictionem ſuam impertiit Sanctus, & ſubito ſanitati reſtitutum dimiſit.
» Petrus quoque ibidem pauperculus, manibus, genibuſque reptabat per
» terram: tantumque etiam ſic effecit, ut Hortam ad repens pervenerit ad
» Sanctum. Qui pueri adſpectu miſerando commotus, benedictionem ei
» ſuam dedit, erexitque in pedes, quibus deinde ſemper recte eſt uſus, His
» addamus Monferrandam Paſqualem ex villa Xertana * diœceſis Dertuſen-
» ſis, quam ab annis quinque incurabili hydrope laborantem maritus ſuus,
» Antonius Armengot Dertuſanus, Hortam ſecit ad fratrem Salvatorem de-
» ſerri; qui poſt conſueta Confeſſionis, Communioniſque remedia, ſuæ ipſi
» benedictionis ſignaculum, & ſimul perfectam dedit ſanitatem.

» XC. Aliis quoque mirabilibus ſignis Servi ſui ſanctitatem voluit
» Deus declaratam, ut patet ex proceſſu facto coram Epiſcopo Dertuſenſi.
» Nam die quadam una ante meridiei horam, cum ante portam Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Horta pluſquam duobus hominum millibus benedictionem
» ſuam impenderet, ſupra cruces tres in Monte Calvariæ poſitas tres faces apparuere: quibus commota multitudo, &, *miraculum, miraculum* exclamans, pars ad Sanctum cucurrit, habitum ejus pro reliquiis aſſervandum
» ſruſtatim deripiens; pars ad ipſas Cruces, ex iis ſimiliter fruſta auferens:
» ſecutaque ſunt eam apparitionem plurima ſanitatum divinitus obtentarum
» prodigia. Alias cum paris numeri multitudo adeſſet eorum, qui vel curandi advenerant ipſi, vel curandos adduxerant alios apportaveruntve, nec
» in Monaſterio inveniretur Beatus, ſolitus bis ad turbam congregatam benedictione ſua ſignandam prodire; ſed in altiſſimo monte, qui Hortenſi
» jungitur Monaſterio, orationi vacaret: omnibus alta voce clamantibus, *o domina, & patrona noſtra Maria, fac ut Servus tuus inveniatur*; viſa eſt
» in conſpectu omnium candidiſſima nubes divolvi ex monte: quæ ubi terram attigit, ipſa quidem diſparvit; beatum vero Salvatorem omnibus ibidem conſpiciendum reliquit: qui omnibus benedicens, plurima eodem die
» miracula perpetravit. Habetur hoc ex prædicto Proceſſu, ex pluribus vero
» confirmatur, quod divinis contemplandis intentus, ſæpe extra uſum ſenſuum
» raperetur: adeo ut quadam vice, cunctis inſpectantibus, coram Altari beatæ Mariæ de Horta genuflexus, ſublatus a terra ſit pluſquam cubitis duobus.

» XCI. Joannes de Roſis Tortoſanus a prima pueritia paralyticus, ad beatum Salvatorem delatus, juſſuſque ter *Pater*, & *Ave* dicere, ac poſtea
» benedictione illius ſignatus, membrorum uſum expeditum accepit. Ibidem
» nata Candida Seſſa, ſic ut ex uno oculo videret nihil, eum ad ipſum veniſſet, & ejus benedictionem obtinuiſſet, diſparuit gemma, quæ oculum illum obtegebat, & utroque deinceps oculo claro eſt uſus. Ad eumdem adducta fuit puella energumena, pro qua oravit ille primum; dein facto Crucis ſignaculo, dixit: *Impero tibi maligne ſpiritus, ut ex hac Dei creatura*

* *Idem ac* Tortoſanis. Dertuſanis propinius.

* *Civitatem appellat textus Italicus.*

Sequuntur miracula.

» *egrediens non amplius eam affligat*, & morem Dæmon imperanti geſſit,
» nihil cunctatus. In altiſſimo illo, quem ſupra diximus monte finiens ora-
» tionem, cui vacaverat, puerum malleo inſtructum ad ſe accerſit, eoque
» juſſit percutere ſaxum, quod monſtrabat, aquam e ſaxo divinitus dandam
» promittens: quæ ad ictum mallei continuo exilivit, & in hunc diem ſcatu-
» rire non deſinit ad plurimorum morbidorum ſolatium, qui eam devote
» haurientes a ſuis infirmitatibus liberantur. Cum Marchioniſſa Armagetta
» de Tortoſa quindecim annorum puella eſſet, tam enormiter luxatum ei bra-
» chium eſt, ut ei reſtituendo nullam rationem excogitare valentes Medici,
» ipſum præſcindendum eſſe judicarent, ſed viſum eſt ſatius ad beatum Sal-
» vatorem recurrere, qui confiteri, & communicare juſſam, ſua mox bene-
» dictione ſanavit.

Dæmones, quibus intenſas, profligat.

» XCII. A duo circiter hominum millia in montem Hortanum convene-
» rant, non capiente oppido multitudinem tantam: quos cum perterritos
» in fugam agere Dæmon moliretur, conſtitutus in oratione Sanctus, quid
» machinaretur agnovit, ac foras progreſſus, turbam vidit ſupra modum con-
» ſternatam, quia cœlo præter morem obſcuriſſimo, horrendo cum fragore
» circumſtrepebant tonitrua, & creberrima fulmina æmicabant: quibus di-
» xit, *in genua mecum pariter omnes procumbite, recitatoque* Pater, &
» Ave *fugate inimicum, formidinem vobis incutere ſuis artibus molientem.*
» Quo facto, ſerenatum illico cœlum eſt, & optata cunctis lux reſplenduit,
» nec fuit quiſquam qui dubitaret, quin immixtos tempeſtati Dæmones Vir
» ſanctus vidiſſet. Violanta Falcona Xertæ nata, ſic ut e fronte ad os uſque
» pendulus carnis monſtroſæ fructus vultum ejus totum deformaret, atque
» ad Sanctum a ſua Matre deducta, ſolo crucis ſigno, moleſta illa appendice
» liberata extitit. Joannes Sche Tortoſanus, decimo ætatis ſuæ anno inter-
» cute aqua ſic inflatus, ut doliolo ſimilis videretur, accepta ejuſdem bene-
» dictione, ab eo audivit: *Age nunc, ad Virginem abi gratias ei acturus, quia*
» *deinceps ſanus vives*: & eadem hora, recedente tumore, perfecte ſanus cun-
» ctis apparuit.

* *Abeſt Horta pluſquā quatuor milliaribus.*

» XCIII. In oppido Maellæ, * quod abeſt Horta ad Borrapeliotem pau-
» lo pluſquam quatuor milliariis, trans duos rivulos Algos & Materranam, qui
» a ſeptentrione in ortum deflexi coeunt, ac dein Ibero amni miſcentur, Cæ-
» ſarauguſtanæ diœceſeos puella fuit annorum duodecim, cui fœda ſcabies
» totum caput operuerat, Eliſabetha Comas dicta: deſperata autem mali
» curatione filiam ad Sanctum duxit Patrem, & ſola manuum impoſitione, ac
» ſigno crucis eamdem prorſus mundatam perſanatamque reduxit, una cum
» filio parvulo, cui idem Sanctus benedictione ſua herniam, quam patieba-
» tur, curavit. In eodem oppido Michael Catalanus viginti annorum ado-
» leſcens, totum corpus operiente lepra, nullis remediis diu fruſtra tentatis
» curabili, medelam a Beato flagitavit. Qui ei dixit: *Prius de ſpirituali le-*
» *pra, quam de corporali cogitandum fuit: abi igitur, & peccatorum ſordes*
» *Confeſſione eorum elue, tum ſacro epulo refectus ad me revertere*: quod cum
» feciſſet, eumque Sanctus ſigno crucis ſignaſſet, juſſitque in Deipara Vir-
» gine confidere, deciderunt ex corpore ejus ſquamæ omnes, & concretæ
» ex ſanie cruſtæ, pleneque mundatus ad propria remeavit. Idem autem Mi-
» chael in ipſo proceſſu juridice affirmavit, quod cum mundaretur a lepra,
» adſtantem ſibi habuerit parvulam, cujus manus altera fœde contracta, &
» digiti prorſus conſumpti erant: quam accipiens Sanctus, rectitudini ſuæ
» integræque reſtituit ſanitati, cunctis quotquot aderant inſpectantibus.

Sequuntur miracula.

» XCIV. Hæ quoque, quarum curationes ſubjungimus, eodem in oppi-

do

» do habitabant: prima quidem Suſanna Matthæi dicta, quæ dentium erucia-
» tu ingenti afflicta, faciem fœde tumentem ad Sanctum attulit, acceptaque
» cum ſigno crucis benedictione, putrefactum dentem ſine læſione exuit;
» & omni dolore ſoluta, receſſit. Eliſabetha deinde Coſta: cui a Patre ad-
» ductæ oculum dexterum impoſita manu, dataque benedictione, Sanctus
» ſanavit a fiſtula, eidem octavo anno ætatis innata. Quod cum fieret me-
» minit eamdem adductam fuiſſe puellam a nativitate cœcam: quam cum ſimili
» modo Salvator benedixiſſet, & oculis ejus manus impoſuiſſet: *Nunc*, in-
» quit, *eos aperi*, *& reſpice Dominam*, *quæ eſt in hoc Altari*. Aperuit au-
» tem illico puella oculos, & interrogata quid videret, *Dominam*, inquit,
» *ſanctiſſimam video*, *brachiis filiolum ſuum complexam*. *Vade ergo*, ſubintu-
» lit Sanctus, *& debitas ei gratias age*: *non enim ego*, *ſed ipſa te ſanavit*.
» Similiter, & alius cœcus natus, coram Catharina Miravellæ oppidi præ-
» dicti indigena ad beatum Salvatorem adductus eſt; qui cum illum depræca-
» retur pro obtinendo viſu, *tu credis*, inquit, *fili*, *quod ego te poſſim ſana-
» re*, *& deciperis*: *verum cum firma fide orandus tibi Deus eſt*: *ut per inter-
» ceſſionem ſuæ benigniſſimæ Matris lumen tibi concedat oculorum. Credo equi-
» dem hoc etiam*, reſpondit cœcus. *Ergo*, Pater & Ave *cuncti recitent*,
» inquit Sanctus: & oratione finita, proſecutus eſt dicere: *In nomine Patris &c.*
» moxque cœco datum eſt videre lucem, quam ſuis oculis nunquam uſurpa-
» verat.

» XCV. Venerant etiam Maellam Peregrini quidam Navarrei, ſecum- Sequuntur mira-
» que decennem ferebant puellam, & ipſam ab ortu ſuo cœcam, alias for- cula.
» moſiſſimam: cumque omnis populus ibidem adeſſet, vidit Patrem, Ma-
» tremque puellæ genua ad orationem flectere ante beatiſſimæ Virginis ima-
» ginem, quæ ſupra vetuſtam quandam portam tunc conſtituta, nunc ad fo-
» rum dicti oppidi translata eſt: filiæ autem ſuæ dixerunt, *Genua hic tua fle-
» ctito filia*, *ubi Deiparæ glorioſæ imago adoratur*, *eamque rogemus ut veni-
» re nos faciat ad Hortanum Sanctum*, *qui lucem tibi oculorum tribuet*. Vix
» ſeſe inclinaverat formoſula, & Patri ſuo incœpit dicere, *Ab*, *Pater: quam
» formoſus eſt parvulus*, *quem Domina noſtra brachio ſuſtinet*. Cui præ gau-
» dio attonita Mater, *an igitur eum intueris?* inquit: *Intueor ſane*, *reſpon-
» dit illa*: *ipſiſque miraculum*, *miraculum* inclamantibus, concurrerunt
» omnes indigenæ illius loci, ut puellam ita recens, ac ſubito illuminatam
» viderent. Parentes autem non propterea omiſerunt adire Sanctum, qui
» eos monuit, ut ſanctiſſimæ Virgini gratias devote referrent, quod & fe-
» cerunt.

» XCVI. Gabriel Tolquerius, dicti jam oppidi Presbyter ad mortem
» æger decumbebat, eum per domum ejus Salvator tranſiit eleemoſynas cor-
» rogans, quare a moribundi conſanguineis enixe rogatus, ut ingrederetur,
» extremamque benedictionem ad vitam alteram tranſeunti impenderet,
» morem geſſit rogantibus, lectoque appropinquans, crucis ſuper eum effor-
» mavit ſignum, deinde dixit: *Manum mihi porrige*, *Gabriel*. Illo autem
» porrigente, addidit: *eja nunc Hortanæ Virgini gratias age*, *quod præſenti
» mortis periculo te exemerit*: *eras enim mane hinc exurget*: ſtatimque eum
» febris reliquit, & ſequenti die in comitatu ipſius F. Salvatoris abiit ad Con-
» ventum Hortanum, ubi Sanctus habitabat. Vix autem eo advenerat, eum
» offerri vidit puerum a nativitate cœcum, mox facto crucis ſigno, oculis do-
» natum abire.

» XCVII. Ipſo præcedente die, quo Maellæ ſtipem petebat Salvator, ab
» Antonio Vughet, fuit ad prandium invitatus. Placide hic annuit ſe ventu-

rum

rum, mendicatione finita; ibi autem inter alia fercula illata eſt lanx malorum granatorum plena, quorum unum accipiens, & cultello dividens. *O Deus*, inquit, *ſi tam pulchro ordine cunctas hujus tuæ Creaturæ particulas diſpoſuiſti, quam ordinata erit cœleſtis tui palatii ſpecies, ubi Angeli Spiritusque beati magis ardebunt faciem contemplantes tuam, quam grana hæc pulcherrima ſerie diſtincta rubent*. Quæ cum dixiſſet, in crucis formam extendit brachia, raptuſque in extaſim alte ſublatus a terra eſt: quod prædictus Antonius cum videret, exiliit a menſa, multoſque accivit tanti prodigii ſpectatores futuros.

XCVIII. Dominicus Miravet ejuſdem loci incola affirmat in proceſſu ſupra memorato, quod puero ſibi ſpina intraverit in junctura genu dexteri, quam ipſe contemnens, ad flumen lavandi cauſa abierit. Verum mox inſtar ollæ intumuiſſe genu, cui trium annorum ſpatio nullam utilem medicinam facere Chirurgi Medicive potuerint: quin potius auctum eſſe tumorem, carnemque ſubcreſcentem mortuam, ac ſine ſenſu fuiſſe. Nam cum idem lignum quoddam ſuper genu illud ita tumidum finderet, intraſſe ſecurim ipſam in carnem ad digiti unius profunditatem, nec tamen quidquam ſanguinis effluxiſſe. Interim Maellam advenit frater Salvator eleemoſynas petiturus, quem requiſivit infirmi mater, ut filium ſuum ſanare vellet. Fecit itaque crucis ſignum ſuper tumidum genu, & dixit: *Cupio videre, quam celeriter curras*. Et mox aſſurrexit puer ſanus, & currere per plateas cœpit. Tum ad matrem frater: *Vade, & gratias age Virgini Hortanæ: ipſa enim filium tuum ſanum fecit*.

Sequuntur miracula.

XCIX. Joanni Andreæ ibidem civi filius erat, cui apertum latus, multum agerebat putis, nec adhibita a Chirurgis Medicive etiam ſerri candentis remedia profuerant. Hortam igitur ad ſanctum Fratrem puer deducitur: quo cum perventum eſſet, invenerunt Sanctum infinitæ hominum multitudini benedicentem. Tunc mater arrepto puero, monſtrare plagam Salvatori volens, eoque puerum denudans, vidit lintea adhæſiſſe plagæ: quæ revellens, ſimul etiam adhærens iis putrefacti oſſis fruſtum obtulit; quod ad benedictionem cunctis communiter impenſam egreſſum e corpore, puerum ex integro ſanum reliquerat: ipſos autem ad ſe venientes, & gratias agere volentes, ad ſanctiſſimam Virginem Salvator dimiſit. Teſtatur quoque Michael Fuſtor Maellenſis indigena, quod pater ſuus, in oppido *Caritas* dicto, diœceſis Dertuſanæ, ſupra viginti cœcos, ſurdos, mutos, claudos, attractos &c. viderit ſimul Hortam proficiſcentes, indeque poſt benedictionem acceptam, paulo poſt integros ſanoſque redire. Eliſabetha quoque Abas indidem nata affirmavit, quod coram ſe allata ad Sanctum fuerit parvula, ſurda eadem & muta: pro qua cunctis, qui aderant recitandum ſemel *Pater* & *Ave* Sanctus edixerit, & facto ſigno crucis, infantulam juſſerit *Ave Maria* pronuntiare, quod ipſa fecerit, & ſana remanſerit.

C. Catharina Squaneglia & ipſa Maellenſis, teſtata eſt, quod trigeſimum annum ætatis agenti, poſt puerperium ita ſoluta ſit matrix, ut deorſum defluens ad genua uſque penderet; in eoque ſtatu triennio integro perſeveraverit, non ſine intenſiſſimis cruciatibus, grandique pecuniarum impendio in Medicos & medicinas: quibus tamen ad ſanitatem recuperandam profecerit nihil. Itaque decreviſſe ſe Hortam adire cum duabus filiolis hernioſis, cum quibus eo adveniens, ante pedes beati Salvatoris prociderit, ſibi & filiis ſuis ſanitatem poſtulans. Tum vero mandaſſe Sanctum, ut peracta Confeſſione Communioneque, ad ſe rediret, magnamque in beatam Virginem miraculorum effectricem collocaret fiduciam. Hæc cum feciſſet ipſa, at-

» atque ad Beatum rediiſſet; voluit ei ut ait, paſſionem ſuam declarare in » aurem. Cui Salvator reſpondit, jam ſibi notam eſſe qualitatem mali, ma- » nuque capiti ejus impoſita, cum dixiſſet: *In nomine Patris* &c. *ex nunc*, in- » quit, *& tu, & filius iſte tuus ſani eſtis; ite & Virgini gratias agite.* » Tunc illa, etiam alter filius meus eodem laborat incommodo: & hunc, » quæſo, etiam ſana. Cui Sanctus: *Eum ſanavit Dominus, cui ſibi placi- » tum fuit: voluntati ejus acquieſce, & quod ſupereſt ſuſtine patienter.* Af- » firmat autem prædicta Catharina, quod ea ipſa hora reſtitui in locum ſuum » matricem ſenſerit, nec exinde ullum in ea parte incommodum tulerit: » filium vero ſuum ab hernia quoque perfecte curatum eſſe, qui nunc huic » ſuæ depoſitioni præſens teſtiſque aſſiſtit, vegetus ac ſanus.

» CI. Michael Carbonellus ex Oppido Maſſaleone, diœceſis Cæſarangu- » ſtanæ, teſtificatus eſt, quod annum octavum agens, collum haberet inſtar » ſcutellæ tumidum: ipſo malo Medicorum operam, ac ſuorum ſpem diu » eludente; tandemque beato Salvatori adductum, ab eodemque ſigno cru- » cis ſignatum, ſenſiſſe tumorem illum paulatim reſolvi, & demum penitus » evaneſcere. Ad eumdem in lectica delatus eſt Joannes Galeebri, ex vico » Fatorella * paralytieus: eui comunicari & confiteri juſſo, poſt ſignum Cru- » cis dixit Sanctus: *Eja nunc ſurge, quia ſanus es.* Ipſe autem confirmatum » ſe ſentiens, ſubito exilivit, atque, ut juſſus erat, Deiparæ Virgini mira- » culum adſcribens, gratias ei ac Deo reddidit. Simili modo adductæ ad ſe » quatuordecim annorum puellæ, fœdæ claudicanti, quia altero crure at- » tracta, ideoque uno quam altero brevior erat, benedictionem ſuam impen- » dit & dixit: *Nunc crus extende, quia ſanata es*: quæ mox utrique pedi » æqualiter inſiſtens, experta eſt utriuſque cruris parem factam longitudinem » eſſe per ſancti Viri orationes.

* *In Tabulis Fatorell. diſtat Hor. ta milliariis duobus.*

» CII. Præſentia beati Salvatoris admodum gravis erat Dæmonibus, ne- » que leviores erant moleſtiæ, quas ipſe vicißim ab iis patiebatur: unde » quodam tempore cum Hortæ officio hortulani fungens, agricolam quemdam, » nomine Michaelem Guerram, rogaſſet, ut poſtero die mane cum ſuis mu- » lis operam ſibi navare vellet in conferendis leguminibus ad uſum Fratrum, » ipſeque ex condicto veniſſet, & mulos vellet aratro jungere; illi contra » Dominum converſi, calcibus eum repulerunt, & velut a Diabolo rapti, » furſum fugerunt in montem. Supervenit Salvator, totaque re intellecta » ex ruſtico, convertit fe; & jugo, quod muli effugerant, vidit inſidentes » Dæmones: ad quos converſus: *Iſto ne vos*, inquit, *loco video, maligni?* » Deinde ad ruſticum, *mercem*, ait, *enim vero bonam hic habemus in horto.* » Rurſumque ad Dæmones: *Vobis præcipio, ut ab hac hora impoſterum un- » quam in hunc hortum regrediamini*: Colono vero. *Ito, & mulos tuos re- » ducito: iſti enim ſceleratı valebant impedire te, ne promiſſum Fratribus ca- » ritatis opus exequi.* Tum ſignum Crucis formavit, ad quod diſperantibus » Dæmonibus, denuo ait: *Huc tuos mulos addacito in tali* (quem deſignabat) » *loco reperiendos: nihil autem formides; abiit enim, quem ego hinc expuli,* » *Diabolus.* Ivit homo, & agnorum inſtar manſuetos mulos ſuos reperit, re- » duxitque ad opus, quod in Fratrum gratiam fovendum ſuſceperat, eximiam » Salvatoris virtutem demiratus.

Beati præſentia gravis Dæmonibus.

» CIII. Bernardus Calez, ex villa Aroyns * diœceſis Dertuſenſis, cujus » majores jam inde ab annis centum quinquaginta advenientium illuc Mino- » norum Fratrum ſemper hoſpites fuerant, de socero ſuo, eui Jnannis Me- » ſtre nomen fuit, affirmat, quod unigenita ejus filiola, quam ipſe teſtis po- » ſtea uxorem habuit, quoties in domum ingrederentur Fratres, faciem

* *Vel potius* Arves *aut* Arues.

ſuam

» ſuam abſcondere, & effuſe plorare ſoleret, quandoque vero, velut ad
» mortem conſternata obſtupeſieri. Movit ea res parentes, alioqui optimos,
» & Fratribus devotiſſimos, ut filiæ ſuæ ſaluti conſulturi Fratres, domo ſua ex-
» eipiendi officium tantiſper abeſſe deprecarentur. Ivit igitur ad Monaſterium
» Joannes, ubi hortum fodientem Salvatorem reperiret (nec enim præ re-
» verentia audebat ipſi Guardiano denuntiare, quod dicturus advenerat)
» ipſumque rogavit, ut ſe apud Guardianum excuſaret, quod amore filiæ
» unicæ coactus, domo ſua cuperet aliquandiu exeſſe; Fratres ſiquidem eo-
» rum præſentia mortem ipſi allaturi videbantur. Hæſit ad hæc attonitus Sal-
» vator, ſublatiſque in Cœlum oculis aliquanto tempore, nihil reſpondit,
» tum denique ad Equitem converſus dixit: *Graviter hanc Religionem Dæ-*
» *mon perſequitur, & modo in domum intravit tuam, nobis hoſpitium, tibi*
» *meritum exercitæ caritatis præreptarus: ideoque ad Fratrum noſtrorum in-*
» *greſſum filiæ tuæ tam horribili ſe offert ſpecie, ut in planctus effuſa coga-*
» *tur formidinem ſuam conſternationemque teſtari. Verum bono deinceps eſto*
» *animo, ac mihi rem omnem relinquito: novi peſſimæ illius beſtiæ inſidias*
» *omnes. Itaque me domi tuæ cras expecta, & ut filia tua non abſit, cura.*
» Obſtupefactus ad hæc, nec minus de verborum veritate perſuaſus Joannes,
» domum rediit: adfuitque poſtridie, ſicut dixerat, Salvator, & præmiſſo
» Crucis ſigno, *Jubeo*, inquit, *maligne Spiritus, ut in hanc domum, quæ*
» *ſancti Franciſci ejuſque filiorum eſt, amplius ne introeas.* Tum adferri ad
» ſe parvulam juſſit, quamvis renitente matre, & præteritis ſimilia formi-
» dante: attulit tamen illam ipſamet, iterato mariti imperio coacta. Allatam
» vero Salvator ſuo, ideſt, *Suſannæ* compellans nomine, pomum ei porre-
» xit geminum, quod illa, Fratri blande arridens, excepit, vetuit porro
» Beatus deinde metuere ingreſſurum illuc Dæmonem, omneſque cognove-
» re, quam abſoluto adverſus peſſimos illos imperio Sanctus polleret.

* *Inter Montes extremam hiſce jam a Caſtella diximus ſci.*

» CIV. Joanna Arnens ex Villa Caſtellæ * Spinoſa-venatorum dicta, ca-
» duco laborans malo, ad Sanctum ſe, quamvis plus trecentis milliaribus di-
» ſtantem, portari voluit, per viam continuo invocans illius nomen, nec in-
» terea unquam conſuetam paſſa infirmitatem: ut autem eo pervenit, &
» Confeſſionis Communioniſque Sacramenta adiit, Salvatori ſe benedicen-
» dam ſiſtens, hæc ab eo audivit; *In nomine Patris & Filii & Spiritus ſan-*
» *cti. Jam te Dei mater ſanatam fecit, propter eam fidem, quæ te huc uſque*
» *pertraxit.* Barbara Paſtor, ex villa Caretes *, mamillam habebat ita in-
» flatam induratamque, ut concluſum haberent Mediei eidem ignem applica-
» re: ſed ipſo quo tormentum miſera ſubitura erat die, prævenit Salvator
» eleemoſynam poſtulans, & quamvis, nec dum ibi nota eſſet ſanctitas ſua,
» rogatus eſt tamen ad infirmam aſcendere ex primo puerperio adhuc decum-
» bentem. Fecit ille quod rogabatur, & Roſario ſuo in collum infirmæ inje-
» cto, ſemel *Pater* atque *Ave* recitavit; deinde ad puerperam converſus di-
» xit: *Ne deſperes, filia, ſed in ſanctiſſima Dei Matre confide: hac enim no-*
» *cte bene dormies, & in craſtinum malo omni liberaberis*; prorſuſque, uti
» dixerat, evenit.

Sequuntur miracula.

* *Forte* Caſeres.

» CV. Cum beatus Salvator aliquando eſſet in Eccleſia ſanctæ Columbæ
» Farneſiæ loco ſuo natali, dixit, Dæmonem inſediſſe corpus cujuſdam iſthic
» præſentium fœminarum, quæ res, ut nova cunctis accidit, neſcientibus
» quænam ipſarum a Sancto judicaretur, ita vero apparuit, cum egreſſo San-
» cto, earum una manifeſte oſtendit ſe energumenam eſſe. Teſtatur frater An-
» tonius de ſancto Salvatore ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum
» ſancti Franciſci, in proceſſu eorum Epiſcopo Barcinonenſi formato, quod

Cæ-

» Cæsarauguſtæ exiſtens cognoverit pauperem, qui miſerum corpus per ter-
» ram trahens, moveri ſolebat: poſt annos vero aliquantos eumdem ſe vi-
» diſſe pedibus gradientem ſuis integre atque hilariter; quæſiſſeque, num
» ipſe is eſſet, quem antea viderat humi repentem. Affirmaſſe autem, ipſum
» eumdem ſe eſſe: interrogatum autem, qua ratione accepiſſet gradiendi fa-
» cultatem, ita reſpondiſſe: *Ad Sanctum Hortanum profectus, ab eo juſſus*
» *ſum confiteri & communicare: deinde cum ſuam mihi benedictionem imper-*
» *tiens; in nomine Patris* &c. *dixiſſet, ſanum me ſenſi, qualem hac ipſa hora*
» *ad majorem Dei gloriam vides.*

» CVI. Hortæ quoque morabatur Sanctus, quando ad eum publici cujuſ-
» dam in Ilerdenſi Accademia legum Profeſſoris, cui nomen *Rubios*, uxor
» venit, precum illius ſuffragio poſtulans, a Deo prolem aliquam impetrare:
» cui Salvator, *adeo*, inquit, *addicta es luſui, ut niſi eum miſſum facias, nun-*
» *quam compos ſis futura voti.* Promiſit illa, non luſuram ſe amplius, ac ne
» cartas quidem luſorias accepturam in manus. Tum confeſſam peccata, &
» ſacro Chriſti Corpore refectam, ſuaque benedictione inſtructam, domum
» remiſit, dicens: *Eja nunc abi ſecura, quod filiam paries, memento autem*
» *ejus, quod promiſiſti, neque enim diutius illa vivet, quam tu a luſu abſti-*
» *nebis.* Læta illa revertit domum: conceptaque continuo prole, legitimo
» tempore enixa eſt filiam: quod Sancto curavit nuntiandum, viciſſimque ab
» eo iteratum vitandi luſus mandatum acceepit, ſi filiam in vita retinere vel-
» let. Tertio deinde poſt hæc anno Matrona prædicta Hortam adduxit ipſam
» filiam ſuam, cui Sanctus: *Noveris, filia, eumdem tibi vitæ terminum eſſe*
» *divinitus conſtitutum, qui matri iterandi luſus principium erat.* Ad quod
» parvula: *Ne metuas, Pater, nunquam luſum mea reſumet mater, meæ,*
» *quam deamat, vitæ formidans.* Ita duo alii tranſacti ſunt anni, poſt quos
» in aliarum matronarum conſortio ad ludendum invitata mater, abjecit ex
» animo ſalutaria, quæ olim acceperat, monita: ſed non diu luſu illo lætata
» eſt. Superveniens enim filia ejus, matremque luſu occupatam videns, in-
» elamare cœpit, mortuam ſe prorſus ac perditam eſſe: eodemque veſperi
» febri correpta eſt, nec diu poſt letho præmaturo extincta. Miſit igitur ad
» Dei famulum mater orba nuntium, qui oraret, ut filium ſibi, aut aliam
» filiam divinitus obtineret: ſed antequam is verbum faceret ullum; *Jam*
» *novi*, inquit Salvator, *mortuam filiam Dominæ tuæ, de cætero renuntia*
» *nihil impetratum deinceps iri*, itaque eum abſque ſolatio remiſit.

» CVII. In Monaſterio ſanctæ Mariæ de Petralba civitatis Barcinonenſis vi-
» vebat Domina Magdalena de Torreola, eximiæ virtutis, magnæque ætatis
» religioſa, utpote octogenaria: quæ cum die quodam ſe commendaret pre-
» cibus beati Salvatoris, dixit eadem: *Eſto certa, quod magni favores tibi*
» *præparati a Deo ſint propter inſigne quoddam tuum meritum, quo divinam*
» *ejus majeſtatem ſingulariter tibi obſtrinxiſti.* Cui ipſa: *Equidem inutilem*
» *me peccatricem agnoſco, ac prorſus indignam, cui niſi ex mera gratiæ ſuæ*
» *indulgentia, favorem aliquem præſtet Deus.* At contra Salvator: *Memento,*
» inquit, *quomodo hoc ipſo in loco pater tuus tecum ſecreto ſermocinans, Pon-*
» *tificium tibi Breve exhibuerit, quo ipſi concedebatur facultas educendi te ex*
» *Monaſterio, quod tu Breve diſciſſim in partes tradidiſti flammis, patri tuo*
» *in hæc verba reſpondens: Avertat Deus, & ſancta Clara, ne ego hoc Mo-*
» *naſterium deſerens, retractem quæ Deo rite nuncupavi vota. Addidiſti*
» *præterea, futuram te, ut de tali Brevi nulla ad quemquam mortalium noti-*
» *tia perveniret.* Oſtupuit ad iſta religioſiſſima mulier, necnon quotquot
» ibidem ſociæ aderant, rei nunquam ante hac auditæ novitate perculſæ,

» eoque magis, quod ipſa Magdalena fateretur, ita quidem rem eſſe geſtam, » multo prius tamen, quam Salvator naſcendo veniret in lucem: exindeque » magnis animis perſeveravit, incepto vitæ religioſæ ſtudio, intelligens illum » ſuum actum Deo gratum extitiſſe: ob quem etiam idem Beatus aſſerebat, » ſanctam Claram quotidie deprecatricem pro ipſa apud Deum aſſiſtere: at- » que ita denique curriculum ſuum prædicto in Monaſterio feliciter abſolvit.

» CVIII. Domina Iſabella Pugados de S. Clemente Barcinonenſis, infan- » tilibus in annis ægra decumbebat ad mortem; deſperantibus de vita ultra » iſtam noctem producendi a medicis: ad quorum denuntiationem adeo » triſtem parentes infirmæ beatum Salvatorem rogaverunt, veniret ad eam » ſua benedictione ſignandam. Ipſe autem eis reſpondit: *Dicite medicis,* » *quod cum Deo ipſi locuti non ſint, qui tam certo auſi ſunt pronunciare mo-* » *rituram puellam nocte hac: matri autem, & conſanguineis renuntiatæ,* » *futurum, ut ipſam conjugio junctam, & filios exinde procreatos videant:* » *Dominæ propterea noſtræ gratias agant, quæ tam cito ſanitatem reſtituit* » *ægræ.* Et continuo febris dimiſit puellam, quæ deinceps ſana vixit, adul- » taque liberos ex legitimo conjugio genuit. Andreas Fabius de S. Colum- » ba * de Queralt ex Catalania incurabili cruciatus aſthmate, nullumque in » humanis videns ſupereſſe remedium, illud a beato Salvatore quæſivit, & » per illius benedictionem, præviis confeſſione & communione, obtinuit. » Frater Joannes Oliva ex Minorum Obſervantium Cœnobio, quod Barci- » none eſt ſub Jeſu nomine, in aure dextera moleſtum patiebatur abſceſſum; » eumdemque ſimiliter expertus, nullis humanæ artis remediis eſſe curabi- » lem, ad beatum quoque Salvatorem ſe convertit, qui ſolo tactu & bene- » dictione ſua aurem male affectam prorſus perſanavit.

* *Præter eum, qui B. Vire Natalis eſt vicus, alii in Diæc. Tarracon. & Gerund. qui vocantur hoc no- mine.*

» CIX. Quodam die cum vir Beatus ſtaret in area Conventus Valentini » ſanctæ Mariæ de Jeſu, venerunt ad eum pluſquam decem millia homiuum » prædictæ urbis Civium, una cum Prorege Duce Segobienſi, Duciſſaque, » & omni nobilitate ejus, viſitandi & benedictionis referendæ gratia: quibus » pariter in genua demiſſis benedixit Salvator, *In nomine Patris* &c. ſuper- » venit interim Miniſter Provincialis Ordinis Franciſcus Zamora, animoque » commotus: *Vah*, inquit, *quam levi ſunt Valentini iſti, qui tantum hono-* » *rem laico uni habeant*. Hæc ille: verum curæ fuit glorificanti ſervos ſuos » Deo, Salvatorem a ſuo Superiore contemptum, magis etiam glorificare: » facta enim ibidem poſt dies quatuor novi Provincialis, hominis vere ſan- » cti & religioſi, electione, cum ad ædem Cathedralem pro agendis Deo » gratiis pariter Fratres procederent, eoſque in area agens promiſcui ſexus » turba circumſiſteret; eductus violenter e medio eorum beatus Salvator » eſt, populoque certatim ex tunica ejus fruſtum carpente, pene nudus in » ſolo interula derelictus, ſic ut neceſſe fuerit in vicinam quampiam ædem » verecundiæ cauſa ipſum ſeducere, educturum, populari ſervore ceſſan- » te; ſed jugibus clamoribus poſtulante, ut foras produceretur Sanctus, om- » nes eorum morbos diſpulſurus: & vere plurima fuerunt miracula per ipſum » eo die patrata, ſicut in proceſſibus videre eſt.

» CX. In Civitate Gandiæ Valentinæ Diœceſis religioſiſſimus erat Mo- » nacharum ſanctæ Claræ Conventus, quarum ſpiritualibus progreſſibus in- » videns Dæmon, omnibus modis eis cœpit eſſe infeſtus, quotidie horren- » di informis timido ſexui ſe objiciens, totaque domo ingenti fragore per- » ſtrepens: quibus moleſtiis averruncandis cum conſuetis Eccleſiæ exorciſmi » nihil proficerent, Excellentiſſimus Dux Franciſcus *, qui deinde Patrum » Jeſuitarum Generalis fuit, & de eximia beati Salvatoris ſanctitate multa

* *Is eſt S. Fran- ciſcus Borgia.*

au-

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 352.

» audiverat, obtenta a Generali facultate, ipſum eo deducere voluit. Hoc » autem dum facit, acti in furorem Dæmones, ſus deque verſari videbantur » omnia, ita horrendo ubique tumultuabantur ſtrepitu: parumque aberat, » quin actæ in deſperationem Sanctimoniales diſcederent loco, in quo nul- » lam habere quietem poterant. Verum ut ſupervenit Salvator, omniaque » Monaſterii loca ſornato in parietibus Crucis ſigno ſacravit, ceſſarunt » omnia, ipſeque ad Sanctimoniales converſus dixit: *Securæ eſtote, atque* » *hoc unum ſollicitæ ut Deo perfectè ſervialis: promitto enim vobis illius* » *nomine, quod nunquam deinde moleſtandæ ſitis, neque audituræ, Gorro-* » *fictam* (ita iſtic dæmon appellabatur) * *cujus aliud conſilium non fuit,* » *obiciendis ſpectris adeo tetris, ſtrepituque tam incondito ciendo, quam ut* » *religioſam domus hujus diſciplinam, divinumque obſequium interturbaret.* » *Nunc remanete in pace, & Dominum pro me orate.* Diſcedens porro, » rogatus fuit, ut ſororibus quibuſdam infirmis benediceret, quæ ſubito ſunt » ſanitati reſtitutæ.

* *Ab angelis, qui dæmoni appinguntur.*

» CXI. Antonius Maſſipus de ſe ipſo adhuc ſæculari teſtatur, quod bea- » tum Salvatorem eonvenerit habitus illius oſculandi cauſa: qui ſibi dixerit: » *Sacerdos eris.* Et ſe quidem ad ea verba riſiſſe, utpote qui inter nobiles » Ducis Segobienſis & Cardonenſis aſcitus, nihil minus uſque ad illam ho- » ram quam de Sacerdotio cogitaſſet. Nihilominus poſt paucos menſes tam » ſortiter animo ſuo impreſſum fuiſſe Dei ad ſtatum iſtum invitantis impul- » ſum, ut nullam quietis partem noctu, diuque poſſet capere: ideoque victum » dediſſe manus eo facilius, quod iſtud ſibi a Sancto prædictum meminiſſet: » hodieque, quo hæc teſtatur, & annum numeramus MDC. vivit Presbyter, » ae recordatur, quod Sancto, ea quæ diximus prænuntianti, reſponderit » ſubridens: *Non credo, Pater; nec enim ſatis a litterarum ſcientia inſtru-* » *ctus ſum*: ad quod ille retulerit: *In domo Domini pluris valet conſcientia* » *pura, quam ſcientia multa, ſine qua ſacerdotium tibi obtinget: quod cum* » *factum fuerit, pro me quoque orare memento.*

» CXII. Joannes Ximenius, oppidi Fulſetenſis Presbyter in diœceſi Tar- » raconenſi, herniam gravemque ex uno latere rupturam patiebatur; hor- » tantibus autem ſociis Presbyteris, ut ad Virum ſanctum ſanandus pergeret, » negavit ſe facturum, quoniam miraculis ejus fidem adhibere non poſſet. » Victus nihilominus importunitate ſuadentium, iturum ſe promiſit quando- » quidem ita vellent. Addit autem: *Si prodeſt, profit; ſi non prodeſt non* » *profit.* Cumque ad beatum Salvatorem veniſſet, & genuflexus coram eo » benedictionem ipſius expectaret, ait Beatus: *Modicæ fidei, ſi tibi prodeſt,* » *profit; ſi non prodeſt, non profit.* Surrexit, & abiit indignatus Presbyter, » & de ſucceſſu itineris requirentibus dixit: *Frater iſte, vel Sanctus eſt,* » *vel Dæmonium habet: cum enim aliis benediceret, ad me converſus, ea-* » *dem quæ hic locutus ſum, verba protulit*: ex quo omnes exiguam Presby- » teri fidem, & prophetiæ donum Sancto communicatum cognoverunt.

» CXIII. Puella energumena, propter nimiam dæmonum inſidentium » ferociam funibus cateniſque adſtricta, per vim adducta Hortam eſt; nulla » tamen violentia ſufficere potuit, ut in Eccleſiam ingredi cogeretur. Ro- » gatus igitur Salvator eſt, ut ad eam ipſe foras progrederetur. Interim » vincula omnia rumpunt dæmones, veſtibuſque laceris inter eorum qui » ipſam comprehenderant, virorum manus relictis, infelicem ex oculis con- » ſpectuque abripiunt, ſic ut inveniri non potuerit a quærentibus, donec » ſuperveniens Sanctus indicavit ipſis, ubi ſub maximarum trabium ſtrue » abditam reperirent. Ægre perſuadere ſibi potuerunt illi, ut infra tam ma-

» gnas, tam multas trabes eam potuiſſe condi crederent, illarumque conge-
» riem tanto labore removendam ſuſciperent: paruerunt tamen, nudamque
» inter duas trabes invenerunt, & prout juſſi erant dixerunt: *Jubet Frater*
» *Salvator, ut ad ipſum veniat, & quidem in nomine Virginis beatiſſimæ*
» *jubet*. Itaque obſequentem, ac veſtibus indutam reduxere. Qua conſpe-
» cta Beatus, ſignum Crucis expreſſit, & dixit: *Exite a creatura hac immundi*
» *ſpiritus, ita impero vobis in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, & Filii,*
» *& Spiritus Sancti*. Reſponderunt illi, non parituros ſe: ſed iterato con-
» ſtricti imperio exierunt, immanem in aere fragorem cientes. Ipſa vero
» puella libera quidem, ſed incredibiliter debilitata, mortuæque, quam
» vivæ ſimilior remanſit: verum, accepta Sancti benedictione, ſurrexit, qui
» cibum ipſi præcepit exhibere, ae dixit: *Nunc age, filia, & quomodo Deo*
» *ſervias deinceps, attende: neque amplius tale quid committas, ſi nolis ma-*
» *lignos invaſores redire*: atque ita ſanam a ſe dimiſit.

» CXIV. Loquebatur cum beato Salvatore, in Monaſterio Barcinonenſi
» ſanctæ Mariæ de Jeſu, nobilis quidam Magiſter Garzias nominatus, ſacræ
» Inquiſitionis Secretarius: atque inter alia ei dixit, egregie ornatam ſibi
» videri aream Monaſterii, propter imaginem Beatiſſimæ Virginis conſtitu-
» tam ſupra Eccleſiæ valvas. Cui Sanctus: *Pulchra eſt enim vero*, inquit,
» *ipſaque me intra breve tempus trans mare auferet, in alium hoc cognomi-*
» *ne conventum, ubi ſimilis imago ſua ſupra portam conſpicitur*. Quæ
» res incredibilis primum viſa, ipſo deinde effectu veriſſima patuit, quando
» Calarim in Sardiniam translatus Salvator eſt. Dum autem adhuc Hortæ
» morabatur, multas noctes impendebat orationi ſuper eum, qui ibi eſt
» altiſſimus, montem, eoque ſe per hortulum conferens, qui poſt majo-
» rem hortum ſitus eſt, Fratres ibidem aliquos hilarius agentes reperit,
» quorum unus: *Verumne eſt*, inquit, *quod audivi, navigaturum te, fra-*
» *ter Salvator? Verum*, refert ille, *ecquo autem? Ad regionem*, reponit,
» *cujus præcipua Civitas pulcherrimis cincta mœniis, & æreis tormentis in-*
» *ſigniter communita, in monte conſtitit: iſtic Deus ingentia mihi facturus*
» *eſt bona*. Multi tunc temporis in Indias fidei prædicandæ cauſa mittebantur Fratres: exiſtimarunt igitur ii, qui aderant, illuc quoque hunc Deo
» dilectiſſimum famulum deſtinari; ideoque ulterius interrogarunt eum, ad
» Orientemne, vel Occidentem verſus habiturus eſſet iter? Tum ille: *in*
» *Cœlum reſpicite*. Reſpexerunt, viderunt que eximii fulgoris ſtellam in-
» genti, & celeri tractu verſus Orientem ferri, ubi autem conſiſteret notare
» non potuerunt. Ipſe vero dixit: *ſimile erit tenendum mihi quoque eſt*, nec
» multo poſt declarata prædictionis eſt veritas, quando raræ ſanctitatis Vir
» frater Vincentius Ferri, juxta eam, quæ decreta erat Tranſmontanæ,
» Ciſmontanæque familiæ commutationem, Fratres in Sardiniam abducturus
» advenit, Salvatoremque rogavit, num ipſe quoque comes ſibi accedere
» vellet. Qui reſpondit: *Imo vero: hoc enim vult Deus, & illic magnum*
» *mihi bonum deſtinatum habet*.

Sequuntur miracula.

» CXV. Cæterum quoque in loco quo morabatur Beatus, quotidie Con-
» feſſionis, & Communionis obibat ſacramenta, ſingulari eum piæ devotio-
» nis affectu, idque ſub primum ſacrificium matutinum. Accidit autem,
» quadam vice, ut loco ſuo amotum regiſtrum, quod legendam eo die Epi-
» ſtolam ſignabat, in eadem requirenda aliquandiu fruſtra occupatum Sacer-
» dotem, qui hoc ipſum affirmavit, haud leviter conturbaret: id quod
» beatus Salvator ſacrificio miniſtraturus obſervans, exurrexit ab eo in quo
» genuflexerat loco, acceptumque miſſale aperuit, & digito ſignavit locum,

qui

» qui legendus erat, nulloque prolato verbo, eo unde ſurrexerat, rediit.
» Faſſus eſt autem idem Sacerdos, quod admiratus non modice inſolentiam
» facti, cum Salvatorem litteras omnino nullas didiciſſe ſciret, levatus
» etiam dubio fuerit; quo circa ejus miracula non levi augebantur: ut dein-
» ceps majori in honore ac reverentia ipſum habuerit. Jacobus Villala Civis
» Barcinonenſis teſtatur, ſibi filium decennem fuiſſe, quem ſua benedi-
» ctione Sanctus ab hernia & ruptura ſanaverit. Raphael Pazi nobilis
» Gerundenſis ſororem ſuam, obtinendæ prolis ultra modum cupidam, bea-
» ti Salvatoris precibus commendavit, & reſpondit ille: *bono animo eſto,*
» *duplicem enim prolem ſoror tua pariet*: quod factum eſt: & vivus erat
» utraque, maſcula una, fœmina altera.

» CXVI. Soror Hieronyma Campos in Gerundenſi ſanctæ Claræ Mona- Sequuntur miracula.
» ſterio novitia, toto corpore jacebat paralytica: rogatus autem fuit beatus
» Salvator, qui eo advenerat, ut ipſam viſitatam ſanaret. Ivit igitur ad
» Eccleſiam, ibique ante ferreas crates conſiſtens, ad ſe deferri infirmam juſſit:
» ſed pro illa aliam ſimiliter paralyticam Sanctimoniales apportarunt. Quam
» ut vidit: *Non Ego hanc*, inquit, *poſtulavi, neque ipſa fidem habet reci-*
» *piendæ ſanitati neceſſariam: adferte huc alteram, cujus cauſa adveni.*
» Attulerunt igitur Hieronymam ſorores: Sanctus vero feneſtellam aperiens,
» per quam ſacra Communio ſolet Sanctimonialibus porrigi, brachium im-
» miſit cum Roſario, illudque infirmæ ſuperimponens, dicenſque, *In nomine*
» *Patris* &c. mox ſubjunxit: *ſurge, & gratias Dominæ noſtræ age, atque*
» *ad obſequia iſtius te ſororis transfer, quæ ob defectum fidei ſanari non*
» *potuit*, quod illa ad ipſius uſque mortem conſtanter atque amanter præ-
» ſtitit. Inter cæteras autem Sanctimoniales tanta deinceps fuit reverentia
» Sancti, ut veritæ ne interiorem animarum ſuarum ſtatum ſortaſſe propa-
» laret, ſub ejus conſpectum venire formidarent. In eodem Monaſterio alia
» fuit Religioſa, quæ diu occultam toleraverat herniam, non auſa præ ve-
» recundia medico cuiquam ſuum malum revelare: unde cum graviſſimos
» in dies majores dolores pateretur, colloquenti ſecum ſecrete Dei famulo
» illud manifeſtavit, ac mox per Crucis impreſſionem ſanitatem accepit.

» CXVII. Idem cum alia ibidem Monacha, ſorore Iſabella Pingi, collo- Sequuntur miracula.
» quens ei dixit: *vide ut inter te Dominumque recte cuncta ſe habeant, filia,*
» *neque animis cade*: adjuvabit enim ipſe te in ea tribulatione, quæ tibi
» graviſſima imminet. Juvitque poſt multos annos ea prænonitio, eum
» quod prædixerat Sanctus ipſi evenit. Denique ejuſdem Monaſterii ſoror
» altera, Mariana nomine, inquietam præ ſcrupulis vitam ducebat, quo ipſa
» aliquando beati Salvatori exponens, eum rogavit ut ab iis a Domino libe-
» rari ipſius precibus mereretur. Ille vero brevi liberandam promiſit, omneſ-
» que conſcientiæ ipſius angores a devoto quodam Confeſſario pellendos, in
» cujus etiam manibus feliciter conſumatura eſſet hujus mortalis vitæ curri-
» culum. Idque mox contigit in adventu novi Confeſſarii, a quo ſe pænitus
» ſublevatam aliis ſororibus profeſſa eſt: nec multi poſtea tranſiere dies,
» quod ad vitæ eternæ gaudia perpetuamque quietem, ut pie credimus, a
» Domino evocata miraret.

» CXVIII. Iſthæc fere omnia mirabilia per Servi ſui interceſſionem Om- Orationi addictus.
» nipotens operaratus eſt, dum in Hortano Cœnobiolo moraretur, ubi etiam
» jugi pene orationi ſe totum dabat, ita ut nec noctibus quidem ab ea vaca-
» ret: & vice quadam auditus a Fratribus fuerit cum D. N. Jeſu Chriſto in
» capitulo loqui, ac dicere: *Domine mi tu promiſiſti tale quid mihi præ-*
» *ſtare: verumtamen rogo ne, te promiſſi tui pæniteat*. Quid porro ei

re-

» reſponderit Dominus, intelligere non potuerunt. Deinde in pedes erectus » dixit: *quomodo ini Domine? non præſtabis modo quod promiſiſti? non poſ-* » *ſunt irrita eſſe promiſſa tua: fac igitur propter amorem ſanctiſſimæ Matris* » *tuæ, obſecro.* Et rurſum aliquantum conticeſcens (quaſi qui Dominum » audiret reſpondentem; ſed ea voce, quam alius nemo perciperet) viſus » eſt potius accedere ad venerandam iconem, eique dicere, *Tu promiſiſti* » *Domine, & facere debes.* Poſt quæ in extaſim raptus eſt. Simili modo » ſæpiſſime eſt auditus cum beatiſſima Dei Matre colloqui, cujus ſemper de- » votiſſimus vixit, nec non cum beato Apoſtolo Paulo quemadmodum in » proceſſibus reperitur.

S. Inquiſitionis Beatus judicio ſubeſt.

» CXIX. Interim Inquiſitorum quidam in Regno Aragoniæ per oppidum » Alcaniziæ iter habens, videnſque tranſeuntes illac mutos, ſurdos, clau- » dos, paralyticos, alioſque, & paulo poſt ſanos redire; eos ad ſe accerſiri » mandavit, & juris jurandi religione adactos edicere voluit, qua ratione » Frater iſte tot miracula faceret. Qui cum dicerent præſcriptum ſibi ab eo » fuiſſe, ut confeſſi peccata, Dominico corpori communicarent, eoque facto, » ſua cunctos benedictione donaſſe, atque in momento ſanos dimiſiſſe: ſuis » ipſe rem oculis explorare decrevit; utque ſub alieno habitu ignotus lateret, » pauperis Presbyteri veſtem ſumpſit, famulorum ſuorum itidem veſtes im- » mutans, perrexitque ad Monaſterium, in quo Sanctus morabatur. Vidit » autem univerſum montem magna hominum multitudine repletum, quo- » rum numerum ad duo millia eſſe credidit, ſeque ad angulum quemdam » Eccleſiæ recipiens, expectabat, ut progrederetur Sanctus facturus mira- » cula. Qui ut apparuit, cuncti ſtatim in genua projecerunt ſe, credentes » quod eis benedicturus proceſſiſſet. Verum ipſe (Deo Deiparaque Virgi- » ne, quibus unice dilectus erat, rem omnem eidem manifeſtantibus) ſur- » gere eos juſſit, & locum dare tranſituro; rectaque ad Inquiſitorem proceſ- » ſit, eique manus oſculatus genuflexit, ac dixit: *Dominatio tua huc adve-* » *nit, ut videat ſtupenda opera grandiaque miracula, quæ Deus per Matrem* » *ſuam ſanctiſſimam facit?* Cui ille, *Erras*, inquit, *Pater, ſiquidem Sacer-* » *dos pauperculus ego ſum, neque iſtum a te honorem mereor. Minime*, » reponit Salvator, *ſed Arragoniæ es Inquiſitor, qui ab iis quos Domina no-* » *ſtra hic curaverat quæſiviſti, quomodo hic miracula fierent, & rei certius* » *cognoſcendæ cauſa huc veniſti. Mecum igitur veni*; & manu prehenſum ad » ſummi altaris cancellos ducens, verſus populum ſe convertit, & dixit: » *Pœnitemini omnes de peccatis veſtris, eorumque remiſſionem poſtulate à* » *Deo, In nomine Patris &c.* Eodemque momento temporis ſanati ſunt » omnes quotquot aderant gibboſi, paralytici, hernioſi, muti. Quare ob- » ſtupefactus ultra modum Inquiſitor, præſumptionis ſuæ veniam humiliter » flagitavit, multiſque diebus manſit in conſortio viri Dei.

CXX. Uſque huc relati Dimas Serpius, atque Domeneccus ex proceſſi- bus pro beati Salvatoris Canonizatione confectis. Cæteras autem, ad illum annum quo Salvator Rauſium amandatus eſt, Deo favente, narrabimus.

S. Petrus Alcantarenſis ſuorum Commiſſarii munus abſolvit. Petrus Marcheſius. Joannes de S. Bern. Laur. a S. Paulo. *Chronic. Prov. S. Joſ. & alii in vita S. Petri de Alcant.*

CXXI. Verum his temporibus, iiſdemque in Hiſpaniarum regionibus, cum Salvatore de Horta Petrus etiam Alcantarenſis magis magiſque Seraphi- cum Ordinem, quinimo, & univerſam Catholicam Eccleſiam illuſtrat. Abſo- luto etenim hoc anno a Sancto Viro ſibi impoſito pro Diſcalceatorum ſobole Commiſſarii Generalis munere, miſſiſque propterea non ſemel ad Magiſtrum Generalem PP. Conventualium Epiſtolis, quibus de Inſtituti progreſſu cer- tiorem facit, ultimo tandem, petita ex more venia, rogat, ut ſibi idoneum virum ſubſtituat. Aliter tamen ſe res habuit; Præfectus namque non alium

Pe-

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 352.

Petro, quam Petrum ipſum, ſucceſſorem exoptans, eundem iterum ſuum Delegatum conſtituit. Hoc Nuncio, Vir Sanctus divinæ voluntati non reſiſtit, Sodaleſque exultant, quod illum divino atque humano conſilio fretum Patrem ſortiti eſſent, cui æmulis obviam ire interdiceretur. Et ſane hac tempeſtate, Deus qui ſicut lanam dat nivem, Petrum talem in eos, quibus arctioris vitæ inſtitutum non arridebat, conſtantiam indidit, ut ad ipſorum retundendam contradictionem, a nimio zelo quam oportebat, ductam, *ne Ordo videlicet diviſionis detrimentum ſubiret*, vel minimum hæſitaverit. Primus hujus anni hyemalibus diebus, nudis pedibus, pedes, clam aſſumto ſocio, iterum Romam proficiſci ſtatuit, virum probum in ſui Vicarium inſtituens. Urbem Petrus ingreditur, menſe Martio labente, & Generali Magiſtro primum, deinde Pontifici Paulo ſuſcepti itineris cauſa patefacta, adverſantium nomina ſilet, & auxilium non incaſſum efflagitat. Duabus namque in forma Brevis, ut dicitur, Summus Pontifex, datis litteris, ut Petri votis annuat, eundem iterum pro ſuis Commiſſarium Generalem conſtituit; Fratribus Provinciæ ſancti Jacobi ſuper Diſcalceatos jura ſiqua ſint, adimit, & facultas ſit, ut ſoli poſſint Miniſtros inſtituere tenoris ſequentis.

Illud cogitur reaſſumere.

Romam verſus ſecundo proficiſcitur.

Diplomata a Pontifice impetrat.

PAULUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei

*Dilecto filio Petro de Alcantara, Reformatæ vitæ Ordinis Fratrum Minorum Conventualium * nuncupatorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

* *Quia Magiſtro Generali hujus Familiæ tunc ſubjiciebatur.*

Cum a nobis petitur, quod juſtum, & honeſtum eſt, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitionis ſeries continebat, quod cum dilectus filius Julius Magnanus Ordinis S. Franciſci Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum Generalis Magiſter, mox elapſis diebus Epiſtolas in tui favorem dederit, ut ſequitur. „ In Chriſto ſibi „ cariſſimo fratri Petro de Alcantara Reformatæ vitæ Ordinis Minorum Con„ ventualium, frater Julius Magnanus, Generalis Magiſter ſalutem, & pa„ cem a Domino æternam. Cum ſuperioribus diebus frater Joannes Paſqual „ Dei voluntate diem ſuum clauſerat extremum, qui Fratrum Reformatæ „ vitæ Ordinis Minorum Conventualium nobis ſubjectorum in Hiſpaniarum „ partibus caput, & officii noſtri Commiſſarius extitit; ne oves hujus gregis, „ quem ſummopere diligimus, palantes abſque Paſtore vagentur, vir ali„ quis vita, Religioneque clarus, inde mortui locum ſufficiendus erat. Te„ nore igitur præſentium te, cujus probitas, animi candor, & religionis zelus, „ quemadmodum accepimus, ſingularis eſt, quique ſacrum Concionatorem „ egregie agis, prædictorum Fratrum Reformatorum in triennium tantum du„ raturum, confirmamus & approbamus, etiam denuo, quatenus opus eſt, „ inſtituimus, creamus, ac facimus; eademque authoritate prædictum te eſſe „ volumus, qua prædeceſſor tuus frater Joannes Paſqual præditus erat, quam„ que ſibi Joannes Vigerius, Jacobus de Ancona, & Laurentius de Spatha „ noſtri prædeceſſores conceſſerant, Conventus ſcilicet, & loca recipiendi, „ conſtruendi, ubi fuerit opus, Fratres ad Ordinem ac reformatam vitam „ recipiendi, ad profeſſionis votum admittendi, capitulo præſidendi; om„ niaque denique, ac ſingula concernentia facere, quomodolibet poterunt „ pariformiter fieri, & abſque ulla penitus differentia, tu facere, & exequi, „ libere, ac licite poſſis. Quæ quidem omnia cum F. Jo. Paſqual a prædeceſſori-

„ ſoribus noſtris conceſſa, & a nobis confirmata, ut litteris patentibus videre eſt, eadem tibi concedimus. Præterquamquod volumus, Commiſſariatus officium in triennium tantum prorogari, niſi ſueris rurſus, abſoluto triennio, a toto Capitulo electus, & deſignatus. Confirmamus inſuper nonnulla ex his, quæ in noſtris patentibus litteris continentur, datis Patavii, ſub die tertia Februarii MDLVII. Confirmamus etiam, & authoritate noſtra fulcimus quædam ex his, quæ tibi, & Fratribus tuis conceſſa fuerunt ſuperioribus diebus, a R. P. Magiſtro Antonio de S. Quirico Vicario, & Commiſſario noſtro Generali in partibus Ultramontanis, qui cum fuerit præſens facile dijudicare potuit, quæ recte, aut non recte concedi poſſent. Primum igitur omnium, non ſolum in Hiſpaniarum partibus, ſuper hujuſmodi locis, & Fratribus Reformatæ vitæ, ſed etiam aliis, quando contigerit, hujuſmodi loca & Conventus recipere, te Commiſſarium inſtituimus. Deinde ut, peracto triennio præſentis commiſſionis, indices Capitulum in quindena Paſchatis Reſurrectionis, & congregato Capitulo, præſideas ſimiliter ad aliam novi Commiſſarii electionem tenendam & habendam, qui ubi fuerit electus, ab officio tantum noſtro, & non a Provinciali Provinciæ ſancti Jacobi, * ut antea fieri ſolebat, nec ab aliis Provincialibus confirmetur, & de novo, prout opus eſt, inſtituatur, quem in poſterum immediate nobis, aut officio noſtro ſubjectum eſſe: decernentes, Magiſtrum Provincialem pro tempore exiſtentem Provinciæ illius, in qua loca, Conventuſque hujuſmodi fuerint, in hujuſmodi loca, Conventus, Fratres, aut perſonam Commiſſarii ſe intromittere non poſſe, ſed nos ipſos tantum, aut officium noſtrum. Quod ſi aliquando contigerit, Commiſſarium pro tempore exiſtentem in ſua adminiſtratione non recte ſe habere; volumus, ut Fratres poſſint conqueri de adminiſtratione mala ad Provincialem, ubi fuerint Conventus, ſive loca quærelantium, qui in hoc caſu, & non in alio poſſit & debeat id agere, quod jus, & juſtitia expoſtulabunt. Et cum prædictus Reverendus Commiſſarius, & Vicarius noſter Ultramontanus ex infraſcriptis locis, ſancti Franciſci ſcilicet de Bayona, ſancti Iſidori de Loriana, ſancti Simonis a Rodendella, Conceptionis Virginis Mariæ oppidi Pedroſi, ac ſancti Antonii de Vigo, unam ſub titulo ſancti Joſephi (ſic enim, ob devotionem appellare voluit) conſtituerit, & fecerit Cuſtodiam, mandaveritque ſic appellari, & nuncupari debere: nos prædicta omnia recte facta eſſe exiſtimantes, authoritate quoque generalis noſtræ Præfecturæ confirmare voluimus, quemadmodum litteris noſtris confirmamus etiam id quod ab eo fuit inſtitutum; ut ne, ſcilicet, licentiare poſſis Fratres tuos Reformatæ vitæ ad Fratres Obſervantinos nuncupatos tranſeundi. Item tibi concedimus, ut Cuſtodes, qui a Capitulo fuerint electi, a te confirmari, ſeu ſucceſſoribus tuis poſſint, & debeant; qui, quemadmodum Commiſſarius, in triennium durabunt. Poſtremo omnium, decernimus & declaramus, cum loca, & Conventus veſtri ad idoneum, & ſufficientem numerum pervenerint, Provinciam, & inſtitui, & fieri poſſe; ſic autem conceſſum eſſe tibi, cum velimus. Cætera alias tibi conceſſa his, quæ per litteras noſtras tibi concedimus, & a Vicario noſtro Ultramontano conceſſa & inſtituta ſunt, confirmamus; adverſantia abrogamus & annullamus. Univerſis vero, & ſingulis nobis ſubjectis, cum vi obedientiæ, ſub anathematis pœna, aliiſque pœnis arbitrio noſtro reſervatis, mandamus, ne in ſenſum harum litterarum quidquam moliri audeant, quod eis refragetur. In quorum fidem &c. Datis Romæ XVIII. Aprilis anni MDLIX. Frater Julius Magnanus Placentinus Generalis con-

* *Regularis Obſervantiæ.*

„ confirmat, approbat, concedit, & mandat manu propria. Frater Maximus „ Benianus Ordinis ſcriba. „ *Cum autem nos &c. Datum Romæ, die* VIII. *Maji* MDLIX. *Pontificatus noſtri anno* IV.

CXXII. Tandem ut hæc omnia exacte executioni mandentur, Prior de Maganzela Archidiaconus Valdeminoris, & Canonicus Abulenſis; & Alphonſus Davila Canonicus, qui doctoralis dicitur, Abilienſis Eccleſiæ Judices declarantur: *Paulus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Dilectis filiis Priori de Maganzela, nullius Diœceſis, & Archidiacono de Valdeminorum locorum, ſeu Terrarum Tudenſis diœceſis reſpective; ac Alphonſo Davila Canonico Doctorali Abilienſis Eccleſiæ, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii Petri de Alcantara Reformatæ vitæ Ordinis Minorum Conventualium nuncupatorum Profeſſoris, nuper oblatæ petitio continebat; quod cum dilectus filius Julius Magnanus &c.* Alterum Pontificium Diploma.

CXXIII. Litteras Petro directas prius datas fuiſſe die III. Februarii anno MDLVII. & hoc anno confirmatas, ex patentalibus inſertis Magnani modo productis liquet; beneque teſtatur ex originalibus, quæ penes ſe habere, dicit Marcus Complutenſis Provinciæ S. Joſeph Chronologus, oblitus tamen exemplaria producere; quo fit ut quibuſcumque diligentiis ab Archivii ſecretioris Tabularii Præfecto adhibitis, neque illi ſecundæ litteræ invenire licuit typographum, neque nos potuimus hoc etiam monumento opus noſtrum ditare.

CXXIV. Acta iſta ſunt die prima Junii, quo menſe Petrus ſacris locis, non ſemel perluſtratis, in Hiſpaniam, ſole æſtuante, redit. Omnipotens autem, qui ſine præmio Sanctorum ſuorum merita eſſe non patitur, Petri ſic laborantis ſanctimoniam inſigni prodigio dignatus eſt comprobare. Ubi namque Pedroſi caram domum eſt reverſus, dum laxo corpori per baculum, quo arido in itinere eſt uſus, dat fulcimentum, poſtulante Guardiano Comite, ut fici arborem inter cæteras ad Fratrum ſolatium plantaret in horto, baculum ipſum ſolo figit, qui repente radices, folia, & fructus emittit. Admiranti eidem Guardiano ait, ſanctæ obedientiæ miraculum id ſore aſcribendum, quod etiam de cæteris ſere innumeris, quæ in ejuſdem plantæ fructibus veſcentium favorem in dies a Domino ejus meritis patrabantur, dicere conſuevit. Ex his unum vel alterum Marcheſius in Petri vita, quam italice ſcripſit, delibans, illud mirabile narrat ſubitæ ſanationis cujuſdam nobilis fœminæ urbis Caurienſis ab hætica febri, cujus deſperata erat cura, tribus ex ficis arboris ejuſdem veſcentis. Hic præſtat cum recenſito Marcheſio, cæteriſque acta Petri narrantibus animadvertere, arborem, quæ ut dicitur, ad hanc diem in Conventu Arenarum vireſcit, non eam fuiſſe a ſancto Viro plantatam, quamvis ex ea etiam, ſicuti ex cæteris hujus ſobolis propagatis, populi regionis innumera experiantur prodigia: ramum ſiquidem a Pedroſi planta reſciſſum, Servum Dei Alphonſum de ſancto Martino ibi plantaſſe, & coluiſſe ferunt. In Hiſpaniam redit. Admirandum Petri meritis patratum prodigium. Ex March. in vita S. Petri.

CXXV. Hoc etiam anno ſuperius memorata Joanna Auſtriaca Petrum iterum Matritum vocat & obſeerat, ut ibidem illarum Virginum, quas anno elapſo Valliſoleti inviſerat, aliquantiſper Magiſter permaneat. Ita Vir Dei æquas excuſationes obtendens, continuo diſceſſit. Quod autem, Joannæ etiam judicio, huic muneri idoneum probumque Virum Bartholomæum de ſancta Anna deſignaverit, quidam minus vere ſcribunt, qui Petri acta recenſent. Ipſe etenim Bartholomæus, quem in hujuſmodi munere obeundo omnium primum hoc anno uſque ad MDC. perduraſſe dicitur, in Definitorem anno MDLXI. apud Pedroſum electus, Romamque anno MDLXII. miſſus eſt ad Provinciæ negotia, ut ſuo loco dicemus. His accedit illorum catalogus, qui primis Joanna Auſtriaca Petrum Matritum vocat. *Laur. a S. Paul. lib. 2. cap. 17. Marobeſ. lib. 2. cap. 17.*

ſuæ fundationis temporibus regali Monaſterio a ſacris confiliis, & confeſſionibus extitere, quem exhibet Joannes Carillo, & in quo Bartholomæi de ſancta Anna nomen, ut eſt videre, deſideratur, eſtque ex hiſpanico ſequens.

„ P. F. Michael de Villa Franca *Italus* nuncupatus.
„ P. F. Melchior de Hiebra.
„ P. F. Servus Dei Nicolaus Factor.
„ P. F. Joſeph Angelus Epiſcopus, qui fuit Boſæ in Sardinia.
„ P. F. Hieronymus Oliſſyponenſis Epiſcopus Ceutæ, & Tanger.
„ P. F. Joannes de Angelis Provincialis Provinciæ ſancti Joſeph.
„ P. F. Franciſcus Texera Definitor, & exinde Miniſter Provinciæ Caſtellæ.

Marc. Complut. Chron. Prov. S. Joſeph. lib. 3. cap. 12.

CXXVI. Hujuſmodi autem catalogus quum Marco Complutenſi, ſive de Alcala ſupra memorato minime arrideat, eas obrationes, quas in medium non tenuis roboris affert, hunc alterum propterea ipſe idem exhibet, quem ex priſcis authenticiſque codicibus extractum magis veritati conſonum aſſerit.

„ Primus ſanctus Petrus Alcantarenſis, cujus juſſu & conſilio fuit
„ Secundus venerabilis Servus Dei Nicolaus factor, uſque ad annum MDLXV.
„ Tertius Servus Dei Bartholomæus de ſancta Anna uſque ad annum MDC.
„ Quartus admodum R. P. F. Joannes de Angelis uſque ad annum MDCIX.
„ Quintus admodum R. P. F. Joannes de ſancta Maria uſque ad an. MDCXXII.
„ Sextus admodum R. P. F. Balthaſſar de Angelis uſque ad annum MDCXXV.

CXXVII. Verumtamen quod hac ſua ſecunda tabula præcitatus Mareus menda mendis velaverit, nemo eſt qui perſpicue non intelligere poſſit. Dicitur vel imprimis, Petrum Nicolaum Factorem ſancti Petri *juſſu* & conſilio omnium primum, certe hoc anno, quo Monaſterium fundatum eſt, in confeſſarium uſque ad annum MDLXV. fuiſſe deſtinatum; & tamen ſanctus Petrus Alcantarenſis neque in Monaſterium Diſcalceatarum Matritenſium a Joanna Auſtriaca, ut dicebamus, fundatum, neque in beatum Petrum Nicolaum Factorem Provinciæ Valentiæ Obſervantium alumnum jus vel minimum agere poterat: quidquid ipſe Chronologus initio capitis 9. lib. 5. in contrarium affirmet, ſanctum Petrum Alcantarenſem nimirum præclaro Monaſterio initia dediſſe. Omnes etenim, qui Petri acta referunt, in hoc convenire comperimus, quod ſanctus Vir primo Valliſoletum anno MDLVIII. vocatus eſt ab Joanna eumdem videre, ſuique ſpiritualem directorem eligere ſummopere exoptantem, ubi jam octo Fundatrices Gandia pervenerant, paratæ, omnimode Petro ineonſulto, ut cito Matritum ad rem ſuam aceederent: (Non infeiamur tamen, ſanctum Petrum per unum aut alterum dumtaxat diem ſacrorum conſiliorum, & ſorte etiam ſacramentalium confeſſionum pabulo ipſarum animas refeciſſe, quemadmodum infieiari nos pudet, ſacras Virgines vel a Petro, vel a ſuis enixe deſideraſſe ſpiritualiter gubernari, quod tamen, omni ſedulitate etiam pientiſſimæ Principis adhibita, preeibuſque apud Petrum, obtineri non potuit.) Hoc autem anno, quemadmodum dicebamus, Matritum Vir Dei iterum a Joanna vocatus, ſacras Virgines jam Monaſterium ingreſſas etiam ad breve tempus renuit inſtruere; tantum a vero abeſt, quod regalis Monaſterii ipſe radices fixerit. Non eget profecto ſancti Petri Alcantarenſis hiſtoria hiſce quiſquiliis, ut omni ex parte ſe prodat admirabilis, non eget religioſiſſima Diſcalceatorum Familia ſui hujus alumni tam emendicato ſtudio, ut inter tot certiſſima ſuæ gloriæ argumenta iſtud etiam immerito commentum adnumeretur; non eget demum Diſcalceatarum Matritenſium Domus hiſtoricorum narrationibus falſis, ut nulli alteri univerſi Chriſtiani Orbis Sanctimonialium ſecunda ſit, vel ſanguinis incolarum nobilitatem, vel virtutum præſtantiam inſpicias.

Marcheſ. lib. 2. cap. 13. & 17. Jo. de S. Bern. lib. 4. cap. 4. & 9. Laur. de S. Paulo & alii.

Auctores cit.

CXXVIII.

Anno Christi	Pauli IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 352.
1559.	anno 5.	anno 2.	

CXXVIII. A veritate item idem catalogus deviat in eo, quod refert de Nicolao Factore (de quo in Beatorum album aſcribendo hac eadem die xvii. Septembris mdccxliii. quo nobis contingit de eo iſthæc narrare, in ſacrorum Rituum Congregatione a Patribus coram Pontifice fermo inſtituitur). Statim poſt ſanctum Petrum Alcantarenſem, hoc anno videlicet, uſque ad mdlxv. in obſequium Monialium earumdem confeſſarium deſtinatum fuiſſe. Nos autem ex actis pro recenſita beatificatione rite examinatis colligimus non obſcure, quod circa hæc tempora beatus Pater Petrus Nicolaus, Cœnobii Chelvenſis abſoluto præfecturæ munere, a nobis ad mox elapſum annum memorato, ad alia ſimilia obeunda a Provinciæ ſuæ Superioribus deſtinatus ſit, etiamque ad Sanctimonialium Monaſterii ſanctiſſimæ Trinitatis Valentini ſacras excipiendas confeſſiones, & exinde diverſis a catalogi auctore præſignatis temporibus Matritenſibus Diſcalceatis a ſacris conſiliis & confeſſionibus fuit. Hanc veritatem perquam clare oſtendunt duæ beati Viri epiſtolæ, una *Jacobo Ferrerio* ſuo ſpirituali amico ex laudato Monaſterio ſanctiſſimæ Trinitatis v. Novembris anni mdlxxii., altera ex Monaſterio Matritenſi *Abbatiſſæ Monaſterii ſanctiſſimæ Trinitatis* miſſa, ſub die xi. Januarii anni mdlxxiv., quarum authentica exemplaria ad ſuos annos, favente Deo, producenda, ex libro poſitionis ſuper dubio, an conſtet de virtutibus &c., ejuſdem beati viri Petri Nicolai poterit amicus lector conſulere. Neque ergo Bartholomæo de ſancta Anna, neque Petro Nicolao Factori potuit in ſuo exordio Monaſterii cura demandari. Quo autem nunc fundamento nixus religioſus Chronologus poſſit aſſerere, *Petrum Nicolaum primum omnium ad confeſſionalem Matritenſem ſedem, ſancto Petro Alcantarenſe jubente, vocatum fuiſſe, inibique uſque ad annum* mdlxv. *dumtaxat permanſiſſe: quod Bartholomæus de ſancta Anna, & Joannes de Angelis ejuſdem ſancti Joſephi Provinciæ clariſſimi Viri annos quatuor ſupra quadraginta (ab anno videlicet* mdlxv. *uſque ad milleſimum ſexageſimum nonum) in Monialium, de quibus ferma, obſequium, conſumſerint*: quinimo, *quod præclaræ Virgines per ſexaginta ſex annorum ſpatium ab anno nempe* mdlix. *uſque ad* mdcxxv. *a ſancto Petro Alcantarenſi, ſuiſque filiis erratorum abſolutionem, animarumque ſuarum directionem acceperint*: quod demum cætera hujuſce generis acciderint, quæ a cæteris hiſtoricis nondum ſomniata, ad ſui dumtaxat deſiderium conducunt, nimirum, Obſervantibus inclyti Monaſterii fundationis, ſpiritualiſque curæ gloriam adimere: quo, inquam, valido fundamento nixus abſque nota erroris religioſus Chronologus hæc, aliaque his ſimilia poſſit aſſerere, ſane non video; etſi pro ſua ſententia quaſdam exigui momenti rationes, atque teſtimonia conetur in medium afferre. Hæc perpauca apologetice ſcribere placuit, ut lector caute a moderno Hiſtorico notitias conquirat, qui & vitæ Petri, & Provinciæ ſancti Joſephi novum intendens ſyſtema pro ſua ratione exſtruere, illud a ſuis doctiſſimis deceſſoribus nobis verum exhibitum immerito parvipendens; merito propterea a nobis ſolum veritatem inquirere cupientibus, etiam alibi, chriſtiane tamen & religioſe monendus.

Ad ann. 1572. & 1574.

Valentin. Beatific. Servi Dei Petri Nicolai Factor. Poſitio &c. *Summar. lit. B. fol.* 84. & 88. *Impreſſ. Romæ* 1691.

CXXIX. Verum ad noſtram redeuntes hiſtoriam; illæ octo Virgines, quibus cæterarum directio demandata fuerat, & de quibus nos alias memoravimus, ubi Matritum perveniunt, domum eamdem, in qua laudata Auſtriaca Princeps ortum duxerat, die xv. Auguſti ingrediuntur, quæ ſubinde ab eadem debitis cum facultatibus in auguſtiſſimum Monaſterium titulo *ſanctæ Mariæ de Conſolatione* inſignitum, quod *Regalium Diſcalceatarum* nunc audit, regia munificentia convertit. Hujus Eccleſiæ, quæ elegantiſſime exſtructa viſitur, & prætioſiſſimis ditata jocalibus, Ara maxima eum locum occupat,

Monaſt. Matriti. *Gen. p. 1. ubi de hoc Mon.*

in quo pientiſſima Fundatrix ſacro regenerationis lavacro mundata extitit; cujus item corpus, in tantæ heroinæ digno mauſoleo ibidem tumulatum eſt. Certus eſt ibi etiam Sacellanorum numerus, qui divino obſequio perpetuo ſunt aſcripti. Demum Templum multis iiſque inſignibus, ac prætioſiſſimis ſacris ditatur Reliquiis, quorum catalogum ſcriptum apud Gonzagam, nos repetere piget. Inclytum Monaſterium obedientiæ Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis totius Ordinis immediate ſubeſt, & a ſodalibus Obſervantium Familiæ dirigitur.

CXXX. Sed antequam Petrus Matrito diſcederet, contigit, Paulum IV. Pontificem, plenariam indulgentiam indixiſſe, quam *Jubilæum* vocamus. Ad hanc obtinendam Helvira Caravaçal Grimaldi oppidi Domina, inſtigante Dæmone, nonniſi Petro Directori ſuo, aut ſaltem alteris ex Pedroſi Fratribus, ſuarum culparum confeſſionem aperire, animo conſtanti decrevit. Vocatis ergo a ſolicito, pioque Marito fratribus, non procul commorantibus, ut Grimaldum accederent, iiſdem a populis ad Eccleſiam confluentibus præpeditis, Petrus repente omnibus mirantibus adeſt, a Divino ſpiritu, procul dubio, monitus. Domus exultat, magiſque exultat mulier, cui ſanctus Vir omnium primus loquens, ait *Filia deinceps age, ne tibi ſimilia accidant, & Confeſſario utere, quem habere continget; quia tui ergo ſum coactus Matrito hac per tam longum iter accedere, ut indulgentiæ hujus eſſe poſſis in partem.* Non uno tantum hoc ſuperno ſigno in eo opere Servum ſuum Deus illuſtrare dignatus eſt.

E longinquis exoptatus continuo miraculoſe adeſt.

CXXXI. Dum ex Franciſcana Familia ii, cæterique Chriſti milites, in Hiſpaniis præcipue, de quibus in ſequentibus ſermo inſtituetur, ſtrenue dant operam tantis laboribus; ſuis hoc eodem anno etiam alibi alii finem imponunt. In Italia etenim apud Picenos in Maſſaccii oppido diœceſis Æſinæ, moritur die xi. Martii, non autem ſecunda, ut opinatur Arturus, Joannes de Fabriano ex nobili Germanica Henricorum familia, Seraphicæ paupertatis permaxime amantiſſimus, & mira abſtinentia præditus. Enimvero pane & aqua ſolum contentus, die Dominica, & quinta feria reficiebatur. Quinimo nonnunquam hebdomadam integram abſque cibo & potu pertranſiens, cum paucis clarus evaſit. Servi ſui ſanctimoniam multis prodigiis Deum decoraſſe noſtri Authores referunt, & Gonzaga præcipue, qui tamen Viri Dei obitum annum indicans, pro 1559. 1539. ſcribit. In Provincia etiam Tuſciæ apud Sergianum extra Aretium, die xxvi. Septembris plenus dierum, bonorumque operum Angelus de Raffia deceſſit, quem ſociarunt Andreas de Senalonga, & Dionyſius Boninſignus Senenſis, & ſanguinis ſplendore, & ſanctitatis nobilitate illuſtris. Chilanus Heilman Conventus Openheimenſis Provinciæ Argentinæ moderator, dum Palatinus Elector Catholicorum Ritus ea in urbe inhibuit, dolore cordis tactus, tabe moritur.

Joannes de Fabriano. *Gonc. in Provin. March. Com. 35. & 36. Wadd. ad ann. 1399. num. 5. & 1426. n. 15. Daza lib. 1. cap. 42. Artur. ad 2. Mart.*

Angelus de Raffia. *Terrin. Monum. MSS. Provinc. Tuſc. Dec. 2.* Chilianus Heilman. *MSS. anth. Provin. Argent.*

CXXXII. Decedit etiam Petrus de *Martina*, nobile Salentinorum oppidum, qui ex Obſervantium familia ad illam Capucciuorum pertranſiit, & Tyronum inſtitutus præfectus, eos viam Domini in doctrina, & veritate docuit; variiſque propterea a malo ſpiritu agitatus vexationibus, pluribuſque ſignis etiam ab Omnipotenti decoratus, & præcipue prophetiæ dono; eo etenim prædicente, Bernardinus Tarantinus adoleſcens, nondum Presbyteratu inſignitus, & quidam etiam laicus, religione præclari, in Cœnobio Rudiarum, fere una ſimul, eodemque tempore evolarunt ad Cœlum. Petrum ſupremum diem obiiſſe Aletii, narrat Arturus. Hic tamen animadvertito, Petrum hunc alterum eſſe a Petro Martinetio, quem in Provincia Franciæ anno MCCLXXXV. quidam ex noſtris deceſſiſſe ſcribunt, Waddingo excepto, apud quem ejuſdem Petri Martinctii nomen ad laudatum annum deſideratur.

Petrus de Martina Cap. *Bover. ad hunc ann. n. 2. Flor. Seraph. To. 2. fol. 6. & fol. 156.* Bernardinus Tarantinus Cap. Duo Anonymi Cap. *Bover. cit. n. 10.* Petrus Martinetius Prov. Franc.

CXXXIII.

Anno Christi	Pauli IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 352.
1559.	anno 5.	anno 2.	

CXXXIII. Noſtrarum quoque Virginum aliquot inſigne in terris nomen & virtus fuit, inter quas numeratur Eliſabetha de Navarra, memorata etiam a Waddingo, & ſequenti encomio celebrata a Gonzaga, dum de Monaſterio Albienſi Provinciæ Aquitaniæ diſſerit: *Hujus aliquando loci habitatrix fuit pientiſſima ſoror Eliſabetha a Navarra, ex ſereniſſima* Bearnea *familia oriunda, cujus humilitas, paupertas, atque cæteræ virtutes incredibiles fuere.* Hanc Eroinam Arturus anno MD. ſcribit floruiſſe; monumenta autem recenſitæ Aquitaniæ Provinciæ, quibus magis adhærendum, mortuam hoc anno recenſent. In Monaſterio item Alenconienſi Provinciæ Lotharingiæ requievit Magdalena Marcoſeſil, cujus Virgineum corpus per multos inde annos tractabile, atque incorruptum permanſit, & in Monaſterio Aſturicæ Auguſtæ Provinciæ ſancti Jacobi, Maria de la Vega orationi præcipue addicta, ſponſum Chriſtum, quem in SS. Eucariſtiæ Sacramento ſummopere coluit, in obitu amplexa eſt; variis dum viveret a Dæmone illuſionibus, maliſque vilis exagitata. Has Hiſpanas Clariſſas Virgines nobiliſſima Vidua Itala ſuperius memorata Thaddæa Malaſpina ex Marchionibus Maſſæ & Carrariæ ad Cœlum ſequuta eſt. In Eccleſia Clariſſarum ſuis ſumtibus ædificata & a nobis ſuperius deſcripta, tumulari mandavit, ubi ſequens legitur epitaphium:

Eliſabetha de Navarra.
Wadd. ad ann. 1481. n. 31. Gonz. in Provin. Aquitan. antiquior. Mon.

Magdalena Marcoſeſil.
Ex Arch. S. Iſid. MSS. authent. Arm. 3. nu. 51. fol. 63. a tergo.

Maria de Vega.
Ex eodem Arch. Arm. 3. num. 52. fol. 369.

Thaddæa Malaſpina.
Anton. de Tervinc. MSS. Prov. Tuſciæ Decad. 2. Sup. ad an. 155. n. 18.

THADDÆA MALASPINA RELIGIONE, AC PIETATE INSIGNIS ÆDEM HANC PRO VIRGINIBUS SACRIS ÆRE PROPRIO EXTRUXIT. DIEM OBIIT ANNO QUINGENTESIMO QUINQUAGESIMO NONO SUPRA MILLESIMO. VIXIT ANNIS LIV. ALBERICUS CYBO EX SORORE NEPOS, MASSÆ PRINCEPS, OBSERVANTIÆ, ET MEMORIÆ ERGO P. C.

CXXXIV. Mortuus item hoc anno Lovanii eſt, die XXV. Auguſti Nicolaus Zegerus, quem Leonardus de Neapoli male Sigenus dicit, & a Valerio Andræa *Tacitus* appellatus; Bruxellenſis (etſi Willottus Dieſtenſem ſcribat) græce, & latine doctus. Edidit miſitque ad Julium III. non II. ut apud Waddingum, caſtigationem in novum teſtamentum, in quibus depravata reſtituuntur, adjecta reſecantur, & ſublata reponuntur. Operi titulum fecit: *Epanorthotes*, ſive *caſtigator locorum depravatorum*, Coloniæ anno MDLV. in 8. *Inventarium*, ſeu *Concordantias in novum Teſtamentum*, Antuerpiæ MDLVIII. in 8. Item collegit *Scholia in Matthæum*, *Lucam*, *Joannem*: *Paulinas omnes*, *& Canonicas Epiſtolas*, Coloniæ an. MDLIII. in 8. *In Apocalypſim* quibus Scholiis loci difficiles, aut ambigui, juxta originalem ſcripturæ phraſim, ac vetuſtiſſimorum Theologorum citationem doctiſſime, ac exquiſite ſunt explicati; Divinæ ſcripturæ lectioni addictis perneceſſariæ ſunt hæ lucubrationes; item ſcripſit librum *Adagiorum Latinorum & Teutonicorum*; *Speculum vitæ Chriſtianæ Thomæ Herendalenſis Minoritæ* tranſtulit ex Teutonico in Latino, excuſum Coloniæ apud Arn. Birckmannum an. MDLV. in 8. necnon opuſculum Florentii Harlemii Carthuſiani, nuncupatum *Viam vitæ*, Antuerpiæ anno MDLXIV. in 8. Hoc eodem anno in lucem prodidit, Waddingo teſte, Venetiis in 4. Opus, quod ſcripſerat Hieronymus Caballus Ferrarienſis, videlicet de natura animæ, ejuſque immortalitate: *De cæleſti vita*; *De Inferno*, *& plerique ſermones*: etiamque prodidit Mexici Vocabularium ad uſum Indorum Grammaticorum Maturini Gilberti Galli, Provinciæ Aquitaniæ; doctrina & ſanctitate celebris, qui ad Indos Occiduos profectus, ſcripſit etiam tetlaſeano idiomate, quo Mechiocaniei utuntur, Doctrinæ Chriſtianæ ingens volumen, in quo numeris omnibus quidquid ad vitam, chriſtianamque converſationem ſpectare poteſt declarat, Mechoacæ impreſſum; demum

Nicolaus Zegerus.
Ex Arch. S. Iſid. MSS. auth. Arm. 5. n. 144. fol. 60. Wadd. de Script. Ord. Jacob. le long Biblioth. Sac. fol. 1026.

Hieron. Caballus Ferrarienſis.
Wadd. de Script. Ord.

Maturinus Gilbertus.
Idem.

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 352.

mum Dialogum, aliaque opera eodem idiomate accuratiſſime compoſita.

Petrus Maldonado Ep. Mindonien. *Ex Arch. Vatic. in Reg. Conſiſtor. Rodulph. fol.* 335. *Viridar. in ſerie Epiſcop.*

CXXXV. *Ad præſentationem Regis Catholici, Eccleſiæ Mindonienſi* (Rodulpho Miridionen.) *vacan. per translationem R. P. D. Franciſci de Benavides ad Eccleſiam Segobien. providit de perſona R. P. F. Petri Maldonado Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſoris.* Ita de unico Antiſtite hoc anno ex Ordine promoto acta Conſiſtorialia recenſent, quidquid Auctor Viridarii ſcribat, Maldonatum videlicet anno elapſo, & Arrighettum hoc de quo agimus, in Epiſcopos aſſumtos fuiſſe.

Augustinus de Urbania. Accurſius de Bellu no. Matthæus de Bergamo. Bonaventura de Caſtrofranco. Bonaventura Gabianus. Michael Volpinus. Nicolaus Delphicus Inquiſitores. *Ex fol. a PP. Conventual. nobis exhibito. Viridar. in ſerie Inquiſit.* Bernardus Freſnenſis. *Reg.*

CXXXVI. Inquiſitorem Adriæ, ditionis Venetæ, ſub Archiepiſcopo Ravennate, Magiſtrum Auguſtinum de Urbania Accurſio de Belluno ſucceden tem, hoc anno inſtitutum fuiſſe, ait Franchinus; & MSS. a PP. Conventualibus nobis exhibita referunt, Matthæum de Bergomo pro ſancti Antonii Provincia, & Bonaventuram Farinerium de Caſtro Franco pro univerſo dominio Veneto a General i Delphino fuiſſe ad idem munus deſtinatos, Auctor vero Viridarii ſcribit, Bonaventuram Gabianum Brixienſem ad Dalmatas, & Michaelem Volpinum de Arbe, una cum Nicolao Delphinico Sebinicenſi Iuſtinopolim, Inquiſitores fuiſſe miſſos.

Capitulum Generale Aquilæ celebratum. *Chronol. Ordin. Michael. Ang. de Neap. ad hunc ann. fol.* 321. *Gab. Tom.* 3. *cap.* 12. *ubi de cap. Aquil.* Franciscus Zamorensis Generalis Minister. *Iidem. Rodulph. fol.* 199. *Regeſt. Wadd. de Script. Ord.* Angelus Aversanus Cismontanæ Familiæ Commiſſarius. Emanuel de Beya Proc. Generalis. Antonius de Monelia Commiſſarius Curiæ. Antonius de Bergomo Guardianus Montis Syon. Aurelius Guianus Guardianus Montis Syon. Bonifacius de Raguſio. Conſtituta in Generali Capitulo. *Gab. Tom.* 3. *cap.* 12. *ubi de cap. Aquil.*

CXXXVII. Dum Salvator Cluſinus Antiſtes ad Hiſpaniarum Regem mittitur Apoſtolicus Nuncius, a Pontifice commendatur egregio viro Bernardo Freſnenſi, de quo non ſemel ſuperius, cui *ſalutem* peramanter *nunciat, atque, ſe tanti viri fidei integræ incorruptæque ſervandæ ſtudium, non ignorare*, & præfato Salvatori propterea mandat, ut *ſecum rebus communicatis .... in iis obtinendis ſuam gratiam, atque authoritatem requirat. Quibus rebus* &c. *die* x. *Julii, ut in Regeſto.*

CXXXVIII. Hiſpaniarum, & Portugalliæ Regibus, atque Duciſſa de Monteychiele e Borbonia domo ad Fratrum ſuſtentationem ſancta æmulatione contendentibus, Minoritæ die xxii. Junii, Aquilæ in Veſtinis generalibus indictis Comitiis, totius Ordinis Miniſtrum crearunt Franciſcum Zamorenſem Hiſpanum, Carthaginenſis Provinciæ alumnum, doctrina atque prudentia celebrem. Commiſſarius ipſe in Romana Curia, & in pleriſque Provinciis delectus, admirabilem in rebus agendis dexteritatem oſtenderat, apud Philippum Regem præcipue, ad quem a Pontifice hoc anno ad negotia vir egregius miſſus eſt, expedito Brevi: *Dilectus filius* &c. *die* xxv. *Junii*, ut in Regeſto. Edidit commentarium in ſingulos verſus Pſalmi 50. opuſcula univerſa ſancti Bonaventuræ tomis duobus diſtincta a mendis exſpurgavit, habuitque orationem in Tridentina Synodo Dominica ſecunda Quadrageſimæ an. MDLXII. ut ad eumdem annum dicemus. In iiſdem Comitiis Commiſſarius pro Ciſmontana Familia Angelus de Averſa electus eſt, quem Romæ Moniliano Vicarii Generalis titulo notavimus ſuffectum. Procurator Curiæ Æmanuel de Beja, & Commiſſarius ejuſdem Antonius de Monelia. Guardianus demum ſacri Montis Syon Antonius de Bergomo, Brixienſis Provinciæ alumnus, de quo præter electionis nudam memoriam, nihil præterea dignum Annalibus invenire potuimus, latetque penitus, an muneri remiſerit nuncium, aut potius in itinere obierit. Comperimus tamen, anno ſequenti Aurelium Guianum de Urciis novis loco ejuſdem electum, moderante interim ſacra loca Bonifacio Raguſino deceſſore. Præter cæteras leges ad bonum Ordinis regimen a Patribus inibi latas ſancitum *primo, quod Miniſtri Generales abſoluti ab officio, per ſequens ſexennium non poſſint in Commiſſarios Generales eligi. Quod in futurum Vicarii Generales, qui ultra annum Vicariatus officium exercuerunt, per ſequens triennium in Commiſſarios Generales cooptari non valeant. Quod Provinciales Miniſtri, ante ſexennii abſolutionem in Miniſtros reaſſumi,*

non poſſint. Quod Diffinitores Capitulorum Provincialium, & intermediorum, durante ſui Diffinitoriatus officio, in Guardianos creari non poſſint. Quod Guardiani, elapſo triennio in eodem loco, in officio continuari non valeant. Quod Miniſtri Provinciales intra quatuor menſes, poſtquam in Provincias ſuas venerint, ad omnia Moniallum Monaſteria accedant, & juxta Monaſteriorum capacitatem, numerum Monialium determinatum illis præfigant: ultra quem nullam deinceps recipere poſſint, etſi in Monaſteriis plures illo numero fuerint, neminem, donec ad taxatum redigantur numerum recipere valeant; ne ex Monialium multitudine Monaſteria debitis & intollerabilibus oneribus magis gravari contingeret. Sorores, quæ extra clauſuram cæteris Monialibus deſerviunt, ſi corrigibiles fuerint, poterit Miniſter eas in Monaſteriis inter Moniales cum velo tamen albo, quod portare conſueverunt, includere: quos Abbatiſſæ, & Moniales ſub officiorum privatione recipere & retinere cogantur. Ad evitanda multa diſſidia, quæ in Provincia Aragoniæ ob nationum & linguarum varietatem frequenter oriuntur, ad inſtantiam Catholicæ Majeſtatis, & Fratrum ejuſdem Provinciæ petitionem, ordinat Pater Generalis, de communi omnium Patrum Diffinitorum utriuſque Familiæ conſenſu, quod juxta trium Cuſtodiarum numerum, in tres dividatur Provincias, Aragonenſem videlicet, Valentinam, atque Catalanam. Quæ igitur olim unica erat Aragoniæ Provincia in tres recenſitas diſecta eſt. Porro Aragoniæ Provincia, quæ circa annum MCCXIX. *a Joanne parente fuerat inſtituta, cum decem novem Fratrum, novemque Monialium Cœnobiis remanſit; Valentina viginti ſex Fratrum, & octo Sororum; Catalana demum ex viginti quatuor Fratrum, & novem Monialium earumdem Cœnobiis conflata eſt. Item decretum, ut Provincia ſanctæ Crucis Indiarum deleta, & Cuſtodia ſancti Joſeph de Jucatan, & nominis Jeſu de Guatemala una fiat Provincia, cujus Miniſter, altero triennio, ab una tantum Cuſtodia, altero vero ab alia cum compromiſſo alterutrius eligatur. Quod deinceps duo mittantur in Indias Commiſſarii Generales; alter in novam Hiſpaniam, alter vero in Peruanam Regionem, qui illas partes ſibi creditas per ſe viſitare curabunt. Quod Provincia Aquitaniæ Reformatorum a pluribus annis jam ad Obſervantiam recepta, gaudeat eodem privilegio, quo & cæteræ Galliæ, mittendi videlicet octo ſtudentes ad Conventum Pariſienſem.*

Gonz. in Procem. Prov. S. Joſephi de Jucatan.

CXXXIX. Hic corrigendum ex Gonzaga errorem monemus, dum ſcribit, in Proemio Provinciæ ſancti Joſeph de Jucatan, Generale Capitulum anno MDLVIII. Aquilæ celebratum fuiſſe, eodemque anno recenſitam factam fuiſſe unionem. Hoc etenim anno, & celebratum Capitulum, & hujuſmodi unionem contigiſſe, alibi etiam ipſe Gonzaga fatetur.

CXL. Fauſte ergo univerſis iis pro bono Ordinis regimine in Capitulo Generali abſolutis, Pontifex eademmet dignatus eſt ſua auctoritate fulcire, ſequenti Diplomate Patribus electis directo.

Dilecti filii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex Archiv. Vatic. Epiſt. Pauli IV. ann. 1559.

Cum ſicut accepimus ſuperioribus diebus dilecti filii Capitulum Generale nuncupatum Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ in domo ſancti Bernardini Civitatis Aquilanæ in Regno Neapolitano dicti Ordinis in unum, ut moris eſt, congregati, habitis prius & ſervatis ſolemnitatibus, in ſimilibus ſervari ſolitis, te Franciſcum Zamora in ejuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem, juxta regularis ipſius Ordinis inſtituta & privilegia Apoſtolica illi deſuper conceſſa, majori & ſaniori Vocalium in id aſſerentium Fratrum hujuſmodi parte elegerint: & te Angelum in Commiſſarium Generalem ejuſdem Or-

Ordinis pro Ciſmontana Familia, juxta etiam regularia ipſius Ordinis inſtituta & privilegia Apoſtolica, ut præfertur, illi deſuper conceſſa, communi ſive majori & ſaniori Vocalium in id conſentientium Fratrum Ciſmontan. hujuſmodi parte elegerint: Voſque electioni hujuſmodi de vobis factæ conſenſeritis, & exinde tam vos, quam ipſi Capitulum nonnulla ſpecialem profectum & quietem ac augmentum præfati Ordinis, non ſolum ad Fratrum hujuſmodi, verum etiam ad vobis creditarum Monialium & Sororum ſanctæ Claræ, & Tertiariarum ſancti Franciſci, etiam in Congregatione viventium nuncupatarum Ordinis hujuſmodi, utilitate concernentia, matura deliberatione præhabita, ſtatueritis & ordinaveritis, prout in diverſis deſuper confertis documentis publicis, ſeu aliis ſcripturis dicitis plenius contineri. Nos, qui Ordinem hujuſmodi ſingulari benevolentia proſequimur, ſperantes, quod tam illius Fratres quam Moniales & Sorores Tertiariæ vobis creditæ hujuſmodi, ob ferventem eorum zelum per veſtræ ſollicitudinis ſtudium pie & religioſe regent. gubernabuntur, electiones de vobis factas, & quæcumque ſtatuta & ordinationes, necnon ſententias, decreta, pœnitentias, & quæcumque alia per vos & Capitulum hujuſmodi acta, ac prout illa concernunt, omnia etiam alia & ſingula in documentis ſeu ſcripturis hujuſmodi contenta & inde ſecuta quæcumque, quatenus ſacris Canonibus non contrarientur, Apoſtolica auctoritate per præſentes approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robore communimus; ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint, in eiſdem vobiſque, quod officium Miniſteriatus Generalis Ordinis hujuſmodi, necnon Commiſſariatus Generalis Ciſmontanæ Familiæ, integre & abſque eo, quod prætextu aliquarum facultatum ſeu auctoritatum quibuſvis perſonis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentibus, hactenus quomodolibet conceſſarum, & in perpetuum concedendarum, quas ex neceſſario in quantum officiis veſtris prædictis præjudicet, aut vos in illorum exercitio impediat, harum ſerie revocamus & annullamus, impediri aut perturbari poſſitis, & noſtra auctoritate exercere, & quæ vobis videbuntur dicto Ordini Provincias ſubjectas, vobis & pro earum, & dicti Ordinis pace & ſimul unire, & ad eos, quos volueritis, etiam externos Prælatos, Miniſtros, ejuſdem tamen Ordinis, deſtinare, ac omnia alia, quæ Capitulum Generale dicti Ordinis in eiſdem Provinciis tam ex ſua ordinaria, quam ex Apoſtolica auctoritate agere & facere poſſet, in ipſis Provinciis facere & exercere & exequi, ac omnibus & ſingulis immunitatibus, facultatibus, privilegiis, indultis, & gratiis, Miniſtris & Commiſſariis Generalibus dicti Ordinis, qui hactenus fuerunt, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos tam vivæ vocis oraculo, quam in ſcriptis quomodolibet conceſſis, uti, frui & gaudere libere & licite valeatis, dicta auctoritate concedimus & indulgemus. Mandantes univerſis & ſingulis utriuſque ſexus perſonis, vobis & cuilibet veſtrum ratione officiorum hujuſmodi creditis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna per eos incurrenda, ut vobis & cuilibet veſtrum, in his, quæ officia prædicta concernunt, ac omnibus aliis, quæ contra animam ſuam & inſtitutum ſuum non ſunt, humiliter intendant & pareant eum effectu, nec vobis in aliquo contradicere quovis modo, aut refragari audeant vel præſumant, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam cum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Verum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis facienda erit mentio deferri, volumus, & prædicta auctoritate Apoſtolica decernimus, quod earum tranſumptis manu Notarii publici ſub-

ſubſcriptis, & ſigillo ſui Miniſteriatus officii ſignatis, ea prorſus fides in judicio adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXV. *Julii* MDLIX. *Pontificatus noſtri anno* V.

Capitulum Generale PP. Convent. *Barett. lib. 3. cap. 81. Rodulph. fol. 145. & fol. 196. a tergo.*

CXLI. Abſoluto regimine eximii viri Magiſtri Julii Magnani Patrum Conventualium Generalis præfecti, de altero eidem ſufficiendo cogitare oportuit. Datis propterea a Pontifice litteris die VI. Aprilis, quibus eidem Julio, ut Capitulo præſit, *cum facultate ſupplendi vota, & aliis ſolitis* &c. imponitur, apud Aſſiſium de more convocatis Conſcriptis Patribus, Magiſtrum Joannem Antonium Cervienſem Generalem Præſulem ſuum ſalutarunt, Pontifice per ſuas litteras die III. Junii electionem hujuſmodi confirmante; qui etiam aliis litteris ſub XXV. Junii deputationem ab eodem Generali Magiſtro factam Vicarii, & Commiſſarii ſui, ad Monaſteriorum ultra Montes reformationem procurandam approbavit confirmavitque. At ipſo Generali Præfecto ultimam obeunte diem, malis corpore confecto, & animo excruciato, Cardinali Carpenſe Ordinis Protectore operam dante, Joannes Antonius Delphinus, cujus acta egregia ad annum ſequentem narrabimus, Pontificii alterius Brevis vigore ſub XXV. Junii, Vicarius Apoſtolicus, ad futurum uſque Capitulum, electus eſt. Ex his liquet Rodulphi mendum, quem Baretius ſequitur, aſſerentes, Cervienſem *per menſes quatuor rexiſſe, cunctaque die* XVIII. *Auguſti facta eſſe a Pio IV.* Pius namque menſe Decembri hujus anni, ipſa die Nativitatis Domini ad ſupremum Eccleſiæ regimen evectus eſt.

Ex Vatic. in lib. epiſt. Pauli IV. num. 108. Tom. XI. ann. 1558. Joannes Antonius Cervienſis Magiſter Generalis. *Ex Vatic. cit. num. 169. Ex Vatic. cit. num 192.* Joannes Antonius Delphinus Vicarius Generalis. *Ibid. Ex Vatic. cit. n. 227. Rodulph. cit. Barett. cit.*

CXLII. Sed quoniam modo de Aquilano Obſervantium Capitulo diſſerentes, Guatemalicam Provinciam hoc anno inſtitutam fuiſſe meminimus, multum operi huic noſtro conferre videtur, & inſtitutionis hujuſmodi brevi narrare originem, & quidquam etiam de remotiſſimis illis Regionibus, noſtriſque Cœnobiis, quorum fundationis præfixum tempus nos latet, præter ea, quæ Waddingus narrat, ubi de his Cuſtodiis ſermonem inſtituit, delibare. Quum ergo egregius ſodalis Laurentius Bienvenida, Cuſtodiæ recenſitæ Jucatanicæ alumnus, de quo alias, in Hiſpaniam, nonnulla peracturus negotia, trajiceret, ſeque Generali Miniſtro Franciſco Zamorenſi præſentaret, inter loquendum ſuaſit, ut memoratas Cuſtodias in unum corpus conflatas ad Provinciæ dignitatem promoveret. Adjecit præterea, nullo pacto ſancti Evangelii Provinciam, ſic late patentem ab unico tantum Provinciali Miniſtro infra annum, imo nec intra biennium, de religioſo more viſitari poſſe, quod ſane in maximum regularis diſciplinæ detrimentum vergeret. His igitur atque aliis rationibus in medium a præfato Laurentio adductis, coactus Generalis ipſe Miniſter decrevit, ut ex iiſdem Guatemalæ & Jucatanis duabus Cuſtodiis, una peculiaris Provincia conflaretur. Idque ſub ea lege, ut quoties Provinciale Capitulum ex Guatemalenſium parte celebraretur, is, qui Meridenſi Conventui apud Jucatanicos Guardianus præficeretur, Provincialis vice (hunc Viceprovincialem nuncupabant) apud eoſdem Jucatanicos fungeretur: & e converſo, ut is Guardianus, qui Guatemalico Monaſterio præeſſet, Viceprovincialis honore eoſdem apud Guatemalicos dignaretur. Aſſumtis itaque hujuſmodi duabus Cuſtodiis ad Provinciæ dignitatem, atque per quinquennium præfata ſub lege perſeverantibus, juſtiſſimis cauſis id maxime exigentibus, ab Aloyſio Puteo Generale Miniſtro conſultiſſime cautum fuit, ut præfata Provincia in duas, nempe in Guatemalicam & Jucatanicam divideretur, ac earum cuilibet peculiaris Miniſter Provincialis, juxta Ordinis morem, præficeretur, ut luo loco dicemus.

Wadd. ad ann. 1523.

Cuſtodiæ de Jucatan, & Guatemala Ind. *Gub. Tom. 3. cit. Wadd. ad ann. 1536. n. 2. 1537. n. 3. 1559. n 2. Genz. par. 4. in præm. Provinc. Guatemal.*

Laurentius Bienvenida

CXLIII. Porro Guatemala eſt novæ Hiſpaniæ regio, eaque temperatiſſi-

Guatemalæ regionis deſcriptio.

ma, majori ex parte montuoſa, cypreſſis ſeraciſſima, atque plurimis properantibus fluviis irrigua. Non paucis præterea, iiſque ſertiliſſimis vallibus gaudet, atque carnibus, frumento inſuper, & indico eo fructu, quo iſtius patriæ nationes pro quadrante, ſive ærea pecunia in ſuis tum emtionis, tum quoque venditionis contractibus olim utebantur, (hunc *Cacao* indice appellant) ſupra modum abundans, ſui accolas divitiis cumulat. Naſcitur vero hujuſmodi fructus in non adeo magnæ quantitatis arboribus perpetuo virentibus, maliſque medicis in ramorum diſpoſitione, ſed lauris in frondibus ſimillimis; quæ tamen, & ſoli inimicantur, & aquam ſupra modum affectant: quod ſi iſta illis minus abundanter ſuerit ſubminiſtrata, aut ille eas directis reſpexerit radiis, nihil fructus aut certe parum producunt: qua etiam de cauſa aquis ad medium perpetuo immerſæ, ab altioribus in gyro arboribus caute conteguntur. Nec tamen interim, cum ſit hic fructus amigdalæ ſimillimus, licet rotundus & ea aliquantulo brevior, ejus more prodit: ſed rotundis quibuſdam vaginulis ex trunco, ſive ex craſſiori ramuſculorum parte procedentibus, ad ſabarum ſive ſaſeolorum inſtar tegitur. Ex hoc etiam fructu aſſato atque optime contuſo, ſi calidæ aquæ cinnamomo, atque miriſticæ alteri ſpeciei, quæ indice *Chile* appellatur, ſuerit adhibitus, ſuaviſſimus inſuper & ſaluberrimus conficitur ille potus, qui *Cocolata* dicitur, ex quo bis in die, ne dum hujus Regionis, ac reliquæ novæ Hiſpaniæ inquilini, verum etiam Italiæ habitatores, & hic Romæ præſertim, mane & pomeridiano tempore, ſaluti ſimul & guſtui conſulentes frequentiſſime utuntur. Cæterum Guatemalica regio editiſſimis montibus (ut ſupra meminimus) præſertim vero Auſtrale verſus Oceanum mare ditatur, quorum tres aut quatuor patentibus in ſummitate hiantibus, modo cineres, modo ignem, modo vero arenam evomunt emittuntque. Inſuper & peroptimo abundat ſulphure, ita ut merito hujuſmodi patria Puteolis in Italica Campania comparari poſſit. His quoque accedunt plures thermæ noſtris quoque Puteolanis omnino ſimiles. Gens interim Guatemalica olim ſylveſtris omnino, pigerrima, idololatriæ dedita, belluiniſque prædita moribus erat, atque ad ferarum inſtar, vel cavernas, vel caſulas ex impolitis lignis in montium ſalebris ædificatas inhabitabant. Ab eo tamen temporis in præſenti uſque a Sodalibus noſtris inſtructa, conſtructis oppidis, plurimiſque gymnaſiis atque Eccleſiis in illis erectis, atque idololatria longe profligata, humano more, ſub Chriſtianis legibus vivit. Civitas vero Guatemala, quæ ab Hiſpanis iſtius Patriæ expugnatoribus, ſecundo, diverſis tamen in locis (ut infra patebit) ædificata extitit, amœniſſima quadam in valle ſita, ea prorſus aeris temperie per totum annum fruitur, qua temperatior noſtræ Italiæ pars in menſe Aprili frequentius gaudere aſſolet. Quo fit, ut ridentibus perpetuo pratis, arboribuſque virentibus, ejus accolæ lætiſſimos ducant dies, atque Neſtoreos (ut ajunt) vivant annos. Sunt tamen hujuſmodi accolæ, ut plurimum vel Hiſpani, vel ex Hiſpanis prognati: nam Indi vel oppida vel montes incolunt. De reliquo hæc noſtra Provincia nominis Jeſu de Guatemala ad D. vel circiter milliaria in longitudine extenditur; ſed in latitudine anguſtiſſima patet, cum omnes fere ejus Conventus tamquam per rectam præſatæ longitudinis lineam conſtructi atque ædificati ſint, ſuntque ii, qui ab horum Annalium Continuatore memorantur, quum his temporibus conſtructi fuerint. De cæteris autem hujus Regionis noſtris religioſis Domibus erit, favente Deo, ad ſuos annos memoria.

Fructus, ex quo Cocolata conficitur.

Tom. XVIII. Continuation. ad ann. 1543. §. 22.

CXLIV. In Provincia vero S. Crucis, eos præter quorum fundationes fuere ad elapſos annos recenſitæ, ille Tucuii ſe offert, qui ſub titulo S. Mariæ Angelorum fundatus eſt, una cum illo Purificationis Baraquizimeti, quibus addendum

Conv. Tucuii. Conv. Baraziquimeti.

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Minorum anno 352.

dum Urbis ſancti Dominici Clariſſarum Monaſterium, ubi quinquaginta Sanctimoniales inhabitant. In Provincia demum de Jucatan Cœnobia non memorata ſunt illa ſancti Michaelis Archangeli Manii, ſancti Antonii Patavini Itzmalis, ſancti Franciſci Cuncalis, ſancti Ludovici Toloſatis Epiſcopi Calchinii, & ſancti Franciſci Humunii, de quibus etiam apud rerum noſtrarum Scriptores, uno demto Gonzaga, altum habetur ſilentium, quæque religioſorum Cœnobiorum aliqualem formam videntur præſeferre: Ea vero quæ ſequuntur, nempe ſancti Franciſci Hocabæ, ſancti Auguſtini Tichanti, ſancti Joannis Baptiſtæ Tichachſii, ſancti Bernardini Jemulis, ſancti Franciſci Xequecacanis, ſancti Franciſci Oxcutſabis, ſancti Bernardini Tixeocabis, Conceptionis Tinumii, ſancti Franciſci Hunucmæ, Conceptionis Tixcelii, & ſancti Franciſci Taumanis, ait idem Gonzaga, nec Eccleſiam ſibi contiguam habent, nec officinis noſtrorum Monaſteriorum more honeſtantur. *Conventus plures Provinciæ de Jucatan.*

CXLV. In Italia autem ſub annum hunc, prope oppidum Nuceriæ Tropeenſis diœceſis in provincia Calabriæ, ad quingentos paſſus PP. Conventuales Cœnobium, ſub invocatione ſancti Patris Franciſci fundatum eſt a Mariano Caloyero ex proceribus ejuſdem oppidi, univerſa re ſua ad hanc rem elargiente, aſſentiente primum diœceſano Generali Vicario, & Hieronymo Ruolicio Antiſtite anno MDLXXI. die XIII. Junii facultatem iterum atque iterum confirmante, additis nonnullis Miſſarum oneribus. *Conv. Nuceriæ. PP. Conventual. MSS. auth. Provinciar. Patrum Conventus fol. 52.*

CXLVI. In Hiſpaniis vero eum beatus Victor Chriſti Martyr in Ceraſo oppido Provinciæ Burgenſis, Parochi munere functus, in editum atque aſperum montem ſeceſſiſſet, indeque ſeptennio abſoluto, ad Angeli monita, indicatum oppidum, eodem Parochi officio functurus repetiiſſet, ab impiis Saracenis, quod publice in Mahumetiſmum invectus eſſet, quodque Chriſti fidem palam prædicaſſet, ibidem Cruci affixus, capite tandem plexus eſt, quod a Cruce depoſitus, manibus accipiens, ait Gonzaga, non ſecus ac alter Dionyſius Areopagita ad MO. uſque paſſus detulit, *& per alios tres dies* (ita legitur in citatis MSS Monumentis) *verbum Dei annuntians, propriiſque greſſibus ambulans, atque ſerpentem a loco a ſe pro tumulo deſignato exterminans; Martyrii coronam adeptus eſt. Ejuſdem ſepulcri terra ingentia uſque hodie Deus ipſius meritis operatur mirabilia.* Porro ſacrum Corpus (excepto capite a Patribus Dominicanis Maſſiliæ deportato) in Ara maxima novi Templi collocatum viſitur, arca lignea, exterius tamen ferrea crate occluſum, tribuſque munitum clavibus, quarum una a Caſtellæ Comeſtabili, altera ab Oppidi Belforadi Prætore; tertia demum a Cœnobii Guardiano, ea, qua par eſt, ſedulitate ſervantur. Anno autem MOXXV. auctoritate Ordinarii elargita, Sidoniæ Archiepiſcopus, aliique Præſules ſacras inviſere exuvias, ut ex authenticis Tabulis in Archivo hujus Cœnobii ſervatis ſatis ſuperque liquet. Cujus venerabile Corpus Chriſtifideles oppidi Ceraſi habitatores ibidem honorifice tumulandum, atque eremitorium ei dicatum eodem in loco erigendum curarunt. Hoc poſtmodum Dominicani Patres ampliatum, atque in Monaſterii formam redactum per aliquot annos inhabitarunt occuparuntque: ſed cum ab eis legitimis de cauſis derelictum in quorumdam ſæcularium Sacerdotum jus ceſſiſſet, ad hujus tandem Provinciæ Fratres ex Apoſtolica auctoritate, Petro Ferdinando a Velaſco Caſtellæ Comeſtabili, cui oppidum *Cereza* ſuberat, id maxime ſolicitante, hoc anno devolutum eſt. Cœterum hic locus, omnibus in gyro devotis populis ob frequentia recenſita miracula, quæ ad ſancti Victoris ſepulcrum contingunt, commendatiſſimus extitit. Præter ejuſdem ſancti Martyris Corpus, in Sacrario honorifice Reliquiæ ſequentes conduntur, videlicet: unum ex Brachiis ſanctæ Victoriæ Martyris, *Conv. S. Victoris Ceraſi. Gonz. in Prov. Burg. Conv. 21. MSS auth. ejuſdem Prov. recens ad nos miſſa. MSS. cit.*

ex ligno vivificæ Crucis D. N. J. C., ex Indufio B. M. V., & ex Offibus ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, Petri de Alcantara, Ignatii de Loyola, Franciſci Xaverii, Coſmæ & Damiani Martyrum, Franciſci Borgiæ, Philippi Nerii, Alexii Confeſſoris, & Tereſiæ Virginis. Circa annum MDCCX. ruinam ingentem Cœnobium eſt paſſum. Joſeph tamen Sagzedo Provinciæ Miniſter, benefactorum ſubſidiis novæ ſtructuræ dedit initia; ultimamque demum manum appoſuit Franciſcus Frenvi Valderrama, & ipſe Provincialis Miniſter anno MDCCXV.

Conventus Ilbæ ſive Portus Ferrarii. *Antonius Terrin. MSS. Provinciæ Tuſciæ Decad. 2.*

CXLVII. In Provincia Tuſciæ Berardi Diagoncini Miniſtri, & Coſmæ Medicei Magni Ducis Etruriæ a ſacris confeſſionibus induſtria, Conventus Ilbæ ſive Etaliæ Inſulæ, vulgo Portus Ferrarii, ſanctiſſimo Salvatori dicatus, ab eodem pientiſſimo Principe exſtruitur, ne militibus ibidem degentibus, ac reliquo populo ejus portus inquilino Sacerdotes, qui rem divinam facerent, ſacriſque eorum confeſſiones exciperent, atque pro ſuggeſtu conciones haberent, aliquando deeſſent. Franciſcanos proinde Fratres, qui ibidem habitare vellent, ab hujus Provinciæ proceribus, quorum ex munere intererat, petiit, ſeque illis victum & amictum, juxta morem eorum collegarum, quos Sapientia Piſana alit, immo & Conventum cunctis rebus neceſſariis communitum daturum ſpopondit & perfecit, cui etiam Princeps prætioſa quædam aurea & argentea donaria pro ſua pietate impertiit. In hac Eccleſia ſodalis quidam nomine Baptiſta de Rontano (male apud Gonzagam Rotano) laicus tumulatus eſt, qui quandiu vixit conſpicuus virtutibus, moriens maximum ſui deſiderium reliquit. Eccleſiam ipſam numeris omnibus abſolutam Alexander Petrucius Maſſæ & Populoniæ Epiſcopus Dominica III., die vero XVII. Septembris, anno ſalutis MDCVI. conſecravit, prout ſequens indicat in marmore inciſa inſcriptio, videlicet.

Baptiſta de Rontano. *Gonz. in Provin. Tuſciæ Con. 49. MSS. cit.*

D. O. M.
ALEXANDER PETRUC. GRATIA DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS EPISCOPUS MASSÆ, ET POPULONIÆ AN. D. MDCVI. DE MENSE SEPTEMBRIS IN HONOREM S. SALVATORIS HANC ECCLESIAM CONSECRAVIT, ET SINGULIS CHRISTIFIDELIBUS IPSAM VISITANTIBUS XXXX. DIES DE VERA INDULGENTIA IN FORMA ECCLESIÆ CONSUETA CONCESSIT. DECLARANS, QUOD EJUS ANNIVERSARIUM SIT DOMINICA III. EJUSDEM MENSIS. FERDINAND. MED. MAG. DUCE ETRURIÆ III. DOMINANTE.

Eamdem exornare curarunt Proceres Vaniniæ Familiæ: eſtque in ea Virorum Mulierumque ſodalitium erectum, titulum Immaculatæ Conceptionis præferens, innumeris ſpiritualibus munitum privilegiis, quod ſacellum ſibi aſcriptum in omnibus providet. Pari modo ſocietas altera ſacellum ſancti Joſephi Virginis Sponſi ornatum conſervat. Militia Præſidis Altari ſanctæ Barbaræ, Fabri Ferrarii vero ſacellum ſancti Eligii ornatum tenere ſtudent. Plura denique in hujus Eccleſiæ cultum contulit piiſſimus Martius Barbolanus e Comitibus Montis acuti, Civitatis & Portus Præfectus, præcipue vero duo lapidea Confeſſionalia affabre elaborata, unum a dextris Eccleſiæ, alterum a ſiniſtris, ſuis gentilitiis affixis, & ſequenti inſcriptione partita. In cornu Evangelii.

IN MEMORIAM PALII, LUMINUM, ALIORUMQUE BENEFICIORUM, QUÆ SERAPHICUS PATER IN FAMILIAM BARBOLANORUM DE MONTE ACUTO CONTULIT, ET CONFERT.

In

Anno Christi	Pauli IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 352.
1559.	anno 5.	anno 3.	

In Cornu Epiſtolæ.

COMES MARTIUS A MONTE ACUTO GUBERNATOR PARUM HOC PRO MAJORI, QUOD CUPIEBAT M. P. C. A. S. MDCXXXIV. PRÆFECTURÆ VERO SUÆ XXII. KAL. DECEMBRIS.

CXLVIII. Etiam Conventus ſancti Joſephi, qui ad Provinciam Arabidorum pertinet, a conjugibus Proceribus Franciſco Guſmanio, & Joanna de Braſſe ad tertium lapidem ab Oliſſyppone, non procul ab Oceano mari, hoc anno ædificatus eſt.

Conv. Oliſſyppon. S. Joſephi. *Gonz. 3. par. in Prov. Arabidor. Conv. 7.*

CXLIX. Conventus Piſinii Viſitationis ſanctæ Mariæ Gratiarum, cujus Waddingus dumtaxat in ſerie Provinciarum quam ultimam facit, meminit; de ejuſdem tamen anno fundationis, qui fuit circiter MCCCCLXXXI. nullam prorſus facit memoriam, quam tamen non prætermittit Gonzaga, hoc anno e Provincia Dalmatiæ ad illam Boſnæ Croatiæ devolvitur, Ferdinando Imperatore inſtante. Piſſinium oppidum Hiſtriæ Dalmatiæ Provinciæ finibus adſcribitur, ait Gonzaga, qui tamen in multis deceptum invenimus ſcribentem, *recenſitam translationem Capituli Generalis Aquilæ anno ſequenti*, *nempe* MDLX. *ſub venerabili Patre F. Angelo Averſano ejus Præſide, celebrati, Patres firmam, ratamque habuiſſe*. Aquilæ enim hoc, non ſequenti anno Comitia, ut diximus celebrata ſunt, quibus Angelum Averſanum præfuiſſe, Patreſque translationem confirmaſſe non legimus.

Con. Piſinii. *Gonz. Pr 3. in Provinc. Boſnæ Creat. Con. 6. Monum. MSS. Prov. Boſnæ. Wadd. ad ann. 1506. n. 10. in ſerie Prov. ubi de Prov. Dalm. Con. 18.*

CL. Patribus Capuccinis etiam hoc anno domicilium exſtructum prope Cœſenam in Æmilia Provinciæ Bononienſis D. P. in amœno colle extra publicam viam piorum eleemoſynis in S. P. Franciſci ſtigmatizati honorem, exin ad Tyrones æducandos deſtinatum. Aliud prope Bugellam in Agro Wercellenſi, ſub dominio Sabaudiæ Ducis, Comitis cujuſdam a Puteo viri pii liberalitate, qui tot agri jugera, quot Conventus ædificationi neceſſaria erant in hoc opus erogavit, teſte Boverio, ſilente tamen de more Eccleſiæ titulum, qui eſt ſancti Joannis Baptiſtæ, & fundationem alterius Cœnobii, Turturicæ videlicet, Provinciæ, & diœceſis Meſſanenſis ab oppido ducentis fere paſſibus diſtantis publico ære peractam, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Angelorum; itemque illius ſanctæ Reparatæ Teani in Neapolitana Provincia, extra urbem ad medium milliarium, a religioſo populo hoc anno Capuccinis exſtructi.

MSS. auth. ex Arch. PP. Capuccin. Urbis. Conv. PP. Capucc. Bugellæ. *Bover. ad hunc annum n. 1. MSS. auth. ex Arch. PP. Capuccin. Urbis.* Conv. eorundem Turturicæ. *Ex eod. Archiv.*

Conv. eorumdem S. Reparatæ. *Ex eod. Archiv.*

CLI. Franciſchina de Maximis, duodecim ſibi aſſumtis Virginibus, dirigente Cornelio a Bononia ex Obſervantium familia, Monaſterium nominis Jeſu in Urbe Veteri Provinciæ Romanæ ingreditur, Clariſſarum Regulam profeſſura; cui Mutius Capelletus nobilis Cives proprio ære pulcherrimam addit Eccleſiam, Cardinali Saneſio Antiſtite primum lapidem ponente, eademque Virgines conſecrante. Hic colitur B. V. imago a Cardinali Simoncello donata, adeo miraculis celebris, ut mortuum ad ejus invocationem vitam denuo recepiſſe feratur, dicta propterea *la Madonna del morto vivo*: ſervaturque ibidem integrum brachium ſancti Amatoris Epiſcopi.

Mon. Urbis Veteris. Franciſchina de Maximis. *MSS. auth. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. n. 22. fol. 68.*

CLII. Domus Sororum Tertii Ordinis Pupilii prope Piſtorium Provinciæ Tuſciæ a Joſepho Tellucino ejuſdem oppidi, ex Obſervantibus, habuit originem. Is namque Commiſſarius cum eſſet in Piſtorienſi Conventu, quaſdam puellas ſacro habitu hoc anno induit, quæ deinde anno MDLXI. ſibi domum ædificarunt cum Eccleſia, ut in ea abſque clauſuræ legibus Deo famularentur. Virgines quædam Dominica, Domitilla, atque Maria Paper inter cæteras fuere ſanctimonia illuſtres.

Mon. Ter. Ordin. Pupilii. *MSS. auth. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. n. 22. fol. 229.* Dominica, Domitilla, & Maria Paper.

CLIII. Apud Monſterolum item, quod Viromandorum oppidum eſt, Am-

Monaſt. Monſterolii.

Gonz. p. 3. in Prov. Franc. Paris. Mon. 10. Wadd. ad ann. 1458. n. 49.

Ambianenſis diœceſis, Joannes Bourſius in utroque jure licentiatus, Joannes etiam Huoltus, & conjux anno MCCCCLVIII. pro iiſdem Sororibus Tertiariis novo domicilio dedere initia; ſed immatura morte interceptis, Eccleſia abſolvi non potuit: cui tamen hoc anno Nicolaus de Pelve Ambianenſis Epiſcopus perficiendæ non pepercit impenſis. Hæc nos ex Wad. ipſe vero ex Gonzaga depromſit.

Wad. ad ann. 1506. n. 10.

CLIV. Minoribus Comitiis, ſive ut ajunt, Congregatione Provinciæ Saxoniæ hoc anno celebrata, unum, aut alterum inventum eſt, nuper a Lutheranis ſolo æquatum Cœnobium. Nobis autem miſerrimæ Provinciæ opportunis monumentis carentibus, quum ſubverſionis hujuſce tempus indicare non liceat, præſtat ſaltem eas notitias prodere, quas ex Waddingo, atque Gonzaga eruimus, Provinciæ ejuſdem faciem ſic aperientibus.

CLV. Waddingus in ultimo, quem contexuit an. MDVI. Provinciarum Catalogo ejuſdem Provinciæ Saxoniæ hos Conventus aſſignat.

1 S.... Brandeburgenſis, in quo primo tempore ſancti Bernardini * reformatio incepit.
2 S.... Eyſenatenſis.
3 S. Eliſabethæ in Monte extra portam Civitatis, ubi aliquot Fratres morantur in memoriam ſanctæ Eliſabethæ Hungariæ, quæ ibidem Hoſpitale habuit.
4 S.... Angermundenſis.
5 S.... Arniſtendenſis.
6 S.... Zeitpzenſis.
7 S.... Wimarenſis.
8 S.... Galyſenſis.
9 S.... Incellenſis.
10 S.... Vallenſis.
11 S.... Magdemburgenſis.
12 S.... Gottmingenſis.
13 S.... Egrenſis.
14 S.... Guinſenſis.
15 S.... Butterbalzenſis.
16 S.... Chemniczenſis.
17 S.... Steynlenſugzcenſis.
18 S.... Anneburgenſis.
19 S.... Stadhagennenſis.
20 S.... Banderſcheymenſis.
21 S.... Montis ſanctæ Annæ.
22 S.... Glimſingenſis.
23 S.... Bonſtravvenſis.
24 S.... Oſterrodenſis.
25 S.... Eylslebenſis.

Sigillum hujus Provinciæ habet imaginem Chriſti crucifixi cum Sole ad dexteram, & Luna ad ſiniſtram, & ad pedem crucis, effigiem ſancti Franciſci.

* *In originali legitur* informatio, *ut monet Waddingus citatus. At ſi reformatio legi debeat, in ſenſu Conſtitutionis Leonis X. lto & vae Decidentem intelligo.*

CLVI. Gonzaga autem, *ut florentiſſimæ hujus Provinciæ vices*, ait, *magis lector dolere poſſit ann.* MDXVIII. *antequam videlicet Lutheri hæreſis exoriretur, ſequentem Catalogum adducere non gravatur.*

In Saxonia.

Stathaganenſi,	Wimarienſi,	Lemſellenſi,
Brandenburgenſi,	Celtzenſi,	Guſtroenſis,
Iſennaccenſi,	Hallenſi,	Stainelncenſi,
Augermundenſi,	Magdeburgenſi,	Velinenſi,
Arniſtendenſi,	Gottingenſi,	Oſtoroedenſis,
Saltzenſi,	Egrenſi,	Luſicenſi,

In Pruſſia

Guthatzenſi,	Vucloenſi,	Dilſenſis,
Wynzenſi,	Salnedenſi,	Montis regii,
Kempnitzenſi,	Lanenbingenſi,	Grypſiwaldenſis,
Luneburgenſi,	Hiſenum an. 1524.	Sequenſis,
Lypſenſi,	Do. 1512. & 1513.	Nunſemenſis,

Zutterbunzenſi, adjuncti ſunt Dantershemenſis. Montis S. Eliſabethæ.

In

Anno Christi 1559.	Pauli IV. anno 5.	Ferdinandi I. Imp. anno 2.	Religionis Mimorum anno 352.

In Livonia.

Gandeſemenſis, Terpatenſi, Kilonenſis,
Schleſevicenſis, Montis S. Mariæ, Suſtrucenſis.
Rigenſi, Scluſigenſis,

CLVII. Hos, & numeris & nominibus ab iis a Waddingo recenſitis diſcrepare jam vides. *Anno autem*, Gonzaga proſequitur, MDXXXV. *in Capitulari Congregatione Hallenſi, qui ſequuntur Conventus ſubſiſtebant, nempe. Hallenſis, Celtzenſis, Stathagenenſis, Guſtroenſis, Brandenburgenſis, Magdeburgenſis, Luneburg. Oſterodenſis, Angermundenſis, Egrenſis, Gandeſemenſis, Gripſualdenſis, Rigenſis, Zuttorbunzenſis, Montis S. Mariæ, Suverinenſis, Lipſenſis, Kempnitzenſis, Sebluſigenſis. In ſecunda vero Congregatione, quæ Brandenburgi, an. Domini* MDXXXVIII. *habita eſt, ſubſcripta Monaſteria deſiderata fuere, nempe: Rigenſe, Celtzenſe, Luneburgenſe, Gandevbemenſe, Montis S. Mariæ, atque Oſterodenſe. In tertia Congregatione in Conventu Stathaganenſi an. Domini* MDLIV. *coacta, ſequentes Conventus ab aliis minus inventi ſunt, nempe: Lypſenſis, Magdeburgenſis: Kempnitzenſis, & Guſtroenſis. In Congregatione Halberſtadii habita, quæ ſequuntur loca, vel ſolo æquata, vel ab impiiſſimis hæreticis conſpurcata, atque occupata fuerant, puta: Brandenburgenſis, Egrenſis, Statbaganenſis, Sebluſigenſis. At qui in quarta, quæ etiam Halberſtadii hoc anno * celebrata fuit, quæ ſequuntur Monaſteria perieraut, nempe: Grypſuvaldenſe, Suverinenſeque.* Verum interdum aliqua ex præfatis locis recuperata fuerunt, quæ tamen exinde in hæreticorum jus, ſive tyrannidem potius, redierunt. *Gonz. cit.* * MDLIX.

CLVIII. Quum Julius III. per ſuas litteras, quibus initium: *Ex incumbenti* &c. die VIII. Junii MDLI. confirmaverit *ſtatuta, & ordinationes pro bono regimine Sanctimonialium beatæ Mariæ V. oppidi de Villa Franea, Ordinis ſanctæ Claræ, Aſtorieen. diœceſis edita*, ut in Regeſto Tomi XVIII. legitur, etſi de hujuſmodi confirmatione altum habeatur ſilentium, dum ad recenſitum annum MDLI. illa perpauca ad Ordinem ſpectantia in eodem Tomo narrantur: Paulus IV. hoc anno iiſdem litteris valorem adjicit, edito Brevi ſub XXVIII. Aprilis; qua de re ex ſecretiori Vaticani Tabulario ſatis, ſuperque edocemur. *Ex Vatic. Ep. Pauli IV. ad ann. 1559. n. 117.*

CLIX. Circa hunc eumdem annum D. Finalteria *uxor Ser Bonifacii de Mevania ſatis amplas facultates donat fabricæ Cœnobii Portiunculæ, ex quibus præcipuum Triclinium, ſive Refectorium, atque valetudinarium extruuntur.* Ita in manuſcripto antiquo, quod in Archivo ejuſdem ſacri Conventus ſervatur. Ubi animadvertendum, hujuſmodi bona ſtatim alienata fuiſſe, ad normam Apoſtolicarum Conſtitutionum Nicolai III. Clem. V. aliorumque ſummorum Pontificum. *Quædam bona ſacro Cœnobio Portiunculæ relicta. MSS. auth. Provin. S. Franc. Conſit. & xiii qui ſeminat & Exivi de Paradiſo de verb. ſignif. in 6.*

ARGUMENTUM.

Tridentinum Concilium quando convocatum, translatum, intermiſſum, continuatum, & quibus de cauſis. Ad illud quinam & quot Cardinales Legati a ſummo Pontifice miſſi. Jacobus Auguſtus Thuanus notatur. In Galliarum Regnum bellum civile exoritur, a Thoma Illirico Minorita pluribus ante annis divinitus prænunciatum. Hæreticorum immanitas in Franciſcanos eorumque Domos enarratur. Illorum complures in eodem Regno tum etiam in Indiis, & in Paleſtina Martyres. Alii etiam Viri Dei, atque Mulieres in oſculo Domini decedunt. Viri multi doctrina præditi florent. Ad Epiſcopales infulas plures evecti, & ad ſacræ Inquiſitionis munus obeundum alii varia de cauſa, alio miſſi. Martinus de ſancta Maria Provinciæ Arabidorum dat initia. Thomas Typhernas Capuccinorum Præſes Generalis Provinciam ſuorum ſancti Hieronymi dividit. Nova memorantur Virorum atque Mulierum exſtructa Cœnobia, præſertim in Indiis. Ordo præcipuis privilegiis multis in locis ornatur.

Concilium Tridentinum quando convocatum. *Pallavic. hiſtor. Conc. Trid. Raynal. ad hunc ann. Spondan. & reliqui.*

Translatum. *Auctores cit.*

Intermiſſum. *Auctores citati.*

Reſſumtum. *Thuan. lib. 18. & alii.*

I. SAcrum Tridentinum Concilium, cujus proſperos pro Eccleſia eventus, quum generis humani hoſtis auferre nequiverit, ſaltem coactus eſt retardare, indictum primo a Paulo III. anno MDXXXVI. in urbem Mantuam, deinde Vicentiam, poſtea Tridentum evocatum anno MDXLII.; tandem ſeſſionibus quibuſdam habitis, inde Bononiam translatum eſt. Exin a Julio III. revocatum in Tridentinam urbem, atque iterum ibi pleriſque conſtitutis, quando ſpes erat non levis Chriſtianorum mores emendare, ac magis magiſque, ad univerſalis Eccleſiæ bonum, contra nuper exortas hæreſes fidem orthodoxam aſſerere, atque catholica declarare dogmata, juſtis de cauſis aliquandiu intermiſſum, iterum ut fieret die XXVIII. Aprilis anni MDLII. decretum eſt. Hoc autem anno Pontifex, non de privatis affectibus tantum ſolicitus, ut Suavis, Thuanus, cæterique hujus furfuris homines effutiunt, ſed mentis oculos per omnes Reipublicæ Chriſtianæ partes circumferens, & non ſine horrore conſpiciens, quam longe lateque peſtis hæreſum pervaſiſſet, & quanta populi mores correctione indigerent; huic malo ut obviam iret, omnium Principum Chriſtianorum accedentibus votis, opportunum remedium adhibere conſtituens, iterum idem Concilium indixit, lecto coram purpuratis Patribus per Secretarium diplomate, cujus initium: *Ad Eccleſiæ regimen* ſub II. Kal. Decembris, non III., ut male Victorellus; ac quinque delectis Presbyteris Cardinalibus de latere Legatis, videlicet Jacobo Puteo, Hercule de Mantua, Hieronymo Seripando, Stanislao Varmienſi, & Ludovico Simonetta, de quorum primo & ultimo Thuanus ſilet, qui mavult in Romanis rebus narrandis maledicum, quinimo & mendacem, quam hiſtoricum agere. Etenim dum etiam in Pium IV. irriſiones & contumelias aggerit, inter cætera refert, quod *Pontifex Joannem Mediceum vix* XIV. *annos prætergreſſum in Cardinalium Collegium cooptaverit*; eum ſeptimum ſupra decimum annum tunc egiſſe, nedum ex probatis auctoribus, verum & ex illius ævi monumentis eruitur. Tantum horret bonus auctor, optimæ indolis adoleſcentem ſacri Senatus albo aſcriptum fuiſſe, qui Carolum IX. undecim annorum puerum, Galliarum Regem pareutem ſuum olim adoraſſe fatetur. Ad Chriſtianos etiam Principes Pontifex ob hanc cauſam Synodi celebrandæ mittit Legatos, inter quos Marcus Siticus ex Comitibus de *Altemps*, Germanus, Sanctitatis ſuæ conſanguineus ad Cæſarem deſignatus eſt, quem etiam ad Eccle-

Raynal. ad hunc annum. Victorell. in addit. ad vitam hujus Pontif. apud Ciac.

Legati Cardinales ad Concilium. Thuanus arguitur. *Jacob. Thuan. hiſt. ſui temp. ad hunc ann. lib. 18.*

Ciacon. in vita hujus Cardin. & alii. Monum. MSS. noſtri Arch. Sbidem lib. 17. Pallav. lib. 14. cap. 13.

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 353.
1560.	anno 2.	anno 3.	

cleſiam Caſſani a ſe derelictæ promovit. Is ducere ſecum eximium virum noſtrum Cornelium Muſſum Patrum Conventualium familiæ Bitontinum Epiſcopum ſtatuit, quem pretioſiſſima ſimulque devota munera quibuſcumque Cæſareæ Familiæ obtulit. Ratio autem potiſſima cur miſſus fuerit Cornelius, Regis Boemiæ converſio extitit, qui Novatorum videbatur quodammodo aſperſus erroribus, præcipue quantum ad communionem laicis dandam ſub utraque ſpecie. Erat ſane, ait Pallavicinus, Muſſus huic muneri ſatis ſuperque aptus ob eloquentiam atque doctrinam, quibus ſummopere videbatur pollere. *Pallavic. cit.*

II. Inter alias vero cauſas, quæ ſummum moverunt Antiſtitem, ad iterum convocandum Concilium, non ultima fuit conjuratio, quæ in Galliarum Regno primum occulte cœpit iniri, cuique plurimi nomen dedere, qui palam in Deum, ſimulque in Regem die XV. Martii Ambaciæ (Thuano Amboſiæ) ad Ligerim, perduellionis crimine rei facti ſunt. Hanc miſerrimi Regni cladem, quam noſter Thomas Illyricus ſapientia & ſanctitate celebris quinquaginta ante annis Burdigalæ pro ſuggeſtu non ſemel prædixerat, audientes vel in primis Valentiæ Cavarum in Allobrogibus incolæ, quibus Petrus Brulæus, Ægidius Santalius, & Lancillottus Calvinianæ hæreſis fuere temporibus retroactis Magiſtri, ingenti petulantia Cœnobii Patrum Conventualium Provinciæ Mediolanenſis, de quo Waddingus, atque Rodulphus ſcribunt, Templum vi occupant, & Fratribus male habitis atque expulſis, in illud ad conciones publice conveniunt. Adveniente autem Laurentio Maurigirono Guiſii Legato, ad eorumdem temeritatem reprimendam, in eodem templo, veluti in arce ad præliandum ſe parant. Similia feciſſe legitur apud Montem Limarium, alias Montem Emarorum VII. M. P. a Valentia diſtantem, cujus cives Thuanus *Montelaurienſes* vocat, ubi eorumdem Patrum Conventualium Domum ex integro expilarunt. Demum hac in regione idem factitatum in præclaro Romani oppido, Valentiæ urbi proximo, ubi opera quorumdam *Changiorum* Fratrum, quos initæ conjurationis conſcios, non multo poſt, legimus, in vincula fuiſſe conjectos, immaniter irruunt in Minoriticum Obſervantium Cœnobium pertinens ad Provinciam ſancti Bonaventuræ, quod anno MCCC.II. Claudius Roberti in ſua Gallia Chriſtiana ædificatum ſcribit a duobus fratribus Guillelmo & Aymaro Pictavienſibus; conſentitque Gonzaga, errans tamen in nomine *Aymari*, quem *Eduardum* appellat. Ita enim de eodem Cœnobio ſcribit: *Non pepercit Hæreticorum rabies huic Conventui qui de Romanis nuncupatur, quique liberaliſſimis quondam inclytorum* Eduardi *& Guillelmi a Pictaviis uterinorum fratrum expenſis exſtructus, ingentiſſimiſque muneribus locupletatus fuit. Quinimo eorum opera atque inſano furore, totus jacet ruina irreparabili. Tantorum præterea Patronorum cœptis non defuerat cariſſimi nepotis Joannis a Pictaviis benignus favor, opportunumque auxilium, ſi ſanguinarii hæretici id, quod ille pie præſtiterat, impie omnino atque ſacrilege demoliti non fuiſſent, expilaſſentque. Unde nunc decem Fratres ſat miſere ibidem hoſpitantes collapſa ex Fidelium eleemoſynis reſtaurare pro viribus adnituntur.* In provincia Aquitaniæ etiam irruentes Hæretici, Cœnobium Marmandæ oppidi ſpoliant, comburunt, totumque fere deſtruunt, inibique Joannem Goſſonium ſeptuagenarium Minoritam Catholicam fidem abnegare renuentem patibulo ſuſpendunt, dein ſpherulis plumbeis verberant, donec glorioſam animam ad Cœlum emittat. Hæc circa feſtum ſanctæ Catharinæ V. & M. die XXV. Novembris hujus anni accidiſſe acta authentica MSS. ejuſdem Provinciæ apud nos exiſtentia teſtantur. De cæteris autem horum nebulonum flagitiis, immaniter in Franciſcanorum Domos,

Bellum civile in Gallia. *Auctores citati. Davil. de Bello Civili Gall. lib. 2. ad hunc ann. Thuan. cit.*

A Thoma Illyrico pluribus ante annis prædictum. *Florimund. de ortu, progreſſu, & occaſu hæreſum lib. 1. Hilarion. a coſta lib. 1. hiſt. Cathol.*

Cœnobium Patrum Conventualium Valentiæ ab Hæreticis invaſum. *Davil. cit. Thuan. cit. Wadd. ad ann. 1322. §. 73. Rodulph. fol. 274. Spond. ad ann. 1560. n. 19.*

Et illud Montis Limarii. *Thuan. cit.*

Illud Romani ſimiliter. *Thuan. cit. Claud. Robert. in Gallia Chriſtian. Monum. MSS. Provin. S. Bonaven. Gonz. in Provin. S. Bonav. Conv. 39.*

Illud item Marmandæ. Joannes Goſſonius Martyr. *Monum. MSS. Provincia Aquit. apud S. Iſidor. Arm. 30. num. 51. fol. 62. Gonz. in Provin. Aquitan. antiq. Conv. 19.*

Virosque patratis, ad annum sequentem rursus instituendus est sermo.

Petrus de Vouzela. *Emanuel de Sp in hist. Ser. Prov. Portug. cap. 31. par. 1.*

III. Hos Christi Martyres in Portugalliæ Regno hoc eodem annn Petrus de Vouzela, Oppido Episcopatus Visensis sub Bracarensi Archiepiscopo, prælarus Confessor sequutus est, qui carnis mortificatione, obedientia, cæterisque virtutibus adeo excelluit, ut nemini sui temporis in divinis colendis, terrenisque spernendis secundus fuerit.

Joannes de Padillia M. *Marc. Olisipon. part. 3. Chronic. Min. lib. 9. c. 52. Barett. lib. 3. cap. 18. & lib. 4. cap. 23. Belus de sign. Eccl. lib. 9. cap. 3. Hierion a Costa lib. 2. hist. Cathol. pag. 366.*

IV. Modo præstat eos Athletas memorare, qui apud Indicas gentes sudore & sanguine Christianam fidem & Ecclesiam propagarunt. Joannes etenim de Padillia Provinciæ Beticæ alumnus, novæ Hispaniæ gentis spiritualem salutem supra modum anhælans, illuc pervenit, ubi Tulantzingico Conventui, qui in Provincia sancti Evangelii principem locum habet, primus præfuit; inde vero una cum beato Martino a Jesu, aliisque ad Xalisceanos usque penetrans, Conventus Sapotlanensis Guardianus electus est. Anno MDXXXIX. Antonius a Mendotia Hispaniæ novæ Prorex, Sibolam Regionem latissimam versus Antarticum Polum cum subjugare cuperet, misso eodem Francisco Vasquesio *Coronando* militiæ præfecto, ac novæ Galleciæ moderatore eum armato milite, quinque Minoritas pietate conspicuos illi comites dedit (ex quibus alter noster Joannes fuit) qui eas gentes ad veræ fidei lumen adducere curarunt. Itaque Regione subacta, cæterisque recedentibus, ipse cum Joanne a Cruce laico in oppido Tignesio remansit, ubi ab incolis comiter recepti, mirabili modo, ac ubere laborum fructu vineam Dominicam excoluerunt. Alibi eum Christianam aucturus Ecclesiam, ubi primum a Tignesianis didicit, plurimos inde trium mensium itinere idololatras populos abesse natura dociles, eo suum iter dirigere instituit. Cumque aliquantisper processisset, efferatos belligeratosque homines (Haziales vulgo nuncupatos) tensis in se socioque arcubus, torvisque vultibus accurrentes conspexit. Comites proinde rngans, ut fuga sibi consulerent, ipse barbaros exspectat. Irruentibus itaque maximo impetu Infidelibus, Dei famulus genua flexit, eorumque furorem alacri animo pro Christi amore excipiens, mortalis vitæ cursum glorioso agone confecit.

Joannes a Cruce.

Franciscus Laurentius M.

V. Franciscus item Laurentius Granatæ in Hispania nobilibus parentibus natus, educatusque, anno suæ ætatis 18. dum Sancto afflatus spiritu Religionem Divi Francisci foret ingressurus, piæ mentis conceptum caris parentibus, ut eorum beneplacito ac benedictione tanti voti compos fieret, humiliter detexit. Quod ipsi nihilominus graviter ferentes, cum is unicus esset eis filius & hæres, a sancto proposito eum dimovere conati sunt; utque id aptius & facilius efficerent, nobilem quandam ejusdem Civitatis adolescentulam ei in conjugem tradere curarunt. Cumque Parentum utriusque partis consensu Matrimonium suisset conclusum, assignatusque dies nuptiarum; prudens juvenis nuptialibus vestimentis indutus, ad Monasterium sancti Francisci ejusdem Civitatis (quod tunc ad Beticæ Provinciam pertinebat) celer properavit, in quo & Religionis habitum humiliter suscepit. Transactis vero aliquibus annis, quibus ea in Provincia devote atque laudabiliter vixit, zelo animarum permotus, ad novæ Hispaniæ Indos pervenit, multaque incommoda & pericula in itinere passus fuit; quippe qui nudatis pedibus per aspera loca a variis, peracutisque bestiolarum aculeis diu noctuque gravissime vexabatur: locaque horribilia visu atque transitu difficillima petivit. Neque interim hyemali tempore spiritu fervens apostolicus juvenis, aut quiescere, aut labori, vel temporum injuriæ, aut etiam difficultati cedere unquam solebat, fide scilicet & insatiabili humanæ salutis desiderio hæc omnia superans, vitamque hanc temporaneam spernens, vilemque reputans, ut æterram hominibus submini-

Invitis Parentibus dat nomen Minoritis.

Ad Indos pergit.

stra-

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 353.
1560.	anno 1.	anno 3.	

ſtraret. Hinc ſua prædicatione, ſuiſque exemplaris vitæ perſpicuis moribus in converſione Infidelium uberrimos retulit fructus, improboſque eorum ritus, prophana ſacrificia ac templa; execrabilia quoque idola improbavit, atque deſtruxit: Eccleſias, piaſque imagines erexit, & Chriſtianos politicoſque ritus introduxit. In ipſo autem divino opere (quia virtute animi ſobrius, auſterus, fortis, ac ſtrenuus extabat) intolerabiles corporis afflictiones, adverſaque plurima, hoc eſt famem & ſitim, frigus & calorem, labores & laſſitudines, & alia hujuſmodi facile perferebat, & unico vili indumento, pallio ſuperindutus, uti ſolebat. Fervens erat in oratione, & præſertim nocturno tempore, quo per horam & dimidiam preces ad Deum devotiſſima mente effundere aſſueverat, idque nec itineris defatigatione, neque alterius cujuſvis incommodi exceptione unquam prætermiſit. Feſſis præterea artubus in campis vel ſuper ſtratos arborum ramos, vel ſuper nudam humum, idque ſatis ſobrie, quietem perpetuo conceſſit.

Ubi & ingentem animarum meſſem collegit, & multis calamitatibus affligitur.

VI. Fervens Dei præco Franciſcus tum Eccleſias, tum etiam Monaſteria variis in locis & nationibus ædificare curavit. In ipſa namque civitate Izatlanæ Cœnobium, in quo cæteris Fratribus præfuit, primo conſtruxit: ac poſtmodum in civitate Guaxacalanæ gymnaſium inſtituit, in quo ejus Provinciæ pueros (ut in nova Hiſpania Viri noſtri faciunt) Chriſtianam edocuit doctrinam. Et priuſquam Vir Dei ad ipſam Civitatem perveniſſet, aliqui ex Populo illo perfidi rebelleſque ſeſe ſuperbe erexerant, perque montana regionis illius vagabantur, inter quos erat Indus, qui jam ſacrarum rerum in quadam Eccleſia curam geſſerat, cujus Mater Franciſcum cum unico ſibi ſocio Michaele Stivalez Civitatem verſus proficiſcentem prævenerat; quo cum applicuiſſet, quærens illa, an inibi eſſet diu permanſurus? certiorque de hoc ab eo effecta, quod ideo illuc veniſſet, ut Monaſterium ædificaret, & legem Dei doceret: retulit, apud ſe habere veſtimenta, vaſaque & alia, quæ ad ſacra facienda, & ad Altaris obſequium pertinere ſolent: quorum cuſtos & gubernator in quadam Eccleſia fuerat filius ſuus, qui tamen cum perfidis illis a fidelium conſortio ſe ſejunxerat, atque apoſtataverat: attulitque ei fericas caſulas, argenteos calices, pallam, corporale, & alia ſimilia ad Altaris miniſterium ſpectantia. Quæ Vir Dei grate recipiens, Deo gratias egit, tantam in Inda illa fœmina fidem, ſedulamque devotionem attendens, animoque roboratus, ad ulteriora loca (per quæ Indi illi diſcurrebant) pro verbo Dei ſeminando procedendum eſſe putavit. Hinc verſus Indos illos iter arripuit, terram, vallemque Guaxacatlanicam relinquens, in qua jam XVI. ex pacificis populis copiæ fuerant pariter conjunctæ, atque Eccleſiæ plurimæ ædificatæ, quas tamen ab invicem ſejunxerat. Hiſpani verò, Indique ipſi pacifici Servo Dei iter hoc præpedire, ac diſſuadere nitebantur, timentes, ne inter barbaros efferatoſque homines aliquid infortunii ſibi eveniret, morſque ſæviſſima illi immineret, ſi duritiem ſuroremque eorum fruſtra tentaret. Miles autem Chriſti non ſibi ſed Deo fidens, illorum conſilio non acquievit, ſed animi ſervore actus, edoctuſque Spiritus Sancti lectione, æquo animi iter optatum proſequutus ſuit. Accidit vero, divina favente providentia, ut mox populis illis apparens, ſolo aſpectu talem ab eis captaverit benevolentiam, atque benignos erga ſe eorum animos converterit, inclinaritque, ut manſuetæ oves viderentur, qui alias nihilominus in univerſa illa barbarorum regione ferina crudelitate, atque impietate omnes quam maxime ſuperarent. Hic igitur ſervidus verbi Dei ſeminator quinque populos ad catholicæ fidei cultum convertit, Eccleſias fundavit, chriſtianæ diſciplinæ inſtituta reliquit, ac denique ad proprium Izatlanicum Cœnobium triumphator reverſus eſt.

Plura Cœnobia exſtruit.

Et Puerorum Collegia.

Michael Stivalez ejus Socius.

Indorum ſibi benevolentiâ conciliat.

Plures gentes ad Fidem convertit.

VII. Poſtquam apoſtolicus Vir prætato in Monaſterio aliquibus diebus remoratus fuiſſet, ad Indos quoſdam barbaros, qui duodecim viæ ſtadiis illinc diſtabant, vocabanturque *Texoquines* iter direxit. Cumque ad quemdam populum *Oztrittepas* appellatum perveniſſet, totus ipſe populus in fugam verſus ad montes refugit: Servus vero Dei, cui Michael aderat, ad ædiculam in qua Solis idolum extabat, divertit. Ubi poſtquam, ſi quis ſupereſſet, diligentius perſcrutatus fuiſſet, in hominem quemdam intra ſepem abſconditum veſpertina hora fortuna incidit, quem, ut ad ſe accederet, rogavit, blandeque ac benigne ſuſcepit. A quo tandem reſciens, populum illum timore perterritum ab eorum adventum inde aufugiſſe, Virum ipſum de pacifico, ac benevolo eorum animo certiorem reddidit, & ad cæteros profugos, ut eos in propriam fidem recipiens ab omni pavore, & ſolicitudine eximeret, ſtatim miſit. Qui abſcedens, paulo poſt cum circiter viginti quinque Indis reverſus eſt, quos Franciſcus inſtruxit, & amicis ſuavibuſque verbis ſecuros reddidit, eos ad ſe veniſſe, non ut quid detrimenti vel incommodi eis afferrent, ſed ſolummodo, ut ſanctum Evangelium prædicarent, & ad Dei veri notitiam & cultum illos reducerent: ideoque omnes fiducialiter ad propria remearent. Illi itaque verbis tanti Viri fræti, tranquillo atque alacri animo diſceſſere: ſequentique mane copioſe turmatimque viri ac mulieres (ſexcentos ſcilicet) ad Fratres ipſos devenerunt, docibilibus interim pueris domi relictis, ne a blandientibus Fratribus, ut ii ſuſpicabantur, nova diſciplina inſtituerentur. Quos omnes pervigil Deo præco Franciſcus divino eloquio ſummopere conſolatus fuit, a quibus inde audivit, eos ſane ipſorum adventu mirum in modum gaviſos fuiſſe, cum proculdubio ſcirent, eos ſpirituales eſſe Patres, qui nullum penitus læderent, nec quicquam mundanum appeterent, quodque eorum fugæ timoriſque cauſa fuiſſent ſæculares Hiſpani eorum hoſtes, quos ſibi ſocios ſuſpicabantur. Tunc vero Fratribus cibaria humaniter attulere, atque incredibili gaudio circumfuſi choreas coram illis de more ducentes, exultare cœperunt. Deinde Viri Dei, ſcilicet Franciſcus, ejuſque ſocius Michael, populo gratias agentes, eos monuere, ut ad certum locum poſtero die convenirent. Ubi dum ſimul adeſſent, primo Eccleſiam ædificandam, deinde ſancti Jacobi Apoſtoli imagine ibidem erecta, eam ipſius nomine appellandam curarunt. Inſtituta itaque & confirmata ea plebe in Catholicæ fidei confeſſione, & Chriſtianæ diſciplinæ obſervantia, Chriſti diſcipuli ad alium ejuſdem idiomatis populum profecti ſunt: a quo cum ſatis amicabiliter, comiterque eſſent recepti, aliam ibi Eccleſiam divi Michaelis nomine intitulatam, atque ejuſdem Archangeli imagine exornatam erexere. Idemque divinum ac ſalubre opus cum apud alios quinque populos perfeciſſent, ad proprium Monaſterium, devictis humanæ ſalutis hoſtibus, Chriſtique vexillis ubique erectis, victores rediere.

Divinumque legem docet.

Templum exſtruit in S. Jacobi honorem.

Et alibi alterum ſub S. Michaelis auſpiciis.

VIII. Poſt tranſactos vero aliquot dies, cum fervore ſpiritus excitati ambo hi apoſtolici viri Monaſterio exeuntes Guaxacatlanem (ubi prius fuerant) repetiiſſent, ſecunda ſui adventus nocte ab ipſo populo moniti ſunt, ut quam primum inde diſcederent, ni ſi forte occumbere mallent: cum Indus quidam maximus eorum inimicus illuc cum aliis impiis, ſcilicet ſuis complicibus, certo eſſet ſuperventurus, ut ſe ipſos, ac ſæculares omnes, qui eos acceperant, morte afficerent. Ferino igitur huic barbarorum furori Servi Dei cedere prudenter decrevere, idipſum quoque, & loci illius habitatores fecerunt. Et ecce ſub noctis crepuſculum adſunt Chriſtifidelium hoſtes innoxium in ſanguinem inhiantes: cumque neminem inveniſſent, furore perciti quinque gymnaſia, quæ pro inſtruendis in chriſtiana diſciplina pueris conſtructa fuerant,

rant, igni tradiderunt, atque ſex bonæ indolis juvenculos, qui ad eorum cuſtodiam remanſerant, crudeliſſime necarunt. De quo facinore Servi Dei poſtridie certiores facti, ſummoque re doluerunt. Poſt elapſos vero aliquot dies eo revertentes, eadem gymnaſia refecerunt, atque ritum Chriſtianæ doctrinæ inſtruendæ denuo poſuere. Michael vero, qui Franciſco fructus in Chriſti Eccleſia uberrimos producenti ſupra modum timebat, ſibi, quod præfati Chriſtianæ fidei hoſtes propinquiores eſſent, atque omnibus ſimul tormenta & mortem comminarentur, ut eo loco illo diſcederet, ſuadere conatus eſt. Cui ille ſereno vultu reſpondit, ſe certo ſcire, ab illis gentibus fore interimendum, nec tamen propterea quod animam ſuam ſe pretioſiorem non faceret a divini verbi prædicatione illis in partibus ceſſare velle: ut tandem, ſi fieri poſſet, unum, vel alterum Chriſto lucrifaceret; idque Salvatoris Chriſti exemplo apprime edoctus, quippe qui certiſſime noſſet, ſe a Judæis occidendum, nec tamen ea propter a bonis operibus, aut a prædicatione, ad mortem uſque turpiſſimam, apud eos ceſſare voluit. Subjunxit præterea, *cum totius univerſi Dominus propter me vermiculum, nulliuſque valoris homuncionem a proprio ejus populo ſe interfici permiſerit: quid mirum, quidve magni erit, ſi ego ejus, licet nullius valoris ſervulus, tormenta pro ipſius amore ab iſtis barbaris ſuſtinuero & mortem, quam ille pro me pati dignatus eſt, hanc ego ipſi tandem reddidero?* Quibus tamen auditis, nihilominus Michael cœptis non deſtitit, imo potius & alias rationes in medium adducere niſus eſt, ut tandem Franciſcum a propoſito removeret. Cui denique ſtrenuus Chriſti athleta aliqualiter ſubiratus: *ceſſa jam, obſecro, nolique plura hac de re verba facere, cum me ſupra modum affligas.* Hiſque dictis, iter ſuum Icatlanicum verſus conventum, de quo ſupra, inſtituit.

Sex Pueri ab Indis immaniter necati.

IX. Cum autem per aliquot dies Franciſcus, & Michael præfato in Monaſterio moram traxiſſent, ad Tecoxquines, barbaros ſcilicet illos Indos, iter ſuum iterato direxere. Cumque Indos ſibi amicos, ac de novo ad fidem converſos oppidi Guaxacatlanis accolas, utrum ſibi ad Tecoxquines tranſire liceret, ſerius conſuluiſſent, id retulere reſponſum. Nollent videlicet eo progredi, quod hujuſmodi homines ſibi maxime inimicarentur, quodque cum natura atrociſſimi eſſent, illis mortem certo certius allaturi fuiſſent. Viri nihilominus Dei orationi inſtantes, Dominumque ſui itineris ducem conſulentes, pariter ſenſere, ut ad illos de ipſius Domini adjutorio confiſi penetrarent; fidelis interim ille populus, qui eos plurimum diligebat, Indum quemdam peregrini idiomatis interpretem, atque fidum conductorem illis aſſignavit. Antequam vero Guaxacatlanem appellarent, nuntium ad ejus accolas, qui referret ſe ad eos ſuccurrendos, conſolandoſque veniſſe, quique rogaret, ut Dei ſervos pacifice reciperent, conſultiſſime miſerunt. Hæc verba illis gratiſſima fuere: quapropter ſumtis de eorum more duobus arborum ramis, atque quædam ſalutationis verba proprio idiomate proferentes, illis obviam ivere, ac tandem ſic humaniſſime exceptos, per aliquantulum temporis omni beneficiorum genere proſequuti ſunt. Hac igitur tanta occaſione bene uſus Franciſcus, quatuor de eorum conſenſu gymnaſia, quatuorque Eccleſias Sanctorum imaginibus exornatas apud eos conſtrui extempore curavit: ubi & quamplurimos ſacro Baptiſmate prius purificatos, Catholica fide atque Chriſtianis ritibus imbuit: illincque poſtmodum cum ſocio abſcedens ad propria remeavit. Icatlanicum poſtmodum Conventum iterato ambo egreſſi, ad aliam Provinciam (quæ *Fratrum Provincia*, eo quod ejus habitatores latas quaſdam capillorum coronas, Religioſorum tonſuris perſimiles, ſuper aures circumductas deferant, paſſim appellatur) proſecti ſunt.

Ad Tecoxquines Barbaros pergit.

Ab iiſdem humaniſſime receptus.

Novas Eccleſias, atque Gymnaſia erigit.

Ad aliam Provinciam proficiſcitur.

ſunt. Priuſquam tamen ad eam pervenirent, in vallem quandam *de Vanderas* ab Hiſpanis nuncupatam, in qua plurimi Cacaoatales habitabant, deſcenderunt. Eam vero, tum quia Hiſpani ex ejus habitatoribus plurimos quibuſdam in negotiis occupatos detinerent, unde nec verbo Dei intendere potuiſſent, tum etiam ne ſuo adventu illos ab arduis hujuſmodi occupationibus deflectentes occaſionem afferrent, qua Hiſpani milites eos magis magiſque, ut poſtea fecerunt, affligerent, non omnino penetrarunt: ſed editioris cujuſdam montis jugulum petentes, divina ſibi aſpirante aura, ſeptem præfatæ Provinciæ turmas in Catholicæ fidei cultu, Chriſtianaque diſciplina coadunarunt, totidemque Eccleſias erexerunt: idque facillime, cum amicabiliter ab eis recepti, atque patrio more, hoc eſt brachio in ſublime extenſo, ac digito ſurſum perexcelſe elevato, inclinatoque capite ſalutati fuerint.

Ubi ſimiliter loca ſacra fundat, animaſque lucratur.

X. Ut igitur primum Franciſcus, ejuſque comes, ſuperata valle de Vanderas, ad præfatam Fratrum Provinciam pervenere, ad diverſorium ſive delubrum, ubi Solis idolum ſuper alia idola majori veneratione a populo illo colebatur, declinarunt, inibique ab aliquibus regionis illius Indis viſi, patrio more, facta ſcilicet capitis inclinatione, atque quibuſdam verbis Indico idiomate expreſſis ſalutati exceptique ſunt. Poſtera autem die Indorum multitudinem eo confluentem certiorem ex eminentiori loro reddidit Franciſcus, ſe nec eorum divitias, nec bona, nec quidquam aliud ab animarum ſalute concupiſcere: quamobrem bono animo eſſent, & pacificum ſuum adventum agnoſcerent. Cui incondita illa plebs: *Adventus equidem tuus, tuique comitis, tum quia Chriſtiani, tum quoque, quia Religioſi eſtis, nobis gratiſſimus eſt; nolumus tamen, ut Hiſpani milites, veſtri gratia, huc aliquando ſe conferant: idque ob non aſpernenda incommoda ab illis nobis aliquando illata.* Cumque placita Franciſci reſponſione freta plebs ab hujuſmodi ſuſpicione eſſet exemta, tum ſibi, tum quoque ejus ſocio conceſſit, ut illa in regione libere atque pro voto agerent. Hincque Eccleſia in beati Antonii Paduani honorem, erecta ejus imagine, conſtructa eſt, ſanctique, & eccleſiaſtici ritus in eam cum maximo illius gentis applauſu inſtituti fuere. Inſuper & in proximiori valle duodecim gymnaſia, adjunctis ſibi totidem Eccleſiis, ſex quidem in ejus meditullio, alia vero ſex in ejuſdem vallis gyro, infra breviſſimi temporis ſpatium a fundamentis ad verticem uſque ædificata, omnibuſque numeris abſoluta ſunt. Dehinc (quia ſcilicet aliis gentibus evangelium annunciare, atque ſemitam, qua ad vitam æternam itur, decreverat) ſignificavit Franciſcus majori ejus populi natu, velle ſe ad proximiora Coronatorum oppida tranſire. Dicebantur hujuſmodi oppidorum accolæ *Coronati* a tonſuris, diverſis tamen ab eis, quibus provinciæ habitatores utebantur, quas in capite deferebant, atque illis ad mortem uſque inimicabantur. A quo itinere quamvis amicus iſte populus Dei Servum avertere pro viribus conaretur, nihil tamen effecit. Quamobrem, Franciſco in ſententia perſiſtente, viginti duces ab univerſa plebe conſtituti ſunt, qui coacta armatorum manu illum tuto eo uſque deducerent. Pervenientibus itaque omnibus ſimul ad oppidum Cacalanem, quotquot erant ejus inquilini fugam capeſſerunt. Id igitur ut religioſiſſimus Franciſcus animadvertit, præfatos duces, ejus comites, ut ad propria remearent, redditis interim illis de more gratiis, obnixe rogavit. Reſiſtentibus vero hujuſmodi ducibus, certoque aſſerentibus, illius populi accolas truculentiſſimos eſſe, atque mortem ſibi, ejuſque ſocio proculdubio illaturos fuiſſe, adjecit Franciſcus, nihil ſibi minus ab ea re cordi eſſe, quandoquidem propriam vitam pro evangelica prædicatione, proque efferati illius populi ſalute libentiſſime poneret. Recedentibus

Alia Eccleſia erigitur in S. Antonii honorem.

Itemque plures aliæ; ſimiliter, & Gymnaſia.

Ad oppidum Cacallanem pervenit.

tan-

Anno Christi 1560.	Pii IV. anno 1.	Ferdinandi I. Imp. anno 3.	Religionis Minorum anno 353.

tandem præmemoratis ducibus, idque ſatis invicte, quod Dei ſervis maxime timerent; quidam ex Indis illius populi primarius, omninoque ſenex ſupervenit, atque a Franciſco quid ſibi vellet, quidque in votis haberet, curioſius ſiſcitatus eſt. Qui ut primum de omnibus reſponſum retulit, ad ſuos refugit: atque tum illis, tum quoque ſexdecim aliis Indorum oppidis ad meridionalis Oceani maris litus conſtitutis, cuncta quæ ex religioſorum ore acceperat ex ordine recenſuit: atque Franciſci nomine, quatenus certum in locum convenire vellent, audituri interim plurima, quæ eorum ſalutem concernerent, inſtantius ſupplicavit. Annuerunt illi, viſoſque religioſos, & patrio, & etiam Hiſpanorum more in manuum oſculo ſalutarunt. Inde vero Viri Dei poſt mutua colloquia diſcedentes ad Amaxotum, ubi univerſæ illius regionis idola collecta erant, & patriis, diaboliciſque ritibus colebantur, iter ſuum direxerunt, atque ad Solis delubrum perventi, ſatis benigne ſatiſque comiter ab Amaxotanis excepti ſunt. Cumque ulterius procedentes eminentia duo ſacella juxta litus maris erecta conſpexiſſent, a comitibus Indis, quibus idolis ea ſacrata eſſent, petierunt. Reſpondentibus autem illis, in eorum altero belli, in altero vero piſcatorum Deos ſolemnius coli: utrumque ingreſſi in iſto ſtatuam piſcem manu tenentem erectam, in illo vero aliam ſtatuam præcedenti fere ſimilem jaculum manu ſtringentem conſpexere. Cupiens igitur Michael hujuſmodi abominationem ignibus traditam, omninoque exſtinguere, igniarium, quod ſecum gerebat, eximens, ferroque ſilicem collidens, ex ſcintillis inde decuſſis, & in ſomite exceptis, ignem excitavit, eoque hujuſmodi idolis, quæ ſtraminacea erant, ſtatim admoto, tum ea, tum quoque univerſa ſacella in favillam redegit. Quod ut ſacrificulus quidam, qui ibidem latebat, conſpexit, e latebris proſiliens, pelli ſuæ interim maxime timens, omninoque perterritus, ad ſuos celerrimo gradu auſugit, remque geſtam ore pallenti atque tremulo retulit.

Deinde ad Amaxotum.

Michael Idola, atque Templa comburit.

XI. Hinc divini cultus zelatores ad alia loca progredientes, inhumanos quoſdam Indos, qui ſibi mortem comminati ſunt, inclinata jam die, obvios habuerunt. Quamobrem Franciſcus ſibi ſocium ad exoptandam & ſuſcipiendam pro Chriſto conſtanti animo mortem hortatus, per integram illam noctem ab oratione ſpiritum non relaxavit: quinimo poſt prævium confeſſionem, poſtque confirmatum ſocii animum, noctem cum die divinis perpetuo laudibus intentus: idque coram Crucifixi imagine ab oculos poſita, fide conſtans, ſpe gaudens, atque caritate fervens, conjunxit. Interim vero barbari circiter centum, arcubus, ſagittiſque munitis, inſuper, & acclamantes *moriantur, moriantur Deorum noſtrorum inimici*, Dei famulos circumdant. Dumque omnes ſimul extenſis arcubus, directiſque in eos ſagittis mortem truculentiſſimis vultibus minitarentur, Dei providentia actum eſt, ut mirabiliter, & extempore pacatis in momento animis, mutataque ſententia, ad unum quot quot aderant, nullo penitus jaculo exploſo, in terra conſiderent, quod apud eas gentes pacis indicium eſt, ſignificatque, ſe nihil mali, aut detrimenti cuiquam illaturos fore. Quo tanto miraculo exhilaratus, ac ſupra modum accenſus Dei famulus Franciſcus, Chriſtianæ fidei documenta hujuſmodi barbaris ferventi ſpiritu propoſuit, ſuaſitque, ut vanis idolis longe relictis, divina præcepta, cœleſteſque virtutes quibus beatam vitam perenniter acquirerent, amplecti vellent. Quæ illi libenter audientes, dixerunt Religioſorum adventum ſibi gratiſſimum eſſe, nihilque jucundius ab eorum conſuetudine accidere potuiſſe: nolle tamen interim ſe ſimul cum eis Hiſpanos ſæculares, quibus aliquando conjuncti fuiſſent, ſecum admittere: quorum etiam cauſa, exiſtimantes aliquot ſibi adeſſe, arma cœpiſſent. Cum autem

Ad alias gentes progreditur.

Mortem miraculo cum ſocio evadit.

Chri-

Icatlanicum Conventum repetit.

Chriſti Præcones poſt Chriſtianæ diſciplinæ monita barbaris illis nationibus ſatis exhibita, ut Icatlanicum Conventum repeterent, ab eis diſcedere vellent: nolebant illi, rogantes ſuadenteſque ut ſecum diutius, imo perpetuo manerent. Quibus tamen Fratres, humaniſſimis interim atque humilioribus verbis & rationibus in medium adductis, acquieſcendum minime putarunt: ſed ſumta ab eis licentia, ad propria repedarunt. Ut igitur primum præfatum Monaſterium incolumes ingreſſi ſunt, Pater hujus tunc Cuſtodiæ Præfectus,

Antonius de Segobia Icatlanici Cœnobii Præfectus.

Antonius ſcilicet a Segobia eis humaniſſime tamen exceptis, in Spiritus Sancti, ac obedientiæ ſalutaris virtute præcepit, ne hujuſmodi regiones, tum quod inde per 30. viæ ſtadia diſtarent, tum quod trium menſium ſpatio loco abfuiſſent, tum etiam quod inter mortuos reputati eſſent, iterato repeterent. Quamobrem præfatus Franciſcus Prælato morem geſturus, Regionibus illis relictis, alio verſus, ne interim otio torperet, & talentum ſibi cœlitus conceſſum abſcondere videretur, iter ſuum inſtituit, in eoque maximos progreſſus fecit. Cumque denuo proprium ad Conventum reverteretur, Cacalornanem oppidum ex itinere pertranſiens 400. Indos in fide prius catechizatos ſacro regenerationis lavacro purificavit: parvulis interim fere innumeris ſibi oblatis etiam baptizatis, atque adultis quamplurimis Chriſtianæ fidei myſteriis apprime imbutis. Docebat ſiquidem eos Franciſcus univerſam carnis mentiſque coruptionem evitare, unicamque tantum uxorem ducere, cæteraſque omnes a priua (aſſueverant hujuſmodi homines ternis, quaterniſque uxoribus jungi) protinus emittere, ac tandem omnia idolis olim oblata ad ſe deferre, quæ quidem cuncta catechumeni, ut ſacro baptiſmatis fonte mundarentur, quam libentiſſime adimplebant: præſertim vero, qui ex oppido Amaxocotlanæ originem duxerant: nam ii aureas, argenteas, atque etiam cupreas barbas, quibus proprios vultus vane ſupertegere aſſueverant, deponentes, eas rogo ſuperimpoſitas igni tradiderunt, ex quibus tandem ſeptendecim campanæ, quarum quælibet centum & quadraginta librarum pondo erat, fabreſactæ, atque in totidem regionis ejuſdem Eccleſiis collocatæ ſunt. Cum autem Franciſcus Tecoſquines pertranſiens, quoſdam Idolorum Sacerdotes in vicinioris editi montis jugulo, antiquioribus dæmoniacis ſuperſtitionibus, cum maximo Neophytorum diſpendio, vacare accepiſſet, eos ad ſe per fideles aliquot Indos adduci juſſit. Sed fruſtra, renuentibus illis, idque ex maximo timore, maximaque reverentia, qua tum in locum, tum quoque in eos ſuperſtitioſe adhuc ferebantur. Videns igitur divini cultus zelator, ſe ſuo defraudatum eſſe deſiderio, ſuique voti minus compotem, divino actus ſpiritu a ſocio Michaele petiit, an Dei fretus auxilio in montem aſcendere, ſecumque illos idolorum Sacerdotes adducere vellet? Cui fidus Comes, *præſto*, inquit, *ſum, libentiſſimeque juſſis obtemperando, dummodo ea mihi per obedientiam injunxeris*. Franciſco igitur ſibi, ut montem peteret, atque

Ad alias pergit regiones.

In quibus multas animas Cœlo lucratus eſt.

Idolorum Sacerdotes captivos ſocius miraculoſe reddit.

hujuſmodi Sacerdotes ad ſe vinctos adduceret, in Spiritus Sancti virtute, atque obedientiæ merito præcipiente, Michael extempore paruit, atque, implorato Dei auxilio, celer ad locum pervenit, ſatanæque miniſtris, ut domum ſtatim egrederentur, audacter præcepit. Quibus exeuntibus, & coram ſe aſtantibus, unus inter eos *Joannes* nomine, ut ſe excuſatum haberet, quandoquidem Chriſtianus eſſet, illiſque ſacrificulis cibaria coactus attuliſſet, humiliter rogavit. Data igitur Joanni hujuſmodi venia, eos Sacerdotes Michael ſimul ligavit, atque ſic vinctos ad Franciſcum detulit. Qui ut primum eos vidit, graviter reprehendit, ac, ut erant ligati, ad Izatlanicum Conventum ſecum duxit. Ubi tandem humaniſſime ad tempus retinuit, Catholica fide, & Chriſtianis moribus imbuit, atque in omni pietate inſtruxit:

Illoſque in Fide inſtruit.

illoſ-

illoſque poſtmodum dimittens voluit, ut ii cæteris ejus Patriæ Indis in his, quæ ſunt ad Deum, præeſſent, parvuloſque de Chriſtiano more baptizarent, atque adoleſcentes ad publica loca convocatos Chriſtianam doctrinam maxima cura edocerent.

XII. Poſt hæc Franciſco relatum eſt, quoſdam Indos a ſuis diſceſſiſſe, atque aſperioribus quibuſdam in montibus agere, ad quos Vir Dei, ne in idololatriam iterato elaberentur, proficiſci decrevit. Ubi vero primum eam in regionem ingreſſus, quam humaniſſime ab iis exceptus fuit, eoſque, ut ad ſuos reverterentur omnino ſuaſit. Ipſe autem apud eos ſimul junctos donec Catholica fide apprime, ac Chriſtianis ritibus imbuti eſſent, commoratus eſt: indeque proprium Conventum repedaturus, Eccleſiam a fundamentis erexit, ejuſque miniſtros conſtituit. Dum vero ſe itineri accingeret, alios aliquot Indos patriis laribus relictis, ſuperiorem Dexocotlanici montis partem tenuiſſe accepit, quos & ex itinere inviſere decrevit. Ad quos ut primum penetravit, communiſque pacis, atque catholicæ fidei verba habuit, idem potius, quod & apud præcedentes effecit. Quia tamen horum major erat numerus, quinque gymnaſia, adjunctis ſibi totidem Eccleſiis, quibus ex docilioribus aliquot præfecit, ab his conſtruenda curavit. Ante dies autem plurimos Franciſcus inſignis Chriſti athletæ Joannis Caleri tum interitum, tum quoque opprobrium audiens, quod videlicet aliquot Indi non longe inde diſtantes, tantique P. interfectores contextam extramine ſtatuam ſingulis annis in ejus triumphi, quem de Chriſti Martyre ſe laudabiliter reportaſſe exiſtimabant, memoriam, proprio ejus habitu induerent, choreaſque circum ipſam de Indico more ducerent: ab eo temporis nullo ſibi pacto quieſcendum putaverat, donec impio hujuſmodi more abolito, tanti viri habitum ab ejuſmodi injuria vindicaret. Nacta igitur his in partibus opportunitate, eos ad ſacrilegos Indus tranſiit, illoſque tanti ſceleris commiſſi, quodque peſſima in re exultarent, chriſtiana libertate redarguit: inſuper & eis ſuggeſſit, ut ſatanicis ſuperſtitionibus omnino relictis, Chriſto Jeſu nomen darent. Quibus denique ſibi acquieſcentibus, ac catholicis ritibus ſatis imbutis, ſacroque regenerationis lavacro initiatis, necnon & tribus Gymnaſiis, totidemque Eccleſiis apud eos erectis, victor cum tanti Martyris habitu, Michael ad Izatlanicum propriæ habitationis Conventum remeavit. Dum iſta interim aguntur, accidit ut iſtius Provinciæ Comitia Guadalſagiarienſi in Conventu celebrarentur: utque, Michaele ad aliud Monaſterium tranſmiſſo, Franciſcus Laurentii Izatlanici iſtius Conventus Guardianus inſtitueretur.

Novi Gymnaſia, novaſque Eccleſias erigit.

Interitum Joannis Caleri vindicare intendit.

Illos etiam gentes convertit, & Gymnaſia fundat.

Guardianus Cœnobii Izatlanici inſtituitur.

XIII. Poſt tranſactos vero aliquot ab ejuſmodi Comitiis dies, Franciſcus Cacalotnanicos Indos, Guaxa Catlanemque, Provinciam iſtam, atque illos in fide confirmaturus, religioſo quodam Joanne ſibi in ſocio aſſumto, inviſere decrevit. Ubi itaque eo primum appulit, hilari vultu, atque humaniſſimo hoſpitio ab eis exceptus eſt. Sequenti vero nocte Indi propinquioris pagi accolæ, (ii locotecanes appellabantur) cum catholicæ fidei ſupra modum inimicarentur, in Chriſtianos hujuſmodi Indos irruentes, eorum ſeptendecim truculentiſſime interfecerunt. Quo tumultu, quaque fidelium ſtrage a ſomno excitatus Franciſcus ſocio ait: *Eja Frater ſurge ocius, viriliterque age: advenit ſiquidem tempus acceptabile, dieſque ſalutis, in quibus cœlorum Regnum facili negocio, ac modica, licet glorioſa, paſſione aſſequi poſſimus, inſtant.* Moxque accenſa candela, ante Dei altare devote genuflexus ſeſe invicto Martyrum Regi Chriſto obnixe commendare cœpit. Interim Joannes, dum ſimili modo tum cor, tum quoque mentem Deo præparaturus ad ipſum Altare confugit, ab impiis Satellitibus invaditur, atque in Eccleſiæ valvis ferreis

Ad alios populos pergens quendam Joannem in ſocium ſibi aſſumit.

Plerique Indi converſi ab aliis idololatris interemti.

Socium de propinqua morte alloquitur.

F. Franciſcus etiam Chriſti Martyr necatus eſt.

baculis atrociter interimitur. Eoque extincto, Eccleſiæ interiora penetrant, & Franciſcum Crucifixi imaginem manu tenentem, belluino furore adoriuntur, atque venerabile ejus caput, tam gravi ictu ferrea fuſte percutiunt, ut laxatis viribus, Chriſti imago de ejus manibus ceciderit. Tunc ad eum ſacrilegus perculſor: *Putas ne te iſte cruci affixus ſit adjuturus?* Simulque ter, quaterque tum caput, tum quoque cætera membra ferrea clava repercutiens eum, juxta ipſiuſmet prædictionem (prædixerat ſiquidem ſe ſub Guaxacotlanorum manibus animam cœlo redditurum) penitus occidit; inſuper & ipſam Eccleſiam, atque Religioſorum ſuorum domicilium ſuppoſito igne combuſſit. Poſtridie vero Chriſtifideles Indi, qui ex tanta clade reſidui fuerant, tantum facinus perpetratum ad Hiſpanos, qui duobus inde ſtadiis diſtabant, detulerunt. Qui poſtmodum ſupervenientes utriuſque Martyris corpus inde ablatum ad Izatlanicum Conventum deferendum, inſuper & honeſtiſſimo loco recondiendum curarunt. Ut autem primum Indi proximioris montis habitatores, quos Franciſcus baptizarat, atque in fide inſtruxerat, ejus mortem acceperunt, ad regium novæ Galleciæ Concilium convolantes, rem geſtam conſcriptis Patribus ex Ordine retulerunt. Qui alterum ex eis cognomine *Contreras*, atque experientia maturum Hiſpanis centum militibus, quatuorque Indorum millibus ſtipatum eo deſtinantes, illi commiſerunt, ut ea de re diligentius cognoſceret, ac tandem juſtam vindictam ſumeret. Ille igitur eam in patriam appulſus, ex militibus, qui montium juga occuparent, quique itinera obſiderent, aliquot præmiſit, alios vero ſecum retinuit: ac tandem certior de tanta immanitate factus, eos omnes, qui in ipſius Martyris necem conſpiraverant (erant ii ſexcentum, & octo numero) trucidari juſſit. Relictis interim ex primariis octo, ut infami ſuſpendio necarentur. Sicque digna factis illi receperunt, & ultio facinus ſubſequuta eſt, ac tandem, patria illa ſine habitatore relicta, cæteris Indis maximus timor incuſſus eſt.

Ejus corpus religioſo ritu tumulatum.

Mors ab Hiſpano, Indoque milite vindicata.

Quinam de eo ſcripſerunt.

XIV. De hoc venerabiliſſimo Indiarum Apoſtolo & Chriſti Martyre ſcripſere: Baret. parte 4. Chronic. libro 4. cap. 1. Daza libro 2. cap. 15. Rapinæus hiſt. General. Recollectorum decad. 7. §. 1. poſt Marcum Oliſſyponen. 3. p. lib. 9. cap. 52. Boſius de ſignis Eccleſiæ Tom. 1. lib. 7. cap. 3. ſæcul. 16. Marian. libro 3. cap. 6. Hilarion a Coſta lib. 2. Hiſt. cathol. Picquet. in Catal. Virorum illuſtrium: Gravina *in voce Turturis* 2. par. cap. 24. Et Gonzaga præſertim, a quo fere ad verbum mirabilem hiſtoriam mutuati ſumus, ne ſtyli diverſitate, vel minimum veritatem labefactari pateremur. In hoc etiam imitati Waddingum, qui cum in Cœnobiorum, tum in Dei virorum hiſtoriis narrandis, ab aliis notitias, prout jacent excerpere ſæpe ſæpius conſuevit. Ipſe idem Waddingus dum noſtri Ordinis MM. Catalogum texet hujus præclari Servi Dei obitum, die x. Januarii contigiſſe affirmat, ubi etiam quinque aliorum Sodalium Canarienſium paſſionem referens ait, quod hoc anno die x. Septembris pro Chriſti nomine ſunt interemti; eorumdem alibi, ſtricto tamen calamo, narrat hiſtoriam, ut ſequitur: *Ex hoc Conventu (Fortis Venturæ videlicet) prodierunt quinque illi Franciſcani MM. quorum glorioſo agone Fortunatæ inſulæ maxime gloriantur. Canariam magnam tentavit prædictus Didacus a Ferreria oppugnare, ſed dum infeliciter pugnat, canit receptui. Irruentibus, & perſequentibus Paganis occurrerunt Fratres, & Canarica lingua, quam apprime callebant, fidem intrepide prædicabant. A Barbaris comprehenſi, poſt ludibria & improperia, ex editiſſimo loco*, qui Caſtellani ſaltus *adhuc retinet nomen, in mare præcipitantur.*

Gonz. in Prov. SS. Petri & Pauli Conv. 24.

Wad. in Catal. MM.

Wad. ad ann. 1441. n. 33.

Quique Anonymi MM. apud Fortem Venturam.

Petrus de Montibus laicus.

XV. Hoc eodem anno plerique etiam Chriſti Confeſſores Regiones illas ſua morte illuſtrarunt; & præ cæteris Petrus de Montibus, de quo etiam Bollan-

landiſtica Hiſtoria, profeſſione laicus, & ab eo diverſus, cujus ad annum MDLVIII. meminimus, quum ibidem per viginti annos in Canariarum Fortisventuræ inſula ſingulari quadam providentia Dei (inveniebat ſiquidem ſingulis diebus hordeaceæ farinæ tantum in pera, quantum ſibi ad frugalis vitæ ſuſtentationem neceſſarium erat) velut alter Paulus Eremitarum Patriarcha ſanctiſſime egiſſet, ſedulamque derelictæ cujuſdam Eccleſiæ curam geſſiſſet, ſuæ mortis conſcius, octogenarius ad Conventum ſancti Antonii Galdaris ſe contulit, ubi Minoritico indutus habitu, cum maxima ſanctitatis opinione infra triduum vitam abſolvit. Cum eodem hic tumulatus eſt Antonius de Soſa Presbyter, qui generis nobilitate divitiiſque in ſæculo fulgens, iis omnibus pro Chriſto poſthabitis, in eodem ſancti Antonii Cœnobio Franciſcanæ vitæ auſteritatem amplexus eſt, in eoque ad extremum uſque diem vitæ humilioribus exercitiis, atque Infirmarii munere intentus, perſeveravit. Erat præterea in oratione aſſiduus, maximaque caritate præditus, omnibus denique virtutibus ornatus; quam ob rem ægroto conſratri animam jam agenti, porrecto poculo, extempore vitam reſtituere meruit. Arturus eumdem, ait, anno MDL. claruiſſe; Baretius autem, cum manuſcriptis, quæ habemus, authenticis harum Regionum monumentis, ad hunc annum obiiſſe tradit. Hallucinatum tamen eumdem video, dum obitum Joannis de Sanctorcaſio, ſive de ſancto Torquatio (quam ipſe *Torcaſium*, ſive *Torſicum* nominat (refert hoc anno contigiſſe. Deceſſit namque anno MCDLXXXV., ut ex eodem Arturo, & Waddingo eruitur: ejuſque cor, non corpus in Cœnobio ſancti Laurentii Patrum Hieronymitanorum Portisventuræ ſervatur.

Gonz. par. 4. in Provin. Canaria Con. 3.
Baſius Tom. 1. de ſign. Eccleſ. lib. 12. cap. 21.
Daça par. 4. lib. 2. cap. 31.
Gravina in voce Turtur. par. 2. cap. 24.
Acta SS. Tom. 7. menſis Maii die 31.
Antonius de Soſa.
Gonz. par. 4. in Provin. Canaria Conv. 3.

Artur. 12. Octobris.
Baret. lib. 4. cap. 17.
MSS. auth. Ind. apud nos exiſtent.
Joannes de Sanctorcaſio.
Artur. ad diem 18. Februarii.
Wadd. ad ann. 1485. §. 6.

XVI. In Cœnobio autem Mexicano, quod primum eſt provinciæ ſancti Evangelii, circa hæc tempora multi illuſtres virtute religioſi Viri mortem obiere. In his cum primis eminet Toribius de Benevento, qui *Motolinia* nuncupatus eſt, Hiſpanus, prius Provinciæ ſancti Jacobi alumnus, exin ad eam Recollectorum ſancti Gabrielis translatus. Vir erat virtutum ornamentis decoratus, paupertatis Evangelicæ amantiſſimus, qui quum novam Hiſpaniam cum quibuſdam ſodalibus comitantibus perveniſſet, omneſque nudis pedibus incederent, Indi perſpicientes paupertatem hujuſmodi, invicem acclamabant *Motolinia*, *Motolinia*, quod Mexicano idiomate *pauperes* ſignificat. Interrogans quid illa vox ſibi vellet? *pauperemque* cum intelleziſſet ſonare, *hæc*, inquit, *prima vox eſt, quam hujus linguæ intellexi, atque hoc mihi erit nomen*: ex eaque die Toribius *Motolinia* dictus eſt, cum antea de Benevento diceretur. Spiritu divino plenus, ut ſtrenue pro Chriſti nomine laboraret, Regiones etiam remotiſſimas adiit. Imbrem atque ſerenitatem ſuis precibus a Domino impetrare conſuevit, ceteraſque gratias obtinuit. Prima Chriſtianæ Fidei rudimenta, cæteraque aſcetica opuſcula Mexicanis materna lingua exarata reliquit. A pleriſque Provinciæ illius Miniſtrum fuiſſe traditur; nos autem in illorum catalogo ipſum non legimus. Recenſetur quintus inter eos duodecim Minoritas, qui primi in Indias trajeciſſe feruntur; tamen omnium ultimus mortuus eſt, ad cujus funus, quod die ſancti Laurentii accidit, Sacrum non pro Defunctis, ſed pro Sancto ea in ſolemnitate ab Eccleſia præſcripta Præſbyteris cantare placuit.

Toribius de Benevento, ſive de Motolinia.
Gonz. in Provin. S. Evang. Con. 1.
Baret. lib. 4. cap. 10.
Willot. Athenar. Franciſc. lit. T. Hilarion. a Coſta lib. 1. Hiſt. Cathol.
Baſius Tom. 1. de ſign. Eccleſ. lib. 12. cap. 21.
Poſſevin. in Appar. ſacro.

XVII. Jacobus de Teſtera, de quo citatus Waddingus non ſemel mentionem facit, ex Gallia oriundus, Provinciæ Aquitaniæ filius, divinis litteris eruditiſſimus, religioſique Inſtituti obſervantiſſimus, ſuapte natura lætus ac jucundus, eximii autem ſervoris in divinis rebus & animarum ſalute procurandis; novam Hiſpaniam anno MDXXX. cum Antonio Civitatenſi venit; ubi electus eſt quarto Provinciæ ſancti Evangelii Cuſtos anno MDXXXII. Defe-

Jacobus de Teſtera.
Wadd. ad ann. 1514. n. LXXXI. 1539. 11.
Antonius Civitatenſis.
Gonz. in Provin. S. Evang. Con. 1.

Baret. lib. 3. cap. 72. Hilarion. a Coſta lib. 1. hiſtor. Gentil. pa. 115.

rebat depicta in linteo Fidei noſtræ Myſteria, habebatque Indum, qui Indigenis illa interpretaretur, quorum & ſacrarum hiſtoriarum repræſentationibus, quibus plurimum utebatur, maximam omnino utilitatem Indis peperit. Anno MDXXXI. primo Jucatanum profectus eſt, ubi multum profuit, ejuſque etiamnum hodie memoria perdurat. In Chanpoton nobiliorum liberos res Fidei edocere cœperat, multumque in ea re cum ſociis inſudarat, ut Idolorum cultus expelleretur; ſed quorumdam factionibus exagitatus, inde diſceſſit, Mexicumque reverſus. Abiit quoque in Meehoacam Provinciam, miſitque Guatemalam Toribium Motoliniam, ut erigeret Cœnobia, in quibus indigenæ edocerentur. Electus a Patribus in Cuſtodem Provinciæ ad Generale Capitulum mittendum, Mantuæ celebrandum anno MDXLI. illic Commiſſarius Indiarum Generalis factus eſt; & a multis, quos ſecum ex Hiſpania adduxerat, Religioſis comitatus rediit. Maximo fervore converſionem procurabat Indorum, cupiens, ut hujuſce rei gratia, adeſſent Conſodales. Paupertatis & orationis erat amantiſſimus; tandem meritis cumulatus vitam in venerabili ſenectute abſolvit.

Jacobus de Almonte. Gonz. in Provin. S. Evan. Con. 1. Wadd. ad ann. 1482. n. XXI.

XVIII. Jacobus de Almonte, alter ab eo, quem Waddingus in deſcriptione Conventus Senonenſis memorat, & qui de *Almante* dicebatur, ex Provincia ſancti Gabrielis novam Hiſpaniam cum iis aceeſſit, qui ſecundo eo profecti ſunt. Vir erat eximiæ ſimplicitatis, perfectionis, orationis, paupertatis & patientiæ amantiſſimus. Invaſit enim aſtmatica ægritudo ſane permoleſta, quo factum eſt, ut non ex animo ſuo, atque pro deſiderii modulo vacare exercitationibus ſpiritualibus poſſet. Permoleſtum ei erat ſiniſtre de quoquam audire loqui: eoſque qui traducebantur, miris modis excuſabat, vel ſtatim ab his ſermonibus excedebat. Flagrabat ingenti quodam ſtrictioris vitæ deſiderio. Ut primum itaque Generalis Miniſtri Andreæ Inſulani Commiſſarius in Provinciam venit, ut duodecim Religioſi electæ probitatis recollectam quamdam Provinciam fundarent, ipſe ſe unum eorum obtulit, quamquam & ſenex & multis morbis afflictus eſſet; magnoque labore cum reliquis vaſtas Provincias peragravit, locum Provinciæ illi, quam *Inſulanam* appellabant, quærens: tametſi ea, ob difficultates obortas perfici non potuit. Regreſſi igitur in ſancti Evangelii Provinciam cum eſſent, multorum ille ibi Cœnobiorum præcipuorum Guardianus & Definitor fuit. Tandem plenus meritis obdormivit in Domino. Antonius de Nueta (& hic ab eo diverſus, qui *Antonius Nietus* ab eodem Waddingo dicitur, & in Cœnobio de Betanços tumulatus, de quo ad ann. MDLXIII. erit ſermo inſtituendus) Alphonſi Alvarez Carillo nobilis viri filius, Salamanticæ Juvenis Juri Pontificio operam dedit, & Doctoratus gradum ſuſcepit. Sed Mundum propter Deum, & trium aureorum numerum millium redditus annuos contemnens, Divi Hieronymi, quem præcipue colebat, habitum in Zamorenſi ſanctæ Marthæ Cœnobio ſuſcepit, abdicatoque humilitatis cauſa gentilitio nomine, *de Nueta* poſterum dictus eſt. Poſt aliquot annos magno ibi probitatis exemplo tranſactos, fama permotus ſingularis obſervantiæ, qua Minores Fratres Angelorum Provinciæ in Monte Moriano florebant, habita prius a Superioribus facultate, Franciſcanum ibi habitum ſuſcepit. Sed cum majora ſemper & perfectiora in Religione ſpectaret, quo tempore duodecim illi Apoſtolici Viri in nova Hiſpania admirandis virtutum monimentis ſancti Evangelii Provinciam fundabant, eo ſecum venerabili viro Franciſco de Teſtera, anno Domini MDXLII. contulit. Indorum idioma ignoravit, atque ita per viginti quatuor annos, quibus novam Hiſpaniam incoluit, Mexicano hoc in Conventu ſemper moratus eſt, indefeſſus plane Hiſpanorum Confeſſarius, ab omnibuſque propter de-

Antonius de Nueta. Gonz. par. 4. in Provin S. Evan. Conv. 1. Baret. lib. 4. cap. 34. Rayn. Decad. 7. par. 3. §. 1. Wadd. ad ann. 1569. n. XLV.

demiſſionem animi, bonitatem, & ſinceritatem mirum in modum dilectus. Quod ab operibus charitatis vacabat tempus, precibus impendebat, in quibus ita vehementer inflammabatur, totque lacrymas effundebat, ut quem occupabat in Choro locum irrigatum ſemper eis relinqueret. Colebat mirifice divinum Doctorem Hieronymum, cujus ſolemni die & natus eſt & ejus habitum ſuſcepit, & ex vita hac calamitoſa migravit. Cum enim nulla præceſſiſſet ægritudo, in Divi Michaelis Archangeli die, abſolutis veſpertinis precibus, in domum ſe infirmorum contulit, valetudinem tantiſper prætendens, poſtulatiſque & acceptis ea nocte divinis omnibus Sacramentis, ea ipſa hora animam exhalavit, qua Divi Hieronymi Miſſa celebrabatur. Ea finita, cum mors ejus populo innotuiſſet, ſrequentes omnes convenerunt, & ut viderent ſunctum, & ut aliquod veſtium ejus acciperent, ob eximiam, quam de eius ſanctitatis opinionem conceperant. Alphonſus de Herrera ſimiliter alter ab eo, quem pietate celebrem Conventus Jarandillæ incolam fuiſſe laudatus Waddingus dicit, Adoleſcens Salamanticæ civili juri ſtuduit: cumque in eo valde profeciſſet, ſuſcepto Minorum habitu in provincia ſancti Gabrielis, ſe contulit in ſancti Evangelii provinciam. In initiis quidem valde commotus eſt, ut in Hiſpaniam reverteretur, idque ipſum ſuadere reliqui conabantur dicentes, non eſſe ejus ingenii indigenas edocere, ex quibus poſſet fructus aliquis colligi. Sed cum aliquando in cellula clauſus maxime iſtiuſmodi perturbatione conflictaretur, novo quodam & inſueto ſpiritu excitatus, inde ſe proripuit, & ad ſuperiorem accedens, ab eo poſtulavit, ſe ut prædicatum Indis mitteret; id enim & divino cultui, Dei & propriæ ſaluti convenire aſſerens. Facultatem aſſequutus, ſtatimque profectus, non ea amplius perturbatione afflictatus eſt; multumque & diligenter in eo munere inſudavit, cum indigenas non ſolum doceret, ſed ut parens & patronus defenderet. Vir erat Religionis & ejus Regulæ amantiſſimus, quique cum operam ſuam tam Indis, quam Hiſpanis graviter impenderet, ſincere ab utriſque diligeretur; ob prudentiam autem & doctrinam, non apud illos omnes ſolum, ſed in Congregationibus, quæ Religioſorum tunc omnium, & Novæ Hiſpaniæ Epiſcoporum fieri ſolebant, magni ſemper ejus ſententia momenti habebatur. Sancti Evangelii Provinciæ multorum Conventuum Guardianus extitit, Commiſſariuſque ejuſdem annis circiter duobus, religioſo Patre Martino de Valentia tunc Cuſtode exiſtente, ſancta plane ſenectute confectus obiit. Michael demum de Benevento profeſſione laicus, atque amicus Jacobi de Penna, in ſanctæ Eliſabethæ Eremitorio tribus paſſuum millibus a Mexico diſtante morabatur, eodem inſtanti e lectulo, in quo quieſcebat, in tellurem excuſſus eſt: ac divina voluntate e vivis beatum Jacobum prædictum diſceſſiſſe intellexit, multiſque lacrymis & illius tranſitum & propriam ſolitudinem deploravit; verum divinæ voluntati per omnia ſe conformans, ſpem ac cogitatum in eo poſuit, cui cura eſt univerſorum: Chriſto magna cum humilitate ac cordis puritate uſque in finem deſerviens. Præter cæteros, quorum obitus præfixum tempus ſcientes, ad ſuos annos texere hiſtoriam pollicemur, quemadmodum retroactis temporibus conſueta ſua ſolertia fecit Waddingus, alii, quos ex rationabilibus conjecturis, aut hoc anno, aut circiter in laudato Mexicano Cœnobio deceſſiſſe eruimus, eidem gloriam, & nomen auxere. Michaelis etiam Franciſcus Baertius, & Conradus Janningus in Sanctorum Actis memoriam faciunt, & hoc anno obiiſſe teſtantur. Ipſum plerique cum Melchiore de Benevento confundunt, ſed perperam; Melchior namque non Mexici, ſed Populæ de Angelis obdormivit in Domino, qui ſuit Provinciæ ſancti Gabrielis alumnus, & in has Regiones trajiciens, ingentes fructus Fidei Catholicæ attulit.

Alphonſus de Herrera, *Wadd. ad ann. 1491. §. 55. Gonz. par. 4. in Prov. S. Evang. Conv. 1. Baret. lib. 4. cap. 35. Daza lib. 2. cap. 42.*

Michael de Benevento. *Acta SS. Tom. 7. Maii fol. mihi 234. Gonz. par. 4. in Provin. S. Evan. Conv. 1. Baret. lib. 3. cap. 76.*

Melchior de Benevento. *Gonz. in Provin. S. Ev. Conv. 38. Rapin. Decad. 7. par. 3. n. 1. Baret. lib. 4. cap. 22.*

XIX. Hic

XIX. Hic autem, Populæ de Angelis nempe, alii Servi Dei hoc anno vel circa hæc tempora decessere non pauci, quorum insignis memoria virtutum merito apud posteros perennans, digna etiam habetur jure nostris Annalibus. Horum illustre nomen ducit Michael de Turre Jonzillo, Provinciæ Carthaginensis, omnibus virtutibus exornatus, qui a spiritu divino ductus, in has Indicas Regiones convolans, Mexicanum idioma, quam citissime didicit, atque quod sibi reliquum vitæ fuit, licet adversa conflictaretur valetudine, id totum in instruendis Indis, sacrisque eorum confessionibus excipiendis consumsit, emensis ea propter quotidie multis passuum millibus, asperrimisque interdum montibus superatis, ut Christo animas lucrifaceret. Moriens deinum, universis quibus innotuerat eximium reliquit sanctitatis odorem suique desiderium. Rodericus Benevenutus Provinciæ olim sancti Jacobi ad has Regiones transfretavit, ubi postquam Indicum idioma didicisset, populos cum intra ejusdem Provinciæ sancti Evangelii limites constitutos, tum etiam in Xalisceano tractu, præsertim vero in valle Varderana ad Fidem convertit; adeo ut vix ea in re parem habuerit, proinde ab omnibus maxime in veneratione habitus, auxit in dies famam præclaris virtutibus. Similia narranda de Joanne de Almeda Provinciæ Conceptionis, qui una cum Francisco Villalbar Provinciæ Burgensis, & Joanne de Bejari Provinciæ Carthaginensis, ex Hispania in Indiam solvit, anno Domini MDXLII. Adeo beatum Patriarcham Josephum Christi nutriticium Joannes coluit, suisque concionibus extulit, ut in causa extiterit, cur universa nova Hispania eum sibi peculiarem patronum apud Deum delegerit. Martinus tandem de Sarmiento Episcopus Superioribus viris illustribus jure meritoque est accensendus. Duxit originem hic vir præstantissimus ex *Hoja de Castro* diœcesis S. Dominici oppido, ingenuosque habuit Parentes, a quibus cum in omni pietate, ac Dei timore educatus esset, adhuc puerulus Ecclesias sedulo frequentans, sacrificio Missæ atque concionibus intentus aderat, & quicquid ex eis retulisset, id uterinæ sorori, ac cæteris familiaribus, conscensa Sede, domi proponebat: a præfata interim Sorore petens idque præsago spiritu, ut sibi futuro suo tempore, Episcopo manum deoscularetur. Adultus Franciscanum habitum in Burgensi Provincia induit, litterisque tum Philosophicis, tum Theologicis in ea Provincia, ac Vallisoleti operam dedit. Postea cum Joanne de Gaona ejus prælectore, plurimisque aliis Sodalibus Sacerdotio initiatus, ac officio prædicator factus, ad Indiæ Occidentalis partes anno MDXXXVIII. se contulit. Cumque ingenio ac prudentia polleret, a Patribus Provinciæ sancti Evangelii cum Jacobo Testera, ejus Custode, quatenus Ministri Provincialis vices suppleret, ad Generale Capitulum Mantuæ, sub anno MDXLI. celebrandum missus est. Itaque cum præfatus Jacobus jam senio confectus, ob ejus maturitatem a Generali Ministro in Generalem novæ Hispaniæ Commissarium per integrum sexennium electus esset, sibique Martinus casu, quo ejus temporibus curriculo e vivis decederet, subrogatus fuisset, supervenicnte prænemorati Jacobi morte, sibi in officio succesit. Per integrum ergo quinquennium tanto muneri maxima cum omnium admiratione functus, paulo post Tlaxcallanorum Episcopus Carolo V. postulante, sufficitur. Quod ut ille primum rescivit, nullo pacto, id ut acceptaret compelli potuit, quousque sibi per Turibium Motoliniam Provinciæ Vicarium *, ex obedientia injunctum est. Assumtus vero ad Episcopalem dignitatem, nihil de prisco rigore, aut solita humilitate remisit; imo potius vili contentus tegmine, pedesque incedens, haud dedignatus est sacros Canones sub Joanne Fuchero eorum prælectore addiscere, vel humilioribus caritatis operibus vacare. Pauperibus, pupillis, atque afflictis ex animo

Michael de Turre Jonzillo.
Gonz. in Provin. S. Ev. Conv. 38. Barett. par. 4. lib. 4. cap. 22. Marian. lib. 2. cap. 40. Rapin. in Hist. Recollect. De. ad. 7. p. 1. cap. 12.

Rodericus Benevenutus.
Gonz. in Provin. S. Ev. Conv. 38. Barett. lib. 4. cap. 19. Daza lib. 2. cap. 25. & alii.

Joannes de Almeda.

Franciscus Villalbar.

Joannes de Bejari.
Gonz. par. 4. in Provin. S. Euan. Conv. 33. Barett. lib. 4. cap. 22. Rapin. Decad. 7. par. 3. §. 1.

Martinus de Sarmiento Ep. Tlaxcalæ.
Gonz. part. 4. in Prov. S. Evang. Con. 38. Barett. l. 4. cap. 18. Rapin. Decad. 7. p. 1. §. 4. Marian. lib. 2. cap. 38.

* *Turibium Vicariū fuisse Provinciæ non ita certum.*

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 353.
1560.	anno 1.	anno 3.	

mo compatiens, quæ erant ſui muneris adeo diligenter ac vigilanter præſtitit, ut nihil in eo deſiderari potuerit. Quamobrem tum Indis, tum quoque Hiſpanis gratiſſimus extitit. Frugali refectione contentus, unico tantum Fratre in ſocium aſſumto, commiſſum ſibi gregem luſtrare, ſibique Sacramenta de Epiſcopali more miniſtrare conſueverat. Denique hic vigilantiſſimus Præſul, contracto ex quadam defatigatione morbo (miniſtraverat ſiquidem innumeris fere Indis continue per triduum Confirmationis Sacramentum) in eodem Conventu ſancti Franciſci Populæ de Angelis ſe recepit, atque Sacramentis munitus, animam Cœlo reddidit. Ejus mortem omnes Hiſpani & Indi lacrymis proſequuti ſunt.

Bernardinus Marmoreus.
Gonz. in Prov. SS. Ap. Petri & Pauli Conv. 25. Rapin. in hiſt. recollect. Decad. 7. p. 3. §. 1. Marian. lib. 2. cap. 41. Chronic. Reform.

XX. In Provincia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Bernardinus Marmoreus illuſtri genere ortus, in Domino obdormivit, de quo ita Gonzaga: *F. Bernardini Marmorei funere, ſupramodum hic locus* (Cœnobium videlicet Aguaeathlanenſe) *nobilitatur. Perdevotus hic Pater, conſumptis priùs, idque maxima cum laude, in Conceptionis Provincia, ubi Religionis habitum primo induerat, aliquot annis, ad has partes transfretavit: tantaque cura, ac ſollicitudine Indorum converſioni tum verbo, tum quoque vitæ exemplo intendit, ut eorum pene innumeros Chriſto pepererit, nihil interim horum, quæ Franciſcanæ Regulæ nitorem concernebat, quæque ad Chriſtianam perfectionem requiruntur, prætermittens.* In Provincia Guatemalæ Franciſcus Colmenarius, qui per triginta quinque, eoque amplius annos, ſacris Concionibus virtutibuſque clarus in Indorum converſionem incubit; tandem apud Guatemalam decedens, univerſæ urbis incolæ ad funus convolarunt, habitus, criniumque, & veſtium particulas expoſcentes; neque abs re quidem, cum ejus chirographum ad incurabile ulcus ſemel appoſitum quemdam Alphonſum Guitierez integræ ſanitati mox reſtituiſſe authentica monumenta teſtantur. In Provincia Pietatis in Luſitania Antonius de Benevento Miniſter auſteritate & oratione celebris floruit. In Provincia Caſtellæ in Cœnobio ſancti Antonii de Capraria corpus Joannis Colmenarii laici eximiæ ſanctitatis Viri, qui circa hæc tempora claruit, tumulatum eſt. In veteri Hiſpania apud ſanctum Onuphrium de Lafra Provinciæ ſancti Gabrielis Alphonſus de Amigdaleto diem extremum obivit. Cunctis aliis diſcalceatis Sodalibus magnum ſuæ ſanctitatis reliquens odorem. Erat ipſe profeſſione laicus, atque orationis prærogativa maxime præditus. Ejuſdem Provinciæ, & profeſſionis fuere Marcus de Talavera, & Antonius Reguengo. Primus humilitate celebris, temporiſque ſui obitus præſcius, in Cœnobio ſanctæ Crucis Tabladiliæ deceſſit. Alter vitam ſolitariam enixe exoptans Romano Pontifice annuente, per ſuas litteras, in forma Brevis, quas Vergontiæ Dux Dei Servo addictiſſimus procuravit; aliquandiu in Eremo ſanctiſſime vixit. Tandem in quodam antro inter Caſtellæ & Portugalliæ limites plenus bonorum operum, in Domino quievit. Poſteaquam de Martyrio apud Damaſcum trium noſtrorum Sodalium Provinciæ Lucaniæ ſermonem ſuperius inſtituimus, annorum non ita certum computum a Gonzaga factum attendentes, eorumque nomina, præfiſumque mortis annum cum eodem ignorantes, in quoddam vetuſtiſſimum MS. ejus Provinciæ non tam ſero offendimus, quod & annum, & nomina doceri opportune potuimus. Hoc igitur anno Vincentius de Aſtiliano, Evangeliſta de Calvello, & Joannes de Viginiano, de fidei rebus cum Turcis Damaſci diſſerentes, & victoriam reportantes, quum Palinodiam cantare renuerint, capite plectuntur, ſicque cœleſtem coronam recipiunt.

Franciſcus Colmenarius.
Gonz. in Prov. Nom. Jeſu Con. 2. Barett. lib. 4. cap. 13. Boſius Tom 1. de ſignis Eccl. lib. 12. cap. 21. Gravina in voce Turt. p. 2. cap. 24.

Antonius de Benevento.
MSS. ex Arch. S. Iſid. de Urbe Arm. 3. n. 358. fol. 14.

Joannes Colmenarius.
MS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 32. fol. 56.

Alphonſus de Amigdaleto.
Barett. lib. 4. cap. 17.

Marcus de Talavera, & Antonius Reguengo.
MS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 2. fol. 141. Wadd. ad ann. 1557. n. 1. Gonz. prim. part. ubi de Martyr. Terræ Sanctæ. MS. antiq. Prov. Baſilic.

XXI. Suos hoc eodem anno habuit etiam gloria æterna coronatos Italia. Enim vero in Piceni Provincia, apud Firmanam urbem, Ludovicus Urbinas de-

Ludovicus Urbinas.

ceſ-

Bover. ad hunc ann. §. 9. Lequile Tom. 2. fol. 272. Col. 2. Flores Seraph. Capuccin. To. 2. fol. 214. MSS. auth. Prov. March. ex Arch. PP. Capuc. Urb. Artur. 18. Feb.

cessit, qui ex Observantium familia inter primos ad Capuccinos accedens, sanctitate ac studio Evangelicæ prædicationis potissimum floruit. Caute propterea legendum Franciscanum Menologium, alibi etiam pluribus scatens erroribus; addit siquidem III. Martii an. MDLXVII. obiisse, quod falso asseritur. Refert etiam obitum Hieronymi de Fano, qui hoc eodem anno, non autem circa quinquagesimum supra millesimum & quingentesimum in Conventu eorumdem PP. Capuccinorum Petræ Rubiæ Provinciæ Bononiensis & Carpineæ oppidi, mortuus est, innocentissimus quidem Capuccinus laicus hoc præcipuum religiosæ obedientiæ exemplum Sodalibus relinquens; quum enim ab Apostolorum Principibus sibi apparentibus in ultimo agone invitaretur ad gloriam, respondisse fertur, se nec sine sui Superioris benedictione aliquando e Conventu fuisse egressum, nec modo velle, eodem inconsulto, e corpore egredi, quo tandem adveniente, moriendi licentiam petiit. In eadem etiam Piceni Provincia evolarunt ad superos Hieronymus de Typherno (quem auctor Menologii Franciscani ab Interamna facit) Sacerdos; & Antonius Senensis Clericus ejusdem Capuccinorum familiæ, cujus tanta extitit humilitas, ut nunquam sacro Presbyteratus Ordine insigniri voluerit. Hic alter est ab Antonio Senensi ex Observantium Familia Presbytero, qui, ut Waddingus scribit, in Cœnobio Scarlini fatis cessit meritis cumulatus. Noster autem Antonius Clericus in Piceni Provincia ultimum obiit diem, non vero apud Montem Politianum, ut Antonius de Terrinca contendit, qui etiam eumdem perperam *Petrum* appellat. Antonius item Lochiensis tanta obedientia præditus, ut cum sæpe nihil præter panem & aquam ad victum adhiberet, plærumque etiam integros dies absque cibo, & potu transigeret. Humilitati, paupertati, & orationi tantopere studuit, ut inter perfectiores Regularis Observantiæ cultores sua tempestate haberetur. Deiparam Virginem singulari semper religione ac pietate prosecutus est, cujus cum coronam persolvit, multa a Dæmone patitur. Demum cum Sanctimoniæ apud omnes nomen adeptus esset, in Conventu Montis Ulmi Deo depositum reddit. Similiter quieverunt in Domino in sacri Alverniæ Montis Cœnobio Salvator a Corzano laicus, qui ut narrant, patrocinio Deiparæ Luporum rabiem miraculose effugit. Bartholomæus Nicienſis, & Benedictus de Brixia laicus Capuccini, quos virtute præclaros hanc eamdem Tusciæ Provinciam illustrasse unanimi consensu Auctores scribunt. Genuæ in Conventu S. Barnabæ Capuccinorum, ubi Guardiani munere fungebatur, Angelus Astensis in oculo Domini moritur, postquam in Observantium familia plures annos, cum eruditionis laude traduxisset, atque etiam doctoralem lauream in facultate Theologica Parisiensis universitatis fuisset adeptus; inter Capuccinos receptus plurima etiam sanctitatis dedit indicia. Tractatum de paupertate reliquit italico sermone, quem MS. Savonæ se accepisse a Jacobo Savonensi, Dionysius Genuensis in sua Capuccinorum Bibliotheca testatur. In hac Genuensi Provincia ejusdem Capuccinorum familiæ decessit Tyro quidam Cyprianus nomine, de quo hæc habet Boverius: *Hic haud aspernandæ virtutis adolescens cum vivaciorem quandam a natura vim fortitus esset; qua inter ipsa præsertim probationis initia, minus sibi interdum temperare poterat, cum Fratres inito consilio habitu exuendum, atque a Religione dimittendum decreverant; cum novitius, Fratrum deliberatione perspecta, ad Deum benignum confugiens, eis illum verbis precatur*; „ Do„ mine Deus, hominum Salvator, tu cordium servator es verus; nec te ulla „ hominis latet cogitatio; nosti Domine, qua ratione & consilio in hanc me „ Religionem contulerim, nimirum, ut Mundo ac mundanis omnibus crucifixus, in ea me tibi perpetuo consecrarem; & sub sanctæ Crucis vexillo nu-

Hyacinctus de Fano. Bover. cit. §. 10.

Hieronymus de Typherno. Bover. ad hunc ann. §. 16.

Antonius Senensis. Anton. de Terr. Hist. MS. Prov. Tusc. Dec. 2. Bover. ibidem n. 12. Wadd. ad ann. 1447. §. 39. Terrinc. cit.

Antonius Lochiensis. Flores Seraph. Capuc. Tom. 2. fol. 393.

Salvator a Corzano. MSS. Provinc. Tusc. Ant. de Terrinc. Dec. 2.

Bartholomæus Nicienſis. Bov. ad hunc ann. §. 16.

Benedictus de Brixia. Bover. cit. §. 22. Flor. Ser. Capuc. fol 446. Tom. 2.

Angelus Astensis. Bover. §. 6. cit. Flor. Seraph. Capuc. Tom. 2. fol. 159. Biblioth. Francisc. lit. A.

Cyprianus Capuccinus. Bover. ad hunc ann. §. 4.

„ nudus te Dominum meum nudum ſequerer. Obſecro Domine, ne me a „ tuæ crucis amplexu divelli permittas. E Babylone auſugi, ne quæſo me amplius Babylon videat, aut teneat. Huc me ex immenſa tua benignitate, „ velut inter veros Iſraelitas vocaſti, hic me locus perpetuo poſſideat, quod „ ſi vivum tot Sanctorum numero, velut indignum Patres adſcribere recuſant, ſaltem mortuum non projiciant. Peto Domine, ut morte potius, „ quam corpore, aut animo ab hoc cœtu disjungar „. *Ardentes hæ Novitii preces Deus haud irritas eſſe voluit: nam antequam ab Ordine dimitteretur, repentina febre correptus, cum ad ultimam vitæ metam perveniſſet, Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Sanctorum aſpectu dignatus, extremum in Religione (uti poſtulaverat) diem clauſit, ac purum Deo ſpiritum reddidit. Ex quo id facile perſpici poteſt, majores plerumque virtutes ſub obſcura naturalium imperfectionum veſte latere, quæ tum a Superiore, tum a Novitiorum Magiſtro prudenter explorandæ ſunt, ne pretioſæ interdum gemmæ cum quisquiliis projiciantur. Mortuus eſt in Conventu Aſtenſi tunc Genuenſis Provinciæ*; in qua, etiam ex ipſa familia, Mundo vale dixere Petrus Nicienſis Sacerdos, & Benedictus de Modia laicus, cujus poſtremi caput, multos poſt ſepulturæ annos, ait Boverius, cum recenti ſanguine perfuſum repertum fuiſſet, ampliorem venerationem propterea apud omnes ſibi comparavit. Hunc Dei Servum, quem *de Molina* temere vocat Auctor Viridarii, fatis ceſſiſſe ſuperiore anno ſcribit, ut etiam hallucinatur, alterius præclari Capuccini Franciſci de Sinagria (de *Singria* in Menologio) narrans hiſtoriam, qui adeo paupertatem dilexit, ut panni præſegmina, quæ interdum projiciuntur, ſolicite colligens, ea filo pendentia in cella conſervaret, quæ aliquando ſui, aliorumque uſui prodeſſent; eamdemque cellam propterea paupertatis emporium ſolitus erat appellare. In orationis ſtudio, divinarumque rerum contemplatione adeo profecit, ut in ea ſæpe mentis pateretur exceſſus, quos cum is omni ſtudio celare contenderet, fieri tamen non poterat, quin interdum Fratribus innoteſceerent. Humilitatem etiam ſolicite proſequebatur, nec paſſus eſt unquam cæteris præeſſe, aut dignitate aliqua exornari; ob id non nihil aliquando a recto deflectens. Cum enim ſemel Panormitani Conventus adminiſtrationem refugeret, nullaque ratione animum cum ea dignitate componere valeret, e Monaſterio clam abſque Superioris facultate auſugit, quod cum ex animi ſimplicitate potius quam vitio egiſſet, divino monitu ad Cœnobium redit, graviterque ſe de violata obedientia accuſat. Spiritus Sancti demum præcipuis auctus donis, in eodem Panormitano Cœnobio migravit ad Chriſtum. Andreas de Aragonia vivus, ac etiam vita defunctus miraculis a Deo illuſtratur. Joannes Camarinus laicus, cui ob dotes eximias Dæmon invidens, ut referunt, eidem in aſſumta ferociſſimi Tauri forma, cornu ad inteſtinorum uſque effuſionem læthaliter in ventrem infixit, a Deiparæ tamen imagine continuo liberatus eſt. Ambo circa hunc annum in ſanctæ Mariæ de Jeſu in Camarino Cœnobio morte glorioſa occubuere. In Cœlum item evocatus eſt & Hieronymus Lanza, qui ſolitariis vitam præſcripſit, ad Franciſcanorum normam an. MDXLV. ait horum Annalium Continuator, dum ſtricto calamo refert hiſtoriam ad annum MDL. quando Julium III. ſummum Pontificem illius Inſtitutum confirmaſſe affirmat, citato dumtaxat, ſed in Regeſto non relato Diplomate. Neque adhuc nobis licuit apud noſtrum Dazam illud invenire mendum quod ipſe carpit, dum ſcribit, *ſolitarios* Hieronymi Lanzæ *veros fuiſſe Capuccinos*, ex Diplomate Julii Dazam *exiſtimaſſe*. Inter cæteros hujus Congregationis Alumnos fuiſſe docemur eximium Dei virum Benedictum de S. Philadelphio, ſive de *Sanfilofratello* nuncupatum, qui etiam *Sanctum*

Petrus de Nicia, Benedictus de Modia Capuc. *Bover. ad hunc ann. §. 16. Flores Seraph. Capuc. Tom. 2. fol. 446.*

Franciſcus de Sinagria. *Bover. cit. §. 13. Menolog. Franc. 4. Mart.*

Andreas de Aragonia. *Artur. 5. Feb.*

Joannes Camarinus. *Artur. 16. Aug. Wadd. ad ann. 1428. §. 7.*

Hieronymus Lanza. *Menol. Franc. ad 3. Feb. Chron. Provinc. Reform. Fabr. Mazz. l. 2. cap. 3. Contin. ad ann. 1550. n. 16. Gubern. Tom. 1. lib. 5. cap. 9. §. 18.*

Nigrum audit, de cujus immemorabili cultu die XI. Maji hujus ejuſdem anni MDCCXLIII. conſtare a SS. Rituum Congregatione declaratum eſt, edito ſequenti Decreto.

Panormitana Canonizationis B. Benedicti a S. Philadelphio Laici Profeſſi Ordinis Minorum Obſervantium Reformatorum ſancti Franciſci.

Cum a Sacrorum Rituum Congregatione ſub die XXVI. *Auguſti* MDCCXIII. *admiſſa fuerit, annuente etiam ſan. mem. Clemente XI. die* VI. *Septembris ejuſdem anni, & ſucceſſive ſignata commiſſio reaſſumptionis cauſæ Canonizationis prædicti B. Benedicti a S. Philadelphio; eumque ad tenorem præfatæ commiſſionis, ad inſtantiam P. F. Leopoldi a Roma Poſtulatoris Generalis Cauſarum Servorum Dei & Beatorum enunciati ſui Ordinis ab Emo & Rmo D. Cardinali Corradino in Sac. eadem Congregatione ordinaria habita die prima Decembris* MDCCXLII *propoſitum, & diſcuſſum fuerit dubium* „ An conſtet de cul- „ tu publico eidem B. Benedicto præſtito, ſive de caſu excepto a Decretis „ ſan. mem. Urbani Papæ VIII. in caſu de quo agitur „ *prodlit reſponſum: dilata, & coadjuventur probationes. Repropoſito autem iterum præfato dubio in Congregatione habita ſub infraſcripta die per Emum & Rmum D. Cardinalem Accorambonum ſubrogatum in locum prædicti clar. mem. Cardinalis Corradini interim defuncti, & coadjuvatis probationibus, ac melius elucidatis, Sacra eadem Congregatio, prævio maturo examine Proceſſuum Apoſtolicorum ſuper præfato cultu publico, ſive caſu excepto conſtructorum hic in Urbe, & in Civitate Panormi, ac etiam tam ſcriptis, quam in voce R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore iterum audito, referibendum cenſuit: affirmative, ſi Sanctiſſimo Domino noſtro viſum fuerit. Die* XI. *Maji. Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino noſtro relatione, Sanctitas ſua benigne annuit die* XV. *ejuſdem menſis, & anni* MDCCXLIII.

F. I. A. Card. Guadagni Pro-Præf.

Loco ✠ Sigilli

T. Patriarcha Hieroſolym: Sec.

Roma celebrantur ſolemnia.

XXII. Hac de re in Eccleſia ſancti Franciſci Tranſtyberim Urbis hiſce ipſis diebus, quibus nobis fauſte ſcribere hanc noſtram hiſtoriam contingit, ſplendidiſſimo apparatu, communique plauſu per triduum, pridie nonas Octobris præſcripti anni inceptum, ſolemnia, Pontificia etiam præſentia vel maxime decorata, noſtri Conſodales Reformati celebrant. Et merito quidem; duxit etenim vel imprimis Benedictus in ſeculo vitam inculpatam, ac virtutibus plenam, aſperriniſque auſteritatibus carnis domans petulantiam, integros quandoque dies in oratione tranſegit. Cum autem ad Hieronymianam Congregationem migraſſet, vitam priori pietate auſpicatam tot virtutibus illuſtravit, ut totius humilitatis, honeſtatis, manſuetudinis, regulariſque diſciplinæ exemplar ſeſe præbuerit. Contemplationis rerum divinarum præcipue ſtudioſiſſimus fuit, cujus tanta cupiditate tenebatur, ut inter heremicolas hujuſmodi aptas ſolitudines quæreret. Sed Congregatione anno MDLXII. diſſipata, ut ſuo loco narrabimus, ad Franciſcanos Reformatæ Familiæ continuo tranſvolat. Cæterum de Benedicto ſermo erit, favente Deo, ad annum MDLXXXIX. quo evolavit ad ſuperos. Cœnobium Mancoſæ, quod Rodulphus hoc anno ædificatum ſcribit, *ſub titulo ſancti Antonii datum Fratribus a Barone Carini, & a Reformatis habitatum*, quodque *Mancuſæ* vocat, illud eſt ipſum,

Rodulph. lib. 2. fol. 281. a tergo.

Anno Christi 1560.	Pii IV. anno 1.	Ferdinandi I. Imp. anno 3.	Religionis Minorum anno 353.

ipſum, quod ſolitario, aſperrimoque ſitu xv. ab urbe Panormitana lapide Hieronymum his temporibus legimus exſtruxiſſe, ubi etiam Benedictus noſter incolatum habuit; non tamen hoc anno dicerem, quo Hieronymus inſtitutor vita functus extitit.

XXIII. Tot præclariſſimos huc uſque recenſitos ſodales ſociant Mulieres celebres, cum Secundi, tum etiam Tertii Franciſcani Inſtituti. Etenim Perpetua de Ambroſiis in Monaſterio ſanctæ Claræ Florentiæ, & Cæcilia, Euſraſia, Apollonia Pichineſia, & Domitilla de Falconinis in eo ſancti Lini Volaterrarum Clariſſæ, Tuſciæ Provinciam ſanctitate illuſtrant. Oliſſyppone in Monaſterio ſanctæ Claræ floret Leonora a Regibus: de qua ita Gonzaga: *Mortem quoque obiit hoc in ipſo loco devotiſſima atque piiſſima ſoror Leonora a Regibus, in quo obedientiæ donum cum profundiſſima humilitate conjunctum ſupra modum enituit. Qua etiam de cauſa ab hujus ſacri Conventus Sororibus inter cœlicolas adnumeratur, omneſque illam felicem beatamque prædicant, & felici obitu mortua eſt.* Etiam in Hiſpania in Monaſterio ſanctæ Agnetis Cordubenſi, Provinciæ Granatæ, Franciſca de Jeſu migravit ad Sponſum, quæ in oppido de Cannete ortum duxiſſe fertur, ejuſque ſanctimonia & pietas, præſertim erga Purgatorii animas, adeo eluxit, ut publico Inquiſitionis Cordubenſis teſtimonio probata fuerit. Humilibus addicta muneribus, etiam dum cæteris præerat Sororibus, eiſdem demiſſe famulabatur. Hortum pectuo aut æſtivis aut hyemalibus temporibus colens, inſtar Æthyopis nigra ejus facies evaſit. Nudis pedibus laceraque veſte ſemper inceſſit, & ſuper nudam tabulam corpuſculo brevem ſomnum concedens, ſeraphicæ paupertatis arctæque auſteritatis dedit indicia. Orationi vero ac contemplationi adeo fuit addicta, ut ſæpiſſime, diebus præſertim, quibus pane Angelorum paſcebatur, in extaſim raperetur, de quo Moniales non ſemel experimentum facere conſuevere. Spiritu prophetico prædita, quem eſſent Fratres ſuæ Provinciæ in Miniſtrum electuri prædixit, ſuique demum Confeſſarii teſtimonio adeo virtutibus fulſit, ut in Sanctorum faſtis aſcribi potuerit. Ibidem ad Sponſum item pergit Franciſca de Hervas, eximia ſuæ ſanctitatis opinione relicta.

XXIV. E Monaſterio autem ſanctæ Eliſabethæ ejuſdem urbis Magdalena de Cruce Virgo falſo viſu aliquando decepta, ac fallaci ſanctitate inſoleſcens, ad ſanctæ Agnetis Iliturgii, ſive Fori Julii translata, ibidem dignos fecit pœnitentiæ fructus, minuſque rectum anteactum vitæ modum vera pietate inſignique humilitate compenſavit. Obiit hoc anno, die ſancto Joanni Evangeliſtæ ſacra. Porro in ipſa Provincia hoc eodem annò Monaſterium ſanctæ Claræ Granatenſe Cœlo dedit Agnetem de ſancto Gabriele, Granatæ nobili genere ortam, quæ octennis religioſum clauſtrum ingreſſa, exinde per quindecim annos, licet invita, eidem loco præfuit, virtutibuſque conſpicua ultimam ſuæ vitæ diem octiduo ante Confeſſario prædixit. Monaſterium ſanctæ Claræ oppidi, cui *Alcandete* hiſpanice nomen eſt, ſua morte illuſtravit Eleonora de Monte Majori *Domini de la Caſa* Monaſterii Fundatoris ſoror, cujus virtutibus Philippus II. Hiſpaniarum Rex ad eam inviſendam allectus fuiſſe legitur. Monaſterium ſancti Antonii Beatiæ Catarina de ſancta Clara, & Joanna de Queſada Clariſſæ Conceptionis: Illud ſanctæ Claræ Regiæ Alcazerii Anna de Angelis (ab ea diverſa, de qua in Annalium horum Continuatione ad annum MDXLVI.) cujus corporis, atque veſtimentorum flagrantiſſimus odor omnibus ejuſdem ſanctitatem indicat: Illud Conceptionis Veenſe, ſive de Veas, Bernardina de Rota, & Eufraſia Roderica Tertiariæ pari ſanctitate conſpicuæ: Illud demum Sanctarenſe in Luſitania illuſtravit Agnes do

Perpetua de Ambroſiis.
Cæcilia, Euphraſia, & Apollonia Pinchinchia.
Domitilla de Falconinis.
Terrinc. Hiſtor. MSS. Prov. Tuſcia.
Gonz. par. 2. in eadem Provincia Mon. 1.
Barett. l. 4. c. 30.
Leonora a Regibus.
Gonz. in Provin. Portug. Mon. 1.
Wadd. ad ann. 1294. §. 19.
Valer anus lib. 4. de BB. Femin. Ord. Min.
Franciſca de Jeſu.
Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. num. 3. fol. 235.
Franciſca de Hervas.
Ibidem fol. 290.
Wadd. ad ann. 1483. §. 59.
Arturr. ad 24. Junii.
Magdalena de Cruce.
Wadd. ad ann. 1530. §. 57.
MSS. auth. Provin. Granatæ. Arturr. 27. Decemb.
Agnes de S. Gabriele.
Ex Arch. S. Iſid. MSS. auth. Provincia Granatæ Arm. 3. num. 130. fol. 281.
Eleonora de Monte Majori.
Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. nu. 13. fol. 300.
Catarina de ſancta Clara, & Joanna de Queſada.
Ex Arch. S. Iſid. de Urbe Arm. 3. n. 14. fol. 175.
Anna de Angelis.
Continuat. ad ann. 1506. §. 167.
Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. nu. 19. fol. 96.
Bernardina de Rota.

Eufrasia Roderica Tertiaria. *Gonz. par. 2. in Provincia Tuscia Mon. 1. Valer. lib. 4. ca. 39. de SS. Fem. Ord. Min.* Agnes de Jesu. *Emanuel de Spe in Hist. Provin. Portug. lib. 5. cap. 12. p. 1.* Margarita Sicula Calatæxibeta, de Platea. *Ex MS. hujus Provin. in Arch. S. Ifid. Arm. 2. n. 45. fol. 42. & n. 48. fol. 230. Gravin. in vit. e Turrur. p. 2. cap. 14. MS. auth. ex Archivo S. Ifid. Arm. 6. n. 8. fol. 259.*

S. Petrus de Alcantara sanctitate fulget. *Laur. a S. Paulo in vita S. Pet. Marchef. in eadem. Rapin. Decad. 10. Baret. & alii cum Brev. Franc. & AB. Canonic.*

A Deo electus, ut sanctæ Teresiæ in sua Reformatione instituenda operam daret. Abulam proficiscitur. Teresiam invisit, & instruit. Isabellæ de Ortega Carmelitanam futuram prædicit. Hæc cum Maria de Pace Teresiæ socia.

S. Teresia in spe instituendæ Reformationis confirmata.

Alia etiam Monasteria ingressus.

de Jesu, quæ innocens corpus asperitatibus adeo edomabat, ut qualibet sexta feria nil prorsus comederet, sequenti sabbato solo panis frustulo contenta. Ter in hebdomada se flagellis usque ad sanguinis effusionem exedebat, asperrimumque cilicium deferens, supra nudam tabulam duabus solis horis pro qualibet die somnum capiebat. Unius anni spatio cancrenæ morbo afflicta; tandem cœlestibus donis illustrata, ea die, quam multo antea prædixerat, æterno Sponso animam reddidit; digna, ut Lusitanico Menologio cum cæteris illius gentis sanctis ascriberetur. Tertium etiam institutum professa Margarita Sicula Calata Xibeta, de Platea (unde fuit oriunda) nuncupata, illustravit. Hæc adhuc infans, diebus jejunii lac semel tantum suggebat; adulta divinis contemplationibus perpetuo vacans, Angelorum obsequia legitur meruisse. Spiritu item prophetico donata, Plateæ migravit ad Sponsum, in Ecclesia sanctæ Mariæ de Jesu tumulata.

XXV. Sed horum omnium vita functorum gloriam sanctitatis laude superabat, qui hac ipsa ætate adhuc in vivis degebat, Petrus Alcantarensis, quem Commissarium Generalem a Pontifice confirmatum anno elapso vidimus, ut suorum reformationem proveheret, & qui in præsenti a Deo seligitur, ut illi Carmelitani Ordinis a Teresia de Jesu, cœlitus præcipuam operam daret. Teresia siquidem Petro de hac re scribit Epistolam, cui Vir Dei continuo respondet, opus Domini esse; hortaturque, ut Virginis Deiparæ Sponsum advocet, & in Patronum adsciscat; ne sibi vires deficiant. Quum autem Abulam, ubi Teresia morabatur, ita disponente Deo, proficisci contingeret, ut Doctorali Ecclesiæ illius Canonico Apostolicas litteras ipsimet inscriptas exhiberet, de quo superiori anno loquuti fuimus, lubentius viam carpit, & ad urbem, populis exultantibus, pervenit, ubi re sua peracta, Teresiam invisit, instruxit, suumque exhibuit auxilium, & ut constans opus susceptum prosequeretur, hortatus est. Etiam Guiomaræ de Ulloa, de qua supra, idem persuadet, consulitque, ut quamcitissime necessarias in forma Brevis litteras a summo Pontifice obtineat. Accidit interea, quod nobilis quædam, atque speciosa puella, cui nomen *Isabella de Ortega*, internos experiretur impulsus, ut Minoritis *Discalceatis* Matritensis Monasterii nuperrime fundati nomen daret; quo a Petro ejusdem Confessiones sacras excipiente audito, prædicit, nequaquam eamdem Clarissarum Matriti, sed Carmelitanorum Abulæ primum Institutum professuram; quod re ipsa contigit, dum eandem Petrus Teresiæ præsignavit in sociam. Altera Virgo nomine *Maria de Pace* domestica D. Guiomaræ de Ulloa, cujus virtutes imitabatur, eodem Religionis desiderio accensa, turbabatur valde ob dotis necessariæ ad ingrediendum Monasterium defectum. Quod eum Petro sincerius aliquando communicasset, ejus monitis atque consiliis plurimum consolata, remedium suæ impatientiæ imposterum ex sancti Viri promissione, securior expectabat. Harum itaque Virginum acquisitione Teresiæ renunciata, obfirmabatur spe fundationis suæ successum (tam fœlici principio, tamque solicito Promotore obstetricantibus) prope diem optatum sui desiderii fructum pariturum, eoque alacrius atque diligentius beato Patri gratias agere, & ad operis perfectionem solicitare instabat. His curis Abulæ distento Petro, obtigerat sæpius, varia Religiosarum Virginum Monasteria adire, quibus inter virtutum monita, præcipuum orationis studium sedulo commendabat: hinc multis libellos a se de re hac divinitus conscriptos donare consuevit, sermonibusque frequentibus, non ad doctrinæ ostentationem, populorum corda permovere non desinebat. Inter prima hæc, Monasterium Incarnationis a Teresia inhabitatum sæpe ad instantiam Sanctæ, atque ægrotantium ingressus, præsentia, doctrinaque mirabili

bili inſtruendo perfecit: in altero ſanctæ Annæ Ordinis ſancti Bernardi, ſemel ab Abbatiſſa invitatus, ut ægrotantem quandam Virginem inviſeret, redeundo a plurimis eum undique ſtipantibus, ad celebrandum ſacrum in Oratorio Synodi, ſeu Capituli trahebatur, ut devotionis fervorem, quem omnes in ſanctum Virum venerabantur, in ſuæ pietatis affectum utiliter converterent. Nec fefellit opinio; promtum ſiquidem ſincerumque Viri obſequium dum ſenſim integra ſpiritus flamma in Martyrii meditatione exardeſceret, antequam ad ſanctiſsimi Corporis communionem perveniſſet; vehementi raptu per tres horas ultra cubitum a terra ſublevatus, omnes ſtupore atque devonionis compunctione percelluit. Hinc ad ſe reverſus, ſacrificioque abſoluto, gratiam (quam ipſe in divina clementia altius prædicabat) devotis Virginibus in pietatis ſtimulum validius convertit; & quod ſibi indigniſſimo Dei famulo conceſſum immerito mirabantur, id amantibus ferventius, atque ſectantibus diligentius divinam bonitatem, incitamenti magis, quam præmii loco habendum efficacius perſuadet. Unde cum ei aliquoties in eodem loco, occaſione illius ægrotæ viſitandæ idem contigiſſet, ſolidum iiſdem Virginibus conceptum de familiaritate divina facilius impreſſit. Suorum tamen reformationis augendæ minime oblitus, expetente Joanna de *Portugal* Marchioniſſa de *Elche*, ut inibi etiamque in oppido Montis fortis, pro ſuis domos exciperet, Antonio de Conceptione, & Bartholomæo de ſancta Anna jubet eademet loca explorare.

Rapitur inter celebrandū in extaſim, ſublevato corpore.

Sanctimoniales ad pietatem ſtimulat.

XXVI. Reverſus proinde Pedroſum, ibidem conſuetis contemplationis, rigidæ pœnitentiæ, ſuæque præfecturæ muneribus per aliquod tempus incumbit; quo tempore tanta nivis copia ea in regione cadit, ac diu perſeverat, ut exitum e Cœnobio omnino præcluſerit, quo factum eſt, ut præter nigri durique panis fruſtulum, famelicis Fratribus nil ad veſcendum remanſerit. Hora ergo prandii adveniente, ad miſerorum numero duodecim refectionem in particulas panis dividitur, illudque comedentes ſpirituali conſueta lectione reficiuntur. Dum autem beatus Pater pro ſua periclitante ſobole enixe Omnipotentem precatur; ecce ad Cœnobii januam pulſat adoleſcens panes, aſparagos, piſces, oleumque ſecum deferens, quæ eadem mane a Deo excitatus, apud Serandiliæ oppidum, XII. M. P. a Pedroſo diſtans, collegit; quibus refecti Sodales debitas providentiæ divinæ gratias reddunt. Petrus vero juvenem ſuis litteris pro beneficio munit, quibus in benefactorum Ordinis album aſcriptus agnoſceretur; quas in ſpiritualibus infirmitatibus, corporumque morbis medendis efficaciſſimas loci incolæ experti ſunt quam ſæpiſſime. Epiſtolæ autem hujuſmodi ex hiſpanico translatæ hic eſt tenor.

Pedroſum revertitur.

Fratribus ſuæ periclitantibus de miraculoſo cibo proviſum.

Dilectiſſimis Fratribus in Domino noſtro Jeſu Chriſto Gabrieli Sanchezio ſuæque Uxori de Turre Junxillo: Ego frater Petrus de Alcantara Commiſſarius Generalis ſupra omnes Fratres Minores Conventuales Hiſpaniarum auctoritate Apoſtolica confirmatus ſalutem, & pacem æternam in Domino, qui eſt vera ſalus, atque ſpes firma eorum omnium, qui eum diligunt, eique ſervire cupiunt. Eam devotionem conſiderantes, quam vos ſupradicti habetis erga Seraphicum Patrem noſtrum ſanctum Franciſcum, ſuoſque Fratres, qui ſunt obedientiæ noſtræ ſubjecti, quemadmodum iidem Fratres teſtificantur, propter ingentem eleemoſynam, atque cætera pietatis opera, quæ a vobis recipiunt, atque recepere: cupientes, quod ob temporalia beneficia compenſationem ſpiritualem recipiatis: Quapropter in divina miſericordia confidentes, atque meritis P. N. S. Franciſci, ob cujus reverentiam vos ſupradicti tam devotum, atque beneficum animum ſacræ ſuæ Religioni oſtenditis: Ego præſentium litterarum vigore vos inter Fratres noſtros recipio; ut ſitis participes omnium bo-

Marc. Complutenſis in Chron. Prov. S. Joſ. lib. 5. cap. 20.

no-

norum, ideſt ſacrificiorum, jejuniorum, diſciplinarum, orationum, prædicationum, confeſſionum, miſſarum, & cæterorum beneficiorum, tam generalium, quam particularium, quæ Domino Deo noſtro acceptare pro ſui miſericordia placuerit, ab omnibus & quibuſcumque Fratribus, & Religioſis obedientiæ meæ ſubjectis: itaut fitis noſtri Fratres, prædictorum bonorum in vita, & poſt mortem participantes, omnium videlicet ſacrificiorum, & officiorum divinorum, quæ facere ſolemus pro iis, qui eorum domibus nos recipiunt & faciunt caritatem. In quorum fidem jubeo dari præſentem paginam Fraternitatis nomine meo firmatam, atque Sigillo majori officii mei munitam. Datum ex noſtro Conventu Dominæ noſtræ Conceptionis Pedroſi die XXV. *Maii* MOLX.

Frater Petrus, qui ſupra manu propria.

XXVII. Nec abſimile illud eſt, quod anno a Virgineo partu MOLXXXI. hoc in eodem loco obvenit: Rivulis ſiquidem ob continuam pluviam inundantibus, Fratribuſque ea propter ſe neceſſario domi continentibus, quidquid edulii, atque panis erat abſumptum omnino fuit; & ecce, dum illi orationi ferventius inſtant, nihilque minus quam de humana ope cogitant, prohibentibus omnino imbribus fluviorum translationem, alius præter ſpem ruſticus prænemorati paguli incola adventavit, qui, ſuperatis, licet non abſque præſentiſſimo vitæ diſcrimine, veloci equo torrentibus, panes, vinum, piſciculos, atque aliquot fructus liberaliſſime miniſtravit, quibus extenuata jejuniis corpora refecerunt, famemque procul propulſantes Deo Optimo Maximo omnium bonorum largitori debitas gratias, uti par erat, reddiderunt.

Simile contingit in Conventu Roſarii prodigium.

XXVIII. Simili de cauſa par accidiſſe prodigium legimus in Conventu Roſarii, ubi dum Petrus moraretur, ab Angelis ad januam caniſtro panis relicto, Fratres famelici illo miraculoſo cibo per triduum reficiuntur. Ii porro tres panes, qui Petro contigerunt, & quibus Vir Dei de more abſtinuit, Comiti de Oropeſa dati ſunt; ab eodem deinde unus ad Hiſpaniarum, alter ad Luſitaniæ Reges, tertius demum ad hiſpanicum Oratorem apud Summum Pontificem miſſus eſt. Eodem tempore, renaſcentibus æmulorum in reformationem tumultibus, opus ſuit Viro Dei Placentiam accedere, ibique cum Antiſtite tempeſtate ſedata, ad oppidum de *Carceres* proficiſci. Poſtea oppidum de *Zaraicego* petit, ubique populis divina virtute cum ſpiritualia, tum etiam temporalia beneficia elargiens, inter quæ illud memoria digniſſimum, quod religioſo ſocio præ fame & ſiti animam in itinere agenti, ad Petri preces Omnipotens miraculoſe ſuccurrit, dum repente fons perennis ex arida exſurgit humo, binique panes candidiſſimi apparent. Ad Conventum inde Villæ Vicioſæ accedit, ubi reliquum hujus anni tranſegiſſe validiſſimis conjecturis docemur.

Socius fame, ſitique moriens cœleſti annona reficitur.

Ad Conventum Villæ Vicioſæ accedit.

XXIX. Neque alii deſuere his temporibus viri eximii, qui etiam doctrina Ordinem illuſtrarunt; ex quibus unus vel alter deceſſerunt hoc anno, & in primis Joannes Antonius Delphini ex oppido Rompeani Caſalis majoris ditionis in Lombardia Ciſpadana, quem *Antonium Delphini*, dempto *Joanne* Waddingus, & Author Bibliothecæ Franciſcanæ vocant, Patrum Conventualium Generalis Vicarius, qui, ut ſcribit Rodulphus, idiotis Parentibus ortus a teneris annis Cremonam miſſus eſt, ut vacaret humanioribus litteris, quibus omni tempore urbs illa floruit; demum Bononiæ ad ſolidiores incumbens diſciplinas, evaſit Magiſter inſignis, & per univerſam Italiam celebris, ut ejus monumenta clariſſime demonſtrant, quibus ipſe ad poſteritatis notitiam nomen ſuum longe lateque tranſmiſit. Scripſit, Waddingo teſte, *De fine ultimo, De Virginitate, De Prædeſtinatione, De Cultu ſacrarum Imaginum, De Cœli rotunditate, De Metheoris, De rerum Eventu, De Divina Providentia, De libe-*

Florent Viri docti.

Joannes Antonius Delphini. *Wadd. de Script. Ord. ſub lit. A. Biblioth. Franciſ. Tom. 2. ſub eadlit. Rodulph. lib. 2. ubi ſeries Generalium.*

libero arbitrio, *De peccato Originali*, *De Juſtificatione*, *De Matrimonio*, *De Celibatu Religioſorum*, *Opuſculum de Nobilitate*, *laudatum a Hieremia Buchio in ſuo Catalogo*, *Commentaria in Evang. S. Joannis*, *& in Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos*, edita Romæ an. MDLXXXVII. ut teſtatur Ludovicus Dupin: *Opuſcula quædam Logicalia*, *Epiſtolam ad Jullum III. de pertractandis in Concilio Tridentino: de Cæleſtibus Orbibus*, opus probatum ab Antonio Caſtel Minorita in 2. Sententiarum quæſt. 12. n. 68. fol. 201. niſi forte idem ſit cum ſuperius citato de Cœli rotunditate. Extat etiam noſtri Authoris nomine volumen inſcriptum: *Opus eximium univerſum fere negotium de Eccleſia, inter Patres Orthodoxos & Proteſtantes controverſum, in tres libros digeſtum: Venetiis editum typis Andreæ Arrival* 1552. In Ordine per omnes gradus ad Generalem Præfecturam aſcendit; electus eſt ſiquidem anno MDLIX. die XVIII. Auguſti Vicarius Generalis Apoſtolicus, non ſine ope Rodulphi Cardinalis Pii Protectoris Ordinis, ut ibidem dicebamus, in quo munere obeundo notabilem modeſtiam adhibuit, ac lenitate utebatur magis quam ſeveritate (id quod plurimum ſapientes approbant) qua omnium animos in ſui reverentiam flectebat, juxta illud Eccl. *Fili in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper gloriam hominum diligeris*. Sicut autem erat turpitudinis hoſtis perpetuus, ita Religionis peramicus fuit, in omnibus geſtis compoſitus, jucundæ converſationis, dulcis eloquio, diſcendi, legendi, ſcribendi aviditſimus, ſomno, cibo, ac potu parce utens, & minimam quamque temporis jacturam fugiens; condiſcipuli, qui ejus ingenium familiariter noverant, ob ejus in ſtudiis ſingularem continuationem, quia tempeſtive, & media nocte ad ſtudia ſurgebat, eum *mediam noctem* joci cauſa appellitabant. Tamdem a Pio IV. Pont. Max. ad Sacrum Concilium Tridentinum accitus, Bononiæ, ut Rodulpho, Romæ vero, ut aliis, teſte Waddingo, placet, febre correptus obiit. De illo apud Toſſinianum quidam cæcinit: *Quis te docte ſinat tacitum Delphine tot inter Præſtantem Sophiæ, conſpicuumque Patrem?* Eorumdem PP. Conventualium Familiæ aſcriptus extitit etiam Jacobus Antonius Ferdutius Anconitanus, de quo Waddingus non ſemel facit memoriam, quique circa hunc annum deceſſit. Hujus prudentia, atque dexteritate, quum Vicarii Apoſtolici munere pro ſuo Generali Præfecto Joanne Vigerio in Galliis ſungeretur, res Conventualis familiæ ſuæ illis in Regionibus, cum iis Obſervantium ſartæ tectæ ſunt vel in primis compoſitæ, ad hæc inſtigante potiſſimum Franciſco Chriſtianiſſimo Rege, ut ex Inſtrumento, quod Waddingus citatus refert, liquido conſtat. Et quum Ordinis famulatui præcipuis in negociis procuratorio nomine eſſet perpetuo addictus; ingentibus ejus perpenſis meritis, a PP. Mediolani ſuis generalibus in Comitiis convocatis, conſenſu unanimi Generalis Magiſtri dignitate inſignitur, ſicque, ait Waddingus, *Ordinem annis ſeptem laudabiliter rexit*. Maſſiliam profectus, etiamque per cæteras Galliæ regiones, nullum non movit lapidem, ut regularis diſciplina inter ſuos præluceret. Aſſumtus inde a Paulo III. ad Mariuranenſem Eccleſiam, eam non minori ſtudio legitur excoluiſſe, donec Epiſcopatus ejuſmodi viginti cum duobus annis expletis, ſenio confectus, eo prorſus tempore, quo Completorii perſolvebat horam, ad ea verba *In manus tuas Domine &c.* repente ſublatus eſt. *Hoc tempore* (hæc de noſtro Jacobo addimus ex Rodulpho) *Provincia Provinciæ a Conventualibus defecit, quia cum per plures annos non fuiſſet viſitata, voluit illam novis conſtitutionibus reformare, & grave jugum imponere, nam convitiis provocabat omnes talibus dictis hiſce verſibus comprehenſis.*

Lud. Dupin. facul. 16.

Jacobus Antonius Ferdutius.
Wadd. ad ann. 1533. §. 1. 15. 40. §. 70. 1537 §. 22.
Wadd. de Script. Ord.
MS. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. n. 48. fol. 17.
Biblioth. Franc. ſub lit. I.
Wadd. cit. ad ann. 1533.
Wadd. cit.

Rodulph. in Hiſt. Seraph. fol. 190.

Proh

Proh dolor! ignarique boni, ignarique malorum
Quo ruitis? quin præcipites laxata quadrigis
Infanis, quo lora trahunt, modo cernitis? ah mox
Supprimite audacique manu reflectite habenas;
Blanda voluptatis captivo vincula collo
Excutite, & lætas mentes attollite cælo.

Idcirco Impatientes Fratres, ab obedientia Conventualium ſe ſubduxerunt.

Andreas de Vega. *Tom. 18. Continuat. Annal. Minor. ad an. 1546. n. 11.* *Caniſ. in Epiſt. ad Hernetū Bavar. Ducem.* *Bellarm. lib. 5. de Juſtificat.*

XXX. Andreas autem de Vega Compoſtellanæ Provinciæ, præter opera, quæ horum Annalium Continuator ex Waddingi ſententia recenſet, edidit etiam Commentaria in Pſalmos, & Expoſitionem Franciſcanæ Regulæ. In opus autem de juſtificatione, quod ejus præcipuum fuit, quodque juſtis de cauſis Henricus Caniſius effert laudibus, cæteriſque operibus de hoc ipſo argumento anteferendum exiſtimat, Cardinalis Bellarminus invehitur, quod contra communem ſententiam negaverit, Deum opera bona remunerare ex mera liberalitate ſupra condignum, quod ſub Pio V. ait, condemnatum fuiſſe in Michaele Bajo Lovanienſi. At tanti Viri venia, longe diſtat ab hac ſententia Vega, etenim apertiſſime fatetur, Deum præmiare ultra condignum merita juſtorum ex mera liberalitate, ſtatuendo in lege præmium, quod longiſſime excedat omnem bonorum operum laborem, in quo ſufficienter indicatur liberalitas Dei erga juſtos, qui ita benigne, & generoſe legem ſtatuerit de menſura adeo ſupereffluenti; unde nihil opus eſſe putat adjicere etiam alios gradus ad iſtos, quos Deus præſcripſit, bonis operibus. Actualem autem retributionem horum graduum gloriæ judicat fieri de condigno, ſuppoſita illa lege, & promiſſione de conferendo hoc præmio ſupereffluenti; & proinde concludit in reſponſione ad ſecundum argumentum: *Decet quidem magnificos, & liberales Principes ſuper id, quod opera ſuorum merentur, aliquod velut auctarium bene de ſe meritis adjicere. Sed ubi præmium aliquod certum ſtatutum eſt, quod longe exuperet valorem omnium meritorum, adhuc ſemper aliquid etiam ei præmio adjicere, neque juſtum eſt, neque conveniens, ſed pluralitas quædam liberalitatum, abſque ulla neceſſitate.* Celeberrimus hic doctor diem extremum clauſit Salmanticæ hoc anno, ex Epitaphio quod in tanti Doctoris commemorationem Didacus Colmenarius conſcripſit, eſtque ſequens,

D. O. M.
F. ANDREAS DE VEGA
PATRIA SEGOVIENSIS
LAUREA SALMANTINUS
PROFESSIONE MINOR
RELIGIONE MAXIMUS
INTER SUMMOS THEOLOGOS
AD TRIDENTINAM SYNODUM
ADNUMERATUS
CONDITO LUCULENTISSIMO OPERE
DE JUSTIFICATIONE
OBIIT SALMANTICÆ
ANNO M. D. LX.
ASCENDIT HIC JUSTIFICATUS A DEO
IN DOMUM ÆTERNAM.

Levinus Brectus. *Waddi. de Script. Ord. ſub lit. L.*

XXXI. Levinus Brectus item Antuerpiæ Theologus, Poeta laureatus, plurium illuſtrium Ordinis virorum in Conventu Lovanienſi Magiſter, inter quos

quos ſanctus Daniel M. vir pietate in Deum, & caritate in proximos clarus, ſcripſit Lovanii *Euripum, tragediam de vitæ humanæ inconſtantia*, exhibitam in Faleonenſi Collegio an. MDXLVII. Kal. Julii typis Martini Rotarii MDXLIX. & Velpii an. MDLXVIII. *Sylva piorum Carminum*, ibidem MDLVI. *Chriſtianam Tragœdiam cum appendice carminum ſelectiorum. Hiſtoriam Agonis ſanctorum Marci, & Marcellini fratrum Martyrum incerto Authore*, ex Bibliotheca Franciſcanorum Mechliniæ recognovit, ibidem typis Rotarii an. MDLI. *Vitam S. Lamberti Epiſcopi Leodienſis, & B. Zachariæ Franciſcani carmine*. De eo etiam addunt Auctores Continuationis Bollandiſticæ Hiſtoriæ: *Levinius ex M. S. Mechlinienſi mutato tamen non nihil ſtylo, ut teſtatur Molanus, & patet legenti, Lovanii edidit MS. S. Geſſini, S. Audomari, S. Maximini Ripatorii, aliiſque, ex Bonini Mombritii editione, dicavitque Vigilio Zuichemo Concilii Cæſar. præſidi, hoc præfixo titulo: Memorabilis hiſtoria complectens converſionem, & agones illuſtrium aliquot Martyrum, una cum aurea exhortatione ad vitæ præſentis contemptum, & æternæ deſiderium opuſculum incerti quidem authoris, ſed a fratre Livinio Brecto recens recognitum, & expurgatum*. Uſque huc Auctores citati. Laurentius Maſſorillus Fulginas Poeta eximius edidit Volumen ſacrorum metrorum quod prænotavit: *Aureum ſacrorum hymnorum*. Opus libris quatuor diſtinctum, præcipuis quibuſque Sanctorum, & Sanctarum ſuos hymnos attribuens, dedicavitque Rodulpho Pio Cardinali Carpenſi Ord. Min. Protectori. Prodiit Fulginei apud Joannem Simonem, & Vincentium Cantagallos anno MDXLVII. Hic erat Regularis Obſerv. Prov. S. Franciſci alumnus, quemadmodum & Franciſcus de Peruſio, qui ut in Umbriæ Bibliotheca dicitur, tractatum de Reſtitutionibus (erat enim in jure Canonico vel maxime verſatus) publici juris fecit hoc anno. Franciſcus quoque Tenerajundanus in Flandriæ Provincia obiit, facundiſſimus Orator, pluriumque operum author, ut acta ejuſdem Provinciæ teſtantur. Floruit etiam circa hunc annum Joannes Fucherius Aquitanus, qui priuſquam inter Minoritas initiaretur, juris Cæſarei Doctor, eum ad Indias recenter detectas Chriſtum prædicaturus ſe contuliſſet, & quadraginta annis in illis regionibus fidei diſſeminandæ cauſa laboraſſet, tantam cæcucienti populo lucem intulit, ut aliquorum, morte ejus compunctorum, confeſſione, tale teſtimonium acceperit: *Siquidem mortus eſt Fucher, in tenebris omnes verſabimur*. Scripſit *Itinerarium Catholicum proficiſcentium ad Infideles convertendos*, quod ſumma diligentia linatum, & auctum prælo iterum dedit Didacus Valadeſius Minorita, Hiſpali MDLXXIV. in 8. Alia egregia opuſcula conſcripta reliquit, de quibus laudatus Valadeſius: *Cum ante aliquot annos*, inquit, *ex juſſu Superioris mei ſuſceperim curam colligendi ſcripta doctiſſimi, ac religioſiſſimi P. F. Joannis Fucher natione Galli J. D. utique ſumma cura, ac diligentia præſtiteram, collectis in unum ſimul volumen, quæ ille paſſim in Eccleſiæ utilitatem egregia cum laude ex arcano divitique penu traditæ ſibi a Deo ſapientiæ vulgarat ..... factum eſt, ut magno poſt labore, præſens opuſculum, quod euntibus ad infideles convertendos viam munit, ſternit, & parat, nactus, auxerim, & correxerim, quod quidem in lucem in præſentia prodire ſupra modum gaudeo, ut vel hinc detur anſa, cætera hujus doctiſſimi Patris opuſcula, quæ multa ac varia ſunt, prælo demandanda, utpote quæ apud viros Franciſcanos, & aliarum etiam Religionum præſtantiſſimos viros magno habentur in pretio in nova illa Eccleſia*, cui illuſtrandæ uſque *adeo Vir ille doctiſſimus laboravit, ut merito cum Paulo dicere debeat bonum certamen certaſſe, noſque pie credere, illum perinde cum eodem promeritam jam obtinuiſſe coronam*. Siquidem virtutem cum bonis litteris ita conjunxiſſe conſtat,

Biblioth. Franc. ſub cad. littera. Ex Arch. S. Iſid. MS. Arm. 5. n. 144. fol. 59.

Acta SS. Tom. 2. Menſis Jun. fol. mihi 420.

Laurentius Maſſorillus. *Wad. de Script. Ord. ſub lit. L. Biblioth. Franc. cad. lit.*

Franciſcus Tenerajundanus. *Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. num. 11. fol. 261. a tergo. MSS. aut. Prov. Fland.*

Joannes Fucherius. *Menolog. Franc. fol. 1894. Wad. de Script. Ord. Min. lit. I. Biblioth. Franc. lit. I. Gonz. par. 4. in Prov. S. Evang. Didacus Valadeſ. in Prolog.*

ſtat, ut utriuſque Juris ſummam adeptum omnibus omnium calculis ſit perſpicuum. Quem etiam utriuſque juris ſcientiam cum ipſa Teologia, ſic in unum aptaſſe, copulaſſeque videas, ut optimo jure ab utroque non tam laudari, *quam admirari queat.* Quæ autem a Wad. recenſentur, ſunt *De Judice Eccleſiaſtico, De Juſta delinquentium punitione, Manuale Prælatorum, De Religioſo ab Ordine ejecto volente contrahere Matrimonium, De electionibus per Scrutinium celebrandis, De Immunitate Eccleſiarum, Antidotum Infirmorum, De juſti pretii æqualitate, De tertia ſpecie cognationis ſpiritualis, Diverſorum Diplomatum expoſitiones.* Ejus vitam retulit Gonzaga in quarta parte hiſtoriæ Seraphicæ in Provincia ſancti Evangelii, quam cum aliis amplectitur Arturus ad diem xxx. Septembris. Archangelus de Meſſana (alter ab eo, qui anno MDCVI. in Toletano Capitulo totius Ordinis generalem adeptus eſt præfecturam, & de quo, favente Deo, ſuo loco) Siculus Netinus, vir, ait Rochus Pirrus in ſua Siracuſana notitia, omni doctrina, atque virtute præditus, varia ſcripſit opera, ſed obſcuris caracteribus adnotata, minime indicatis librorum argumentis. De eo etiam ſit in ſua Bibliotheca Sicula mentio a Mongitore. Floruiſſe hoc anno Archangelum, ſcribit laudatus Waddingus; Auctor autem Bibliothecæ Franciſcanæ narrat floruiſſe anno MDCL. inverſis fortaſſis numerorum notis, quod vitio, ſive Amanuenſis, ſive Typographi attribuendum eſt.

Archangelus de Meſſana.

Mongitor. in Bibliotb. Sicula. Wad. de Script. Ord. lit. A. Bibliotb. Franc. ead. lit. A.

XXXII. Item floret Iſidorus Peruſinus Regularis Obſervantiæ, qui Vaddingo teſte, in jure Canonico non mediocriter verſatus extitit, ſcripſitque Tractatum de Reſtitutionibus, cui initium: *Tractatum de Reſtitutionibus: Volens Magiſter* &c. Item etiam Joannes Carolus Antuerpienſis claruit, qui in Lovanienſi, mox in Aureliana, & Pictonum, poſtremo in Patavina, & Bononienſi Academiis, diſciplinis liberalibus, & juriſprudentiæ diligentem dedit operam. Vigeſimo quarto ætatis anno Patavii in utroque jure Doctoratus inſignia adeptus eſt. In Patriam redux, Mechliniæ per luſtra duo cauſarum Patronum egit. Tandem in Regio apud Friſios Senatu a Conſiliis, & Fiſci Procurator conſtituitur, ac demum Senator Propræſes Magni Conſiſtorii Mechlinienſis. Verum munere illo mundoque abdicato, Ordinem Minorum amplexus, in ipſo tyrocinio vivere deſiit. Scripſerat apud Friſios *Rerum a Gaſpare Robleſio*, Friſiæ *Præfecto*, *in Friſia geſtarum libros quatuor*, *ad Philippum II. Regem Catholicum, quos etiam eidem in Hiſpaniam tranſmiſit.* Utinam aliquando lucem videant. Hæc Waddingus ex Suvertio, & Valerio Andrea.

Iſidorus Peruſin. *MSS. auth. Prov. Seraph. ex Arch. Aracæl. Wad. de Script. lit. I.*

Joſ. Carolus Antuerpienſis. *Bibliotb. Franc. lit. I.*

Creantur Epiſcopi.

XXXIII. Eos etiam doctiſſimos fuiſſe dubio procul dicendum, qui ex Ordine ad Epiſcopales ſedes fuere hoc eodem anno promoti. Sunt nimirum *F. Clemens Dolera Monilianus S. R. E. Cardinalis ad Eccleſiam Fulginaten. in Umbria Vacan. ob ceſſatam adminiſtrationem Rmi D. S. Georgii die* XIII. *Martii.* Die vero XXI. ejuſdem Menſis datis litteris in forma Brevis, Pontifex Epiſcopatus hujuſmodi ut poſſeſſioni admitteretur, expedivit facultatem. *F. Georgius Xincomth. de Obſervantia ad Eccleſiam Segnicn. ſive Senicn. in Sclavonia, ſive Croatia Provinciæ Spalaten. vacan. per obitum F. Franciſci Xinchomt die* VII. *Februarii*, non *ſexta*, ut Rodulphus legit. *F. Petrus Ragnemis, ſeu Ragnennæ*, Rodulpho *Raguſcus*, Guardianus ſancti Franciſci de Bolmecta prope muros Andegavenſes, *ad Eccleſiam Rovanen. in partibus Infidelium vacan. per obitum Guidonis, cum facultate Pontificalia exercendi in Civitate, ac diœceſi Andegavenſi die* XXVI. *Junii. Ad Eccleſiam Rhegienſem in ulteriori Lucania, Neapolitani Regni*, F. *Gaſpar Epiſcopus Calvenſis translatus, per obitum Auguſtini Caſag. die* XVII. *Julii, qua etiam die, eidem Eccleſiæ Calven. de perſona F. Julii Magnani*, non *Magriani*, ut apud Rodulphum legitur, Conventualium

F. Clemens Dolera Card. Monil. Ep. Fulginat. *Regeſt. Vatic. in lib. Conſ. Crac. in Vit. Pont. &c. Arch. Secr. Vatic. Ex Regeſt. Brev. Pii IV. an. 1560. To. XIII. n. 74.*

F. Georgius Xincomth Segnien. *Reg. Vat. in lib. Conſiſt. Taxar. Rodulph. fol. 235. Hiſt. Seraph.*

F. Petrus Ragnemis Rovanen. *Acta Conſiſt. ibid. Rodulph. ibid.*

Gaſpar Epiſc. Rhegien. *Reg. Vat. cit.*

Anno Christi 1560.	Pii IV. anno 1.	Ferdinandi I. Imp. anno 3.	Religionis Minorum anno 353.

lium familiæ Alumni providit. Hunc Cavæ Epiſcopum fuiſſe perperam Leonardus Neapolitanus ſcribit. *Eccleſiæ Martirien. in partibus Infidelium certo modo vacan.* præficitur *F. Ludovicus Horman*, eidem Rodulpho *Norman*, *ex Obſervantia, cu n facultate pontificalia exercendi in Civitate, & diœceſi Colimbrien.* Demum *ad Eccleſiam Rogoben. in partibus Infidelium* aſſumſit *F. Andream Selarti, cum facultate pontificalia exercendi in Civitate, & diœceſi Claromonten.* die xx. Octobris.

F. Julius Magnianur Calven. *Ughel. Tom. 6. fol. 450. & Tom. 10. fol. 244. Reg. Vatic. in lib. Conſiſt. Rodulph. fol. 235. Leon. Par. 4. To. 1. lib. 3. cap. 50.*

XXXIV. Ad hæreticam etiam pravitatem extirpandam ex PP. Conventualibus Chriſtophorus Grattolinius de Marſalla Etruſcus Piſis miſſus, & Bonaventura Farinerius de Caſtrofranco translatus Veronam circa hunc annum Generales Inquiſitores. Felix autem Perettus, quem ad annum MDLVII. ad id munus exercendum in Venetiarum urbe, atque ditione, dicebamus deſtinatum fuiſſe, hoc anno Romam fuiſſe profectum, & SS. Inquiſitionis Theologum fuiſſe deſtinatum pariter dicebamus. Mittitur exin hoc eodem anno Felix Toletum cum Cardinali Boncompagno, cui a Theologicis erat, ad illius Eccleſiæ Archiepiſcopi cauſam excutiendam, fuitque ex Franciſcanis poſtremus, qui in memorata Venetiarum urbe Inquiſitoris munere functus eſt. Reliquum ejus vitæ ad ſequentes annos, Deo favente, enarrabimus. Guardianus Montis Syon anno elapſo Antonius Provinciæ Brixienſis in Generali Capitulo electus, eum nunquam illuc perveniſſet, hoc anno ei Aurelius Grianus de Urcis novis ejuſdem Provinciæ ſufficitur; moderante interim ſæra loca Bonifacio de Raguſio, quem ſequenti anno per litteras ampliſſimas in forma Brevis (ad hunc annum perperam Petrus de Alva hoc factum fuiſſe indicat) Apoſtolicum Miſſionarium apud Hungaros, Tranſilvanos, Polonos, cæteraſque infideles Gentes illarum Regionum inſtituit, ut ſuo loco dicemus.

F. Ludovicus Hermun Martirien. *Reg. Vatic. cit. Rodulph. cit.*

F. Andreas Selartus Rogoben. *Reg. Vatic. cit.*

Inquiſitores frater Chriſtophorus Grattolinius Piſarum. *MS. Prov. Tuſciæ ex Arch. S. Iſid. fol. 40.*

F. Bonav. Farinerius de Caſtro Franco Veronæ.

F. Felix Peretius, dein Sixtus V. Summ. Pont. Venet. *Ad ann. 1557. n. XIV.*

Toletum miſſus. Antonius Brixien. Guardianus Montis Syon.

Cui ſufficitur Aurelius Grianus. *Virid. Seraphic. Tom. 2. p. 6.*

Bonifacius de Raguſio. *Ibidem.*

Petrus de Alva in Indiculo. *Regeſt. ex Arch. Aracœli.*

XXXV. Quum vir Dei Martinus de ſancta Maria ad annum hujus ſæculi XLV. ab Continuatore memoratus, peregrinationis cauſa, e Provincia Carthaginenſi, cujus erat Alumnus, Ædem beatæ Virginis de Guadalupo adiiſſet, obviamque habuiſſet Joannem de Alencaſtrio Averanenſium Ducem Cognatum, ab eo tandem poſtquam ſæpius de ſuæ Regulæ integritate, ac deſiderio, quo in ſolitudinem, aliaque loca ab hominum conſortio ſemota, ad rerum ſupernarum contemplationem, paupertatemque excolendam apta ferebatur, ſecum egiſſet, rogatus fuit, ut ſibi Luſitaniam petenti congredi vellet; quandoquidem ei eſſet Eremitorium in Patria, atque propria ditione iis omnibus, quæ ſuo animo inſederant prorſus idoneum. His igitur ſuaſus Martinus, una eum præfato Averanorum Duce, ad montem quemdam aſperum, ſaxoſum, atque fere invium, ſaucibuſque Tagi auriferi fluvii, per quas Oceanum Mare ingreditur, imminentem, cui latine *Arabica*, Luſitanice vero *Arrabida* nomen eſt, pervenit, illumque adamuſſim contemplatus, præſertim vero Eremitorium (de quo præfati ſumus) quod ejuſdem montis lateri, cui Oceanum mare latiſſime patet, omnino hæret, ejus oblationem ſibi ab inclyto Duce factam ex animo admiſit, acceptavitque. Contigit autem hoc circa annum humanæ Redemtionis MDXL. Sed eum præfatus Martinus aſperrimam, ac omnino pauperem duceret vitam, gauderetque ſummopere illius loci ſolitudine, atque aſperitate, quæ Socio minus arridebant, ab eo propriam Carthaginenſem Provinciam repetente derelictus eſt. Nihil tamen ea propter perterritus, magis magiſque rigori, jejuniis, vigiliis, orationi, cæteriſque virtutibus ſtudebat, quibus tandem omnibus inſignis evaſit. Inſuper & a Provinciæ Algarbiorum Miniſtro, quemdam Joannem a Conymbria, inclyti Averanorum Ducis (de quo ſupra) opera uſus, impetravit, qui ſtatutis temporibus ejus Confeſſionem exciperet, ſacramque ſibi Euchariſtiam miniſtraret. Vulgata igi-

Martinus de ſancta Maria. Loca ſolitaria quærit.

Eidem unus offertur.

Ei locus arridet. A Sodali Socio deſeritur.

Alium acquirit.

ſtat, ut utriuſque Juris ſummam adeptum omnibus omnium calculis ſit perſpicuum. Quem etiam utriuſque juris ſcientiam cum ipſa Teologia, ſic in unum aptaſſe, copulaſſeque videas, ut optimo jure ab utroque non tam laudari, *quam admirari queat.* Quæ autem a Wad. recenſentur, ſunt *De Judice Eccleſiaſtico, De Juſto delinquentium punitione, Manuale Prælatorum, De Religioſo ab Ordine ejecto volente contrahere Matrimonium, De electionibus per Scrutinium celebrandis, De Immunitate Eccleſiarum, Antidotum Infirmorum, De juſti pretii æqualitate, De tertia ſpecie cognationis ſpiritualis, Diverſorum Diplomatum expoſitiones.* Ejus vitam retulit Gonzaga in quarta parte hiſtoriæ Seraphicæ in Provincia ſancti Evangelii, quam cum aliis amplectitur Arturus ad diem xxx. Septembris. Archangelus de Meſſana (alter ab eo, qui anno MDCVI. in Toletano Capitulo totius Ordinis generalem adeptus eſt præfecturam, & de quo, favente Deo, ſuo loco) Siculus Netinus, vir, ait Rochus Pirrus in ſua Siracuſana notitia, omni doctrina, atque virtute præditus, varia ſcripſit opera, ſed obſcuris caracteribus adnotata, minime indicatis librorum argumentis. De eo etiam fit in ſua Bibliotheca Sicula mentio a Mongitore. Floruiſſe hoc anno Archangelum, ſcribit laudatus Waddingus; Auctor autem Bibliothecæ Franciſcanæ narrat floruiſſe anno MDCL. inverſis fortaſſis numerorum notis, quod vitio, ſive Amanuenſis, ſive Typographi attribuendum eſt.

Archangelus de Meſſana.

Mongitor. in Bibioth. Sicula. Wad. de Script. Ord. lit. A. Bibioth. Franc. ead. lit. A.

XXXII. Item floret Iſidorus Peruſinus Regularis Obſervantiæ, qui Vaddingo teſte, in jure Canonico non mediocriter verſatus extitit, ſcripſitque Tractatum de Reſtitutionibus, cui initium: *Tractatum de Reſtitutionibus Volens Magiſter* &c. Item etiam Joannes Carolus Antuerpienſis claruit, qui in Lovanienſi, mox in Aureliana, & Pictonum, poſtremo in Patavina, & Bononienſi Academiis, diſciplinis liberalibus, & juriſprudentiæ diligentem dedit operam. Vigeſimo quarto ætatis anno Patavii in utroque jure Doctoratus inſignia adeptus eſt. In Patriam redux, Mechliniæ per luſtra duo cauſarum Patronum egit. Tandem in Regio apud Friſios Senatu a Conſiliis, & Fiſci Procurator conſtituitur, ac demum Senator Propræſes Magni Conſiſtorii Mechlinienſis. Verum munere illo mundoque abdicato, Ordinem Minorum amplexus, in ipſo tyrocinio vivere deſiit. Scripſerat apud Friſios *Rerum a Gaſpare Robleſio*, Friſiæ *Præfecto*, *in Friſia geſtarum libros quatuor*, *ad Philippum II. Regem Catholicum, quos etiam eidem in Hiſpaniam tranſmiſit.* Utinam aliquando lucem videant. Hæc Waddingus ex Suvertio, & Valerio Andrea.

Iſidorus Peruſin. *MSS auth. Prov. Seraph. ex Arch. Aracæl. Wad. de Script. lit. I.*

Jo: Carolus Antuerpienſis. *Bibioth. Franc. lit. I.*

XXXIII. Eos etiam doctiſſimos fuiſſe dubio procul dicendum, qui ex Ordine ad Epiſcopales ſedes fuere hoc eodem anno promoti. Sunt nimirum *F. Clemens Dolera Monilianus S. R. E. Cardinalis ad Eccleſiam Fulginaten. in Umbria Vacan. ob ceſſatam adminiſtrationem Rmi D. S. Georgii die* XIII. *Martii.* Die vero XXI. ejuſdem Menſis datis litteris in forma Brevis, Pontifex Epiſcopatus hujuſmodi ut poſſeſſioni admitteretur, expedivit facultatem. *F. Georgius Xincomth. de Obſervantia ad Eccleſiam Segnien. ſive Senicn. in Sclavonia, ſive Croatia Provinciæ Spalaten. vacan. per obitum F. Franciſci Xinchomt die* VII. *Februarii*, non *ſexta*, ut Rodulphus legit. *F. Petrus Ragnemis, ſeu Ragnennæ*, Rodulpho *Raguſcus*, Guardianus ſancti Franciſci de Bolmecta prope muros Andegavenſes, *ad Eccleſiam Rovanen. in partibus Infidelium vacan. per obitum Guidonis, cum facultate Pontificalia exercendi in Civitate, ac diœceſi Andegavenſi die* XXVI. *Junii. Ad Eccleſiam Rhegienſem in ulteriori Lucania, Neapolitani Regni, F. Gaſpar Epiſcopus Calvenſis translatus, per obitum Auguſtini Caſag. die* XVII. *Julii, qua etiam die, eidem Eccleſiæ Calven. de perſona F. Julii Magnani*, non *Magriani*, ut apud Rodulphum legitur, Conventualium

Creantur Epiſcopi.

F. Clemens Dolera Card. Monil. Ep. Fulginat. *Regeſt. Vatic. in lib. Conſ. Ciac. in Vit. Pont. &c. Arch. Secr. Vatic. Ex Regeſt. Brev. Pii IV. an. 1560. To. XIII. n. 74.*

F. Georgius Xincomth Segnien. *Reg. Vat. in lib. Conſiſt. Taxar. Rodulph. fol. 235. Hiſt. Seraph.*

F. Petrus Ragnemis Rovanen. *Alia Conſiſt. ibid. Rodulph. ibid.*

Gaſpar Epiſc. Rhegien. *Reg. Vat. cit.*

lium familiæ Alumni providit. Hunc Cavæ Epiſcopum fuiſſe perperam Leonardus Neapolitanus ſcribit. *Eccleſiæ Martirien. in partibus Infidelium certo modo vacan.* præficitur *F. Ludovicus Herman*, eidem Rodulpho *Norman*, *ex Obſervantia*, *cu n facultate pontificalia exercendi in Civitate*, *& diœceſi Colimbrien.* Demum *ad Eccleſiam Rogoben. in partibus Infidelium* aſſumſit *F. Andream Selarti*, *cum facultate pontificalia exercendi in Civitate*, *& diœceſi Claromonten.* die xx. Octobris.

F. Julius Magnianus Calven. *Ughel. Tom. 6. fol. 450. & Tom. 10. fol. 244. Reg. Vatic. in lib. Conſiſt. Rodulph. fol. 235. Leon. Par. 4. To. 1. lib. 3. cap. 50.*

XXXIV. Ad hæreticam etiam pravitatem extirpandam ex PP. Conventualibus Chriſtophorus Grattolinius de Marſalla Etruſcus Piſis miſſus, & Bonaventura Farinerius de Caſtrofranco translatus Veronam circa hunc annum Generales Inquiſitores. Felix autem Perettus, quem ad annum MDLVII. ad id munus exercendum in Venetiarum urbe, atque ditione, dicebamus deſtinatum fuiſſe, hoc anno Romam fuiſſe profectum, & SS. Inquiſitionis Theologum fuiſſe deſtinatum pariter dicebamus. Mittitur exin hoc eodem anno Felix Toletum cum Cardinali Boncompagno, cui a Theologicis erat, ad illius Eccleſiæ Archiepiſcopi cauſam excutiendam, fuitque ex Franciſcanis poſtremus, qui in memorata Venetiarum urbe Inquiſitoris munere functus eſt. Reliquum ejus vitæ ad ſequentes annos, Deo favente, enarrabimus. Guardianus Montis Syon anno elapſo Antonius Provinciæ Brixienſis in Generali Capitulo electus, cum nunquam illuc perveniſſet, hoc anno ei Aurelius Grianus de Urcis novis ejuſdem Provinciæ ſufficitur; moderante interim ſacra loca Boniſacio de Raguſio, quem ſequenti anno per litteras ampliſſimas in forma Brevis (ad hunc annum perperam Petrus de Alva hoc factum fuiſſe indicat) Apoſtolicum Miſſionarium apud Hungaros, Tranſilvanos, Polonos, cæteraſque infideles Gentes illarum Regionum inſtituit, ut ſuo loco dicemus.

F. Julius Magnianus Calven. *Ughel. Tom. 6. fol. 450. & Tom. 10. fol. 244. Reg. Vatic. in lib. Conſiſt. Rodulph. fol. 235. Leon. Par. 4. To. 1. lib. 3. cap. 50.*

F. Ludovicus Herman Martirien. *Reg. Vatic. cit. Rodulph. cit.*

F. Andreas S. Iacobus Rogoben. *Reg. Vatic. cit.*

Inquiſitores frater Chriſtophorus Grattolinius Piſarum. *MS. Prov. Tuſciæ ex Arch. S. Iſid. fol. 40.*

F. Bonav. Farinerius de Caſtro Franco Veronæ. F. Felix Perettus, dein Sixtus V. Summ. Pont. Venet. *Ad ann. 1557. n. XIV.*

Toletum miſſus. Antonius Brixien. Guardianus Montis Syon. Cui ſufficitur Aurelius Grianus. *Virid. Seraphic. Tom. 2. p. 6.*

Boniſacius de Raguſio. *Ibidem.*

Petrus de Alva in Indiculo. *Regeſt. ex Arch. Aracœli.*

XXXV. Quum vir Dei Martinus de ſancta Maria ad annum hujus ſæculi XLV. ab Continuatore memoratus, peregrinationis cauſa, e Provincia Carthaginenſi, cujus erat Alumnus, Ædem beatæ Virginis de Guadalupo adiiſſet, obviamque habuiſſet Joannem de Alencaſtrio Averanenſium Ducem Cognatum, ab eo tandem poſtquam ſæpius de ſuæ Regulæ integritate, ac de ſiderio, quo in ſolitudinem, aliaque loca ab hominum conſortio ſemota, ad rerum ſupernarum contemplationem, paupertatemque excolendam apta ferebatur, ſecum egiſſet, rogatus fuit, ut ſibi Luſitaniam petenti congredi vellet; quandoquidem ei eſſet Eremitorium in Patria, atque propria ditione iis omnibus, quæ ſuo animo inſederant prorſus idoneum. His igitur ſuaſus Martinus, una cum præfato Averanorum Duce, ad montem quemdam aſperum, ſaxoſum, atque fere invium, faucibuſque Tagi auriferi fluvii, per quas Oceanum Mare ingreditur, imminentem, cui latine *Arabica*, Luſitanice vero *Arrabida* nomen eſt, pervenit, illumque adamuſſim contemplatus, præſertim vero Eremitorium (de quo præfati ſumus) quod ejuſdem montis lateri, cui Oceanum mare latiſſime patet, omnino hæret, ejus oblationem ſibi ab inclyto Duce factam ex animo admiſit, acceptavitque. Contigit autem hoc circa annum humanæ Redemtionis MOXL. Sed cum præfatus Martinus aſperrimam, ac omnino pauperem duceret vitam, gauderetque ſummopere illius loci ſolitudine, atque aſperitate, quæ Socio minus arridebant, ab eo propriam Carthaginenſem Provinciam repetente derelictus eſt. Nihil tamen ea propter perterritus, magis magiſque rigori, jejuniis, vigiliis, orationi, cæteriſque virtutibus ſtudebat, quibus tandem omnibus inſignis evaſit. Inſuper & a Provinciæ Algarbiorum Miniſtro, quemdam Joannem a Conymbria, inclyti Averanorum Ducis (de quo ſupra) opera uſus, impetravit, qui ſtatutis temporibus ejus Confeſſionem exciperet, ſacramque ſibi Euchariſtiam miniſtraret. Vulgata igi-

Martinus de ſancta Maria. Loca ſolitaria quærit.

Eidem unus offertur.

Ei locus arridet. A Sodali Socio deſeritur.

Alium acquirit.

Ipſius fama creſcit.

igitur prædicti Martini per Hiſpaniam hujuſmodi fama, duo ſpectabiles Patres, perfectæque paupertatis amatores, nempe Joannes ab Aquila ex Provincia ſancti Gabrielis, & ejuſdem Provinciæ Alumnus, ac S. Petrus de Alcantara ad eum convolantes, poſtquam ejus vitam, ſimplicitatem, atque mores contemplati eſſent, libentiſſime ſecum aliquandiu commorati ſunt. Cum autem hujuſmodi humilis congregatio temporis ſucceſſu illis minime ſatisfaceret, brevique diſſolvenda videretur, ad propriam ſancti Gabrielis Provinciam remearunt. Quo nihilominus Martino immoto, ac intrepide incœpto Inſtituti genere perſeverante, hic Arrabidæ Provincia initium habere cœpit; nam ex Joannis Calvi totius Franciſcani Ordinis Generalis Miniſtri ad eas Portugalliæ partes adventu, præmemoratum Eremitorium, ad præfati Ducis Averani inſtantiam atque preces, in juſtum conventum, licet anguſtum (ut latius ſuo loco erit ſermo) translatum fuit. Unde & principem locum in Provincia merito obtinet. Acceſſerant dum adhuc duo illi Provinciæ ſancti Gabrielis Patres (de quibus ſupra) Martino adhærerent, & alii ſex Fratres novitii; qua de cauſa idem Martinus alium ſibi locum inde non multo diſtantem, cui Luſitanice nomen *Pallhaens*, ultro oblatum admittendum, acceptandumque cenſuit. Qui denique Deo tantum vacare cupiens, atque ab omni æconomica ſolicitudine abhorrens, ut hujuſmodi Tyronum curam gereret, quemdam fratrem Andream Varellam, ex licentia Miniſtri Provinciæ Algarbiorum, ſub Cuſtodis munere præfecit, præpoſuitque. Nec ideo exiſtimandum eſt, hanc Provinciam aliquando Algarbiorum Provinciæ tanquam ejus Cuſtodiam ſubjacuiſſe. Nam nec Miniſter Provinciæ Algarbiorum aliquid circa eam, abſque Cuſtodis, & Diſcretorum conſilio, nec ipſe Cuſtos, abſque Martini facultate, attentare, ſive innovare quidquam poterat. Hujuſmodi autem Cuſtodis munus ſub diverſis Sodalibus tum ex Algarbiorum Provincia, tum ex aliis; ſed Cuſtodiæ hujuſmodi Alumni facti, tum quoque ex propriis ejuſdem filiis ſibi invicem ſuccedentibus per octodecim continuos annos perſeveravit. Sæpius inter reliquarum Luſitaniæ Provinciarum Patres, maxime tamen ſub Andrea Inſulano, dum Commiſſarii Generalis Ultramontani munus obiret, hujus Congregationis, ſive Cuſtodiæ reſolutio incaſſum attentata eſt; contradicentibus ſibi aliquibus Patribus Recollectis, quibus omnibus nervis ſuit opitulatus inclytus Ludovicus Portugalliæ infans, atque Regis Emanuelis filius. Tandem die XXII. menſis Decembris hujus anni, non autem ſequentis ut in Orbe Seraphico legitur, a Franciſco Zamora Generali Miniſtro, eo in Capitulo, quod in Conventu ſancti Joſephi prope Oliſſypponem celebravit, Sereniſſimo Henrico Cardinali, exin Portugalliæ Rege infante, hujuſmodi congregatio (acceſſerant ſiquidem præcedentibus domibus, & aliæ quedam ædes) ex Cuſtodia in Provinciam, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Rabida, cujus primus Miniſter fuit Jacobus Peregrinus vir egregius, evecta fuit. Ut autem primum hæc omnia facta ſunt, Alvarus Joannis de Caſtro, Indiarum Orientalium Proregis filius, auctor fuit ut Conventus ſanctæ Crucis in amœniſſimi illius montis cacumine, qui Luſitanice *Sintra* audit, & ubi olim Reges, aut ſoſpitatis aſſequendæ, aut relaxandi animi ergo, ſe conferebant, exſtrueretur; quod hoc anno factum eſt.

Cum eo Joannes de Aquila & ſanctus Petrus de Alcantara etiam ſocientur.

Arrabidorũ Provinciæ quænam origo. *Gonz. part. 3. in Procm hujus Provinc.*

Conv. Pallhaens.

Gonz. 3. part. in Procm. Provinc. Arab. Gubern. Tom. 4. fol. 399. Rapin. &c.

Recenſita Cuſtodia Provinciæ inſignia obtinet. *Gonz. part. 3. in Procm. hujus Provin.* Conv. S. Crucis de Sintra. *Gonz. ibidem Con. 8.*

XXXVI. Apuliæ etiam in Italia PP. Capuccinorum Provincia, quæ ſub ſancti Hieronymi appellatione, ait Boverius, Apuliam Peucetiam, Lucaniam, & Salentinos complectebatur, in tam copioſum Cœnobiorum numerum excreverat, ut unius Provincialis Vicarii viſitatione perluſtrari facile non poſſet. Thomæ igitur Thiphernatis Generalis decreto ſancitum eſt, ut in Provinciali Capitulo, quod hoc anno Gravinæ congregatum fuit, Lucania, quæ

Provincis PP. Capuccinorum S. Hieronymi dividitur. *Bover. ad hunc annum §. 5.*

& Ba-

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 353.
1560.	anno 1.	anno 3.	

& *Baſilicata* dicitur, ab Apulia, & a Salentinis disjuncta, distincto Provinciæ nomine frueretur. Lucaniæ porro a cæteris diſſitæ ſancti Hieronymi appellatio deſiit: Apulique, & Salentini in unam adhuc Provinciam coaleſcentes, novam Provinciæ ſancti Nicolai nuncupationem ſibi vindicarunt. Ex his cæteriſque PP. Capuccinorum monumentis error Leonardi Neapolitani refellitur ſcribentis, hoc anno Vincentium Ulmenſem Generalibus in Comitiis eorundem Anconæ habitis Generalem fuiſſe electum Miniſtrum, cum hoc ipſo anno memoratus Thomas continuaret regimen; anno etenim MDLXXIII. non vero MDLXI. ut idem ſcribit, in eadem Anconitana urbe ſunt celebrata Comitia, ibique Vincentius Generalis Præfectus electus eſt. Eo tamen ſatis cedente, ſequenti anno MDLXXIV. Hieronymus de Monte Florum, non vero ut idem Leonardus ſcribit, Marcus de Mercatoſarraceno eligitur. Hac occaſione iterum monemus, quam caute hujus eique ſimilium Auctorum opera de Franciſcanis rebus diſſerentia eſſe legenda; quum multa paſſim efferantur, quæ a veritate abſunt; obviamque errandi anſam incautis præbent. Harum duarum Provinciarum inſtitutiones aliæ plurium Cœnobiorum, alibi ſub idem tempus, fundationes ſequuntur, ita Deo diſponente, qui eorum deſolationes ab hæretica rabiæ in multis Europæ Regionibus, atque in Galliis præcipue, dignatus eſt opportune compenſare.

Leon. de Neap. Tom. 1. Chronic. parte 4.

Leonard. cit.

Idem Leonard.

Caute legendi quidam ex noſtris Hiſtoricis.

XXXVII. Enimvero in Provincia S. P. Franciſci, quæ cæterarum eſt caput & mater, locus Caſtilionis Fuſci Peruſinæ dioeceſis, non procul a Pago ad cujuſdam montis radices a Communitate PP. Conventualibus datus eſt, quum antea a quodam eremicola incoleretur. Fratres exin elegunti ſtructuræ Cœnobium cum Eccleſia, ſub invocatione ſancti Joannis Baptiſtæ addidere. Huic Provinciæ Chriſtophori de Caſtro Plæbis Miniſtri opera, ſuorumque Civium, unitus eſt Conventus ſancti Angeli de Monte, non procul ab oppido Caſtri Plæbis, quum ab anno MOXII. quo Patres Hetruſci in S. Alverniæ Monte locum acceptarunt capitulariter congregati, uſque ad hunc annum retinuerint. Moriens namque in oppido ſancti Miniatis ad Tedeſcum nobilis quidam, ſtrenuuſque miles Bandinus de Bandinis (Blandinum Gonzaga, & Wadd. vocant) e Caſtro Plæbis, pro Florentino Senatu Dux militiæ an. MDXI. corpus ſuum Franciſcano habitu indutum, in Eccleſia ſanctæ Crucis Piſarum, ubi ad hanc uſque diem præ foribus Eccleſiæ ejuſdem Bandini ſtatua marmorea, tumuluſque conſpicitur, ſepeliendum, & de ſuis bonis apud Caſtrum Plæbis Obſervantibus Tuſciæ Cœnobium erigendum conſtituit. Eſt igitur mendum in numeris apud Gonzagam, ubi pro anno MOXXI. ſubſtituendus eſt MOXI quem Waddingus hujuſmodi Cœnobii fundationem narrare debebat. Quæ admodum ex Mariano auctore coevo licet addiſcere. In eadem Provinciæ extra Piſarum urbem, Domus PP. Capuccinorum in honorem S. D. ni M. exſtruitur, in ſolo Ordinis ſancti Stephani, piorum Civium [illegible] Eccleſia item ſancti Franciſci Clariſſarum Florentiæ, cujus [illegible] meminit, conſecrata eſt. Monaſterium modo ſanctæ Claræ [illegible]

Conv. Caſtilionis Fuſci. *Ex MSS. auct. PP. Conv. Prov. Seraph. apud nos exiſten. fol. 694.*

Conv. Caſtri plebis. *Chronic. MSS. Provin. Tuſciæ. Ant. de Terrino. Dec. 2. ad hunc ann.*

Bandinus de Bandinis. *Gonz. in [illegible] S. Fran. Wad. [illegible]*

XXXVIII. Viro Dei F. Joſepho quondam Lucæ de Te[illegible] Piſtorienſis dioeceſis, cujus ad annum elapſum meminimus [illegible] Dei Quadrageſimalibus diebus in oppido Cutiliani in Tu[illegible] cum ibidem pro Sororibus Tertii Inſtituti acquiſivit, [illegible] imprimis tribus honeſtis devotiſque puellis Martha [illegible] de Julianis, & Euphraſiæ de Sicchis elargitus eſt. [illegible] Catharinam de Callaſſaris ejuſdem loci, ejuſ[illegible] ſancti Franciſci Lizzani profeſſam, quibus [illegible] Puellis additis, in Domo, titulo ſancti Bonave[illegible]

religioſæ vitæ, una ſimul dederunt initia. Anno autem MDCXVIII. Epiſcopali juriſdictioni, & ejuſdem ſæculi XLIII. Clauſuræ legibus coactæ ſunt.

Catharina de Caſſaris Monialeſ. Terrinc. in Decad. Hetruſco Minorit. MS. in addit. ad Decad. 2.

XXXIX. Apud Picenos autem Cœnobium Scapetiani Senogallienſis diœceſis, ſub invocatione ſancti Joannis Baptiſtæ, non longe ab Oppido, atque in aperta via, inſtantibus incolis, PP. Capuccinis aeceſſit. Conceſſa item Eccleſia ſanctæ Mariæ Auxiliatricis extra montem Fanum, Auximanæ diœceſis, PP. Tertii Inſtituti, die XVII. Junii per Conſtantinum de Salvis Peruſinum Vicarium Generalem Auximanum, ut inibi ſibi domum exſtruerent, ſuorum nomine loci poſſeſſionem accipiente Paulo Cremonenſi, die prima Septembris, & publicas ejus rei ſcribente Tabulas Andrea Riccio de monte Fano. Inſtrumentum autem donationis ſequens eſt.

Conv. Scapetiani Capucc. Ex Arch. PP. Capucin. Urbis in Prov. March.

Conv. Montisfani Tertii Ord. Bordon. Chronolog. 3. Ord. cap. 19.

Conſtantinus de Salvis e Peruſio U. J. D. Rñi P. Bernardini de Cuppis Romani, Dei gratia, & Sedis Apoſtolicæ Epiſcopi Auximi, in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarius Generalis. Dilectis nobis in Chriſto Guardiano, & Fratribus Religionis Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia nuncupatis, in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Suecurſu extra muros Terræ Montisfani Auximanæ Diœceſis deputatis, & in futurum deputandis, ſalutem in Domino ſempiternam. Grata nobis hujus Religionis devotio eo frequens in divini cultus, & circa animarum ſalutem ſollicitudo, & cura, quibus apud nos fide dignorum teſtimoniis commendatur, necnon maxima Religioſorum bonæ, & probatæ vitæ inopia, quibus Terram Montisfani novimus carere, Nos inducunt, ut iis, quibus poſſimus, favoribus, & gratiis Religionem ipſam, & Terram ampliemus. Cum itaque, ſicut accepimus, & nobis dilecti filii communitas, & homines dictæ Terræ exſpoſuerint, quod aliter Eccleſia prædicta ſanctæ Mariæ de Suecurſu Terræ præfatæ piis, ut aſſeruerunt, eleemoſynis conſtructa, per multos annos, quorum nulla memoria in contrarium habet, deſtituta extitit, debitiſque obſequiis in divinis caruit, & caret ad præſens, cupiuntque reſtaurari, & in ea ad ipſius regimen, & gubernium, & Terræ prædictæ commodum, & utilitatem Fratres Religionis præfatæ conſtitui, & deputari; ne amplius derelicta, & divinis obſequiis deſtituta remaneat, ſed ut magis cultus divinus augeatur, & congrua honorificentia multipliciter frequentetur. Nos vero ad quos hujuſmodi collatio, & quævis alia omnimoda diſpoſitio jure ordinario ſpectat, & pertinet, præmiſſorum dictæ Religionis, & Fratrum ejuſdem meritorum intuitu, ſimul ac dictorum Communitatis, & hominum in hac parte ſupplicationibus inclinati, votiſque eorundem favorabiliter annuendo, ſpecialem illis gratiam facere cupientes, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Suecurſu, ut ſupra ſituatam, ſive præmiſſo, ſive quolibet alio modo vacantem, & deſtitutam cum omnibus, & ſingulis juribus, & pertinentiis ſuis, honoribuſque, & oneribus Religioni prædictæ Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia, & ejuſdem Fratribus, illiuſque Eccleſiæ Guardiano, & Fratribus tam præſentibus, quam futuris auctoritate ordinaria, qua in hac parte fungimur, a prædicto Rño D. Epiſcopo Auximano nobis conceſſa, tenore præſentium unimus, annectimus, & incorporamus, ac de eadem cum eiſdem dictæ Religioni, & Fratribus, illiuſque Guardiano, & Fratribus, & pro ea, ſive eorum nomine, vel nominibus, Venerabili Patri F. Paulo Cremonenſi ejuſdem Religionis, & Ordinis Vicario Generali præſenti, & acceptanti canonice providemus, & inveſtimus dictam Religionem, & ejuſdem Fratres prædictos, ac pro ea, & eis eundem F. Paulum coram nobis perſonaliter conſtitutum pleno jure de dicta Eccleſia, & juribus ejuſdem. Quo circa Venerabili D. Saladino Vicario Foraneo Terræ Montisfani, & aliis Presbyteris, Clericis, & Notariis publicis quibuſcumque ejuſdem, ſive aliter ubi-

Tabulæ publicæ donationis. Ex Arch. J. Ord. Bordon. cit. Infram. 41.

ubilibet in diœceſi Auximana conſtitutis, per hæc ſcripta mandamus, quatenus ipſe, vel unus, vel duo ipſorum in præmiſſis vocandi Religionem ipſam, & ejus Fratres, & pro ea, vel eis prædictum F. Paulum ejuſdem Religionis, & Ordinis Vicarium, vel ejus legitimum Procuratorem, vel quemcumque alium Fratrem dicti Ordinis in corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ, juriumque, & pertinentiarum ejuſdem inducant authoritate noſtra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore. Facientes dictæ Religioni, & illius Fratribus, in dicta Eccleſia perpetuis temporibus commorantibus, & conſtitutis, vel eorum legitima Procuratori de illius fructibus, redditibus, & proventibus, & juribus, & obventionibus univerſis, quanta in eis fuerint plenarie, & integre reſponderi. Contradictores quoslibet &c. In quorum fidem &c. Datum Auximi, in Epiſcopali Palatio noſtræ ſolitæ Reſidentiæ, anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo, indictione tertia, die vero decima ſeptima menſis Januarii, Pontificatus ſanctiſſimi D. N. Pii Papæ IV. anno ejus primo: Lelius Janiculus Auximanus Cancellarius: Conſtantinus de Salvis Vicarius.

Conv. Murri Vallium. *Gonz. par. 2. in Prov. March. Conv. 15. MSS. auth. ejuſdem Prov.*

XL. Conſtruitur etiam denuo auguſtum templum S.P.N. Franciſci Conventus Murri Vallium, Firmanæ diœceſis, ab oppidanorum pietate, quum primum die Martis, poſt Reſurrectionis Dominicam igne conſumtum eſſet. In hac etenim conflagratione illud mirabiliſſimum accidit, quod argentea ſacroſanctæ Euchariſtiæ cuſtodia ad caloris vim liquefacta, & omnino ſoluta, atque ara maxima quamvis lapidea, eadem de cauſa in cineres redacta, decem poſt dies Venerabile ſanctiſſimi Corporis Dominici Sacramentum, dum ſorte ruderibus pavimentum expediretur, integrum prorſus, atque intactum, linteiſque corporalibus obvolutum, ſub eodem Altari inventum eſt. Quod cum Pontifici notuiſſet, præcepit ut per quam diligenter tanti eventus veritas diſquireretur, ſuas litteras propterea in forma Brevis expediri Epiſcopo Britonorienſi mandavit, incipien. *Allatum nuper ad nos &c.* ſub dat. 7. Maii, quas dabimus in regeſto, *ut* poſſet *celeriter deliberare, & providere quæ pro tantæ, tamque memorabilis rei pondere agenda, providenda, exſplicandaque* ſibi *eſſe* viderentur. De hac exinde re certior factus, omnibus Chriſtifidelibus per ſacram Confeſſionem a reatibus ſolutis memoratam Eccleſiam a primis Veſperis uſque ad ſecundas diei xvii. Ac itidem die xxvi. Aprilis (ſunt namque dies conflagrationis, & inventionis) ingredientibus, ſuaſque preces pie, religioſeque ad Deum fundentibus, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, ad futuram rei memoriam conceſſit, ut in Diplomate ineipiente *Sacroſancta Romana* ſub xiii. Kal. Octobris, quod in Regeſto dabimus, legitur. Iſthæc ſolemnia quovis anno ingenti populorum concurſu, & nundinarum celebratione recoluntur, augeturque in dies loci nomen, atque religioſa celebritas. In hoc Cœnobio, annis modo elapſis Dominicus Antonius de Murro Vallium Lector Jubilatus, regulariſque Obſervantiæ zelator eximius, in Domino obdormivit.

Ingens deſcribitur SS. Euchariſtiæ prodigium. *Gonz. cit. MSS. cit.*

Regeſt.

Regeſt.

Conv. Farneſii. *Gonz. par. 2. in Prov. Rom. Conv. 29. Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. num. 22. fol. 46.*

XLI. In Provincia Romana, apud Farneſii oppidum, cui amplus, ingenſque Campus (ait Gonzaga) Germanorum olim, Ligurumque (quos Cato in vulgatis fragmentis Gigantes vocat) cæde ſub Hercule, ejuſque filio Lamone igne, lapidibuſque e cœlo demiſſis, celebris, atque inſignis adjacet, Cœnobium in honorem ſancti Rochi ex Apoſtolica facultate hoc anno facta, pientiſſima heroina Julia Aquaviva Petri Bertholdi Farneſii uxor propriis ſumtibus ædificari curavit. Summus Pontifex Eccleſiam plenaria, atque perpetua Indulgentia die eidem ſancto Rocho ſacra inviſentibus hoc anno impertiit. Hunc locum igitur Sodales noſtri incolentes ad annum uſque MDCXVII. con-

congruum iiſdem juſtumque viſum eſt Principum Marii Farneſii Laterenſis Ducis, & Camillæ de Lupis, ex Soraniæ Marchionibus Conjugum, qui de Ordine noſtro erant optime meriti, deſiderio adhærere. Ad preces namque Franciſcæ Farneſiæ filiæ, quæ ſanguinis nobilitati illam virtutum eonjunxit, quæque ab ineunte ætate in Cœnobio ſancti Laurentii in Pane & Perna de Urbe Clariſſarum regulam profeſſa, hoc in oppido Monaſterium alterum rigidioris, purioriſque obſervantiæ eum aliis Sororibus fundare decreverat, nobilis Heros Fratribus, dummodo ſuam Monialibus cederent, aliam ampliorem domum promittit exſtruere, quod iiſdem Fratribus annuentibus, contigit die XXVI. Auguſti ejuſdem anni, juxta ſolemnes tabulas ab Antonio Columna confectas, & Apoſtolicas litteras a Paulo V. expeditas, ut ſequitur:

Marius Farneſius, & Camilla de Lupis.

Franciſca Farneſia Monialis.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD ea ex Apoſtolico ſervitutis officio libenter intendimus, quæ Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac perſonarum illis præſidentium favores, & commoda reſpicere dignoſcuntur. Sane dilecti filii Miniſter, ſeu Provincialis Provinciæ noſtræ Romanæ Fratrum Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, tam ſuo, quam aliorum Fratrum domus regularis ejuſdem ſancti Franciſci oppidi Farneſii, Caſtren. Diœceſis, Provinciæ præfatæ nominibus, & nobilis vir Marius Farneſius, Dominus in temporalibus oppidi prædicti, nobis exponi nuper humiliter fecerunt, quod alias dictus Marius, propagandæ religionis zelo ductus, & pro ſuo erga Ordinem ſancti Franciſci devotionis affectu, in dicto oppido Farneſii Monaſterium Monialium ejuſdem Ordinis, ſub ſecunda Regula ſanctæ Claræ, in quo ejuſdem oppidi ingenuæ Virgines, aliæque honeſtæ Mulieres, aſſumpto Religionis habitu, in humilitate ſpiritus, & candore Virginitatis, ſub propria Clauſura, vitæque & diſciplinæ regularis norma, gratum & perpetuum præpotenti Deo impendere famulatum exoptantes vivere poſſint, exſtruere, & inſtituere deſiderans; cum nullus locus, vel ſitus ad Monaſterium hujuſmodi conſtruendum, quam domus Fratrum prædictorum, olim ſumptibus & expenſis tunc in humanis agentis Juliæ Acquavivæ Farneſiæ, dicti Marii Matris, conſtructa in prædicto oppido reperiretur: ac ſitus prædictæ domus pro uſu, & habitatione eorundem Fratrum, propter novorum murorum conſtructionem minus capax futurus ſit; his igitur rationabilibus cauſis dictus D. Marius adductus, cupienſque terrena & caduca in cœleſtia, & æterna felici commercio commutare, ac eorumdem Fratrum commoditati conſulere, cum Miniſtro, ſeu Provinciali prædicto, nominibus ſupradictis, necnon facultati ſibi a Congregatione Capitulari in Alma Urbe noſtra coram eo, die XVII. Aprilis proxime præteriti celebrata, attributæ inhærendo, ad infraſcriptam ſub noſtro, & ſedis Apoſtolicæ beneplacito devenit conventionem, videlicet, quod Fratres prædicti dictam domum, illiuſque Eccleſiam ſancti Rochi, una cum viridario, hortis, hortalitiis, vinea, ac omnibus, & ſingulis illius membris, juribus, & pertinentiis, habitationibus ſuperioribus, & inferioribus, cæteriſque commoditatibus, uſibus (reſervatis eiſdem Fratribus Sacriſtiæ Eccleſiæ hujuſmodi, aliiſque paramentis, & ornamentis, tam in Eccleſia, quam in Domo prædictis exiſtentibus) ac etiam alia tam ſacra, quam profana ſuppellectilia, pro Monaſterio Monialium hujuſmodi conſtituendo dare, concedere, & renunciare; ita tamen, quod dictus Marius etiam domum regularem majoris ſumptus & commoditatis pro uſu & habitatione eorumdem Fratrum, cum Eccleſia in opportu-

portuniori loco ejuſdem oppidi, infra triennium a data præſentium computando, quæ ſaltem tertiam partem valoris domus, & Eccleſiæ ſancti Rochi prædicti, & cum ſitu excedere debeat, conſtruere, ſeu conſtrui reſpective facere debeat. Nec prædictus Marius alios Religioſos, vel cujuſvis Ordinis, etiam ſæculares Presbyteros, in primo dictis domo, & Eccleſia, quam Moniales Ordinis ſancti Franciſci ſub ſecunda Regula ſanctæ Claræ, quæ Ordinarii curæ, & juriſdictioni omnino ſubſint introducere; nec in dicto Monaſterio aliquam fabricam ad alium, quam ad dicti novi Monaſterii Monialium uſum conſtruere poſſit. Et antequam Fratres prædicti e dicta domo egrediantur, prædictus Marius noſtrum, & dictæ Sedis beneplacitum tam pro Monaſterio Monialium, quam pro Domo, & Eccleſia regularibus eorundem Fratrum erigendis impetrare teneatur; redditumque annuum pro perficienda fabrica novæ domus, ut præfertur, conſtruendi per dilectos filios dictorum Fratrum Oeconomos, donec, & quouſque dicta fabrica peracta, & in omnibus partibus abſoluta fuerit, dumtaxat percipiendum aſſignare; prædictique Fratres omnes & ſingulas eleemoſynas & oblationes, tam diurnas, quam annuales per quoſcumque Chriſtifideles eidem Eccleſiæ ſancti Rochi, quacumque de cauſa hucuſque quomodolibet erogatas, & relictas, una cum oneribus eis adnexis ſecum inde tranſportare poſſint, prout in dicta conventione, ſeu concordia, vel publico deſuper confecto inſtrumento contineri dicitur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, conventio, ſeu concordia hujuſmodi pro ſpirituali commodo dicti Oppidi, divinique cultus, & piorum operum augmento, & dicti Ordinis propagatione ad laudem & gloriam Dei omnipotentis facta noſcatur, cupiantque exponentes prædicti pro illius firmiori ſubſiſtentia per nos, & Sedem prædictam approbari, & confirmari, Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt exponentes prædicti, quatenus eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur veriores inſtrumenti prædicti tenores, dictæque domus, & aliorum, & prædictorum ſituationes, confines, vocabulo, & denominationes, qualitateſque, nuncupationes, invocationes, & valores, præſentibus pro expreſſis habentes, ipſoſque exponentes ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, necnon eos, ac dictæ Domus ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quovis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dictam conventionem, ſeu concordiam, & prout illam concernunt omnia & ſingula in inſtrumento prædicto contenta, licita tamen & honeſta, ac ſacris canonibus, maxime vero Concilii Tridentini decretis, & Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon regularibus inſtitutis minime contraria, dummodo tamen primo dictæ domus Guardiani, & Fratrum ad hoc expreſſus accedat aſſenſus, & non alias ad partium ſupplicationem, & præſtita prius per dictum Marium ſufficienti & idonea cautione de conſtruenda infra triennium dicta domo regulari pro ſupradictis Fratribus, Apoſtolica authoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos tam juris, quam facti, & ſolemnitatum etiam, quarvis ſubſtantialium, ac de jure requiſitarum, & quoſvis alios defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus; & illa perpetuo valida, & efficacia, ipſoſque exponentes, eorumque ſucceſſores ad illorum omnium obſervationem perpetuo obligatos eſſe & fore, & ab illis nullo unquam tempore reſiliri poſſe: ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices, & Commiſſarios judi-

judicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, & quatenus opus ſit, fel. rec. Pauli Papæ II. Prædeceſſoris noſtri de rebus eccleſiaſticis non alienandis, aliorumque quorumcumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, dictæque Domus, etiam juramento roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, illi, ejuſque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis clauſulis, & decretis in contrarium forſan conceſſis: Quibus omnibus, & ſingulis, etſiamſi de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua mentio in præſentibus facienda foret, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat derogamus, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. *Auguſti* MDCXVII. *Pontificatus noſtri anno* XIII.

XLII. Perveniunt ergo illico, facultate Pontificia implorata, Franciſca, ejuſque germana ſoror Maria Eliſabetha, & ipſa in eodem ſancti Laurentii Cœnobio Monialis, die IX. Maji ſequentis anni ad deſtinatum locum, ubi Violantem Marii ſororem, & Virginiam de Actis ejuſdem Violantis ex ſorore neptis, ambo ex Monaſterio ſanctæ Eliſabethæ Ameliæ provenientes, quas unà cum quibuſdam aliis Virginibus Joannes Braſavola Caſtrenſis Epiſcopus Monaſterio *Sanctæ Mariæ Gratiarum* deinde nuncupato, ſolemni ritu introducit.

XLIII. Quam interim novum pro Fratribus ædificaretur Cœnobium, il quoſdam domos incolunt, quibus erat Eccleſia contigua, ut ſacrum faciant, & divinas laudes perſolvant, illudque tandem numeris omnibus nondum abſolutum, ſub iiſdem ſancti Rochi auſpiciis inhabitant. Cætera ad hoc Cœnobium pertinentia fuſiori, elegantiorique ſtylo italico narrat ſermone Caſimirus Romanus vir egregius, & Conſodalis noſter in ſua nuper edita Provinciæ Romanæ Fratrum Minorum hiſtoria, ex qua recenſitam cum hujus Cœnobii, tumque aliorum quorumdam notitias opus hoc noſtrum locupletantes eruimus.

Caſim. cap. 20.

XLIV. In Civitate præterea Albanenſi Cœnobium, quod a S. P. Franciſco acquiſitum fuiſſe referunt, PP. Conventuales relinquunt, novumque acquiſtunt ſolum, largiente Joanne Cardinali Moronio, ut liquet ex publicis tabulis die II. Auguſti hujus anni exaratis. Imago etiam Deiparæ miraculis clara nuper inventa, quæ in Eccleſia hujus Conventus, populis confluentibus, colebatur, data proinde Fratribus eſt, ut magis magiſque augeretur Religio. Conſtructum item novum templum ſub ſancti Franciſci nomine, juxta Cœnobium eorumdem PP. Conventualium Montis Vici, apud Allobrogos Provinciæ Januenſis, quum antiquum Emanuel Philibertus Dux in Cathedralem, Fratribus annuentibus, erexiſſet. Soliani, quod oppidum eſt diœceſis Ariminenſis, Fratribus Provinciæ Bononiæ a Sodalibus Congregationis Sanctiſſimæ Crucis ibidem erectæ Cœnobium conceſſum eſt, quod ejuſdem Crucis titulo inſignitum remanſit, in eoque S. Antonii Patavini ſimulacrum miraculis fulgens religioſiſſime colitur. Locum illuſtraſſe F. Thomam Miniſtrum, qui Concilio Tridentino interfuit, acta hujus Provinciæ, atque Labbeus teſtantur.

Conv. Albani. *MSS. auth. Prov. Rom. PP. Convent. apud nos exiſtent. fol. 737.*

Conv. Montis Vici. *MSS. auth. Prov. Januenſ. PP. Convent. apud nos exiſtent. fol. 259.*

Conv. Soliani. *MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 22. fol. 343.*

F. Thomas quidam Concilio Trid. interfuit.

Conv. Parmæ. *Wadd. ad ann. 1433. §. XIII. Labb. Tom. XX. fol. 212. ubi Catalogus Theologorum Trid.*

XLV. Diruto olim per Petrum Ludovicum Farneſium Parmenſium Ducem Cœnobio Parmenſi ejuſdem Provinciæ Bononienſis, quod extra portam Pediculoſam nuncupatam ædificatum erat, ut Waddingus ad ſuum annum refert. Fratres domo deſtitutos in ſuam recipit pius Presbyter Joannes Antonius

tonius Majoriui (minus vere apud Waddingum citatum Joannes de Riva, ut ex Pontificio diplomate Pii IV. mox citando legitur) Parochus Eccleſiæ SS. Gervaſi, & Prothaſii, quam ædem eiſdem perpetuo concedi a Paulo III. impetravit. Hoc autem anno a Pio IV. inibi erecta Vicaria ſupprimitur, juraque parochialia ad Fratres transferuntur, ut redditus, & proventus ad Fabricæ uſum applicarentur. *Suprami diſpoſitione* &c. VIII. Kal. Julii. Jubet item hoc eodem anno Pontifex, ut Monaſterio Clariſſarum ſanctæ Mariæ Magdalenæ Placentin. quædam bona injuſte occupata reſtituantur, ut in Regeſto: *Sua nobis* &c. III. Kal. Novembris. *Reg.*

XLVI. Conſtructum quoque domicilium Annunciationis Lazaroli Provinciæ Principatus, ære ad hoc opus relicto a pio nobilique viro Joanne Franciſco Puderico, cujus hæredibus perperam Gonzaga ſcribit, neceſſariam hoc anno ædificii hujuſmodi a Julio III. factam fuiſſe facultatem; quum Julius ab anno MOLIX. vita deceſſerit. Inter ædificandam Cœnobii Eccleſiam, eodem Gonzaga teſte, Architectus juxta maritimum litus a Turcis pyratis capitur, qui ſe propterea B. Virgini, cujus imago hoc in loco colitur, commendans, ſtatim, ut a claſſis præfecto viſus eſt, præter illius gentis immanes mores, priſtina libertate donatur, eſtque ad propria dimiſſus illæſus ac liber. In Lucania, ſive Baſilicata M. P. ab urbe Potentiæ, Civitatis Comitum ære, Cœnobium ſub S. Antonii auſpiciis; alterum apud Lacum nigrum, unum ab oppido lapide prope publicam viam, quod illo antiquius, quod exinde in eodem oppido ædificatum fuit communibus expenſis: Salerni item aliud intra urbis mœnia ædificatur, exoptante, & exſpenſas erogante populo; ſolum autem pientiſſimo viro Marchionda de Capograſſis largiente, qui propterea ſibi, ſuiſque loci ſe ſervavit dominium. Marſici etiam alterum, ſolum quodam Ferrante de Sophia elargiente. Vignolæ Potentinæ diœceſis aliud demum M. D. PP. ab oppido diſtans, Communitatis ære, quod exin ad viciniorem ſitum tranſlatum eſt anno MDC. Iſthæc quinque Cœnobia PP. Capuccinis attributa ſunt. Ex monumentis authenticis Provinciæ Siculæ eruimus, Cœnobium ſancti Franciſci, ſeu ſanctæ Mariæ de Jeſu Terræ ſancti Angeli Vallis nemorum, nullius diœceſis, fundatum eſſe, Antonio Concive Provinciam hoc tempore moderante, & efflagitantibus Incolis, ſimulque facultatem a Pontificæ Romano impetrantibus, qui per Apoſtolicum Diploma ſub die XVI. Octobris benigne annuit, ſtatimque erectioni manus admoventur. Sedet Cœnobium hoc Provinciæ Princeps inter opaca nemoris frondibus laureatum, ibique ultimam obiere diem viri non pauci doctrina, atque pietate illuſtres. Clariores extitere, Antonius memoratus, nedum hujuſce ædis, verum & Monaſterii Monialium loci ejuſdem fundator: Nicolaus de ſancto Angelo magni nominis Theologus, in Catanenſi Univerſitate publicus ſacrarum litterarum Magiſter: itemque inſignis Dei ſervus Angelus de ſancto Angelo profeſſione laicus, vigiliis, & corporis afflictationibus, ac pluribus divinis donis inſignis; ciliciis dumtaxat onuſtus, atque contemplationi addictus, & maxime veterum Patrum in ordine adamuſſim rigorem imitator: Dono etiam prophetiæ conſpicuus, vivus & mortuus ſignis atque prodigiis a Deo illuſtrari meruit, inter quæ cœcam puellam illuminaſſe, alioſque in ultimo conſtitutos agone e mortis faucibus eripuiſſe, ex proceſſibus de ejus vita & virtutibus confectis licet addiſcere. Moritur anno MOCXXVII. quo de illo rurſus dicemus. Aræ maximæ facellum duobus inſignitur e regione nobilibus mauſoleis, quod dextrum latus occupat eſt Lucretiæ Angottæ & Lanza, Ficarræ Baroniſſæ; alterum ad levam Michaelis, & ſororis, item de Angotta. Pavimentum nobilis perpulituſque lapis exornat Angottarum inſignibus diſtinctum, & inibi

Conv. Lazaroli. *Gonz. p. 2. Prov. Princip. Con. 22.*

Conv. Potentiæ. *MSS. auth. ex Arch. PP. Capuc. cim. Urbis.*
Conv. Laci nigri. *MSS. cit.*

Conv. Salerni. *MSS. cit.*

Conv. Marſici. Conv. Vignolæ. *Ibidem.*

Conv. S. Angeli Vallis nemorum. *MSS. auth. ex Arch. Aracœli. Gonz. par. 2. in Prov. Sicil. Conv. 43.*

Antonius de S. Angelo. Nicolaus de S. Angelo. *Ibidem.* Angelus de S. Angelo laicus. *Ibidem.*

quieſcunt exuviæ Antonini Angottæ, qui toties magnæ Regiæ Curiæ Judex extitit. Univerſi Franciſcano cilicio induti tumulari voluerunt. Eadem in Provincia Cœnobium PP. Conventualium Racalmuti Agrigentinæ diœceſis inſtauratum, una cum Eccleſia, quæ olim ſancti Viti, nunc autem ſancti Franciſci nomine inviſitur. Et PP. Capuccinis Drepani Mazar. diœceſis Cœnobium Epiphaniæ Domini; atque Sambucæ, Agrigentinæ diœceſis extra oppidum D. P. publicis exſpenſis ædificata ſunt. Iiſdem Capuccinis non procul a Variſio nobili ditionis Mediolanenſis Vico, tribuitur a loci incolis, ædicula quædam ſanctæ Mariæ Miſericordiæ dicta, reipſa tamen ſancti Bartholomæi Apoſtoli titulo inſignita, una cum annexis domunculis, jurepatronatus Societatis Sæcularium, quæ inibi erecta Diſciplinatorum audit, & ſancti Antonii Patavini nomen retinet. Locum unus ex Tertiariis PP. Conventualium antea habitare conſueverat; hoc autem anno die XIV. Decembris ab iiſdem Capuccinis ſolo crucis imago in ſignum poſſeſſionis affigitur. Die autem XVIII. ejuſdem anni, & menſis Gabrius Origonius, & Franciſcus Serogonus Cives alteram portionem, cui ſuam adjunxit Incolarum liberalitas, ſunt elargiti. Anno verò ſequenti MDLXII. menſe Martio ineunte, conſtructioni initia dantur. Primum lapidem poſuit Franciſcus Griffus Vicarius Foraneus, juſſu ſancti Caroli Boromæi hac ætate Mediolanenſis Archiepiſcopi, ſuis autem opibus Paulus Maria Vicecomes de Caſſano pro ſua pietate novi loci exſtructionem maxime favet. Pro ampliatione vero cum Eccleſiæ, tum etiam Cœnobii, diverſis tamen temporibus, Joannes Antonius Raynaldus, Joſeph Dallo, Hieronymus Perabo, & Petrus Franciſcus Origonus eleemoſynas non paucas ſunt elargiti. Eccleſia etiam cum antiqua ſancti Victoris, tum recens ſanctæ Claræ Monaſterii Mortariæ ejuſdem Mediolanenſis Provinciæ, die VIII. Novembris ab Epiſcopo Melchiorre Cribello, ſorte Mediolanenſis Archiepiſcopi Suffraganeo, conſecrata eſt.

Conv. Racalmuti PP. Convent. *MSS. autb. Prov. Sicul. apud PP. Convent. fol. 837.*

Conv. Drepani PP. Capuccin. *Ex Arch. PP. Capuccin. Urbis.*

Conv. Sambucæ PP. Capucc. *Ibidem.*

Conv. eorumdem Variſii. *Ex Arch. PP. Capuccin. Urbis in Prov. Mediol.*

Eccleſia Monaſt. Mortarii conſecrata. *MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 34. fol. 251.*

XLVII. In Neapolitana urbe Cœnobium, quod titulo ſanctæ Mariæ de Monte Calvario inſignitum fuiſſe Gonzaga ſcribit, & quod hodie Montis Calvarii audit, reipſa tamen ſanctiſſimo Crucifixo dicatum, ut ex authenticis litteris mox producendis conſtat, hoc eodem anno ſumſit initium ex eleemoſynis pientiſſimæ heroinæ Hilariæ de Aputeo ſive de Puteo, Franciſcanis addictiſſimæ, ut ex authenticis tabulis apud ſanctam Mariam de Nova conſectis ab Alphonſo Fontana Tabellione; ex monumentis Provinciæ Terræ Laboris, quam tunc Stephanus Siculus moderabatur; & etiam ex ſequenti Cardinalis Pœnitentiarii Decreto ſatis, ſuperque liquet.

Conv. Montis Calvarii Neap. *Gonz. p. 2. Prov. Terræ Lab. Conv. 4. MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 145. fol. 232.*

Hilaria de Aputeo. *Gonz. & MSS. cit.*

Raynutius miſeratione Divina tituli ſancti Angeli Presbyter Cardinalis. Dilecto in Chriſto Miniſtro Provinciali Terræ Laboris Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia ſalutem in Domino. Altitudo divinæ Providentiæ, a qua bona, & ſancta opera omnia procedunt, ea in fidelium ſuorum animis ingerit, quæ, & novarum Eccleſiarum, præſertim religioſarum perſonarum, plantationem ejus agnitio ad humanæ ſalutis præſidium valeat ubique propalari, populoris augeatur devotio, & divinus cultus floreat, unde nos perſonarum Apoſtolicæ Sedi devotarum, votiſque ad id tendere conſpicimus, ut votivos ſortiantur effectus, cum a nobis petitur Apoſtolici favoris ſuffragium ſolertius impertimur. Sane exhibitæ nobis hodie pro parte veſtra petitionis ſeries continebat, quod tu zelo devotionis accenſus deſideras ſpiritualia ſeminaria in Parochiali Eccleſia ſancti Joannis Majoris Neapolitan. ſupra viam, quæ dicitur de Toledo plantare, ac vineam Domini Sabaoth excolere cupis in bonis per dilectam in Chriſto Hilariam de Puteo Miniſtro & Fratribus Ordinis Obſerv. S. Franciſci donatis, ſeu quæ donare intendit, unum Monaſterium

Decretum Raynutii Cardinalis Pœnitent. *Ibidem. Ex Regeſt. Ciſm. fol. 203.*

rium ſub invocatione Sanctiſsimi Crucifixi *in loco, ubi dicitur* alla Ceuſa *ſub regula ejuſdem S. Franciſci, & loco inibi per te eligendo conſtruere, & erigere, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ ſuffragetur aſſenſus, ſupplicare feciſti humiliter ſuper his, per Sedem eandem de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur confidentes, quod ſicut adhuc dictus Ordo magnos probitatis & doctrinæ, ac animarum ſalubres fructus attulit, ita & tu pro foliis tuis ſtudiis honeſtis, & laboribus inibi allaturus, tuo pio & laudabili deſiderio in hac parte conſulere opportune volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, authoritate D. Papæ, cujus Pœnitentiariam curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, tibi ut in dicta Parochia, in loco inibi per te eligendo, & in terris per dictam Hilariam, ut præfertur, donatis, ſeu donandis, unum Monaſterium, ſeu domum Fratrum Religioſorum dicti Ordinis, ſub invocatione* Sanctiſsimi Crucifixi *cum dormitorio, refectorio, eccleſia, cœmeterio, ſacrario, clauſtro, campanili, campanis, horto, & hortalitiis, officinis, ac quibuſcumque aliis neceſſariis, & conſuetis pro uſu, & habitatione eorundem Fratrum, qui ſecundum normam, ac modum, & formam, & ad inſtar aliorum Fratrum ejuſdem Ordinis ſub obedientia, & ſuperioritate, correctione, & authoritate Superioris Ordinis præfati iſtius Provinciæ vivere, degere, & permanere, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, præeminentiis, exemptionibus, favoribus, indulgentiis, & conceſſionibus, quibus alia Monaſteria, ſeu Domus dicti Ordinis, & illorum, ſeu illarum Religioſi, & perſonæ ubique exiſtentes, de jure, uſu, conſuetudine, privilegio, vel alias quomodolibet potiuntur, gaudent, & utuntur, ac potiri, gaudere, & uti poſſint, & debeant, ad inſtar aliorum Monaſteriorum, ſeu domorum Ordinis hujuſmodi, inſtanpartium, ſine alicujus præjudicio erigere, conſtruere, & ædificare libere, & licite poſſis & valeas, tenore præſentium licentiam & liberam facultatem concedimus, tibique pariter indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ* XI. *Kal. Decembris, Pontificatus Domini noſtri Pii Papæ IV. anno primo.*

Monum. MSS. auth. Prov. Terræ Lab. ex Arch. Aracal.

XLVIII. Inibi olim adoleſcentum Tyrocinium, nunc autem ſacræ Theologiæ ſtudium, quod *Generale* dicunt, inſtitutum eſt; ſimulque celebris ad Immaculatæ Conceptionis honorem pro ſæcularibus erecta Sodalitas, cui eo tempore, quo Gonzaga ſuam texit Hiſtoriam, ut ipſe narrat, *bominum centum millia adſcripti erant, quorum ſeptingenti ad minus titulares, puta Marchionatus, Comitatus, Principatus, Baronatus* titulo inſigniti numerabantur.

Immaculatæ Conceptionis inclyta ibidem erecta Sodalitas.

XLIX. Noſtris autem temporibus eo res devenit, ut Carolus Borbonius utriuſque Siciliæ Rex, inclytæ Sodalitatis *Prioris* titulo aſſumto, Majeſtate ſua, ſuoque exemplo Regiæ Aulæ Proceres & devotiſſimum populum in Virginis obſequium magis magiſque alliciat. Nuper item an. videlicet MDCCXLI. Rmus P. Cajetanus de Laurino totius Ordinis Generalis Miniſter, illorum Conſodalium majori conſulens commodo, qui collectionibus eleemoſynarum pro ſacris Palæſtinæ locis dant operam, quique etiam illuc tranſire ſunt deſtinati, ex Cœnobio SS. Trinitatis PP. Reformatorum ad hoc Montis Calvarii eorum Hoſpitium tranſferri pro ſui vigilantia, atque ſolertia decrevit, ut ſequitur.

Et nuper Hoſpitium pro iis, qui SS. Palæſtinæ locorum ſunt ſanctarui addicti. P. Generalis Decretum. *Ex Arch. Cœnob.*

Decretum: Exigente majori rerum commodo & utilitate, quod a Conventu, quem vocant Trinitatis, ad alium, qui Mons Calvariæ dicitur Terræ Sanctæ Hoſpitium tranſferatur: nos, vobis Patrum Definitorii tam Regularis, quam Strictioris Obſervantiæ hujus Provinciæ Terræ laboris, ſuper id auditis, ſingulisque approbantibus, opus adeo neceſſarium, ut præſentis Decreti conſtabilire,

lire, & complere judicavimus; cum enim non modicam ea Sancta loca patiantur angustiam, devotioni nostræ, atque debito illis cultui omni jure conveniat, ut quantum fieri potest, dilatentur & extendantur; rebus vero omnibus, quæ Terra, Marique trajiciuntur, aptum paraturi locum, in quo repositæ conservantur. Prima veteris Hospitii Cellam ejusdem Terræ Sanctæ usui, & arbitrio concedendam esse decernimus, præter alteram, quæ in inferiori parte, seu planitie Claustri reperitur. Ne vero hoc nostrum Decretum negligatur, aut ignoretur, in Archivio utriusque Conventus servari volumus & mandamus. Datum Neapoli in nostro Conventu S. Didaci, die XIII. *Mensis Septembris* MDCCXLI.

F. Cajetanus a Laurino Minister Generalis.

Loco ✠ Sigilli

Cajetanus Maria de Neapoli ad tantũ opus præficitur.

L. Igitur hujusmodi sanctionis vigore egregius vir Cajetanus Maria de Neapoli consodalis, & amicus noster, Terræ Sanctæ præfectura pro universa Neapolitana ditione a præfato P. Generali merito decoratus, e regione Orientis novo Hospitio circa diem Nativitatis Virginis dedit initia, quod in pervigilio Nativitatis Domini numeris omnibus absolvit. Ea est exigui ædificii structura, ut habitantibus religiosum commodum, conspicientibus autem ingens oblectamentum afferat. Oratorium habet Martyrum Reginæ dicatum ad sacrum celebrandum; octo cellulas, sive cubicula habet exstructa ad Advenarum usum, alteramque in communi Fratrum dormitorio, ad quod aperta est via pro eodem præfecto: itemque culinam, triclinium, universa demum, quæ ad vitam religiose, honesteque ducendam requiruntur ita perpolitis aptata, solo, fornicibus, parietibusque, ut in eo Franciscano Viro nihil penitus desiderandum remaneat. In tantæ rei memoriam propterea sequens lapidea inscriptio posita:

Ejus industria pulcherrimũ ædificium exstructũ.

Rmo P. Cajetano a Laurino Provinciæ Principatus de Observantia Lectore Jubilato, Catholicæ Majestatis pro Immaculata Conceptione Theologo, Hispaniarum Magnate, totiusque Ordinis S. P. Francisci Ministro Generali. Neapoli in Regali Conventu S. Didaci die XVIII. *Augusti* MDCCXLI. *selecto, & creato in commune Terræ Sanctæ totius Regni A. R. P. Cajetano Maria a Neapoli ejusdem Provinciæ Cronologo, ac Lectore Jubilato. Die Nativitatis B.M.V. in Regali sacello Reginæ Mariæ Amaliæ Walburgæ cum habitu Tertii Ordinis nomine Elisabeth, dato die* XIII. *Septembris, Hospitium Terræ Sanctæ e Conventu sanctissimæ Trinitatis Reformatorum ad Montis Calvariæ de Observantia transferri decernente. Marmoreum hunc lapidem posuit in perennem tanti beneficii memoriam idem A. R. P. Cajetanus Maria a Neapoli. Novumque Hospitium B. M. V. Dolorosæ dicavit; complevitque in Pervigilio Nativitatis Domini* MDCCXLI.

Conv. S. Antonii Neap. *Monum. auth. MSS. PP. Conv. in Prov. Neapol. apud nos existen. fol.* 352.

LI. Eadem in urbe Neapolitana, extra tamen mœnia, in suburbio, quod *Pons Corvi* vocant, Cœnobium PP. Conventualium sancti Antonii Patavini nomine insignitum exstruitur, pio quodam viro, cui nomen Evangelista Perronus, ædiculam sanctæ Mariæ de Spiritu Sancto, cum Viridario contiguo elargiente, suorumque nomine recipiente Magistro Ferrando Rubeo. Anno autem MDCXVII. Isabella de Lauro F. Francisci *Comite* genitrix, attributis aureis mille, recens Templum curavit exstrui; quod ut perficeretur, religiosus idem filius consanguineorum eleemosynis alios tercentos aureos, debitis eum facultatibus, expendit. Iisdem Patribus in ipsa Neapolitana Provincia, non procul ab oppido Terræ Muratæ Cajetanæ diœcesis, domicilium exstruitur, quod, sæculo integro a fundatione elapso, igne combustum

Conv. Terræ Muratæ. *Ibidem fol.* 363.

est,

eſt, & univerſa monumenta deperdita. Similiter in hac Provincia Cœnobium eorumdem ſancti Thomæ Plani Ruvi Muren. diœceſis, quingentis fere paſſibus ab Oppido diſtans fundatum eſt; quod a PP. Reformatis Magiſter Fabius de Ruvo accepit. Alterius domus acceſſione auctum eſt anno circiter MDC. Nunc iidem PP. Conventuales incolunt.

Conv. Plani Ruvi PP. Con. *Ibidem fol. 460.*

LII. Illud ipſum, quod apud Biſinianum ſive Beretram in Provincia Calabriæ fuiſſe ædificatum Cœnobium Wadd. commemorat, de qua re etiam ſupra Templi parietem in cornu Evangelii prope Aram maximam hæc eſt inſculpta memoria:

Wadd. ad ann. 1380. §. 30. Conv. Biſiniani ſive Beretræ. Monum. MSS. auth. Prov. Reform. Calab. ad nos recens miſſa.

D. O. M.

Sacrum hoc Templum, ſimulque Cœnobium Seraphico Patriarchæ Franciſco, anno a partu Virginis MCCCLXXX. *dicata pari munificentia, ac pietate ab Excellentiſſimis Biſiniani Principibus ædificata fuere atque conſtructa.*

Illud inquam ipſum Cœnobium traditus fuit inhabitandum PP. Conventualibus, qui ibidem incolatum fecerunt ad annum uſque MCCCCXLI. Ex tunc Principis Thomæ rogatu, PP. de Obſervantia, Conventualibus rejectis, ad eumdem inhabitandum acceſſerunt; ſed hoc anno, die Februarii quinta a Nereo Dominicano Epiſcopo Civitatis ex Apoſtolica authoritate, traditus fuit inhabitandus PP. Reformatis, qui Conventum erexerunt in ſecundum novitiatum. A latere epiſtolæ majoris Altaris, foſſa humo tres inter capſulas ineluſa requieſcunt oſſa venerabilis Servi Dei F. Humilis a Biſiniano, cujus memoria in pariete ſculpta hæc eſt:

Humilis de Biſiniano. *Monum. MSS. cit.*

D. O. M.

Hic jacent oſſa Ven. Servi Dei F. Humilis a Biſiniano, quæ a ſepultura communi Fratrum de licentia S. R. C. tranſlata fuerunt, & recondita ſubtus hanc humum cum aſſiſtentia Illmi & Rmi Dñi D. Pompilii Berlingerii Epiſcopi hujus Civitatis, A. R. P. Joannis a Petraſilla Provincialis, Fratrum hujus Conventus, & aliquorum devotorum noſtri Ordinis, prout ex Inſtrumento rogat. Notarii Martii Caſtagnaro XIII. *Kal. Januarii* MDCCXVIII.

Poſt cancellos majoris Altaris in medio, quædam adeſt Catacumba (ſic in MSS. authen. hujus Provinciæ legitur) in quam a dextero Eccleſiæ latere deſcenditur: in eadem exſtructum eſt Altare ſupra quod exurgit marmorea capſa, in qua incluſa requieſcunt integra Corpora SS. Martyrum Primitivi, Æmiliani, Thaidis Viduæ & Martyris, Amati, Gentiani, & cujuſdam ſancti pueri Innocentis, cujus nomen eſt in libro vitæ. De quibus extant in Archivo Conventus legitima documenta, & a Sac. Rit. Cong. indultum de iiſdem Officium & Miſſam celebrandi. In prima Eccleſiæ columna a dextero latere in marmoreo lapide parieti affixo, inciſum legitur hoc monumentum.

Corpora SS. MM. Primitivi, Æmiliani, Thaidis, Amati, Gentiani, & unius ex innoc. tumulata. *MSS. cit.*

D. O. M.

Fabritii Conſentini Patritii Biſiniani, & Octavii filii, Viri optime meriti, Coſmicæ artis decorati, ſuis & omnibus optatiſſimi, cineres & oſſa, obiit XI. *Kal. Octobris* D.D.C.XXV. *Capitaneus Pompejus Conſentinus F. amantiſſimus hic humanda curavit.*

A ſiniſtro adſunt quatuor, & alia hinc inde inter parietes diſtributa monumenta, atque marmoreis lapidibus ſculpta: quorum primum.

D.O.M.

D. O. M.

Marius Luzzi Eques Hyerosolymitanus suæ Familiæ, de cujus florente ætate obiens, Octaviusque frater vir optimæ virtutis, ac Patriæ defensor Horatii amantissimi fratris Baronis Turicellæ. Ossa hic jacent. XV. *Kal. Jan.* M.D.C.XXIV.

Secundum in Tumulum.

Illñi D. D. Hyacinthi Sangermani Episcopi Nuscani in amoris pignus Domina Anna Sangermani soror, Epigramma.

En tibi mirificus tumulus præclare Hyacinthe
Sydera colluſtrant, quem tibi pura tria
O compos virtutis, & Illñe Præsul
Te certe rapuit Armiger illa bifrons
Aere morte tactus noluit esse manu
Sed tamen, haud mirum, quia cum Jovis ales haberet
Illum pro Domino fustulit alta petens.

Tertium.

D. O. M.

Dionoræ Caroli Luzzi V. I. D. & Antoniæ Luzzi Patric. Bisinian. filiæ adolescentulæ morum, & animi candore omnium lacrymis deoratæ, cineres & ossa. Dominicus Carosius Miles Consentinus præscriptæ Uxoris amore raptus, ardore captus, geiido fidi saxo, quod ardor exciderat mortis. Obiit anno M.D.C.LXIII.

Quartum prope Ecclesiæ januam.

Fabio Layno nobilissimo inter Patricios, eruditissimo inter A. & M. D. D. Hunc dum alio se vocat ad vitam, mors invida advocat ad mortem. Dianora Trentacapilli Uxor amantissima Æque nobilis hoc pietatis monumentum posuit. Obiit dum vivere expediebat, anno ætatis suæ 63. M.D.C.LXIII.

Conv. Capue. Cassiani. *Ex Arch. PP Capucc. Urbis.*

Conv. eorumdem Villæ Francæ. *Ibid.*

Conv. Castri Pinnani. *Chronistor. Ang. de Monte Sarmato Prov. Reform. S. Ang. p. 1. cap. 22.*

Conv. Vallis Lucriæ. *MS. Antiq. Provin. S. Aug. Chronistor. cit.*

Gonz. in Prov. S. Angeli Con. 25.

LIII. In Provincia Consentiæ Asterina Castriora Bisiniani Princeps, pro sua in Ordinem pietate domum PP. Cappuccinorum Cassani, non longe ab urbe, sub titulo SS. Annunciationis exstrui fecit. Isdemque similiter ædificatum Cœnobium Villæ Francæ Vertinæ diœcesis, & Hydruntinæ Provinciæ Spiritui Consolatori sacratum, extra Oppidi mœnia ad jactum lapidis, religiosi Populi expensis. In Provincia item sancti Angeli nobilis hæros Vincentius Ebolensis ab armis, litterisque nunquam satis laudandus, apud Castrum Pineanum in Samnitibus Templum exstruit in Deiparæ honorem, cujus imaginem, quum aliunde bina jumenta ducerent & ad hunc locum perveniissent, ambo illico moriuntur. Miraculo populi obstupescentes, eleemosynis muneribusque ædem ditant, donec tandem an. MDCCVII. Fratribus Reformatæ Provinciæ conceditur, ut suo loco, Deo favente, narrabimus. Concessum est item Observantibus Cœnobium sanctæ Mariæ Vallis Lucerien, Stignanæ diœcesis, ejusdem sancti Angeli Provinciæ, anno MDXV. a quodam Salvatore Discalceato exstructum, & exin derelictum, accedente Pontificio Diplomate, dato hoc anno, non vero sequenti, ut minus vere Gonzaga scribit, caveturque in eo, ne Fratres ibidem commorantes a quoquam molestentur. Locus est solitarius; atque nemorosus, contemplationique accomodus, necnon & piis sæcularibus convicinis commendatissimus, ob frequentia miracula,

cula, quæ ad quandam glorioſiſſimæ Virginis imaginem in dies ibi contingunt: atque ob inculpatam 12. Fratrum vitam, de quorum numero fuit Ludovicus a Croneto laicus, qui ob ejus famam, ſummamque ſimplicitatem, & continuam orationem, Dæmonibus formidabilis fuit. Quum Maximilianus Imperator Auſtriacus hujus nominis primus, ut in bello ſupremum numen propitiaret, quandam Religioſam domum in ditione ſua olim decreviſſet exſtruere, Ferdinandus ſucceſſor in urbe Oeniponte, Germanice *Iſprugh* Tyrolenſis Provinciæ Cœnobium ſanctæ Crucis ædificatum voluit. Imperatoris autem imminente obitu, quidam ex Obſervantium familia Religioſiſſimi Itali, duce quodam Epiſcopo, illuc adducuntur, magno cum pii Principis gaudio, qui Franciſcanos *Chriſtianitatis medulla* appellare conſueverat. Deinde authoritate Zamorenſis Generalis Miniſtri, Provinciæ ſancti Antonii unita domo, Itali Fratres per decennium inibi manſerunt, donec Germanorum inſtante factione, ut Provinciæ Argentinenſi ſuperioris Germaniæ uniretur, ab eadem ſancti Antonii Provincia locus ſejungitur. Denique an. MDLXXX. Ferdinando Auſtriaco Archiduce expetente, a Provincia Argentina direptus, in Tyrolenſi principem locum habet. In eadem Auſtriaca ditione Cœnobium Zicolſæ, quod ad ſuperiorem Hungariam pertinet, quum anno MDXXX. conflagraſſet, atque ruinam ſubiiſſet, poſtea circa hunc annum piorum eleemoſynis reparatum eſt, quinimo iterum exſtructum nobiliori, atque ampliori ædificio.

Ludovicus de Croneto. *Gonz. p. 2. in Provin. S. Aug. Con. 25. Artur. 6. Feb.*

Conv. de Oeniponte. *Gonz. p.2. Prov. Tyrol. Con. 1. MSS. ex Arch. S. Iſid. arm. 5. n. 141. fol. 27.*

Maximiliani I. Imp. in Franciſcanos pietas.

Conv. Zacolſæ. *Gonz. p.2. Prov. Hung. S. Salvat. Con 3.*

LIV. Jacta ſunt fundamenta plurium Cœnobiorum etiam apud Hiſpanos. Ædificata liquidem eſt domus ſancti Franciſci de Valle Viridi Provinciæ Cartaginenſis, & Conchenſis diœceſis (altera ab illa Prov. Angelorum, de qua ſuo loco Waddingus) prope oppidi mœnia, ex diverſis fidelium a Fratribus collectis eleemoſynis, inter quos Georgius de Alarcon pro ſua in Franciſcanos benevolentia, diſtingui volens, quadringentos aureos coronatos impertitur. Floruiſſe ibidem religioſiſſimos viros Franciſcum de Turre, ſive Torres Sacerdotem, & Didacum pariter de Turre laicum, acta hujus Provinciæ authentica MSS. teſtantur, ex quibus eruimus Cœnobium hoc anno fundatum eſſe, contra Gonzagam ſcribentem, id anno MDLXI. eveniſſe. Duo quoque in Provincia Caſtellæ exſtructa ſunt Cœnobia; primum ad quintam fere leucam a Regia Civitate Toleto, cui *Puebla de Montalban* Hiſpanice nomen eſt, cujuſque extrema mœnia ab aurifero præter labente Tago abluuntur. Propterea cum Catharina Pachieco Alphonſi Telles Gironii loci Domini uterina ſoror, amplam domum poſſideret, eam ex facultate licentiati Buſto de Villegas, (pœnes quem tunc temporis Toletani Archiepiſcopatus moderatio, Archiepiſcopo abſente, ex ſummi Pontificis, & Regis mandato erat) pro exſtruenda Minoritis Domo conceſſit. Joannes Lilius, qui Provinciam moderabatur, acceptat, miſſo Antonio de Alvarez, qui exſtructioni præeſſet. Sumtibus ergo memoratæ Catharinæ, oppidani Senatus, aliorumque benefactorum, necnon ipſius Antonii ſedulitate parvum ab initio domicilium ſatis amplum, & elegans Cœnobium brevi tempore evalit. Huic magnifica acceſſit Eccleſia, quæ perpetua indulgentia Altaris, quod vocant privilegiatum, a S M. Gregorio XIII. pro defunctorum fidelium animabus conceſſa fulget. Alterum Cœnobium de Colmenar de Orèja, & ipſum Toletanæ diœceſis, ut fundaretur, Bernardinus de Cardenas loci Dominus auctor fuit. Cernens enim, incolas Obſervantium familiæ addictos exoptare, domum, ejuſque contiguum ſitum ab omnibus vinculis & oneribus immunem, ad hoc opus liberaliſſime contulit, facultatem Licentiato de Villegas concedente, & Lilio Miniſtro, de quo ſupra, acceptante, præter ſolum, liberalia ſubſidia pientiſſimus Bernardinus impertiit, quem Ludovica, filia Paterniana Duciſſa pro virili

Conv. Vallis Virid. *MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 1. n. 19. fol. 472. Wadd. ad ann. 1413. §. 19.*

Georgius de Alarcon Franciſcanis addictus. *MSS. cit.*

Franciſcus de Turre. Didacus de Turre. *MSS. cit. Gonz. part. 4. in Provin. Cartag. Con. 25.*

Conv. Montis Albani. *Gonz. part. 3. in Provinc. Caſtel. Conv. 24. MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 52. fol. 9.*

Conv. Colmenarii. *Gonz. part. 3. in Prov. Caſtel. Con. 25.*

 imi-

imitata eſt. Magiſtratus quoque loci pietas in hoc opere maxime eluxit.

Mon. Vallis Eccleſiarum. *Gonz. par. 3. in Prov. Caſtellæ Mon. 22.*

LV. Quum Moniales ſancti Martini oppidi Vallis Eccleſiarum, Caſtellanæ Provinciæ, Franciſcano habitu griſeo abſque velo nigro uti conſueviſſent, idem velum de manibus Franciſci Zamorenſis Miniſtri Generalis ſumunt. Qui etiam Sororum Tertii Inſtituti recentis Monaſterii ſanctæ Eliſabethæ Barcinonis Cathaloniæ Provinciæ, ut primum illuc appulit, ſolennem profeſſionem excipit, plurimiſque aliis Virginibus Ordinis habitum conſert; denique omnibus iudulget, ut ſub eadem Sodalitate militent. Cœnobium, narrante Gonzaga, hoc pacto originem ſumſit. Quædam honeſtiſſima fœmina Joanna Forneſia ex Herbeca, Tarraconenſis diœceſis oppido, cum viro, tum quoque liberis orbata eſſet, feliciuſque D. O. M. famulari euperet; ſumtis ſecum Barcinonis novem aliis bonæ famæ fœminis, Tertiariarum Franciſcanarum habitum induit, ſimulque eum illis privata quadam in domo ſanctiſſime ad tempus vitam egit. Cumque earum fama in dies magis magiſque divulgaretur, nobilis, atque devotus quidam Barcinonenſis civis, ex ſingulari quadam tum in Deum, tum quoque in eas pietate, Barcinonenſibus in Suburbiis domum eis in uſum, atque perpetuam habitationem liberaliſſime contulit. Præterea R. Jacobus Caſſadorius Barcinonenſium Epiſcopus, piiſſimum hujuſmodi opus promoturus, eiſdem conceſſit, ut Eccleſiam præfatæ domui contiguam ædificare poſſent. Barbaſtri, ſive Balbaſtri, quæ urbs eſt in Aragonia ſub Cæſarauguſtana Metropoli, pia fœmina Joanna Lunella bona ſua moriens reliquit Senatui, ea lege, ut Clariſſis Urbaniſtis Sororibus Monaſterium erigendum curaret. Ex ipſis ergo bonis, & etiam ex aliis communibus juxta Eccleſiam ſanctæ Luciæ Virginis & Martyris ædificatum eſt.

Mon. Barcinon. Tertii Ord. *Gonz. par. 3. in Prov. Catalon. Mon. 9.*

Mon. Barbaſtri. *Gonz. par. 3. in Prov. Aragon. Mon. 6*

LVI. In Valentina Provincia Cœnobium ſancti Sebaſtiani oppidi Cozentainæ ſive de *Cazanova* mœniis proximum accepit initium, pia beneficentia Ximenii Porez Ruiſii de Corella, ejuſque conjugis Mariæ a Mendotia loci Comitis, quod a Recollectis noſtris inhabitatur. Minus autem recte Rapineus ſcribit, idipſum ad Algarbiorum Provinciam pertinere. Iiſdem Recollectis Provinciæ ſancti Gabrielis Eccleſia Cœnobii ſancti Onuphrii de Lappa, de quo Waddingus, ab inclyto viro Gomeſio Suareſio de Figueroa Ferianorum Comite, atque loci fundatoris pronepote, omnibus numeris abſoluta eſt. Ultra fines Bæticæ Provinciæ, in extremo noſtri Orbis, Occidentem verſus, ubi Europa ab Africa ſejungitur, binæ ſurrigunt Inſulæ, quarum major Eritia, minor vero Gadis appellatur, diſtantque e Regione, Eripo inter labente, unius tantum ſtadii ſpatio. In Gaditana igitur ex Mercatorum illue confluentium eleemoſynis Minoritis Cœnobium S. P. Franciſci titulo inſignitum ædificatum eſt. Hujus loci Templum tria Sacella elegantiſſime ab Italis, Flandris, & Cantabris Mercatoribus conſtructa mirifice exornant, in quibus ſtatutis diebus populi, vel reddendorum votorum, vel rei divinæ aſſiſtendi gratia, conveniunt. Fundator illius potiſſime habetur Joannes Navarrus ejuſdem Regionis V. Commiſſarius Generalis, cui, Incolis inſtantibus, ne tam procul ab urbe Domus exſtrueretur, ut Fratres poſſent populis ſpiritualia ſubſidia facillime præſtare, reſpondiſſe fertur, intra XL. annos Monaſterium mœnibus oppidi eireumſæptum futurum, quod reipſa habitatoribus, & domibus Incolarum paulatim multiplicatis, contigit: ac vaticinium a religioſo Viro Spiritu divino impletum eſt.

Cóv. Cozentainæ ſive de Cazanova. *Rapin. Hiſt. Recollect. Decad. 18. Gonz. par. 3. in Provinc. Valent. Con. 16.*

Conv. de Lappa. *Gonz. part. 3. in Prov. S. Gabriel. Con. 7.*

Conv. Gaditanæ ſive de Cadibus. *MSS. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. n. 20. fol. 188. Gonz. par. 3. in Prov. Betic. Con. 22.*

Jo. Navarrus futura prædicit.

LVII. Ex authenticis monumentis Provinciæ Conceptionis diſcimus, hoc anno Monaſterium Tertiariarum Arandæ Durianæ ædificatum fuiſſe, quibus non autem Gonzagæ ſcribenti hoc factum anno MCCCCLX. ſtandum eſſe nemo diffitebitur. His etiam accedit, quod Waddingus ad annum MCCCCLX.

Monaſt. Arandæ Tertii Ordinis. *MSS. aut. ex Arch. S. Iſidori Arm. 3. num. 20. fol. 725.*

de

Anno Christi 1560.	Pii IV. anno 1.	Ferdinandi I. Imp. anno 3.	Religionis Minorum anno 353.

de eodem Monaſterio prorſus ſilet; ad annum vero MCCCCLXIII. cujuſdam Puellarum Clariſſarum Collegii hujus oppidi meminit, de quo tamen fatetur, apud noſtros Authores nullam inveniri memoriam. Potiori ergo jure hujus alterius extantis ad ſuum tempus meminiſſet, ſi apud memoratum Gonzagam non detexiſſet in temporis nota errorem. Hoc ergo anno Mentia Martineſia Contreras nullos liberos habens, & a lege Viri ſoluta, Domum hanc ædificare fecit, Tertiique Ordinis ſuſcepto habitu, ibidem primam Miniſtram egit; aliis ejuſdem piæ mentis & voluntatis aggregatis Sociis: quæ ſubinde religioſis virtutibus præſtiterunt. Quum pro Maſſilienſis urbis tutela, contra validiſſimum Exercitum a Carolo Borbonio ductum opus ſuerit domum ſancti Ludovici PP. Conventualium extra urbis mœnia erectam ſolo æquare, oportuit etiam Fratres alio abire, bonis univerſis, quæ poſſidebant relictis. At Conſulibus urbis, Procuratore Generali Ordinis, & Abbatiſſa Monaſterii Monialium ſancti Salvatoris Ordinis ſancti Benedicti conniventibus, poſtquam a Chriſtianiſſimo Galliarum Rege de eorum reditu menſe Martio anni elapſi facultatem impetraſſent, Pontificiam, hoc anno poſtulant & obtinent, aliud alibi parandi domicilium; iiſdem Sodalibus propterea parochialis Eccleſia B. Mariæ de Acolis ad eaſdem Benedictinas Moniales pertinens conceditur, nonnullis præſcriptis conditionibus, quas videre licet in pontificiis litteris in Regeſto relatis, quarum initium, *Ad decorem* Kal. Junii. In eodem Galliarum Regno hoc virorum Cœnobio acquiſito, aliud amittitur Mulierum Clariſſarum Urbaniſtarum ſanctæ Catharinæ Pruvini, ſive Provini, quæ Civitas in Bria Provincia principem habet ſedem. Voraci ſiquidem incendio correptum atque combuſtum, omni ſupellectili nudatum extitit. Sorores vero Domicilio ſpoliatæ aliquandiu Caſtrum urbis in loco eminentiori ſitum inhabitare compulſæ; verum tamen non poſt multos dies, viribus utcumque reſumtis, prudens Soror Barbara Columna, tunc Monaſterii Abbatiſſa manum admovit, Deo opem ferente, ut reſtauratrix fieret ſumtibus non modicis, ſed multo pluribus laboribus, tantarum præfati Monaſterii ruinarum. Quibus (ut licuerat) reparatis, protinus reverſæ ſunt Sorores, ubi vix ſeptem annos quieverunt, quin viderent reparatum Monaſterium, ſurentibus per Galliarum Regnum hæreticis, penitus in cineres redactum, quod compulit pauperculas priſtinum pro refugio petere Caſtrum. Sed continuo ſagacitate, & œconomia Margaritæ de Bellis ex nobili familia de Prunay tunc Abbatiſſæ, præfatum Monaſterium, non tam reſtauratum, quam renovatum cernitur. Hujus Eccleſia, & ſi non dedicata, inſignis tamen manet, inſigniori fragmento capitis ſanctæ Firmidinæ, atque bona parte ſanctæ Crucis.

Wadd. ad ann. 1463. n. 147.

Mentia Martineſia.

Conv. Maſſiliæ.

Regeſt.

Mon. Pruvini. *Gonz. 3. p. Prov. Franc. Mon. 1.*

Barbara Columna. *Ibidem.*

Margarita de Bellis. *Ibidem.*

LVIII. At majorem jacturam infert Conventui Vilnenſi memorabile illud incendium, quod quum octavæ diei Dominici Corporis ſolemnia celebrarentur, infauſte contigit, quodque ad cineres uſque totam domum exarſit. Verum Sigiſmundi Auguſti Regis pietate ac juſſu, quum novæ conſtructioni darentur initia, graſſante ſæviſſima peſte, iterum Cœnobium deſolatum eſt, manſitque ita ad unionem uſque Provinciarum Lithuaniæ ac Poloniæ, quæ anno MDLXXVII. facta eſt.

Conv. Vilnæ.

LIX. In Indiis Occiduis Cœnobium ſanctæ Mariæ de Remediis Valdiviæ, Chilenſis Regionis, & Cuſtodiæ; nunc vero Provinciæ SS. Trinitatis, Civium publico ære, intra urbis mœnia conſtruitur; quod tamen, quum in anguſtiori loco eſſet, Fratribuſque non arrideret, a terræmotu an. MDLXXV. ſolo æquatum, ad commodiorem locum transfertur. Incolæ etiam Imperatoriæ Civitatis, & Caſtri, ſive Chiloe ejuſdem SS. Trinitatis Provinciæ ſub ſancti Franciſci auſpiciis, in eorum quique oppidis ſacras Minoritis domos ædi-

Conv. Valdiviæ. *Gonz. par 4. in Prov. SS. Trinit. Conv. 3. MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. n. 28. fol. 390.*

Conv. Imperatoriæ. Conv. Chiloe. *Gonz. cit. Conv. 7. & 8.*

ædificarunt, quarum in altera varias experta viciſſitudines, nunc qui præeſt, ſuppreſſo Guardiani titulo, illud dumtaxat præſidentis obtinet.

LX. Alia item Cœnobia his in Regionibus exſtructa ſunt, quorum tamen nos omnino latent initia. Quum etenim ibidem, rationibus, circumſtantiiſque ſic exigentibus, una vel altera ex religioſis domibus, etiam cæterorum religioſorum Ordinum, fuerit conſtructa, etiamque in dies ex indulto conſtruatur, Pontificis, Regiſque placitis non expectatis, accidit propterea, harum fundationum tempus nobis ignotum eſſe. Ad annos igitur, quibus ipſarum Provinciarum erectio contigit, eorundem Cœnobiorum meminere ſtatuimus, ne quidquam de iiſdem hoc in opere noſtro lector deſideret. Sed quia his temporibus Provinciæ ſancti Thomæ, ac ſancti Evangelii jam conſtitutæ extitere, de earumdem Domibus, ad annos elapſos vel dumtaxat indicatas, vel de quibus altum habetur ſilentium, hic ex Gonzaga, a quo fere ad verbum horum Cœnobiorum mutuati ſumus hiſtorias, eas libet ſubnectere.

Gonz. par. 4. in Provin. S. Thomæ Ind.

CŒNOBIA PROVINCIÆ S. THOMÆ INDIARUM,

Quorum fundationis præfixus annus latet.

Conv. Bacaimi. LXI. Conventus apud Bacaimum Civitatem a Fratribus tum ex regiis eleemoſynis, tum quoque ex aliis proprio labore acquiſitis ædificatus eſt. Conv. Damaonis. Conventus apud Damaonem Spiritui Conſolatori ſacer; & Conventus ſanctæ Conv. Chaul. Barbaræ de Chaul non procul ab urbe, qui ea in obſidione, quam Luſitani Milites ſub Gentili ejus Patriæ Rege ſtrenue viriliterque, non abſque maxima laude, ſuſtinuerunt, ad terram dejectus eſt. Sed ea ſoluta, atque pace inter Luſitanos, Gentileſque conſtituta: alter elegantiori forma, ſub eodem titulo, ex eleemoſynis undequaque collectis, ab iiſdem Fratribus conſtrui cœpit. Nec facile eſt percenſere quot incommoda, quotque difficultates præſata in obſidione tum Portugallenſes Milites, tum quoque Franciſcani Fratres per continuos octo menſes pertulerint. Illi quidem in abigendis hoſtibus propulſandiſque; iſti vero in corroborandis Chriſtianorum animis, eorumque vulneribus curandis, atque Sacramentis ſibi opportune miniſtrandis, donec tandem XV. hoſtium millibus ferro, igne, atque plumbeis glandibus e medio ſublatis, atque totidem peſtifera morte conſumtis, Gentilis Rex a Chriſtiano Portugallenſe milite pacem petere coactus eſt. Agebat eo temporis hujus loci Guardianum Joannes a Soria, de quo ſupra ad proprium annum egimus.

Joannes de Soria. *Ad ann. 1559. n. 1.*

Conv. Manarium. LXII. Ad quadrageſimum lapidem a Vaccarum inſula, & ad nonageſimum a Civitate Columbo in inſula Zeilamica non longe a mari, oppidum, quod *Manar* Indica lingua nuncupatur, ædificatum eſt. In eo igitur Luſitani poſt exſtructam munitionem, militiamque firmatam, Monaſteriolum ſive potius Oratorium Genitrici Dei Mariæ ſacrum, a fundamentis ad verticem uſque erigendum, atque octo Franciſcanis Fratribus conſtruendum curarunt. Præfati Fratres ex fidelium Piſcatorum, qui ab idolòlatria ad Chriſti fidem converſi ſunt, eleemoſynis pro majori parte nutriuntur. Allata fuit ex urbe Roma ad hujus Monaſterii Eccleſiam ſculptilis quædam ejuſdem Virginis imago, quæ miraculis corruſcat. Nam ingreſſa ſemel Gentilis Mulier, ſed ſterilis, cum, accenſa prius de Chriſtiano more cerea candela, ſe ex voto obligaſſet allaturam ſingulis Sabbatis oleum, atque candelam ad lumen conſovendum, ſi prolem ex viro conciperet, voti compos facta eſt: quum non ita poſt multum temporis ex ſterile fœcunda evaſerit, atque filium pepererit. Et alia mulier chriſtiana exſtinctam prolem cum præfatæ imagini devote obtuliſſet, eam vivam omnino atque incolumem recepit, domumque retulit. Plura & alia mira

mira Deiparæ meritis ad prædictam imaginem contigerunt, indieſque contingunt, quæ brevitatis ergo omittenda cenſuimus.

LXIII. Ad nonageſimum milliare a civitate Cochimio, in præfata ipſa Zeilamica Inſula, ac non longe a mari, atque etiam prope quandam pyramidem a beato Apoſtolo Thoma (ſi receptiſſimæ illius gentis traditioni fides adhibenda ſit) erectam, quæ & antiquioribus Indiæ Chriſtianis ea propter in maxima veneratione extitit, Minoritica hæc domus ab octo Fratribus frequentius inhabitata, ex diverſis eleemoſynis conſtructa cernitur, cui quædam Chriſtianorum neophitorum habitatio ad longum maris per ſex milliaria exporrecta adjacet. Ejus cura Fratribus incumbit. Conſtiterat olim non longe a Civitate Tamna prægrandis quædam piſcina, duodecim delubris (hæc *Pagodes* Indica lingua nuncupantur) circumdata, in qua olim Gentiles ſuperſtitioſo more Idolis ſacrificaturi ablui aſſueverant. His igitur delubris non abſque præſentiſſimo periculo, atque maximo labore demolitis, noſtri Sodales locum occupant, & ex eleemoſynis propria induſtria acquiſitis exædificari curant. Interim illud accidit, quod cum ſummum altare pro primo ſacro in ipſo beati Antonii natalis die faciendo quam elegantiſſime, atque pretioſiſſime exornaſſent, latrunculus quidam nimia cupiditate ductus quæque pretioſiora ſurripuit. Cumque portam, qua egredi poſſet, nullo pacto per totam noctem invenire potuiſſet, culpam ſummo mane agnoſcens, Fratribus ablata reſtituit, atque gloriam Deo, beatoque Antonio dedit. Hac in Civitate Tamna olim glorioſe pro Chriſti fide certarunt, atque illuſtri martyrio coronati ſuerunt Thomas a Tolentino, ac Jacobus Patavinus Sacerdotes, & Demetrius, atque Petrus Senenſis laici, quorum Waddingus, licet non ſemel, neque ſtricto calamo pluribus in locis meminerit, & præcipue ad annum, quo glorioſe ſubiere martyrium, de ſequenti tamen prodigio quum ſileat, noſtra hic intereſt, inſpecta opportunitate, illud ex authenticis monumentis narrare. Dum etenim circa annum MDLXXV. Maurus quidam ſuperſtitioſo more illo in anni, qui apud locum martyrii præterlabitur, pedes ablueret, Minoritam Crucem manu tenentem, atque pluribus cum hominibus viriliter ſub aquis confligentes ex inſperato conſpexit. Ea igitur viſione territus, quoſdam alios Mauros non longe inde diſtantes, ut factum cernerent, ad ſe vocavit. Illi vero nihil aliud ab aquis in ſanguinem converſis intuiti ſunt: indeque miſerum illum hominem fere exanimem educentes, eum ad manus domum retulerunt. Qui tandem narratis ex ordine omnibus a ſe viſis, animam Cacodæmonibus miſerrime tradidit.

Conv. Zeilamii. *Gonz. par. 4. in Prov. S. Th. Conv. 9.*

Conv. Tamnæ. *Gonz. par. 4. in Prov. S. Thomæ Conv. 10.*

Thomas de Tolentino, Jacobus Patavinus, Demetrius, & Petrus de Senis M.M. *Wadd. ad ann. 1275. n. 11. & alii.* Martyrum quoddi narratur prodigium. *MSS. auth. ex Arch. S. Iſid.*

LXIV. Duo item apud Goanam urbem conſtructa olim fuere pro Franciſcanis Cœnobia, unum in honorem S. Patris Franciſci intra mœnia ab illis priſcis Patribus, qui primi ex Portugallia ad Indos trajecerunt, tum ex inimicorum ſpoliis, tum etiam ex piis Luſitanorum eleemoſynis: Nec facile quis referre poſſet, quantum utilitatis, quantumque emolumenti iſtius patriæ accolis qui inibi morantur Fratres attulerint, quotque Gentiles, atque etiam Mauros ſuis prædicationibus atque admirabili exemplo ad Chriſti Salvatoris noſtri Fidem converterint. Hoc Goanum Cœnobium Lupus Vaſæus a S. Pelagio Luſitanus, qui olim Cocini præfecturam gerebat, novo tegulo operuiſſe Maffejus ſcribit. Alterum ſub ſanctiſſimæ Matris Dei auſpiciis, in quo Sodales ex Recollectorum familia commorantur, ex communibus, etiamque particularibus facultatibus non longius a muris Goenſibus ejus Senatus conſtruendum curavit, & ad victum atque amictum neceſſaria abundanter ſatis (pro religioſo tamen more) ingenti liberalitate atque maximo affectu miniſtrat.

Conv. Goæ ſancti Franciſci.

Maff. in hiſtoria Ind. lib. 9.

Conv. alter Goæ Matris Dei.

LXV. Præ-

Collegium trium Regum Bardiū.

LXV. Præter iſthæc duo Cœnobia, quum Alphonſus a Norunnia Indiarum Prorex collegium ſub titulo trium Regum ad Gentilium orphanos baptizandos, atque in Fide inſtruendos ad tertium lapidem a Goa præfata civitate, in umbroſa quadam atque amœna valle ex propriis facultatibus ædificare cœpiſſet, atque tam laudabile opus non numeris omnibus abſolutum relinquere coactus eſſet, hujus Provinciæ Fratres ipſum ex eleemoſynis undequaque acquiſitis abſolvendum perficiendumque curarunt. Præceperat Portugalliæ Rex Joannes, ne Gentilibus in ſua ditione commorantibus, Idolis quoquo modo ſacrificare permitteretur: præterea ut quotquot parvuli utroque Gentili parente orbati, qui nondum decimum quartum annum attigiſſent, invenirentur, hi omnes ad collegia adacti ſacro baptiſmate purificarentur, chriſtianiſque ritibus, cæremoniis atque documentis imbuerentur: quæ etiam de cauſa omnes redditus Gentilium delubris debitos præfatis collegiis mancipatos voluit. Minoritæ igitur, ut religioſiſſimi Regis voto ſatisfacerent, Idola comminuere, eorumque templa diruere cœperunt. Quod Gentiles ægerrime ferentes ex eis alios lapidarunt, alios vulnerarunt, & alios maximis opprobriis atque dicteriis laceſſerunt. Cumque minus proficerent, imo potius his injuriis ipſos Fratres ad inchoatum opus perficiendum magis magiſque allicerent, appoſuere, ut veneno in potionibus atque cibariis oblato, eos e medio tollerent. At Sodales minime territi, tamdiu cœptis inſtiterunt, quouſque ſuperata Gentilium pertinacia, omnibus Idolorum ædieulis ad terram dejectis, plurimiſque Eccleſiis eorum loco conſtructis, de ipſis glorioſum triumphum atque victoriam reportarunt. Aliæ inſuper ſex Eccleſiæ Parochiales erectæ in vico Goenſis diœceſis, qui de Bardibus nuncupatur, ſub Franciſcanorum cuſtodia, in quibus ſeptem ad minus Chriſtianorum millia diebus feſtivis ſacris interfuturi conveniebant. Hiſque quamplurimi alii Gentiles ſolerti Fratrum opera atque ſerventi prædicatione ad Chriſti fidem converſi in dies jungebantur.

Aliæ ſex Eccleſiæ Parochiales erectæ.

LXVI. Bacaimica civitate, ejuſque territorio a Luſitano milite viriliter expugnatis, adfuere ſtatim quinque Franciſcani, qui juxta Portugalliæ Regis mandatum, Gentilibus illis ſubactis, Chriſti fidem prædicarent; Idolorum Templa demolirentur, atque Eccleſias erigerent. Qua tamen in re ingentes moleſtias, etiamque verbera, ad ſanguinis uſque effuſionem, a Barbaris perpeſſi ſunt. Quæ tamen omnia maxima virtute ingentique conſtantia ſuperantes, non prius a propoſito deſtiterunt, quam profligatis omnibus ſuperſtitioſis tum Gentilium, tum quoque Maurorum purificationibus, lotionibus, atque cæremoniis; & conventum in præfata civitate Bacaimica, atque alias quamplurimas Eccleſias tum ex regio ærario, tum quoque ex delubrorum redditibus atque bonis conſtruxerint. Erecto itaque Bacaimico Monaſterio, egregius MinoritaAntonius Portuenſis, qui ſcientia atque verbo pollebat, quique in convertendis Bacaimicis maxime inſudavit, Salſetanam inſulam ad nonum milliare a Bacaimo diſtantem petiit, inventumque Bracmanem ſive Gentilem ſacrificulum, qui delubrum quoddam ædificandæ Eccleſiæ accomodatum inhabitabat, optimeque apud Infideles audiebat, ſua doctrina, exhortatione atque exemplo ad Chriſti fidem convertit, atque per Baptiſmum regeneravit. Inſuper & ejus ædiculam, exſtirpatis Idolis, exteriſque abominationibus e medio ſublatis, Eccleſiam in honorem Dominæ noſtræ de Pietate conſecravit, ibique quatuor erectis ſacellis, collegium, in quo frequentius centum orphani utroque Gentili parente orbati in chriſtiana doctrina inſtruuntur, ex regiis facultatibus annexuit. Nec facile erit referre quantum utilitatis, quantumque emolumenti miſerrimæ illi patriæ ex hujuſmodi collegio obvenerit. Cum

Conv. Bacaimi. Antonius Portuenſis.

Collegium Salſetanum.

ejus

Anno Christi 1560.	Pii IV. anno 1.	Ferdinandi I. Imp. anno 3.	Religionis Minorum anno 353.

ejus causa Oppidum quoddam e regione constructum sit, in eoque duo neophytorum Christianorum millia, quorum conversio Fratribus tribuenda venit, sub maxima disciplina atque Christiana pietate manerent; & quamplurimi alii tum Gentiles tum quoque Mauri ad tertium inde lapidem tentoria fixerint, ac tandem a Fratribus baptizati, pulcherrimum atque amœnissimum Oppidum, simul atque Ecclesiam ædificarint, ad quam, statis temporibus, devotionis ergo, tamquam ad eorum matricem atque principem conversi Populi confluunt. Duæ tamen ex iisdem Ecclesiis Patribus Jesuitis, Francisco Gonzaga Ordinem gubernante, a nostris ex Regis mandato concessæ sunt, (quibus etiam exinde fere universa Collegia concessa, eas forte ob rationes & causas, quas ad aliud propositum eloquentissimus Maffejus sequenti narratione in medium affert: *E Franciscana Familia Fratres, cum domicilium in India pridem constitutum haberent, essentque amplificandæ Religionis Christianæ percupidi, tamen quotidiana psalmodia, funeribusque & cæteris diurnis pariter ac nocturnis cæremoniis impediti, satis otii non soli nequaquam suppeditare poterant peregrinationi, catechismo aliisque muneribus, quæ ad conversionem gentium & curationem & cultum haud dubie requiruntur*) Ab hac Salsetana Insula ad sextum lapidem altera Insula emergit, cui nomen *Charangia* est, in qua & consimile collegium Fratres nostri ex regiis facultatibus ædificarunt, atque ad mille & quingentos Gentiles sacro Baptismate ibidem abluerunt. Horum filii, si eos utroque parente orbari contigisset, ad quadraginta numero præfato in collegio in omni pietate, christiana disciplina atque morum gravitate, tum ex regio ærario, tum quoque ex redditibus, quibus olim Idolorum templa, atque eorum sacrificuli potiebantur, sub duobus Didascalis Fratribus apprime educabantur. Ex his parvulis cum primum ad adultam ætatem perveniissent, eorum indole desiderioque attenti, alii ad sacros Ordines, alii ad alia erant, omni adhibita sedulitate, destinati.

Patribus Jesuitis a Sodalibus nostris duo Templa concessa.

Maff. hist. Ind. lib. 12. in init.

Collegium Cerangiæ.

LXVII. Seminarii hujusce fundatorem putamus ipsum Vincentium (*de Lacu* Continuator appellat) Cathechistam egregium, quem in socium sibi assumsit non semel memoratus a Waddingo, a Continuatore & a nobis Joannes Alburquerquius, anno MDXXXVII. creatus Goanus Antistes (cujus propterea historiam non erat cur P. idem Continuator, ordine chronologico inverso, repeteret, iisdem a Maffejo mutuatis verbis, & tacito Auctoris nomine, ut assolet, dum luculentam refert rerum Indicarum cum Franciscanis ut plurimum minime cohærentem notitiam.) Hic ergo vir eximius, Vincentius nimirum, anno MDXLVI. Collegium huic non absimile Cranganore fundavit, ut apud eumdem Continuatorem Lector videre poterit. Idem judicium esto de Collegiis Zeilamico & Aquazaimico. In Insula namque Zeilamica tum ex regiis proventibus, tum ex eleemosynis Fratrum solertia acquisitis domus exstructa, quæ ab iisdem tribus vel quatuor plerunque inhabitatur Sodalibus. Hi septuaginta juvenculis ex utriusque parentis morte orphanis relictis, aliisque Christianorum filiis in cantu, in christiana doctrina, atque in grammaticali arte instruendis die noctuque vacabant; ut tandem sic edocti atque ad maturam ætatem perventi, sacris ordinibus initiari, atque Parochialibus Ecclesiis, Neophito illi populo in spiritualibus consulturi, præfici potuissent. Item ad nonum lapidem a Baccaimica civitate in quodam Maurorum atque Gentilium Oppido, cui Indica lingua *Aquazaim* nomen est, Portugalliæ Regis liberalitate atque sumtibus Collegium alterum ædificatum est, in quo quadraginta Orphani sub uno vel altero Franciscano supra recensitis regulis orphani adolescentes instruebantur. Contigit autem, quod cum Fratres, atque reliquus Christianus Populus, & hoc Collegium, atque ipsum Oppidum Zamaluci Regis Gentilis iram declinaturi deseruissent, atque ad tutiora loca divertissent,

Vide sup. ad annum 1556. n. IV. Wadd. ad ann. 1537. n. XXIII. Tom. XVIII. ad ann. 1546. num. CIX. Ibidem CXXXV. & alibi.

Collegium Zeilamicum.

Collegium Aquazaimicum.

ſent, Mauri ejus milites Neophitos quatuor Chriſtianos comprehenſos, plurimis propoſitis præmiis atque minis ad Chriſti fidem negandam, atque impiam Mahumetanam legem aſſumendam pro virihus cohortati ſunt. At illi conſtantiſſime omnia aſpernantes, glorioſam potius mortem quam ignominioſam vitam elegerunt. Quapropter ad penetraliora Eccleſiæ, quæ tunc ſtraminea erat, adacti, a vorante flamma, Maurorum opera, ita ſtudio excitata, ſimul cum univerſo ædificio abſumti atque glorioſo Martyrio coronati ſuere. Frequentatur mirum in modum locus hic a bis mille Chriſtianis nuper ab Idololatria ad Chriſti fidem converſis, atque præfati Oppidi Aquazaim accolis. Et hæc quidem de hujus Provinciæ Conventibus atque Collegiis. Alias habet præterea hæc ipſa Provincia domos, diverſis in locis maritimis conſtitutas, in quibus ſingulis ſinguli commorantur Fratres, qui Gentiles ſive Mauros ſi qua ſunt nuper ad fidem converſos ſuis prædicationibus atque adhortationibus in fide confirmant, alioſque ad catholicam Eccleſiam venientes baptizant, Chriſtianorum catalogo aſcribunt, atque vicinioribus populis Sacramenta miniſtrant.

Alia Domus Provinciæ S. Thomæ.

CŒNOBIA PROVINCLÆ SANCTI EVANGELII.

Wadd. ad ann. 1529. n. 42. Gonz. in Provin. S. Evangeli Conven. 2. Wadding. n. 43. ad ann. 1525. n. 35. & alibi.

LXVIII. Apud etiam occiduos Indos, multiplicatis Sodalibus, neceſſum item fuit, ait Waddingus, multiplicari Cœnobia, quapropter, ea præter ad Provinciam ſancti Evangelii pertinentia tam virorum quam mulierum de quibus ſtatis temporibus idem Waddingus ex Gonzaga, vel ædificata fuiſſe ſcribit, vel aliter de iiſdem plenam mentionem facit, noſtra intereſt, ex ſuperius recenſitis cauſis, etiam ſequentium, quorum fundationis præfixum tempus Scriptores rerum noſtrarum latet, hiſtorias ex memorato Gonzaga fere ad verbum referre: Mille igitur paſſibus (ſic idem Gonzaga ſcribit) a Mexicano Cœnobio, aliud ſub *ſancti Jacobi* nomine, in pergrandi Indorum Oppido, Tlatilulco nuncupato, reperitur. Huic Conventui contigue ædificatum eſt ſanctæ Crucis Collegium, in quo Indorum liberi legere, ſcribere & grammaticam edocentur: cujus cura Religioſo cuidam demandata eſt. Rex vero eſt Patronus. Adſunt Collegio redditus ad ſolvendum Magiſtris, cæteriſ Miniſtris: non tamen quicquam propter hujuſmodi adminiſtrationem & labores Religioſi unquam accepere. Tribus paſſuum millibus a Mexicana urbe, Occidentem verſus, aliud Minorum Cœnobium eſt ſancti Gabrielis *Tlacubæ* nomine, ubi Religioſi, & eorum duo Concionatores ſunt, qui fideliter Indis verbum Dei proponunt, & Sacramenta devote miniſtrant. Duabus a Mexicano leucis inter Aquilonem & Occidentem in Indorum oppido nomine *Tlalnepantla* Monaſterium eſt nomine *Corporis Chriſti*, in quo Religioſi & eorum duo Concionatores cum maximo Indorum profectu commorantur. Tribus a Mexico leucis, Aquilonem verſus, in Indorum oppido, cui nomen *Ecatepec*, Conventus alius eſt, nomine *ſancti Chriſtophori*, in quo Religioſi ſunt, quorum alter eſt officio Concionator, qui accolis verbum Dei proponit. Xuchimilcum Civitas quædam Indorum eſt inter Orientem & Meridiem, leucis quatuor a Mexico diſtans, in qua Conventus alter a Fratribus, quorum major pars Grammaticæ dat operam, inhabitatus, nomine *ſancti Bernardini* ædificatus eſt. In hoc Conventu os quoddam e brachio ſancti Sebaſtiani reperitur, Roma a quodam Mexicano nomine *Hieronymo Vido* allatum. In oppido Milpa, Xuchimilco quo ad temporalia ſubjecto, Conventus Minorum eſt *Aſſumptionis beatæ Virginis* nomine, in quo Sacerdotes Sodales & eorum duo Concionatores commorantur. Ejus accolis verbum ſalutis cum ingenti fructu e ſuggeſtu proponunt. Diſtat Milpa oppidum a Xuchimilco Meridiem verſus ſex paſſuum millibus. Oppidum eſt Xuchimilco quoque in temporalibus ſubjectum,

Conv. Tlatilulci.

Collegium ſanctæ Crucis ibi fundatum.

Conv. Tlacubæ.

Conv. de Tlalnepantla.

Conv. de Ecatepec.

Conv. Xuchmilci.

Conv. Milpæ.

jectum, inter Meridiem & Orientem nomine *Tecomicium*, in quo alter Conventus a duobus tantum religioſiſſimis Fratribus cultus & inhabitatus ſub invocatione B. P. Antonii de Padua conſtructus eſt. Hi Patres Indis Sacramenta Eccleſiæ adminiſtrant. Chaleoatengum Indorum Oppidum eſt viginti a Mexico milliariis orientem verſus, eoque terra atque aqua pergi poteſt. Minoritico huic Conventui *ſancti Jacobi* nomen eſt, duoque tantum Franciſcani Sacerdotes incolæ ſunt. Conventus Tlalmanalci, quum citatus Waddingus meminerit, hic ejuſdem non repetenda narratio, a quo tamen oppido, Aquilonem verſus, aliud Chiajuhtla ſexquimilliariis diſtat, ubi noſtrum Cœnobium ſub *ſancti Andreæ Apoſtoli* invocatione erectum eſt. Eadem prorſus intercapedo inter Vexutlam Indorum oppidum, ſed a meridiei parte, & Tetzeucum intercedit, quæ & inter idem Tetzcucum, & Chiauhtlan, qua etiam de cauſa Minoriticus Conventus in ſancti Ludovici Toloſani Epiſcopi memoriam ibidem conſtructus, a quatuor tantum Fratribus incolitur. Ad tertium lapidem a præfato oppido Tetzcuco eundo verſus meridiem, Coathlicanis Indorum Oppidum occurrit, & Oppidanorum numero, & Minoritico Conventu, ſancto Archangelo Michaeli ſacro, & a quatuor Fratribus culto, inſigne. In oppido Calpulalpa, quod a ſolis Indis inhabitatum, ad vigeſimum primum lapidem a Tetzcuco Civitate orientem verſus diſtat, Conventus ex Oppidanorum facultatibus in ſanctorum Simonis & Judæ Apoſtolorum honorem erectus, & a duobus Patribus Franciſcanis officio Prædicatoribus cultus inhabitatuſque cernitur. Teutiocanis Indorum oppidum eſt, diſtatque Mexico celebri Civitate XVIII. millibus PP.; inſuper & Minoritico Conventu in Dominici Præcurſoris honorem, Oppidanorum ſumtibus erecto, & a quatuor Fratribus inhabitato honeſtatur: qui verbum ſalutis eis fideliter proponunt. Mexico egreſſis, procedentibuſque ab oriente, aquilonem verſus, ad vigeſimumquartum lapidem a præfata Civitate Mexico Indorum Oppidum, Otumba nomine, atque Minoritico Conventu, Conceptioni Dei Genitricis Mariæ dicato, inſuper & a quatuor Fratribus, qui eis Eccleſiæ Sacramenta adminiſtrant, culto, inſigne occurrit. Ad novem milliaria a proxime præcedenti Oppido Otumba, a Mexico vero ad viginti tria, Tepepulcum Indorum Oppidum eſt, quod Franciſcanum Monaſterium Seraphico Patri Franciſco dicatum, & a quatuor Fratribus frequentius cultum, ſupra modum commendatiſſimum reddit. Fuit hujuſmodi Monaſterium Oppidanorum ſumtibus ædificatum. Apenienſes, ne in his quæ ad propriam ſalutem aſſequendam conducere videbantur vel in minimo a Tepepulcanis, a quibus ſex tantum milliaribus diſtant, ſuperarentur, ut primum catholicæ Fidei nomen dederunt, Monaſterium Aſſumtioni beatæ Virginis ſacrum, Apæ, quod commune illis oppidum erat, ex publicis facultatibus conſtruendum curarunt. Commorantur frequentius hoc in loco quatuor Fratres.

Conv. Tecomicii.

Conv. Calcoatengi.

Conv. Tlalmanalci. *Wadd. ad ann. 1529. n. XIII.*

Conv. de Chiajuhtla.

Conv. Vexutlæ.

Conv. Coathlicanis.

Conv. Calpulalpæ.

Conv. Teutiocanis.

Conv. Otumbæ.

Conv. Tepepulci.

Conv. Apæ.

LXIX. Quod Tulantzingo, non vulgare Oppidum, atque L. paſſuum millibus Mexico diſtans, ab Hiſpanis atque Indis mixtim inhabitatur. Conventus communibus utriuſque nationis ſumtibus, in Divi Joannis Baptiſtæ honorem, intra ejus ambitum olim erectus, a quinque Fratribus incolitur. Mortem obiit hoc in Conventu religioſiſſimus Pater Ferdinandus Baſſarius, natione Gallus, ac Provinciæ Aquitaniæ alumnus, qui ex Hiſpania cum Patre Antonio de Ciudad Rodrigo anno a Chriſti Nativitate MDXXX. ad has partes trajiciens, cum ſingulari quadam doctrina præſtantique ingenio præditus eſſet, infra breviſſimi temporis ſpatium indicum idioma, in quo & varios ſermones, epiſtolas & Evangelia in Eccleſia per totum annum legi ſolita feliciſſime tranſtulit, apprime didicit. Fuit præterea inſignis hic vir ſui ſtatus obſervan-

Conv. Tulantzingi.

Ferdinandus Baſſarius. *Gonz. cit. Barett. lib. 5. cap. 23. Rapin. de orig. Recollect. Decad. 7. p. 3.*

tiſſimus, ac in Evangelicæ prædicationis officio aſſiduus: inſuper & Indos oppidi Quauthilanis accolas, apud quos Guardianatus munere functus extitit, primus omnium concinere docuit. Indorum etiam de novo ad Fidem converſorum, ne interim in Idololatriam relaberentur, tantam geſſit curam, tamque ſevere eorum exceſſus corripuit correxitque, ut apud aliquos ſeveritatis notam incurrerit, cum alioquin mitiſſimus benigniſſimuſque eſſet. Ex vita nihilominus emigrans, ab omnibus ob ſingulares ejus dotes inculpatamque vitam Deo carus vereque pius habitus eſt.

Conv. Tultitlanis.

Tultitlanis Oppidum, XII. millibus PP. intra aquilonem & occidentem Mexico diſtans, a ſolis Indis inhabitatur, Monaſterio Divo Martyri Laurentio ſacrato, & a tribus Fratribus Minoritis culto religioſe ſatis exornatur.

Conv. Quauhtitlanis.

Ut primum Quauhtitlanici, expugnato per ſtrenuum heroem ae militiæ ducem Ferdinandum Corteſium Mexico, pacem ac otium aſſequuti ſunt, quicquid Idolorum apud eos erat confringentes, Monaſterium beati Patris Bonaventuræ ſacrum, intra Quauhtitlanis communis Oppidi mœnia communibus ſumtibus ædificandum curarunt. Diſtat antem Quauhtitlanis Mexico XII. millibus PP.: ſed Tultitlano (de quo ſtatim ſuperius) M. tantum: ſimulque & ab Indis & ab Hiſpanis inhabitatur. Commorantur frequentius hoc in Conventu quatuor Fratres Franciſcani.

Conv. Tepecxicii.

Tepecxicium oppidum, quod & nomine ſancti Franciſci de Fluvio appellatur, ad ſolos Indos ſpectat, diſtatque Mexico XXX. milliariis vel circiter; inſuper & Franciſcano Monaſterio, Seraphico Patri Franciſco dicato, quod a quatuor Fratribus, qui in rebus ſpiritum concernentibus eis adſunt, incolitur, mirum in modum honeſtatur.

Conv. Tulla.

Statim ut Tullani, noſtris Fratribus id maxime procurantibus, catholicam Fidem amplexati ſunt, omnia Idola apud ſe olim erecta confringenda, eorum delubra igni tradenda, atque Conventum in ſancti Joſephi honorem, & a quatuor Religioſis plerumque inhabitatum, ex publicis facultatibus ædificandum curarunt. Eſt autem Tulla non vulgare tum Hiſpanorum, tum quoque Indorum Oppidum, diſtatque Mexico XXXVI. millibus PP.

Chriſtophorus Zamorenſis. *Baret. lib. 5. cap. 5.*

In Templo hujus Cœnobii tumulatus eſt Chriſtophorus Zamorenſis, cujus tanta fuit humilitas, ut Minoriticum ſuſcepturus habitum in Angelorum Provincia, ab hujus Miniſtro interrogatus quiſnam eſſet, & unde originem duceret? parentum ſuorum nobilitatem abſconderit; qua etiam de cauſa repulſum ab eo paſſus eſt. Nec tamen ea propter eam detegere voluit: ſed vir ipſe nobilis, ac Leonoræ Gallorum Reginæ, Caroli V. Germanorum Imperatoris, ac Hiſpaniæ Regis uterinæ ſororis olim Pincerna, inſuper & divitiis potens, ruſtico ſub palliolo latens, ac pauperrimi miſellique hominis formam præſeferens, ſancti Gabrielis Provinciam petiit, ubi tandem votum aſſequutus, Chriſtophorus a Zamora, cum alias Chriſtophorus Romero appellaretur, nuncupari voluit. Cumque in paupertate, oratione, abſtinentia ac cæteris demum virtutibus mirum in modum profeciſſet, infidelium Indorum ſalutem maxime ſitiens, ad has partes, in quibus quicquam ſibi vitæ reſiduum fuit, id totum in excolenda Domini vinea conſumſit, ac maximam tandem ſanctitatis opinionem, ob morum candorem perfectiſſimamque paupertatem aſſequutus, hoc ipſo in loco in Domino obdormivit, ad quem Superioris facultate trajecit. Cum eodem jacet Petrus de Caſtello, cujus acta ad annum MDLXVII., Deo favente, narrabimus.

Petrus de Caſtello.

Conv. Tepetitlanis.

LXX. Quamvis Tepetitlanis oppidum ſex millibus PP. Tulla diſtans, atque a ſolis Indis inhabitatum, nec magnitudine præſtet, nec divitiis abundet; nihilominus tamen hunc apud ſe Conventum, ſub Apoſtoli Bartholomæi auſpiciis, atque a tribus Religioſis inhabitatum, ex communi ære a fundamentis ad verticem uſque ædificatum voluit. Quæ præcedunt oppida Mexi-

xicana utuntur lingua, quæ vero ſequuntur pro majori parte Otomica, quæ ſane difficillima eſt. Intra Otomica vero oppida principem obtinet locum Xilotepecum XL. mille PP. intercapedine a Mexico ſejunctum, a ſolis Indis inhabitatum: cujus accolæ Monaſterium a quatuor Fratribus habitandum in Apoſtoli Petri honorem communibus ex facultatibus ædificari curarunt. Reddituri Veichiapani Fratribus noſtris ob Catholicam fidem, plurimaque alia beneficia ab eis recepta debitas gratiarum actiones, illis Conventum in Matthei Apoſtoli, atque Evangeliſtæ honorem, communibus ſumtibus conſtruxerunt. Diſtat Veichiapa Indorum oppidum Mexico LX. millibus PP. ſubeſtque in temporalibus Xilotepeciano Senatui, quatuorque Religioſos hujus loci accolas omni proſequitur beneficio, omnique humanitate, qui ſpiritualibus temporalia rependunt. Paret quoque, prout & proxime præcedens, Alvexujucanis Indorum oppidum LX. etiam millibus PP. Mexico diſtans, Xilotepeciano Senatui in temporalibus; Minoriticumque Conventum in ſancti Martini Turonenſium Epiſcopi honorem apud ſe ædificatum, & a tribus Fratribus Franciſcanis habitatum habet. Sechu oppidum C. millibus PP. Mexico diſtans ad Indos Chichimecas, (de quibus aliquando inferius Deo favente) attinet, Minoriticoque hoc Conventu ſub ſancti Joannis Baptiſtæ nomine, & a tribus Fratribus culto honeſtatur. Quia vero hujuſmodi Chichimicæ clato, atque ad rebelliones parato animo præditi ſunt, nec ſemper eadem in ſententia perſiſtunt, non contemnendum imminet Fratribus hunc locum inhabitantibus periculum.

Conv. Xilotepecii.

Conv. Veichiapæ.

Conv. Alvexujucanis.

Conv. Sechu.

LXXI. Cinacantepecium Otomienſium oppidum, atque ad tertium lapidem Tulvia diſtans, cum in Fratres noſtros ſumma ferretur benevolentia, illis Monaſterium Archangeli Michaelis a tribus Religioſis inhabitatum, ex publicis facultatibus intra ſui ambitum a fundamentis ad verticem uſque ædificari voluit. Metepecium Matlatzingenſium oppidum eſt, & in moribus, & in lingua, atque etiam in cultu a proxime præcedenti differt. Diſtat ſiquidem Mexico XXIV. milliariis tantum, utiturque Matlatzingico idiomate ab Otomienſi omnino diverſo, atque peculiares veſtes in amictu admittit. Convenit tamen ſecum & in religione & in pietate. Nam ad primum Fratrum noſtrorum adventum, atque primam eorum prædicationem, orthodoxam fidem amplexatum eſt, atque Conventum ſancti Joannis Baptiſtæ apud ſe ædificari curavit. Commorantur frequentius hoc in loco III. religioſiſſimi Franciſcani Fratres. Collimajenſes, ne Metepecianis ingratiores erga Fratres noſtros, a quibus Catholicam Fidem, rectumque vivendi modum acceperant, haberentur, illis Monaſterium in SS. Petri & Pauli Apoſtolorum honorem Callimajæ in ſuo oppido, quod diſtat Mexico XXX. millibus PP. erigi, perficique a fundamentis ad verticem uſque curarunt. Inhabitatur frequentius hic Conventus a tribus Religioſis. Mexico celebri Civitate in Caroli V. Germanorum Imperatoris poteſtatem ſecundo redacta, paceque omnibus in gyro populis reſtituta, id maxime noſtri Fratres curarunt, ut in ſingulis, tum Indorum, tum quoque Hiſpanorum oppidis atque Civitatibus, comminutis idolis, Monaſteria erigerentur: eoque factum eſt, ut & Quauhnaoacii, indice *Quauhnaoac*, hic Conventus, qui, & a ſex Fratribus plerumque incolitur, in Annunciationis glorioſiſſimæ Virginis honorem conſtructus ſit. Mortem obiere præfato hoc in Conventu præſtantiſſimi duo Religioſi vita inſignes, atque Religione ſpectabiles, quorum alteri Franciſcus Simbron, alteri vero Ferdinandus a Leiva nomen extitit, quorum acta ad ſuum annum narrabimus.

Conv. Cinacantepecii.

Conv. Metepecii.

Conv. Callimajæ.

Conv. Quauhnaoacii.

Franciſcus Simbron. Ferdinandus de Leiva.

LXXII. Quod oppidum Xiuhtepecium, a Quauhnaoac, cui in temporalibus ſubeſt, tribus tantum millibus PP. diſtans, non adeo pinguiorem ſortu-

Conv. Xiuhtepecii.

nam nactum ſit Cooventus S. Jacobi Apoſtoli ex publicis oppidanorum facultatibus in eo erectus, a tribus ſolummodo Franciſcanis Fratribus inhabitatur,
Conv. Tuchmilcii. incoliturque. Conventus in Aſſumtionis beatæ Virginis honorem Tuchmilcii, quod Indorum oppidum eſt, atque Mexicano utitur idiomate, erectus, & a tribus Religioſis inhabitatus. Hic eum præcedentibus Archiepiſcopatus Mexicani finibus clauditur, circumſcribiturque: alii vero, qui ſequuntur, Tlaxcallanicum ad Epiſcopatum attinent.
Conv. Populæ de Angelis. Popula de Angelis inclyta civitas ab Hiſpanis inhabitatur, eſtque Epiſcopali Sede inſignis, diſtatque Mexico potentiſſima urbe orientem verſus ad LXVI. millia PP. Inſuper & Minoritico hoc Conventu, quem & XL. Fratres ſat commode inhabitant, & Philoſophiæ ſtudium comeodatiſſimam reddit, & plurium religioſorum
Al ann. 1560. n. 190. patrum (de quibus ad ſuos annos) funus ſupra modum exornat, non ita vulgariter honeſtatur. Inter eos vero Patres, qui hoc in loco deceſſerunt primus extitit Martinus Sarmiento Epiſcopus, de quo ſuo loco dignam memoriam
Conv. Totomioacanis. feçimus. Conventus Totomioacanis, quod oppidulum eſt a paucis Indis inhabitatum, tribuſque millibus PP. a Popula de Angelis diſtatus, in honorem ſancti Franciſci ex diverſis oppidanorum facultatibus, juxta eorum exigentiam conſtructus eſt, qui a duobus tantum Fratribus inhabitatur, & hi in omni eventu ſpirituali illis adſunt.

Conv. Tlaxcallæ. LXXIII. Tlaxcalla perampla Civitas eſt, atque Tlaxcallenſis Provinciæ
Wadd. ad ann. 1529. §. 42. Metropolis, quamplura Indorum oppida ſibi ſubjecta habens. Intra cujus ambitum Cœnobium Aſſumtionis Virginis (cujus etiam Waddingus licet non quantum ſatis, meminit) poſtquam Mexicum a ſtrenuo illo Hiſpanici exercitus Imperatore Ferdinando Corteſio ſecundo expugnatum fuit, ex diverſis devictorum ſpoliis, atque ex piis civium eleemoſynis exſtructum eſt, in quo commorantur X. Fratres, quorum tres ſacras ſaluberrimaſque ad populum conciones habent. Sunt a proxime præcedenti Conventu in Tlaxcallenſi Provincia & alii novem diverſis in oppidis erecti, quorum primus eſt is,
Conv. Tutullæ. qui ſub invocatione ſancti Joannis Baptiſtæ in oppido Tutulla, ad mille tantum paſſus a Civitate Tlaxcalla conſtructus ex diverſis piorum oppidanorum eleemoſynis perſeverat, & a duobus Fratribus incolitur. Secundus vero ejuſdem Tlaxcallenſis Provinciæ Conventus eſt is, qui in Apoſtoli Philippi
Conv. Cuixtlæ. honorem Cuixtlæ, quod Indorum oppidum eſt, VI. M. PP. a præfata Civitate Tlaxcalla occidentem verſus diſtans, ex Tlaxcallenſium communibus ſumtibus ædificatus, & a duobus Religioſis officio Prædicatoribus inhabitatus conſpicitur. Spectat quoque ad eandem Tlaxcallenſem Provinciam id oppidum, quod VI. millibus PP. a Tlaxcalla Civitate diſtans, interque meri-
Conv. Nativitatis Matris D. I. diem, & occidentem ſitum Nativitatis beatæ Virginis nomine appellatur, ac præſenti Conveotu ex oppidanorum facultatibus olim conſtructo, & a duobus Fratribus plerunque inhabitato, gaudet. Divinæ laudis, & gloriæ cauſa
Conv. Vejutlypanis. Vejutlypanenſes Monaſterium, in ſancti Idelphonſi honorem, intra Vejutlypanis oppidi, quod XII. millibus PP. a Tlaxcalla diſtat, mœnia, communibus quoque ſumtibus, atque laboribus a fundamentis erexerunt, perfeceruntque. Inhabitatur vero præfatum hoc Monaſterium a II. Religioſis.
Conv. Topojanci. Conventus Topojanci, quod Tlaxcallenſis Provinciæ & ipſum oppidum eſt, diſtatque Tlaxcalla III. PP. millibus, in ſancti Franciſci memoriam ædificatum extitit, & a II. Fratribus inhabitatur. *Hic quidam Indus*, ait Gonzaga, *de novo ad fidem converſus, qui Fratres noſtros in ſanctæ Agathæ pago, non longe a Topojanco diſtante humaniſſimo hoſpitio excipere aſſueverat, graviſſimam cum in infirmitatem incidiſſet, factus in exſtaſim, coactum vidit judicium: cui cum judicandus præſentaretur, a pluribus Dæmonibus ad tartara*

Cujuſdam Indi vilum Gonzaga narrat. *Idem in Prov. S. Ev. Conv. 45.*

tara deducendus invaditur; quibus cum aliquot Angeli reſiſterent, ſupervenit ſanctus Jacobus Apoſtolus, cui ille devotiſſimus a ſui converſione fuerat, qui eum, fugatis Dæmonibus, a tanto diſcrimine liberavit. Hic tandem Indus in ſe converſus, quæ ſibi in ea mentis alienatione contigerant, tum Fratribus, tum cæteris indigenis ex ordine narrans, in cauſa extitit, ut quamplures ex illis Barbaris de novo ad fidem converſi idololatriæ, ac dæmoniacis ſuperſtitionibus, quibus immerſi (licet occulte) adhuc tenebantur, vale omnino dicerent, chriſtianiſque præceptis a Fratribus noſtris ſibi traditis firmius adhærerent, conſentirentque. Sibi conſcii ejus oppidi, quod ſanctæ Annæ nuncupatur, diſtatque VI. milliaribus, orientem verſus, a Tlaxealla, accolæ quantum utilitatis, cæteris Indis ex Fratrum noſtrorum conſortio obveniſſet inſpicientes, hic etiam illis Conventum, quem eorum duo ſat commode inhabitarent apud ſe erectum voluere, a quibus ſpiritualia bona recipiunt. Conv. Oppidi S. Annæ.

LXXIV. Atlivetæenſes apud ſe noſtris Fratribus Monaſterium Conceptioni Virginis ſacrum erigendum curarunt. Eſt autem Atlivetza Tlaxcallenſe oppidum, & inter aquilonem, & occidentem ſitum, ad quintum lapidem tantum a Tlaxcalla Metropoli diſtat. Inhabitatur interim hoc Monaſterium a II. ſolummodo Fratribus. Impulſi hujus Provinciæ Fratres ſingulari quadam benevolentia & pietate, qua in miſeros hujus Religionis indigenas ferebantur, ne interim miſerrime a Dæmone deluſi, deceptique perirent, Conventum ſub ſancti Ludovici Toloſani invocatione, Quamantlæ, quod Tlaxcallenſis Provinciæ oppidum eſt, diſtatque a Tlaxcalla XV. millibus PP. ex publicis tamen oppidanorum ſumtibus ædificari, perficique fecerunt, quatenus decem Religioſi, quorum pars infidelium converſioni incumberet, reliqua vero patrium idioma addiſceret, in eo commode habitare, ac commorari poſſent. Suam erga Fratres noſtros benevolentiam, atque recepta ob beneficia gratitudinem commendaturi Atlancatepeciani, iiſdem Conventum in ſancti Joannis Baptiſtæ memoriam, Atlancatepecii, quod Tlaxcallenſis ejuſdem Provinciæ oppidum eſt, diſtatque a Tlaxcalla Metropoli, aquilonem verſus XVI. M. PP. ex publicis facultatibus ædificatum voluere: inſuper, & II. Fratres ejus accolas omni humanitate, ac in omni eventu obſequio, ſpiritualibus temporalia beneficia rependentes, proſequuntur. Cacatlanicos in catholica Fide ſibi a noſtris Fratribus ante L. annos tradita, impræſentiarum uſque perſeveraſſe, teſtis eſt Conventus in ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli memoriam Cacatlanis, quod non vulgare oppidum eſt, diſtatque Mexico aquilonem verſus LV. millibus PP. erectus, & a III. Religioſis inhabitatus. Cholulla unum eſt ex nobilioribus Indorum novæ totius Hiſpaniæ oppidis, diſtatque ab Angelorum Popula, cujus ſupra meminimus, occidentem verſus quinque milliariis, intra cujus ſepta Conventus, Archangeli Gabrielis a XXIV. Fratribus, quorum major pars latinis incumbit litteris, inhabitatus, communibus oppidanorum ſumtibus in ipſa prima catholicæ fidei prædicatione ædificatus extitit. Conv. Atlivetæ. Conv. Quamantlæ. Conv. Atlancatepecii. Conv. Cacatlanis. Conv. Cholullæ.

LXXV. Mirum eſt quanto conatu, Gonzaga proſequitur, Dæmon laboraverit, ne Indi Regionis iſtius indigenæ catholicam fidem ſuſciperent, quouſque ululatus, dum Idola, in quibus ab eis colebantur, comminuerentur, ediderint; quibuſque artificiis, ut tandem noſtri Fratres hujuſmodi comminutionis authores maſtarentur, exterminarenturque uſi fuerint. Quod vel hinc ſaltem conjectare licet. Nam curantibus præfatis Fratribus, ut aliquot Indi hinc inde diſperſi ſimul congregarentur, conſtruerentque humano more oppidum, quatenus ſic ſimul juncti facilius edoceri, feliciuſque in catholica fide inſtrui poſſent; *Auditæ ſunt*, ait Gonzaga, *iteratæ quædam, eæque* Conv. Vexotzingi.

eæque mæſtiſſime voces ajentes. Proh dolor, ecce auferuntur a nobis. Quod ut primum Fratribus innotuit, curarunt ii, idque diligentiſſime, ut Conventus ſub ſancti Michaelis cœleſtis militiæ Principis invocatione, qui olim draconem ejuſque ſequaces cœleſtibus e ſedibus deturbavit, Vexotzingi, quod nobiliſſimum Indorum oppidum eſt, diſtatque a præfato oppido Popula verſus Occidentem XII. millibus PP. ex publicis ejus habitatorum facultatibus conſtrueretur. Inhabitatur præfatus hic Conventus a VI. Religioſis, qui eis in omni ſpirituali eventu adſunt. Atlixcum, ſive Acapetlaocanis oppidum XIII. millibus PP. a præfato oppido Popula diſtat, mixtimque tum ab Hiſpanis, tum quoque ab Indis inhabitatur. Inſuper, & duplici Eccleſia, ſæculari ſcilicet, atque regulari cohoneſtatur. Illa tamen, ſæcularis nempe, a Parocho, qui Hiſpanorum gerit curam, incolitur: iſta vero, regularis videlicet, utrorumque oppidanorum ſumtibus olim ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu ædificata, a IV. Franciſcanis Fratribus, qui Indos catholicam docent Fidem inhabitatur. Ad XV. lapidem a præfato oppido Popula Mexicum verſus Calpa plurium Indorum oppidum occurrit, cujus mœnibus noſter Conventus divi Andreæ Apoſtolo ex publicis oppidanorum ſumtibus olim erectus, & a III. Fratribus inhabitatus extitit. Cupientibus noſtris Fratribus Quauhquechulæ, quod mediocre Indorum oppidum eſt, diſtatque a præfato oppido Popula, idque meridiem verſus, XVIII. milliariis, commorari, adfuere ſtatim ejus proceres, qui Conventum in ſancti Martini memoriam illis ex publicis facultatibus ædificandum curarunt. Convivunt frequentius præfato hoc in Conventu IV. Religioſi, qui illis Sacramenta miniſtrant. Plurimum valuiſſe apud Amozocianos noſtrorum Fratrum authoritatem. Licet enim ii pauperes eſſent, nec ita multi (eſt enim Amozocium parvum, tenuequeque Indorum oppidum IX. milliariis a præfato oppido Popula orientem verſus diſtans) inſuper & ab Idolorum Sacerdotibus ſub diris comminationibus, ne id facerent, prohiberentur, nullo tamen pacto impediri potuerunt, quominus Conventum, Aſſumtioni beatæ Virginis ſacrum, & a III. Fratribus impræſentiarum inhabitatum, illis erigerent, conſtruerentque. Metuentes noſtri Fratres ne Quauhtincha mediocre Indorum oppidum, XII. millibus PP. a præfato oppido Popula diſtans, ſuſceptam fidem catholicam, ſe aliquando abſentibus, deſereret, atque in idololatriam relaberetur, apud ſe Conventum ſub Dominici Præcurſoris nomine, & a II. Fratribus inhabitatum, ex publicis facultatibus a fundamentis ad verticem uſque ædificatum voluere. Idem omnino metus effecit, ut præfati Fratres etiam Conventum D. Jacobo Apoſtolo ſacrum, & a III. Religioſis cultum Tecallis, quod Indorum oppidum eſt, diſtatque a præfato oppido Popula XV. millibus PP. ex publicis facultatibus conſtruerent.

Conv. Atlixci, ſive Acapetlaocanis.

Conv. Calpæ.

Conv. Quauhquechulæ.

Conv. Amozocii.

Conv. Quauhtinchæ.

Conv. Tecallis.

Conv. Tepejacaci.

LXXVI. Tepejacacum oppidum XVIII. millibus PP. a præmemorato oppido Popula, orientem verſus diſtans, cum ab Indis, tum quoque ab Hiſpanis occupatur, Conventu, ex utrorumque oppidanorum facultatibus in Seraphici P. Franciſci honorem conſtructo, & a V. Religioſis inhabitato, cohoneſtatur, condecoraturque. Ut quam orthodoxam Fidem Acatzingani Fratribus noſtris prædicantibus imbiberant, elapſa ætate retinerent, nulloque pacto vomitum, idololatriam ſcilicet, repeterent, Conventum D. Joanni Evangeliſtæ ſacrum, Acatzingi, quod Indorum ſolummodo oppidum eſt, diſtatque Popula, cujus ſuperius mentionem aliquando fecimus, XXIV. milliariis, ædificatum, & a III. Religioſis, quorum duo ſacras ad Populum conciones haberent, ſacramentaque Eccleſiaſtica miniſtrarent, habitatum hujus Provinciæ Patres voluere. Diſtat oppidum ſancti Thomæ de Agatzingo IX. millibus

Conv. Acatzingi.

Conven. oppidi ſancti Thomæ de Acatzingo.

libus pp. ab Agatzingo etiam Indorum oppido, cujus proxime præcedenti loco: eſtque ſatis tenue, nec ita magnum; ideoque Conventus, ſub ſancti Apoſtoli Thomæ nomine in eo conſtructus a II. tantum Fratribus, a quibus moribus & doctrina ſana imbuuntur, inhabitatur. Eſt Quechulacum Indorum oppidum, diſtatque ab Angelorum Popula orientem verſus xxx. millibus pp.: quod cum Catholicam Fidem a noſtris Fratribus ſibi prædicatam ſuſcepiſſet, illis Monaſterium Mariæ Magdalenæ ex publicis facultatibus ædificandum curavit. Inhabitatur autem præfatum hoc Monaſterium a III. Religioſis, quos oppidani magno animi affectu & obſervantia proſequuntur. Conventus in Aſſumtionis B. Virginis honorem Tecamachalci, quod inſigne oppidum tum ab Hiſpanis, tum quoque ab Indis inhabitatur, diſtatque meridiem verſus ab oppido Popula xxvii. milliariis, erectus eſt, quem IV. Fratres inhabitant. Cum Teocanicos Minoritici unius apud ſe ædificatio Conventus ad quandam immortalitatis ſpem raperet, illud Conceptioni Mariæ ſacrum, & a IV. Fratribus incultum, ut primum ſibi ab hujus Provinciæ Patribus conceſſum extitit, intra communis oppidi mœnia a fundamentis ad apicem uſque conſtruendum abſolvendumque curarunt. Facturi ſedulo, quæ hujus Provinciæ Patres velle ſciebant, Xalapani Conventum, Dominicæ Nativitati dicatum, & a IV. Fratribus frequentius cultum, ſtatim poſt acceptam ab eis catholicam Fidem, Xalapæ, quod magnum ſatis oppidum eſt, diſtatque ab Angelorum Popula c. milliariis, vel circiter, communibus ſumtibus ædificari, perficique fecerunt. Mortem obiit hoc in Conventu ſepultuſque eſt religioſiſſimus Franciſcus Marquina Provinciæ Cantabriæ Alumnus, de quo ſuo loco egimus.

Conv. Queculaci.

Conv. Tecamacalci.

Conv. Teocacinici.

Conv. Xalapæ.

Franciſcus Marquina. *Ad ann.* 1558. n. XI.

LXXVII. Veracrux inſigne Hiſpaniarum oppidum xv. a celebri Portu ſancti Joannis de Ulva milliariis diſtat, interque cætera ædificia apud ſe erecta continuit & Conventum ſancto Franciſco ſacrum, & a IV. Fratribus cultum: qui ejuſdem eſt cum ipſo oppido ætatis. Ultimum hac in Provincia locum obtinet Conventus, qui ſub ſancti Franciſci invocatione Habanæ, quæ Inſula Cubæ oppidum eſt, maritimo, tutoque portu inſigne, diſtatque a Portu ſancti Joannis de Ulva dcccc. milliariis, erectus conſpicitur, quique a IV. Fratribus inhabitatur. Qui ſane Conventus, ſi ejus fundationis ratio habeatur, multo antiquior eſt quamplurimis aliis ſe præcedentibus: nihilominus tamen quod ex Provincia Hiſpaniola, ſive ſancti Dominici, cui pluribus ſubjacuit annis, legitimis ex cauſis, de patrum conſenſu obvenerit; ideo ſexageſimus ſeptimus, ac ultimus ſibi locus contigit.

Conv. Veræ Crucis.

Conv. Habana.

LXXVIII. Eſt etiam hac in Provincia a præcedentibus Fratrum Conventibus quoddam Urbaniſtarum Sororum Clariſſarum Monaſterium Mexici erectum, de quo ſuo loco Waddingus, qui etiam alia ſive indicat, ſive deſcribit harum Regionum Cœnobia. Annectuntur ſimiliter huic Provinciæ duæ Cuſtodiæ, ait Gonzaga, quarum altera ſancti Salvatoris, altera vero ſancti Franciſci nomine nuncupatur. Illa tamen, ſancti Salvatoris ſcilicet, ea in ampliſſima Regione, quæ *Guaſeca*, ſive *Pannuco* dicitur conſtituta, ex VI. Cœnobiis conſtat. De quibus nihilominus Conventibus nihil aliud memoria dignum habemus, præter acta felicemque tranſitum pientiſſimi ſodalis Andreæ de Olmos in altero Cœnobio, Sampicano videlicet, vita functi. Porro Cuſtodia S Franciſci Zacatecas diſtat aquilonem verſus a Mexico ccxl. milliariis, & protenditur verſus eumdem aquilonem ad alia fere d. milliaria, conſtatque ex x. Fratrum Conventibus, quorum nomina deſiderantur.

Monaſt. Mexici. *Wadd. ad ann.* 1529. n. 42.

Cuſtodiæ SS. Salvatoris, & ſancti Franciſci.

Andreas de Olmos

Conv. Sampicanus.

LXXIX. Hæc de Cœnobiis ſancti Thomæ, atque ſancti Evangelii Provinciarum, quæ ad elapſos annos erectæ fuerant, a Gonzaga fere ad verbum MSS. etiam

etiam harum Provinciarum adhærentes, mutuati ſumus. Ad ſequentes autem annos quemadmodum pollicebamur, de iis ſermo fiet ad illas Indiarum cæteras Provincias pertinentibus, quando de earundem Provinciarum inſtitutione ſermonem facere occurret.

Privilegia, & conceſſiones. *Reg. Ciſm. fol.* 199.

Confirmatio Cóceſſionis Franciſcanis Feſulanum conceſſæ.

Privilegium PP. Capuccinorũ cõfirmatum.

Clariſſas a ſolutione decimarum abſolvit.

Regeſt.

Generali Miniſtro quædam facultates.

Roderic. Tom. 2. in Privil. Pont. Pii IV.

LXXX. Confirmat hoc anno Pontifex quandam terræ portionis venditionem Franciſcanis Feſulis commorantibus factam a Cathedrali Capitulo. *Exponi curarunt* &c. v. Maji. Confirmat item PP. Capuccinis privilegia quæcumque a Clemente VII. & Paulo III. indulta, quibus illud præterea additum eſt, ne cuiquam, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto incurrenda, non ſolum Capuccinorum habitum & caputium, juxta Pauli III. decretum geſtare, verum nec ita ſimilem, ut pro Capuccino haberi queat, præferre liceat: *In nomine SS. & individuæ Trinitatis* &c. *Paſtoralis officii* &c. IV. *nonas Aprilis*. Clariſſas a ſolutione decimarum, atque Gabellarum eximit: *De ſtatu Eccleſiarum* &c. *nonis Aprilis*. Facultatem largitur Generali Miniſtro, ut cum deſcendentibus a Judæis, Hæreticis &c. circa munus prædicationis, confeſſionis &c. diſpenſare poſſit, Cardinali Carpenſe teſtante per ſequentes litteras: *Nos Rodulphus Pius, Epiſcopus Portuenſis, S. R. E. Cardinalis de Carpo, omnibus & ſinguiis has præſentes litteras inſpecturis, & viſuris, fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter Sanctus D. N. D. Pius, divina providentia Papa IV. ad plenum per nos, uti Protectorem totius Ordinis, & Religionis ſancti Franciſci informatus, quod fel. rec. Paulus Papa IV. per ſuas in forma Brevis litteras, ſtatuit, & ordinavit, quod de cætero nullus, qui Hæreticus, aut Judæus, ſeu a Judæis, aut Hæreticis, quorum parentes, aut progenitores paterni ſeu materni, viventes ſeu defuncti, uſque ad quartam generationem incluſive, Hæretici declarati, & ut tales condemnati, ac illi, ſeu illorum corpora & oſſa, vel ſtatuæ, igni traditæ fuerint, originem traherent, ſi tempore datæ dictarum litterarum inter Fratres totius dicti Ordinis ſancti Franciſci, aliqui ex prædictis reperirentur, etiamſi fuiſſent ſufficienter diſpenſati, ut beneficia & officia Eccleſiaſtica, & dignitates obtinere & exercere poſſent, in Miniſtrum Generalem, ſeu quemcumque alium Commiſſarium, aut Guardianum, ſeu Prædicatorem, etiamſi alias ſolitus fuerit ad hujuſmodi officium eligi & aſſumi, poſſit eligi, recipi & aſſumi, neque dicta officia & munus prædicationis exercere valeat, ſub certis inibi ſtatutis pœnis, prout latius in dictis litteris in forma Brevis continetur. Nobis uti Protector hujuſmodi exponentibus, piures etiam ex prædictis, ut ſupra a Judæis & Hæreticis originem trahentes in dicto Ordine ſancti Franciſci reperire, quos non eſſet inconveniens, & ſaluti etiam animarum expediret, ut ad munus prædicationis admittere, & in hoc, inſtantibus & petentibus, vivæ vocis oraculo conceſſit & indulſit, quod de cætero Generalis Miniſter dicti Ordinis poſſit, non obſtantibus dictis litteris ſel. rec. Pauli, concedere licentiam, & diſpenſationem prædictis Fratribus dicti Ordinis, a Judæis & Hæreticis, ut præfertur, uſque ad quartam generationem, originem trahentibus, ſeu eorum aliquibus, quibus dicto Generali Miniſtro viſum fuerit, ut munus prædicationis eis per prædictas litteras prohibitum, ubi & quando, & pro tempore, & totiès quoties dicto Generali Miniſtro viſum fuerit, exercere poſſint. Atque etiam idem Generalis Miniſter poteſtatem, & authoritatem habeat interdicendi prædictis, ut ſupra a dictis Judæis, & Hæreticis originem trahentibus, vel aliquibus eorum, quando & quoties ei viſum fuerit, munus & exercitium audiendi ſacramentales Confeſſiones. In quorum omnium, & in ſingulorum fidem & teſtimonium, has præſentes manu noſtra ſubſcriptas, fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, Sigillique noſtri juſſimus, & fe-*

& fecimus appenſione muniri. Datum Romæ in ædibus noſtris, ſub anno a Nativitate Domini MDLX. *die vero* XXIV. *menſis Martii, Pontificatus ejuſd. SS. D. N. anno primo.* Præcipit etiam eidem Generali Miniſtro ne per cruciatam, aut alia confeſſionalia Fratres poſſint confiteri abſque ſuorum Prælatorum facultate; neque Moniales conſentire, ut mulieres earum Monaſteria ingrediantur: *Exponi nobis &c.* x. *Julii.* Quænam fuerit olim diſſidiorum origo inter PP. Conventuales, & Obſervantes in Galliarum Regno, & quomodo exin non diu poſt fuerit exoptata inita pax, Waddingus ad ſua loca luculenter oſtendit. Agebatur namque de Conventualium Cœnobiorum per Obſervantes reformatione, & quod, Rege Franciſco I. potiſſimum inſtigante, iiſdem Obſervantibus deinceps ſubjicierentur. His autem temporibus, in Provincia ſancti Ludovici præcipue, contentione recrudeſcente, ad eamdem radicitus evellendam Pontifici viſum eſt ſuo Diplomate x. *Julii*, ne Conventuales poſſint ſubjici FF. Minoribus de Obſervantia declarare. Ferdinando de Armellones Pervanæ Provinciæ ex Miniſtro ſupplicante, pleraque vivæ vocis oraculo privilegia concedit, de quibus extat in Regeſtis Ultramontanæ Familiæ memoria, ut etiam Rodericus affirmat; quod videlicet in Pervanis regionibus Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi ex Balſamo Indiaco illarum partium, Chriſma, & Oleum ſacrum conficere, & conſecrare poſſint, quia *in Provincia del Peru ſuppetit ſufficiens copia Balſami Orientalis.* Item pro omnibus Chriſtifidelibus in illis partibus, ſemel tantum Indulgentiam plenariam, die & anno Prælato ejuſdem Provinciæ viſis, confeſſis & contritis &c. Eccleſiis & Monaſteriis dictæ Provinciæ conceſſit. Demum eidem Ferdinando de Armellones, ac omnibus & ſingulis Provincialibus dicti Ordinis ſancti Franciſci illarum partium pro tempore exiſtentibus, omnes illas indulgentias, gratias, & immunitates, & privilegia, & prærogativas conceſſit & indulſit, quæ F. Dominico de ſancto Thoma Ordinis ſancti Dominici, ejuſque Provincialibus, Prioribus, Præpoſitis, ac ipſi Ordini ſancti Dominici, cum ad Romanam curiam venit, per fœl. rec. Paulum Papam IV. conceſſa fuerunt, & indulta. Ne autem horum privilegiorum, atque indultorum notionis lectori deſiderium relinquamus, illas exſcribere ex iiſdem Ordinis Regeſtis litteras teſtimoniales libet, quas Michael Cardinalis Ghislerius qui dein Pius V. S. M. ſummus Pontifex extitit, & in SS. Album adſcriptus, ad perpetuam rei memoriam dedit, ſuntque ſequentes.

Fratres nequeant abſque ſuorum Prælatorum facultate Confeſſiones audire, & Moniales in Monaſteriis mulieres introducere. *Wadd. ad ann. 1512. num. XVI. 1513. n. 1.*

Arch. ſecret. Vat. Ex Regeſt. Brev. num. 297. Pii IV. ann. 1560. Tom. 16. n. 74. Ferdinandus de Armellones. *Roderic. cit.*

Regeſt. Ultram.

Alia Privilegia Indis elargita.

Roderic. cit.

Card. Alexandrini testimonia.

LXXXI. *Michael Ghislerius divina miſeratione tituli ſanctæ Mariæ ſupra Minervam S. R. E. Presbyter Cardinalis Alexandrinus vulgariter nuncupatus &c. Univerſis &c. fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter ſanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Paulus divina providentia PP. IV. animadvertens, quos, quantoſque labores Fratres ejuſdem Ordinis Prædicatorum pro Religione noſtra dilatanda in Provinciis ſanctæ Crucis Hiſpaniolæ, & ſancti Jacobi in Nova Hiſpania, ac ſancti Vincentii de Ciappa, & ſancti Joannis Baptiſtæ del Peru, ac ſancti Antonii de novo Regno Granatenſi, omnibuſque aliis Provinciis, Inſulis & locis Maris Oceani, ac etiam Auſtralis, carumque diſtrictibus nunc inventis ſuſceperint, quoſque fructus tum prædicatione Evangelii, tum adminiſtratione Sacramentorum Infideles ad fidem Orthodoxam convertendo hactenus ſeminaverint, nunc que & impoſterum tam in inventis, quam pro tempore inveniendis incredibili ardore, ac ſolertia ſeminare procurent, & ſperent conſideratis. Idem Sanctiſſimus quum*

Ex Regeſt. Ultramont. ad ann. 1557.

ſit æquum hujuſmodi fidei noſtræ propagatores debita charitate, prout paſtorali officio incumbit proſequi & adamare, quo eorum animi merito ad exaltationem divini cultus in dies magis attendant, & ut orthodoxa Fides prædicatione evangelica, Sacrorumque adminiſtrantium numerus magis in dies creſcat, & adaugeatur inter Infideles, & noviter converſos. Motu proprio per ſuum vivæ vocis oraculum nobis deſuper factum omnia & ſinguia privilegia eiſdem Fratribus per quoſcumque ſummos Romanos Pontifices ejus prædeceſſores quomodolibet conceſſa & confirmata, & præſertim quod poſſint omnia Sacramenta Infidelibus, & noviter converſis miniſtrare, Apoſtolica auctoritate denuo roboravit, conceſſit & confirmavit; non obſtantibus in contrarium facien. quibuſcumque. In quorum fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas per noſtrum infraſcriptum Secretarium ſubſcribi, noſtrique ſoliti Sigilii fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ habitationis in Sac. Palatio Apoſtolico, die IV. *Junii anni* MDLVII. *Pontificatus ejuſdem SS. D. N. D. Pauli PP. IV. anno* III.

Ex eodem ad ann. 1558.

LXXXII. *Michael Ghiſlerius &c. Univerſis & ſingulis has litteras noſtras præſentes viſuris, audituris, vel earum notitiam quomodolibet habituris fidem facimus &c. qualiter hodie Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Paulus divina providentia* PP. IV. *ad conſervationem, & obſervantiam vitæ regularis Fratrum Ordinis Prædicatorum in Indiis novis, & maxime in Provincia ſancti Joannis Baptiſtæ in Regnis dei Peru, vivæ vocis oraculo ad præſentiam noſtram revocavit, caſſavit & annullavit omnes & ſingulas conceſſiones, licentias, vel exemptiones quacumque authoritate Apoſtolica, etiam per ſacram Pœnitentiariam vel quomodolibet obtentas ſeu conceſſas quibuſcumque Fratribus dicti Ordinis in eiſdem Provinciis pro tempore degentibus, vel ad illas in futurum euntibus quomodolibet, ſive pro ſe, ſeu parentibus, vel conſanguineis ſuis, aut amicis etiam eleemoſynariis, vel quomodocumque pecuniis, ſeu aliis rebus acquirendis, ac ſuper omnibus aliis & ſingulis licentiis, ut ſupra habitis, per quas vitæ, & Obſervantiæ Regularis ſuperiorum judicio derogetur. Etiam quod hujuſmodi licentiæ eſſent ampliſſimis, fortioribus, & derogatioribus derogatoriis, & de quibus, & de earum tenore facienda eſſet ſpecialis & ſpecifica mentio, non autem per litteras generales, non obſtantibus in contrarium quibuſcumque. In quorum fidem &c. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ habitationis in ſacro Palatio Apoſtolico, die* X. *Septembris* MDLVIII. *Pontificatus prælibati SSmi D. N. D. Pauli PP. IV. anno quarto.*

Ex eodem ad ann. 1558.

LXXXIII. *Michael Ghiſlerius &c. univerſis omnibus & ſingulis has noſtras litteras viſuris, audituris, vel earum notitiam quomodolibet habituris fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Paulus divina providentia Papa IV. ſibi conſtito, damnum ingens ac incommodum Ordini præfato apud Infideles & noviter converſos, & etiam alios Chriſtifideles in Provinciis ſanctæ Crucis Hiſpaniolæ, ac ſancti Jacobi in nova Hiſpania, & ſancti Vincentii de Chiappa, & ſancti Joannis Baptiſtæ del Perù, & ſancti Antonii de novo Regno Granaten. omnibuſque aliis Provinciis, Indiis, Locis & Inſulis Occidentalibus, & Maris Auſtralis inventis & inveniendis, eorumque diſtrictibus, ex eo orbi poſſe, quia nonnulli Fratres dicti Ordinis Prædicatorum, ſub prætextu privilegiorum, tam per litteras ſacræ Pœnitentiariæ, quam alias quaſcumque litteras Apoſtolicas eis conceſſas, Ordinis ſui habit. retent. in partibus illis per varia loca libere vagantur, ſeu vagari in antea præſumant, ab obedientia Ordinis ſui, Superiorumque & Prælatorum ſuorum exempti, eo quod partim Pœnitentiarios, partim Prothonotarios Apoſtolicos, partim accolitos Capellanos, partim Cameræ Apoſto-*

ſtolicæ debitorum Collectores ſeu Subdelectores, partim ſocios Prælatorum, partim aliis exemptionibus fulcitos eſſe jactent & reſpondeant, ſeu jactare & reſpondere poſſint. Volens idem Sanctiſſimus D. N. hujuſmoni incommodo mederi, omneſque hujuſmodi Fratres ſic vagantes & in antea vagaturos ad veram Religionis normam ac debitam obedientiam Ordinis & Superiorum ac Prælatorum ſuorum reducere, ne latius eorum libertas in perniciem & detrimentum aliorum ſerpat, per ſuæ vivæ vocis oraculum nobis deſuper factum, omnes & ſingulas gratias, conceſſiones, mandata, indulta, privilegia, libertates & immunitates vigore quarumvis litterarum Apoſtolicarum per ſuam Sanctitatem, aut per Prædeceſſores ſuos quoſcumque, tam ſub plumbo quam in forma Brevis, aut a ſacra Pœnitentiaria emanatorum; & ſpecialiter litteras conceſſas fratri Franciſco Lopez alias de Gonzaga, ac fratri Petro de Sanctamaria, & quaſcumque alias litteras quibusvis aliis Fratribus dicti Ordinis in Indiis, Inſulis, Provinciis & locis præfatis conſiſtentibus, vel ad ea quomodolibet pro tempore euntibus, per quas quovis modo eorumdem Superiorum judicio derogetur ſeu impediri aut in aliquo diminui & ledere poſſit quocumque nomine nuncupat. deſuper conceſſas & concedendas hodie in omnibus & per omnia revocavit, caſſavit & annullavit, etiamſi litteræ hujuſmodi ſint cum clauſulis ampliſſimis, fortioribus & inſolitis, & derogatores derogatoriis, & de quibus earumque totis tenoribus facienda eſſet de verbo ad verbum ſpecialis ac ſpecifica mentio, non autem per litteras generales; adſtringens eoſdem & vagantes Fratres, ut ad obedientiam Ordinis ſui redeant, Superiorumque & Prælatorum ſuorum præceptis pareant & obediant, nullo privilegiorum aut exemptionum ſe arguimento aliquo modo excuſantes; alias declaravit idem Sanctiſſimus D. N. quod dicti Superiores & Prælati eos ad obedientiam compellere & aſtringere poſſint & valeant modo & forma eis bene viſis, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus in contrarium quibuſcumque. In quorum fidem præſentes fieri, & per infraſcriptum Secretarium noſtrum ſubſcribi, noſtrique ſigilli appenſione muniri, & propria manu ſubſcripſimus. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ habitationis in ſacro Palatio Apoſtolico die XX. *Octobris* MDLVIII. *Pontificatus præfati Sanctiſſimi D. N. Pauli divina providentia Papæ IV. anno* IV.

LXXXIV. *Michael Ghislerius &c. univerſis omnibus & ſingulis has noſtras præſentes litteras viſuris, audituris, vel eurum notitiam quomodolibet habituris fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter hodie Sanctiſſimus in Chriſto Pater & D. N. D. divina providentia Paulus Papa IV., ob conſervationem & obſervantiam vitæ regularis Fratrum Ordinis Prædicatorum in Provinciis ſanctæ Crucis Inſulæ Hiſpaniolæ, & ſancti Jacobi in nova Hiſpania, & ſancti Joannis Baptiſtæ del Perù, & ſancti Vincentii de Chiappa, & ſancti Antonii de novo Regno Granaten., omnibuſque aliis Provinciis, locis, Inſulis & Indiis novis maris Oceani & Auſtralis inventis & inveniendis, eorumque diſtrictibus, ſuæ vivæ vocis oraculo ad præſentiam noſtram revocavit, caſſavit & annullavit omnes & ſingulas conceſſiones, licentias vel exemptiones, quacumque auctoritate Apoſtolica ſub plumbo, vel in forma Brevis a ſua Sanctitate vel ſuis Prædeceſſoribus, ſeu a ſacra Pœnitentiaria, aut aliàs quomodolibet obtentas & conceſſas, ac obtinendas & concedendas quibuſcumque Fratribus dicti Ordinis in eiſdem Provinciis, locis, Inſulis & Indiis nunc & pro tempore degentibus, vel illuc in futurum quomodolibet euntibus, ſeu pro ſe ſeu parentibus, vel conſanguineis ſuis aut amicis etiam eleemoſynalib. vel quomodolibet pecuniis ſeu aliis rebus acquirendis, & ſuper omnibus aliis & ſingulis licentiis ut ſupra habitis, per quas vitæ & obſervantiæ regularis Su-*

Ex eodem ad annum 1558.

periorum judicio derogetur; & quod hujuſmodi licentiæ ſint cum clauſulis ampliſſimis, fortioribus & inſolitis, & derogatores derogatoriis, & de quibus earumque totis tenoribus facienda eſſet de verbo ad verbum expreſſa, ſpecialis & ſpecifica mentio, non autem per litteras generales, non obſtantibus in contrarium quibuſcumque. In quorum fidem præſentes fieri, & per infraſcriptum Secretarium noſtrum ſubſcribi, noſtrique ſigilli appenſione communiri mandavimus. In ſacro Palatio Apoſtolico die XX. *Octobris anni* MDLVIII. *Pontificatus præfati Sanctiſſimi* D. N. D. *Pauli Papæ IV. anno* IV.

Ex eodem ad annum 1558.

LXXXV. *Michael Ghiſlerius &c. fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter Sanctiſſimus in Chriſto Pater & D. N. D. Paulus divina providentia Papa IV. animadvertens quanta cum difficultate mortales ab aſſuetis deſiſtant, quamque multi ab antiquis temporibus in conſuetudinem & uſum receptis recedant, ſibique a fidedignis clariſſimum eſſe, Indos Indiani maris Oceani & Auſtralis, & præſertim Regni del Perù, plures vices feſtos ex antiquiſſimis ritibus variis anni temporibus, & præcipue cum ſegetes ſuas ſerunt ac metunt, partim in honorem Solis, partim Idolorum ſuorum multifarie celebrare, itaut difficillimum ſit, plures ex illis ad fidem noſtram orthodoxam jam converſos ab hujuſmodi ſuperſtitioſa damnabilique obſervantia feſtorum hujuſmodi celebratione retrahi; volens Idem Sanctiſſimus* D. N. *juxta Romanæ Eccleſiæ morem, ad ſuave jugum Chriſti ſuaviter ducere, & tanquam parvulos lacte nutrire, conſuetoſque ſuos Solis & Idolorum damnabiles ritus paulatim ſupprimere, omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis cæteriſque Eccleſiarum Prælatis Indiarum maris Oceani & Auſtralis inventarum & inveniendarum cuilibet in ſua diœceſi, prædictos dies feſtos, quos prædicti Indi noviter converſi in fidelitate ſua in honorem Solis & Idolorum ſuorum celebrare ſoliti erant, veri Solis Chriſti cognitionem in honorem ipſius Chriſti ac illius Genitricis & Sanctorum ſuorum, prout ipſis melius expedire videbitur, commutare, motu proprio per ſuæ vivæ vocis oraculum hodie nobis deſuper factum, licentiam & facultatem integram & plenariam conceſſit & indulſit de gratia ſpeciali, ita ut dies qui ab Infidelibus ante Creatoris & Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti cognitionem in honorem Solis & Idolorum ſuorum, juxta eorum ritus celebrantur, poſt eorum converſionem conſueta ſolemnitate in Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, aut ejus Genitricis Mariæ, vel Sanctorum ſuorum, prout ipſis melius videbitur, commutandi, motu proprio per ſuæ vivæ vocis oraculum hodie nobis deſuper factum, licentiam & facultatem integram & plenariam conceſſit & indulſit de gratia ſpeciali, ita ut dies, qui ab Infidelibus ante Creatoris & Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti cognitionem in honorem Solis & Idolorum ſuorum, juxta eorum ritus celebrabant, poſt eorum converſionem, ſervata ſolemnitate, in Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, aut ejus Genitricis Mariæ, vel Sanctorum ſuorum honorem & gloriam in futurum debitis cultu & honore religioſe celebrentur. Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. In quorum fidem præſentes litteras manu noſtra propria ſubſcriptas, & ſigilli noſtri appenſione munitas fieri fecimus, ac per Secretarium noſtrum ſubſcribi mandavimus. Datum Romæ &c. ſub anno a Nativitate Domini* MDLVIII. *die vero* XXVIII. *menſis Novembris, Pontificatus præfati Sanctiſſimi* D. N. D. *Pauli Papæ IV. anno* IV.

Ex eodem ad ann. 1558.

LXXXVI. *Michael Ghiſlerius &c. fidem facimus, & in verbo veritatis atteſtamur, qualiter Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. N. D. Paulus divina providentia Papa IV. conſiderans ſollicitudinem & diligentiam, quam F. Dominicus de S. Thoma ejuſdem Ordinis in Evangelii prædicationem inter Infideles, & noviter converſos Indiarum Maris Oceani, & Auſtralis, & præ-*

præſertim novi Orbis del Peru nuncupati, inſudando adhibuerit, eorumdem Infidelium idioma ſumma cura, ſummoque labore non ſolum addiſcendo, verum etiam ſolerti vigilantia illud ad artem reducendo, ut alii facilius id addiſcentes ad Evangelii prædicationem citius accingerentur, Sacramentaque Infidelibus, & noviter converſis earumdem Regionum commodius adminiſtrarent, nullis propterea laboribus & periculis parcens, animarum proximorum Infidelium ſaluti conſulendo. Attendens inſuper idem SS. D. N. præfatum fratrem Dominicum animum revertendi ad prædictarum Indiarum partes gratia incæpta proſequendi habere, animadverteníque, regiones illas diſtantibus in locis a Sede Apoſtolica ſitas eſſe, plurimoſque & varios caſus & eventus ſæpiſſime evenire, propter quæ Sedes Apoſtolica foret merito conſulenda, non ſine magno animarum periculo. Volens idem Sanctiſſimus paterno affectu huic incommodo aliqualiter providere, dictum fratrem Dominicum ad conſimilia opera proſequenda vehementius inflammare, alioſque illius exemplo ad exaltationem Chriſti vexilli excitare, motu proprio ſuæ vivæ vocis oraculo nobis hodie deſuper facto, eidem fratri Dominico, ut quoſcumque ad ſe venientes cujuſque gradus, ſtatus, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis fuerint, in præfatis Indiarum partibus inventarum, & inveniendarum, a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiæ ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſeu quibus quomodolibet innodati extiterint, nec non a quibuſcumque eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, etiam ſi talia ſint, propter quæ Sedes Apoſtolica merito foret conſulenda; & de reſervatis etiam in Bulla Cœnæ Domini legi conſuetis, & eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere, ac ſuper quacumque irregularitate quavis cauſa, vel occaſione contracta, tam quibuſvis perſonis in foro conſcientiæ dumtaxat, abſolvere, & diſpenſare. Vota vero quæcumque ultramarin. viſitationis liminum Apoſtolorum beatorum Petri & Pauli de Urbe, Caſtitatis, & Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare; ac inſuper cum Incolis Regionum illarum ſuper tertio, & ulterioribus conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradibus occultis, ac etiam in impedimento publice contract. ſi qui forſan reperti fuerint, in matrimonia contracto libere & licite permanere valeant, diſpenſare, eoſque qui ſic contraxerint a quibuſcumque cenſuris, quibus ob id innodati extiterint, abſolvendi; cum naturalibus autem Regionum earumdem, etiam ſuper ſecundo affinitatis gradu in matrimonio contracto, dummodo impedimenta prædicta ſint, & in foro conſcientiæ tantum, nec non eorum idololatras, ſi qui (quod abſit) reperti fuerint, ad unionem Eccleſiarum, prævia abjuratione per eoſdem facienda, recipere & abſolvere. Cum illis vero, qui poſt ſimplex votum caſtitatis, & religionis contraxerunt, dummodo profeſſi non ſint, ut debitum conjugale exigere poſſint miſericorditer authoritate Apoſtolica in partibus illis ſupradictis diſpenſare poſsit & valeat, eidem fratri Dominico conceſſit & indulſit de gratia ſpeciali, in contrarium facientibus non obſtan. quibuſcumque. In quorum præmiſſorum fidem & teſtimonium præſentes litteras manu noſtra ſubſcriptas, per Secretarium noſtrum infraſcriptum exinde fieri, & ſubſcribi mandavimus, ſigilliique noſtri juſſimus, & fecimus appenſione communiri. Dat. Romæ in Palatio Apoſtolico, ex Cameris noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno a Nativitate Domini MDLVIII. *Indictione prima, die* XXIX. *menſis Novembris, Pontificatus prælibati SS. D. N. D. Pauli PP. IV. anno* IV.

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 353.
1560.	anno 1.	anno 3.	

Ex eodem ad ann. 1558.

LXXXVII. *Noi Michele Ghislerio Cardinale Alessandrino &c. facciamo fede ad ogni, e ciascun Prelato, Pastore, Rettore, Capitolo, o Colleglo di ciascuna Chiesa di Roma così Regolare, come Secolare, qualmente il santissimo in Christo Padre, e Signor nostro Paulo PP. IV. ha fatto grazia al R. P. fra Domenico di S. Tommaso dell' Ordine de' Predicatori, e Provinciale nelle nove Indie, che possa ritenere, e portare seco nell' Indie tutte quelle Reliquie vere, e certe de' Santi, o Sante, che gratuosamente, e spontaneamente si saranno conceſſe da Voi, e così preghiamo ciascuno di Voi, che di quelle Reliquie indubitate di Santi, le quali senza notabile disommodo delle vostre Chiese le potranno esser conceſſe, vogliate farne grazia al detto P. F. Domenico, perciocchè tal'è la mente di Nostro Signore, bisognando molto, che sia portata alcuna porzione di tal tesoro de' Santi alle Chiese Cristiane delle nove Indie del Peru; così per consagrare Altari, come anche per accrescere molto più la riverenza di esse Reliquie nella venerazione, e divozione di que' nuovi Christiani. Il che sarà a gloria del Signore Dio; ed in fede di tutto ciò abbiamo fatto scrivere la presente, sottoscrivendola di nostra mano, e facendovi apporre il nostro piccolo sigillo. Dato nelle Stanze nostre del Palazzo Apostolico il giorno* x. *di Dicembre* MDLVIII.

Ex eodem ad ann. 1560.

LXXXVIII. *Nos Michael Ghislerius Cardinalis Alexandrinus &c. fidem facimus, & atteſtamur, omnes conceſſiones, indulta, ac gratias præſcriptas, ac etiam revocationes factas ut ſupra fuiſſe conceſſas Rev. Fr. Dominico de Sancto Thoma Ordinis Prædicatorum, ſive ipſius Ordinis Fratribus del Peru reſpective fuiſſe, prout ſuperius ſcripta habentur; & ad robur propria manu ſubſcripſimus &c. Dat. &c. In Ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ Romæ in ſacro Palatio Apoſtolico die* XI. *Martii* MDLX.

Ita eſt F. M. G. Cardinalis Alexandrinus.

Jo: Matth. Robertus Secretarius.

ARGUMENTUM.

Calamitates ſignis infauſtis prænunciatæ augentur in Galliis, & in Franciſcanos, eorumque Domos immanes jacturæ. Sæviunt in Germania impii Lutheri aſſeclæ: etiamque in Anglia Eliſabetha contra Catholicos. Tridentinæ œcumenicæ Synodo iterum dantur Initia, quo Minoritæ plerique interſunt. Circa Baji Propoſitiones Lovanii quidam ex noſtris inconſulte excitant quæſtiones. In Brutiis revireſcit Waldenſium hæreſis. Jacobi Melphictenſis Capuccini narrantur acta, & quidam alii utriuſque ſexus Servi Dei memorantur, cum ejuſdem Sodalitatis, tum Obſervantium Familiæ. Plures ex noſtris Epiſcopalibus decorantur infulis. Sancti Petri Alcantarenſis continuatur hiſtoria. Tam Primi, quam Secundi, & Tertii Inſtituti exſtruuntur Cœnobia, & pleraque conceduntur privilegia.

Signa pleraque infauſta. *Thuan. Hiſt. ſui temp. Tom. 2. lib. 17. in fin.*

I. PLeraque Cœli ſigna, quæ hiſtorici anno elapſo apparuiſſe memorant, calamitatum illarum, quæ Chriſtianum orbem hoc anno divexarunt infauſta fuiſſe præſagia, nemo eſt, qui ambigat. Viennæ etenim in Auſtria incolæ, nedum Cœlum paſſim ardere, & ſancti Stephani templum de Cœlo tactum ſpectarunt; verum, & terræmotum, quem fœdæ tempeſtates, fulmina, atque corruſcationes ſequutæ ſunt, ſentire abſque horrore non potuerunt. Claruſci apud Pedemontanos ad Tanarum fluvium ignis in aere per tres horas apparuit, & apud Centalium in eadem regione ad amnem Maleam, volantium

tium equitum numerus ingens viſus eſt. Ut de cæteris autem taceam, Aureliani in Gallia funeſtus apparuit cometes menſe Decembris, Regis mortis, & Catholicæ fidei in Chriſtianiſſimo Regno dejectionis certiſſimus Nuncius; quas res comprobavit eventus. Enimvero e vivis inopinate ſublato x. die Julii anni MDLIX. Henrico II. Calviniſti hæretici, qui primum in avitam fidem, ſimulque in principem occulta conſilia inire, & conventus nocturnos facere conſueverunt, mutati animi novas belli rationes quærere cæperunt, qui pacem modo tanta contentione poſtularant, tantaque animorum alacritate ſuſceperant, dein anno elapſo palam erumpentes aperta conſpiratione, Franciſcum Regem hujus nominis Secundum, ejuſque domeſticos, præſertim qui illi a conſiliis erant, invadere tentarunt. Conatu irrito, & Franciſci morte, quæ contigit anno MDLX. die V. Decembris ſopiti tumultus aliquantulum conquieverunt, dum illi, quæ ad factionem ſuam promovendam pertinebant, modis omnibus adornarent; & impiis ſuis cogitationibus cauſam religionis prætexentes, majora etiam, quam antea, jam animo agitarent. Vere primo nuper detecta conſilia, Regem Carolum impuberem dolo excipere conati, ubi nihil profecerunt, ſuos ad arma vocare, Civitates occupare, catholicos antevertere, omnia quæ ad comparandum bellum opportuna erant, procurare, Anglos etiam, antiquos Galli nominis hoſtes, ſolicitare, in Germania equitatum, peditatumque conſcribere cœperunt. Quum de pace interim ageretur, diſſimulare, differre, nunc novas cauſis prætexere, omnes equas, imo vero, & catholicis valde iniquas pacis conditiones rejicere, donec viribus in unum collectis, hoc anno tandem, ut ait nunquam ſatis commendatus Hiſtoricus ab egregio viro Franciſco Cornazano latinitate donatus, catholicorum indignationem in ſe acriter provocant, cum ubique contentiones, rixæque cruentæ exornantur, & Provinciæ ſeditionibus exagitentur.

Hæretici in Gallia inſolefcunt.

Davil. de bello civili Gall. lib. 2. ad hunc ann.

II. At præ cæteris catholicis Ordinibus in Chriſtianiſſimo Regno Minoriticus luxit, quinimo luget adhuc; quidam enim ipſius alumni non ita religioſe, quemadmodum oportebat viventes, fugam extra clauſtra arripiebant, ut debitas ſceleribus pœnas evitarent, obedientiæque jugo excuſſo, pernicioſa eſt inter illos exorta libertas; integro enim XXXVII. annorum curriculo, Sodalibus huc, illucque devagantibus, non erat qui tantis malis opportune poſſet occurrere. Verum feliciorem ſortem ii fere innumeri offendunt, qui pro catholicæ fidei confeſſione glorioſo triumpho Martyres effecti, mortem fortiter pertulerunt. Horum præcipuus Antonius Brunellus extitit. Hic ex Podienſi urbe in Arvernia ducebat originem, eratque facundiſſimus Orator, cujus doctrina tanti habita fuit Narbone, Arelati, & ubicumque locorum conciones habuiſſet, quapropter Montispeſſulani ſive Agathopolenſis Cœnobii Guardianus inſtitutus eſt, ut ibidem ſuis ſerventiſſimis prædicationibus Catholicos foveret, hæreticos vero exagitaret. Verum ea urbs hoc anno, ut apud Morerium, Thuanum aliosque, non autem MDLX. ut minus vere Baretius, Gonzaga, Arturus, etiamque Waddingus ſcribunt, * quum in hæreticorum manus perveniſſet, Eccleſiam ſancti Germani occuparunt, & primo quidem Brunellum, hora nona Deum deprecantem, & in medio navis Eccleſiæ Pſalterium, ſeu Roſarium in honorem Virginis Mariæ inter manus habentem, obſcœnis, pro more hæreticorum, afficiunt calumniis, ſcommatibuſque animum ejus excruciant: deinde nulla habita, aut pietatis, aut doctrinæ, aut ætatis tanti viri ratione, potiſſime vero exhortationis, quam illis fecit, ut a cœptis deſiſterent, & pœnitentiam agerent, framea corpus ejus perforarunt, reliqua membra pugionibus confodientes: ſic intra templi ſepta, oculis in cœlum levatis, cruoreque ſparſo, ſpiritum reddidit Altiſſimo. Corpus vero per tres dies inhumatum re-

Minoritarum in eodem Regno jactura.

Gonz. in Prov. Franc. S. Ben. Turon. Aquit. & aliis.

Antonius Brunellus M.

Baret. lib. 4 c. p. 16.

* Pendet Criterium, cum cæteris hujus naturæ, a modo an os incoandi more Romano, vel Gallicano, ut facile concilientur Scriptores.

Wadd. in Catal. Mart. & alii. Gonz. par. 3. in Prov. S. Ludov. Conv. t. Wadd. in Catal. Martyr. lit. A. Morer. Tom. 3. ſui Diction. lit. M. Monum. MS. authen. ex Arch. S. Ifid. Arm. 3. n. 2. fol. 137. Thuan. Tom. 2. lib. 14.

remanſit, donec hæc cruenta crudeliſſimaque perſecutio deſineret graſſari contra Catholicos. In ea etenim rabie promiſcue Eccleſiaſticos viros cum plebeis jungentes, non canitiei, non ſacerdotio, aut virginum pudori parcentes, multos aut jugularunt, aut lapidibus obruerunt. Inter quos etiam repertus eſt bonæ expectationis adoleſcens, oriundus ex Rebellania, in Provincia, diœceſis Aquenſis, Pontius Chayſſy, jam Ordine Diaconatus inſignitus, ſociuſque: qui eductus extra Eccleſiam, graviter enſe in capite percutitur, pectore tranſverberato, & ſeminecis, veluti exanguis, reptando & voluntando, ad cujuſdam piſtoris domum ſe recepit, ibique biduo delituit. Quod cum relatum eſſet hæreſiarchæ, nullum non movit lapidem, ut ſaucium juvenem deciperet: ſed tanta conſtantia Chriſti Martyr erat præditus, quod nec milites ferro, nec perfidi Miniſtri hæretici verbis, nec tandem mulieres blanditiis, eum uſquam amovere a fide, veraque religione potuerint; ſicque triduo in corpore graviſſimos dolores, & in animo anguſtias pro Chriſti nomine ſuſtinuit: & moriens, fidelibus populis ſummæ conſtantiæ exemplum reliquit. Direptis item cum noſtro cæteris ſacris Templis, Cœnobiiſque expilatis, Joannæ Carpentanæ inclytæ Clariſſarum Abbatiſſæ ſolertia, Moniales fugam arripiunt, & ad opem Catholicorum cæterarum urbium, & Avenionis potiſſimum, confugiunt. Similem huic cladem contraxiſſe Clariſſas Nemauſi, quibus fuerat prope urbis mœnia Monaſterium exſtructum, Domini de ſancto Romano, procerumque Civitatis ære, ab iiſdem prædonibus his temporibus ſolo æquatum. Coguntur propterea religioſiſſimæ Virgines, ducente Angelica Calva Abbatiſſa, primo Taraſcum, exin Arelatum petere, ubi ſuis temporibus *in ſumma rerum, & hoſpitii penuria earum duodecim numero manſiſſe* Gonzaga ſcribit. Ut autem hiſce ſeditionibus obviam iretur, & citra tumultum per provincias nova prava doctrina promulgaretur, is, qui nimis audacter hæreticorum promovebat partes Gaſpar erat Colinius hujus nominis ſecundus, claſſis præfectus, cui quum plurium quoque provinciarum moderatio commendata eſſet, facile iniquo potiri voto ſe poſſe jactabat. At rem aliter eveniſſe compertum eſt; ſiquidem inter oppidorum populos, & Normanniæ, Picardiæ, aliarumque Provinciarum incolas tot tantæque ſunt ſeditiones commotæ, ut ad eas intercipiendas locus amplius non ſit relictus.

III. Hæc præcipue contigere in urbe Faleſiæ Provinciæ Franciæ Normanniæ circumſepta confinibus, & ad Sagienſem diœceſim ſpectante, ubi perditi homines Templum Cœnobii noſtri ſanctæ Mariæ Magdalenæ polluunt, ſacra ſupellectile ſpoliant, & funditus deſtruunt. Aliis Sodalibus inde expulſis, duos diris tormentis affectos interimunt, Matthæum Picquetum videlicet, & Joannem Benedictum; tertium, quem omittunt cæteri, addit Arturus, Petrum Hoes, ſive Guſeſium, vel de Guyes, Sagienſem. In extremis autem ejuſdem Provinciæ limitibus, apud Bellucaſiorum, ſive Bajocarum urbem, Minoriticum Cœnobium ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli hoc anno primum a vicinis Calviniana hæreſi infectis, dein non ſequenti ut ſcribit Gonzaga, ſed anno MDLXIII. ab ejuſdem Colinii Satellitibus, quum fracti, fugatique in illam oram Maritimam confugiſſent, ut auxiliares copias ex Anglia reciperent, miſerrime direptum eſt.

IV. Eamdem ſortem incurrunt & populi Aquitaniæ Antiquioris; quoniam in oppidum Rapiſtani irruentes hæretici, hoc ipſo anno, non autem ut Gonzaga, & ex eo Waddingus an. MDLX. Domum noſtram invadunt, Templique conſractis, aut obliteratis imaginibus ſacris, univerſaque expilata ſupellectile, Sodales ejiciunt. Antonium vero de Turno Minoris Conventus Toloſani Guardianum, ſociumque Gerardum Bonetum immaniſſime interimunt. Dein-

Poncius Chayſſy M. *Baret. & Wadd. cit. cum aliis.*

Agathopolis direptio. *Auctores citati.* Moniales fugam arripiunt. *Baret. lib. 4. cap. 16. & alii cit.* *Gonz. par. 1. in Prov. S. Ludov. Conv. 6.*

Galpar II. Colinius primus hæreticorum ductor. *Thuan. cit. Davil. cit. lib. 1. & alibi.*

Hæretici in urbe Faleſiæ. *Gonz. 1. par. in Prov. Franc. Conv. 27. Baret. lib. 4. cap. 24.*

Matthæus Picquetus, Joannes Benedictus, & Petrus Hoes MM. *Monum. MSS. ex Arch. S. Iſidori Arm. 3. nu. 14. fol. 423. Baret. lib. 4. cap. 24. Wadd. in Catal. MM. Artur. ad diem 29. Julii.*

Bajocarum Cœnobii expilatio. *Gonz. 1. par. in Prov. Franc. Conv. 21. Wadd. ad ann. 1228. n. 38. Thuan. lib. 36. Raynal. ad ann. 1563. n. 34.*

Et Rapiſtani. *Gonz. par. 3. in Prov. Aquit. Antiquior. Conv. 7. Wadd. ad ann. 1280. n. 18.*

Antonius de Turno, & Gerardus Bonetus MM. *MSS. Aut. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. n. 51. fol. 61. Wad. & alii cit.*

Deinceps in Villam Francam, quæ una eſt ex Civitatibus memoratæ Provinciæ Aquitaniæ, iiſdem Hugonotis irruentibus, ſimiliaque inibi in Deum hominesque patrantibus flagitia, quum vir religioſiſſimus P. Joannes Guilotus a ſacra Concione e vicino quodam pago reverſus, ſacram hanc ædem repeteret, ab hæreticis interceptus, poſt plurima ludibria atque opprobria patientiſſime perpeſſa, ab altero eorum plumbea glande trajicitur, animamque agens, ad Prothomartyris Stephani inſtar, ne id peccati illis ſtatueret, Deum Opt. Max. exorabat: ſicque ſpiritum ſuo reddidit Creatori. Sunt qui cenſent, hunc non alium fuiſſe Joannem, de quo idem Gonzaga in ſuo Martyrum Catalogo ad Provinciam Franciæ Pariſienſis ſpectantem, quem Arturus ſequitur, ita ſcribit: *B.P. Joannes Liot ſacerdos, & octogenarius ſub iiſdem martyrii agonem conſumavit*. Verum non Pariſienſis, ſed Aquitaniæ antiquioris Provinciæ alumnum venerabilem hunc Virum fuiſſe, ex antiquo libro MS. Provinciæ ejuſdem non obſcure colligitur; quinimo ipſe Gonzaga alibi idipſum expreſſe teſtatur. His in regionibus jacturam item paſſi ſunt Conventus Villæ Novæ, Bellimontis, & Agerienſis, quum ab iiſdem nefariis hominibus bonorum omnium rapinam, imaginum atque Altarium confractionem, omniumque fere domorum demolitionem ſubierint. Magis tamen præ cæteris fuit deploranda direptio Monaſterii Annunciatarum Agenis, dum ab iiſdem Catholicæ fidei hoſtibus, capta per proditionem urbe, Sorores loco cedere, atque alio divertere coguntur. Verum eadem urbe a ſtrenuo Duce Monlucio Catholicis reſtituta, atque a militibus valido firmata præſidio, Moniales in priſtinam domum ſuam revertuntur.

Item Villa Franca.
Gonz. in Prov. Aquit. antiqu. Conv. 25.
Joannes Guilotus M.
MSS. auth. ex Arch. S. Isidori Arm. 3. num. 53. fol. 64.

Conv. Villæ Novæ, Bellimontis, Agerienſis ſunt in eadem ſorte.
Gonz. par. 3. in Prov. Aquit. antiq. Conv. §. 31. & 33.
Sicut & Monaſterium Agenarum Monialium.
Ibidem Mon. 8.

V. Dum hæc flagitia a Calvinianis patrantur in Gallia, apud Germanos Lutherani adverſus Catholicos ſævire non ceſſant: & Franciſcani, qui apud Openhemium, ſive Rubeacum Alſatiæ ſuperioris civitatem exiguam ab anno MCCXI. ſuam habuere ſedem, inde hoc anno die XII. Septembris ab hæretico Senatu in religionis odium ejiciuntur. Cœnobii olim ad Provinciam Argentinæ, modo ad Colonienſem ſpectantis Waddingus meminit, dum ejuſdem reformationis narrat hiſtoriam, quamvis originem præſignato tempore, cum ipſa eumdem tunc fortaſſis lateret, non referat.

Etiam in Germania ſæviunt Lutheram.
Monum. auth. MSS. Prov. Argent. nobis miſſa.
Fratres Rubeaco ejecti.
Ibidem.
Wadd. ad ann. 1438. §. 39.

VI. His non diſſimilia Sodales, Eliſabetha ſæviente, pro Romana fide patiuntur in Angliæ. Stephanus etenim Fox Cuſtos Gronovicenſis, impiæ Reginæ juſſu ex Londino extorris, acceſſit ad Cœnobium ſancti Franciſci Antuerpiæ, ibique vixit, donec, graſſantibus hæreticis, urbemque diripientibus, alio migrare coactus eſt, ſociantibus viginti circiter ſanctæ Claræ Rothomagi Monialibus Oliſſyponem uſque, quo tempore illic Philippus II. aderat, quem Monaſterium iiſdem extruxiſſe narrat Auctor Certaminis Seraphicæ Eccleſiæ Anglicanæ.

Angliam quoque vexant.
Stephanus Fox cum pluribus Monialibus exul.
Certam. Seraph. in Deſcrip. Prov. Angliæ fol. 12.

VII. His malis ergo Pontifex, ut citius quam fieri poſſet, occurreret, de convocanda jam indicta Tridentina generali Synodo cogitans, die XIV. Februarii Legatos deſignat, eoſque die X. Martii creat, qui exin, Simoneta Cardinali excepto, die XVI. Aprilis Tridentum perveniunt. Illorum tamen prævenit adventum, die videlicet XXVI. Martii, Angelus Maſſarellus Concilii Secretarius (quo titulo etiam in præteritis ſeſſionibus fuerat inſignitus) & Epiſcopus Teleſinus renunciatus, qui ut ſuis in laboribus eſſet in partem, una ſecum Aſtolphum Servantium, cui deinde Franciſcano Inſtituto in Reformatorum familia profiteri placuit, aſſumto Valentini nomine, ubi in tractandis Ordinis negociis non ſemel ejus opere Sodales uſi ſunt. Hic, ut ait Pallavicinus, durante Concilio, utiliſſimum opus compoſuit, Diarium nimirum Concilii ejuſdem, quod authographum Marcum Antonium Burgheſium

Concilio Tridentum denuo initia.
Palav. Hiſt. Conc. Trid.

Aſtolphus Servantius Minorita, Valentinus nuncupatus.
Pallav. ibidem.

Andreas Infulanus ad Concilium vocatus. *Ex Arch. Vatic. in Regeſt.*

eidem Pallavicino donaſſe, quo præclaram ſuam hiſtoriam ditavit, idem Pallavicinus teſtatur. Ad Concilium item a Pontifice vocatus eſt Andreas Infulanus, qui Generalem Ordinis Præfecturam ſumma cum laude abſolverat, quique iu litteris in forma Brevis, ut dicitur, expeditis: *Ex multorum &c. die* vii. *Februarii*, ut in Regeſto, *ſacræ Theologiæ Magiſter* dicitur, & a *virtute, probitate, eximiaque in ſacris litteris doctrina*, atque *agendarum rerum experientia, catholicæque Religionis zelo, prudentia &c.* ſummopere extollitur. Apud Labbæum tamen in ſuo Theologorum, qui Concilio interfuere, Catalogo noſtri Andreæ nomen deſideratur, neque de illo ab iis, qui Concilii acta ſcripſere vel minima fit memoria; quo fit ut Tridentum verſus ex Luſitania profectus fuerit, nos pro comperto habere non poſſimus. Demum die xviii. Decembris etiam Simoneta Tridentum adveniente, poſt Camillum Campegium Dominicanum, qui primus ſacram habuit Dominica prima Adventus Orationem, Dominica ſecunda Maximianus Beniamus, a Waddingo Maximilianus Benianinus nuncupatus, ex Conventualium familia ad PP. ſuam etiam dixit, quam nos volumen inutilibus implere minime cogitantes, ex Labbæo hic exſcribere piget, etſi de eadem neque Waddingus, neque ullus alius ex noſtris vel minimam faciant mentionem.

Maximiani Beniami ad PP. Oratio. *Ex Poſſip. Labb. de Conc. Trid. Wadd. de Script. Ord. Min. M. Bibliogr. Franc. Min. A. Wadd. de Script. cit. Bibliogr. Franc. Min. M.*

VIII. Concilio interim inter cætera, quæ ad Eccleſiæ utilitatem diſcutiebantur, illa ſe obtulit, quæ fuerat Lovanii exorta diſſenſio, quæque vehementer ſtudiorum animos accenderat, ut non modo in ſcholis palam pro ſua quiſque ſententia contenderet, ſed ſcriptis quoque, libriſque placita tueri parabat. Hæc quidem diſſenſio circa illas a Michaele Bajo dudum de libero hominis arbitrio propoſitiones verſabatur, eamque ſilentio ſalubriter involutam, denuo his temporibus Minoritas quoſdam ibidem exſcitaſſe Cardinalis Commendonus Lovanii his temporibus degens, ſequenti Epiſtola ad Cardinalem Mantuanum directa, & inter MSS. Cardinalis Franciſci Barberini extante, Concilio ſignificavit: *Quidam Michael Baje vir ſatis doctus opiniones quaſdam cœpit ſectari circa liberum arbitrium, opera, & alios articulos; cui adhæſit poſtea Joannes Heſſel vir pariter admodum doctus, & vitæ exemplaris. Hi continuo poſt ſuſceptam doctoralis magiſterii lauream, publice illas cum per multos annos docuiſſent, ab illis deſtitere; jamque res ſilentio ſalubriter involuta jacebat, quando poſtremis hiſce diebus Fratres Ordinis Minorum, eorumque diſcipuli ſuper his controverſias cœperunt agitare, quæ eo uſque incrementum habuere, ut ab aliis antiquæ opinionis Religioſis curatum fuerit, ut Sorbonica facultas doctrinam illam in decem & octo articulos diviſam condemnaret. Verum alii ab hac cenſura ad Lovanienſes ipſos Magiſtros provocantes emortuam pene doctrinam denuo extraxerunt in lucem, Pariſienſis Academiæ cenſuram novis procedentes ſcriptis, quæ nicliſſim, illis auctoribus, redarguentes Sorbonici certamen adeo forte ſuſcepere, ut rumor jam ſit, plures jam prælo diſpoſuiſſe libros, ac rei hujuſce fama quotidie percrebreſcit. Ambo iſti, Michael nempe, & Joannes ad Concilium accedere, præoptant, jamque allorum relatu didici, a Lovanienſium ſchola ad id deſtinatos. Nec ambigendum, quin ſe illic exhibere velint, & ſi quando eis loquendi facultas concedatur, multas, præcipue in Germaniam, turbas conflabunt, quod proteſtantium Principum ſummo ad propriam occulendam contumaciam emolumento vertet; & quamquam a Concilio ipſo blande trahantur, ſua tamen ſcripta palam evulgabunt, quorum jam doctrina abſque typis, ac ſcriptis apud complures diſſeminata eſt. Siquid autem contra ipſos gravius ſtatuatur, nihil tamen exſtimeſcendum, quam, nec ab Eccleſia ad hæreticorum caſtra ſe conferant, atque in apoſtaſiam ruant, Incredibili harum regio-*

Lovanii circa Baji propoſitiones Minoritæ quidam excitant quæſtionem. *Raynal. ad hunc ann. num. 41. Pallav. Hiſt. Conc. Trid. lib. 15. cap. 7.*

Hoc Cardinalis Commendonus teſtatur. Ejus epiſtola ad PP. Concilii. *Ex MSS. Card. Barb.*

num

num exitio, apud quas illorum exiſtimatio ſumma, & fidei catholicæ veritas multis ex partibus jam nutat, eſſetque hæreticis in lætitiam & gaudium, qui quamvis ſcholaſticos noſtros parvipendere videantur, attamen ſi quidam ex nobis ad ipſos deficit, plurimi eum faciunt, ipſiuſque opera multum utuntur, cum jam inter ipſos, qui vere ſint docti, non ſit invenire, Lutheri dumtaxat, Philippi, atque hujuſmodi facis hominum ſcriptis incumbentes, ac ſcholaſticum laborem fugientes, in tantum, ut in tota Saxonia unum dumtaxat Doctorem Alvarum & apoſtatam, repererim. Hæc tamen non ita dixerim, ut aſſeram, Doctores iſtos, de quibus nunc ſermo, in hæc prolaxuros; verum epidemia graſſante, morbi omnes in epidemiam facile reſolvuntur; imo, quibuſdam enunciantibus, didici, Ruardum dicere ſolitum, nil aliud ab ipſis, quam ſchiſma expectandum, ad aliquod adeo tempus a doctorali laurea ſuſcipienda prohibitis. Magnam ſibi ob doctrinam apud omnes exiſtimationem conciliarunt, ac probi quidem, & modeſti ſunt viri; attamen uniuſcujuſque ſuperbia in eo quod agit, ſita eſt. Cæteris in rebus libenter omnia ſuffert. *Alieniſſimo profecto tempore emerſerunt circa hos articulos contentiones ab hominibus doctrina præſtantibus, ac multorum ſtipatis diſcipulorum numero, quos pars quoque magna Laureatorum, & Baccalaureorum, ac fere dimidia doctorum ſequitur pars. Quinimo cum ad recens erectas epiſcopales ſedes tres hujus Univerſitatis homines, qui aliam tuebantur ſententiam, aſſumti fuerint, apud hos univerſæ Theologicæ facultatis diſpoſitio pene remanſiſſe videtur; nec ſatis mihi adhuc conſtat, an forte illorum electio iſtis indignationis extiterit cauſa Bajus multam erga ſanctam Sedem reverentiam præſefert, ſed in ejus dictis quædam ſunt quæ ſuſpicionem aliquam ingerunt. Heſſelius ejuſdem Univerſitatis modo eſt Decanus; hic me Lovanio altera vice tranſeuntem cum alio Doctore, Tiletano nuncupato, inviſit, cumque mutuo colloqueremur, ac ſenſim curarem, ut de novis hiſce opinionibus ſermo caderet, maxima humanitate ac dexteritate cum ipſis de novitatibus circa Religionem, ac quæ ipſas conſequerentur, tum ſcandala, tum hoc potiſſimum tempore pericula, diſſerui, oſtendens, quanta ſollicitudine incumbendum eſſet,* ut eſſemus cor unum, & anima una: nihil per contentionem, aut inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes: *quæ & alia hujuſcemodi verba probare, atque adeo benigne admittere viſi ſunt. Nec multo poſt eorum diſceſſum Tiletanus Syngrapham miſit, qua & ſe purgabat, & officium a me exhibitum commendabat. Interjecto deinde ſex aut ſeptem dierum ſpatio, Heſſelius quoque epiſtolam ſcripſit, cujus exemplum, ut quid mihi ſcriptum ſit Illuſtriſſimam Dominationem veſtram non lateat, ſubmitto, in qua conſpiciet quam ſummo deſiderio flagret de ſuis articulis in deſceptationem venire, moraſque omnes impatienter ferat. Hæ cum ad me perlatæ fuiſſent litteræ, nihil reponſionis reddere melius arbitratus, cum parum Religioni conducere judicarem meis Epiſtolis quemquam, vel irritare, vel commendare, ſcripturaſque multiplicare, cum jam profectionis meæ Leodium verſus tempus inſtaret, Tabellarium remittens, juſſi, ut Doctorem meo nomine perhumaniter ſalutaret, cum per temporis anguſtias reſpondere diſceſſurus non poſſem, meque promptum, ſi qua in re opus ei fuerit, teſtaretur, atque ita cumulate ſatisfactum abs me dimiſi. Interea, cum pergerem in itinere, & ad res componendas Lovanium iterum redire pene decreviſſem, obvium habui Patrem Everardum Societatis Jeſu Præpoſitum Provincialem, qui Lovanii reſidere conſueverat (is erat Everardus Mercurianus, qui poſt Franciſcum Borgiam ejuſdem Societatis Præpoſitus Generalis poſtea fuit renunciatus,) quem pro veteri cum Joanne Heſſelio amicitia, hominem denuo convenire, meoque*

nomine inviſere juſſi, ac ſimul oſtendere, quanto cum animi angore iniquis hiſce temporibus audiverim, in Univerſitate fidei Catholicæ propugnatrice ſciſſuras eſſe, quibus qui oderant nos gloriarentur, & in ſuæ pravitatis commodum pertraherent. Hoc fuiſſe meum, nec ambigebam, qui & ſuum, & cujuſque probi Catholici, cum ſecum collocatus eram, propoſitum, ne æmulationes, detractiones, inflationes ſint inter nos, ſed omnis doctrina ad ædificationem, & ab omni prorſus offendiculo aliena. Inſuper illius doctrinam, probatoſque mores, qui per ora hominum ferebantur, commendavi, quo factum eſt, ut heri Antuerpiam certum hominem ad me mitteret, qui multas mihi redderet gratias, ſuamque operam Catholicæ Religionis auxilio exhiberet. Attamen vehementer extimeſco, ne quandoque parvus hic ignis incendium vehementer exſuſcitet, ac niſi præſens remedium adhibeatur, paucos etiam intra dies, occaſione acepta a Provinciali Capitulo quod Patres Ordinis Minorum *ſunt celebraturi, ubi & ipſorum Generalis Miniſter expectatur, tunc enim, cum duo ad munus Provincialis, alter ex una, alter ex alia ſententia concurrant, haud dubium, quin addita etiam doctrinæ æmulatione, magnas concitaturi ſint turbas. Jamque qui antiquas opiniones tueri profitentur, noviſque adverſantur, Romam ſe ad cauſam hujuſmodi evocaturos, aliorumque ſententias, ut hæreticas delaturos minantur, quod authentica plurium Univerſitatum cenſura, qua articuli illorum condemnantur, ſint muniti. Ego itaque ea, qua par eſt, animi demiſſione, Dominationi Veſtræ Illmæ dicam, bonum forſan eſſet conſilium, erumpentes ab his regionibus flammas avertere, & antequam quidquam novi moliantur Fratres, ſilentium a Pontifice omnino indici, & cauſam ad ſe advocare; arreptaque præſentis Concilii occaſione, Doctores aliquot e Germaniæ Univerſitatibus, ac præſertim Coloniæ, & Lovanii accerſere Tridentum, rem ita diſponendo, ut ambo iſti Lovanienſes ad hanc Provinciam eligantur; certus, quod apud Dominationem Veſtram Illuſtriſſimam, in qua ſumma eſt prudentia, auctoritas, & dexteritas, fax hæc majoris quam forte exiſtimetur, periculi atque incendii conſcpita exſtinguetur. Novæ iſtæ opiniones, ut ipſa optime novit, febri hæthicæ omnino ſunt ſimiles, cui ſi præſens adhibeatur remedium, facile evaneſcit; ſin autem contemnitur, nulloque præcavetur pharmaco, ſero incaſſum medicina paratur. Hæc tamen cuncta prudentiſſimo Dominationis Veſtræ Illmæ judicio committo, unum addens, quod ſi mea hæc ſententia probetur, nihil eſt cunctandum, ne res efferatur, nam hoc cognito conſilio fruſtra remedium apponeretur.* Huc uſque Commendonus, qui pro exaggerata ſua prudentia probe noverat, quantum omnis ſententiarum novitas fuerit ſemper in Eccleſia ſuſpecta, & quantum in antiquitate, uſuque veteri ſemper reperiatur fundata firma ſecuritas, dicente Domino per Prophetam: *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris.* His acceptis, Raynaldus proſequitur, Cardinalis Mantuanus una cum Seripando, qui jam Tridentum pervenerant, plura ſuper hoc excogitaverunt conſilia, quæ pariter Commendono communicaverant, ut ejus quoque ſententia probarentur. Ille alterum ex his duobus eligendum dijudicabant, vel quod Pontifex Breve conſcriberet, quo ſuppreſſis Michaelis Baji, & Joannis Heſſelii nominibus, indiceret iis Fratribus Ordinis Minorum, qui una cum ipſis ſentiebant, cæteriſque omnibus de his articulis ſilentium.

Raynald. ibid.

IX. Verum nedum Tridenti per Œcumenicam Synodum, ſed etiam in cæteris Orbis partibus hæreſibus culpiſque Omnipotens bellum indicit, ſtrenuis delectis pleriſque hinc & illinc militibus, inter quos profecto Minoritæ nulli

Anno Christi 1561.	Pii IV. anno 2.	Ferdinandi I. Imp. anno 4.	Religionis Minorum anno 354.

nulli ſecundi ſunt. Enimvero, dum in Neapolitano Regno, & in Calabria præcipue, recens Valdenſium colluvies detegitur, quidam eorum directores ex Geneva triennio ante ibi recepti ſunt; cumque ex Catholicis fœneratorum ingens numerus eaſdem plagas invaderet, Jacobus Melphictenſis exoritur, qui pro ſuo munere ſacris concionibus, cæteriſque laboribus, non prius hoc anno ultimam diem glorioſiſſime obiit, quam pernicioſiſſimam luem ex integro profligaret. In PP. Capuccinorum cœtu Vir Dei omnibus virtutibus clarus floruit, qui inter Obſervantes ſua tempeſtate doctrina ac eruditione celeberrimus fuit, atque inde ſæpe Provincialis munus in ſua Provincia magna cum prudentiæ laude adminiſtravit. Cum autem Melphicti ſemel Guardianus eſſet, geminique Fratres Capuccini a Ludovico Rhegino, qui tunc Calabris præerat, ad Religionem iis in locis propagandam miſſi, ad Monaſterium illud ſub ſolis occaſum acceſſiſſent, eoſque tam appoſite ac ſapienter de præſcripta regulæ obligatione, atque illius obſervantia diſſerentes audiviſſet, is qui in Theologica ſcientia doctiſſimus erat, Regulæ diſciplinam, nec dum ſe aſſecutum agnovit: quare ab eo tempore animum magis ad Regularis diſciplinæ ſtudia intendit. Hoc itaque mature ſecum deliberato, Miniſtri Provincialis adventum captat, & cum eo pluribus verbis de reformanda Provincia agit, eamque tandem impetrat. At reformatione exorta, cum virtutis humore careret, brevi aruit, vixque ad ſextum uſque menſem pervenit. Id cum Jacobus ægre ferret, Apuliæ Provincia relicta, ad Neapolitanam ſe confert, ubi aliquandiu Theologicis diſciplinis tradendis vacat, ſed cum reformationem bis, terque in hac quoque Provincia tentatam aſſequi minime poſſet, abſoluto Neapoli quadrageſimalium prædicationum curriculo, is cum ſocio ac nonnullis aliis ſacræ Theologiæ candidatis, ad Capuccinorum Religionem convolat. Erat Jacobus multis corporis incommodis affectus, quod ſane haud leviter ipſius animum affligebat, ac metu exagitabat, ne auſterioris vitæ aſperitates, quas ſibi apud Capuccinos obeundas non ignorabat, ferre valeret. At (qui debiles confirmat, & iis, quos vocat, novam e cœlo fortitudinem præſtat) D. O. M. eam Jacobo poſt Religionis ingreſſum, corporis incolumitatem contulit, ut univerſas Religionis auſteritates, non tamen æquo, quam alacri animo ſuſtineret. In nova hac apud Capuccinos vocatione Jacobus tam præclarum Regularis Obſervantiæ ac prudentiæ ſpecimen edidit, ut in Neapolitana Provincia nihil ſine ipſius conſilio fieret. Evangelicæ prædicationis munus, quo jam antea egregie præcellebat, poſt ſuum ad Capuccinos acceſſum tam ardenter atque Apoſtolico ſpiritu proſecutus eſt, ut Forolivium a Franciſco Æſino Generali miſſus, cum urbem quorundam opera nonnihil hæretico errore imbutam offendiſſet, tum publicis ſermonibus, tum privatis diſceptationibus ita in errores invehitur, ut cum nihil ſtudii aut operis prætermiſiſſet, eam urbem tandem ab ea tabe expurgaverit. Ferrariam deinde profectus, ibi cum in concionibus ſuam tum in fidei rebus pertractandis, tum in doctrina explicanda præſtantiam perſpectam præbuiſſet; inde epidaurum profectus, tantam ſibi apud eam Rempublicam, & populum ſua prædicatione gratiam conciliavit, ut eum ſibi Epiſcopum a Pontifice poſtulaverint. At eo conſtanter Epiſcopatum recuſante, Pontifex, tametſi ad Reipublicæ petitionem propenderet, invitum tamen ad id munus compellere noluit. Epidauro igitur digreſſus, Jacobus Venetias proficiſcitur, ubi, Evangelici Agricolæ inſtar, divini verbi ſemina ſpargit. Poſt hæc Aletium venit, ubi fœneratores, quos ibi copioſos reperit, ita infectatus eſt, ut, Deo præſertim opitulante, omnia inde feneratitia pacta & contractus abſtulerit. Cum vero acrius quadam die pro ſuggeſtu uſuras exagitaret, vir quidam fœnerator in urbe potens,

In Calabria Waldenſium progreſſus. *Raynal. cit.*

Jacobus Melphictenſis. *Bover. ad hunc ann. §. 6. Artur. ad diem 28. Aug. Viridar. Seraph. Tom. 1. part. 2.*

tens, ea velut ſibi dicta accipiens, de ipſo apud Proregem conqueritur. Jacobus vero eo vocatus, ubi ſe nullius ſingularis perſonæ vitium publice attigiſſe, ſed in genere tantummodo ſœneratorum ſcelus profecutum fuiſſe oſtendit, ad ſœneratorem converſus ait: *Ego quidem ne publicum ſcelus tuum palam arguerem tuo honori ac exiſtimationi dedi: at quid? an non tu Vir ille es, qui in aliis, ac veſtibus tuis pauperum ſanguinem geris? Jam tuum mihi pallium cede, ita me Deus adjuvet, ni ex eo vivum pauperum ſanguinem exprimam.* Cumque manum ad ſœneratoris pallium extendiſſet, ſanctitatem Jacobi agnoſcens, exterritus ille mox aufugit, ne Dei judicium ſcelus ipſius aperiret. Mirum plane erat quam libere, quam graviter, quam ſevere Vir hic Evangelicus, ipſa cunque potentium vitia increparet. Marchio Uritanus, qui & eo tempore Frentani dominabatur, cum varios errores hauſiſſet, eos clam per hæreticum Miniſtrum diſſeminabat, quem cum Jacobus multis argumentis convictum ab hæreſi revocare non poſſet, gravius increpat: rem vero Marchio tam ægre tulit, ut etiam in mortem ipſius conſpiraverit. At Deus, qui pro Jacobo ſolicite invigilabat, euntem redeuntemque iis inviſibilem præſtat, qui in ipſius cædem conſpiraverant. Intrepidum igitur Jacobi animum nullæ minæ, nullaque vitæ pericula terrebant. Hinc D. O. M. qui ardentiori hoc illius zelo ac caritate delectabatur, ipſius mentem tanta ſapientiæ luce illuſtrabat, ut futuros quoque divino ſpiritu rerum eventus prænoſceret ac præſignificaret: dum enim Melphicti Dei verbum diſſeminaret, maximeque in Fœneratores inveheretur, publicus quidam in urbe Fœnerator erat, qui quo acrius ab eo increpabatur, eo magis in riſum & cachinnum effundebatur. Cui Jacobus: *Cave tibi*, inquit, *ne latrunculis ludentem te Diabolus aliquando inſano illu intercipiat.* Nec ſruſtra prolatum verbum. Paucis enim vix elapſis diebus, cum latrunculis luderet, eo ipſo temporis momento quo a colludente ſupremus *Regi* * fugiendi aditus intercluditur, repentina morte correptus, vitæ illi curſus abrumpitur. Plurimos jam ſuæ ætatis annos Jacobus exegerat, cum ultima linea appropinquante, Deus Servum ſuum, quem fidelem in multis agnoverat, ſuprema tentatione probare voluit, ut ampliori corona donaret. Hidruntinæ Provinciæ Proregem Jacobus graviter, juſte tamen, læſerat, eo quod ipſius in juſtitia adminiſtranda oſcitantiam publice arguiſſet. Quamobrem Prorex alia occaſione captata, Jacobum injuſtam exilii damnationem, quæ poſtremam illi gloriam adferret, inſontem ſubire cogit. Exul itaque ob prædicatæ veritatis teſtimonium, Meſſapiam proficiſcitur: ubi poſt bienniuni, annoſus, probatus meritis, ac virtutibus clarus, hoc anno Deo ſpiritum reddit. Tanta fuit illius ſanctimoniæ fama, ut Meſſapiæ publice illi ſtatua erecta fuerit. At neque ea divino teſtimonio vacavit. Nam quatuor poſt ipſius obitum annis, cum ipſius corpus exhumatum fuiſſet, integrum ac incorruptum apparuit, ſuaviſſimo ſemper odore fragrans. Nonnulla is opuſcula edidit, quibus præclaræ eruditionis cunctis monumenta reliquit. In his ſunt, Joanne de ſancto Antonio Salamantino teſte, *Commentaria in decem præcepta Decalogi*, Venetiis an. MDLXXV. apud Juntas, & Neapoli MDXCVII. *Commentaria* in Pſalm. 14. *Domine quis habitabit* &c. per modum dialogi, interlocutoribus Davide & Salomone, hoc interrogante, illo reſpondente, incipit: *Cum cœlorum ambitus* &c. opus eſt in XI. partes diſtributum, in quibus agit. I. *De B. Mariæ Conceptione*, II. *De Divina Lege*, III. *De lege humana*, IV. *De detractione*, V. *De amore proximi*, VI. *De opprobriis contra proximum*, VII. *De abominatione, & vigilantia ſui ipſius*, VIII. *De honore timentium Deum*, IX. *De juramento obſervando*, X. *De uſuræ prohibitione*, XI. *De muneribus contra innocentes*. Prodiit Venetiis in

* *Prima figura in ludo Latrunculorum.*

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 354
1561.	anno 2.	anno 4.	

in 4. imperiali ex officina Aurelii Pincii MCCCLV. *Opusculum in symbolum Fidei cum Commentariis: De Præceptis Ecclesiæ: Tractatum de mortificatione carnis: De Im. Virg. M. Conceptione: Concionesque diversas* &c. Omnia sunt impressa Venetiis annis MDXXXV. MDLXXV. & MDLXXVIII. apud Cominum de Tudino. Commendatur in Bibliotheca Neapolitana, & plurimum a Genuensi, pag. 170. & in Martyrologio Franciscano ad diem XXVIII. Augusti. In laudem Jacobi hujus ita accinebat Augustinus Mostardus in monitione ad lectorem:

Huc, huc, quid pavitans dubia jam mente moraris?
Vera nihil dubii debet habere Fides.
Hæc sunt illa tui Fratris sacra scripta Jacobi,
Qui tibi cœlestes monstrat adire lares.
His potens folio, quo nunc privatus, in alto
Sistere, & æterno proximus esse Deo.
Disce igitur, fugias dictis fera tecta tyranni,
Cum neque post mortem pœnituisse juvet.

X. In iisdem Regionibus moritur Jacobus alter Rheginus, laicus item Capuccinus, qui præter abstinentiam, orationem, ac divinæ familiaritatis consortium, eam virtutum perfectionem attigerat, ut quamplurimus crucis signaculo a mortis periculo liberarit. Cum igitur gravissima apud Calabros per Rheginum agrum pestilentia grassaretur, miserandam urbis stragem, ac tot pereuntes hominum turmas omni humano solatio destituta, tradens animam suam pro Christo, & fraterna caritate contemnens, impetrata a Bernardino Georgio facultate, cum Hieronymo a Georgia, & Hieronymo a Monte Sorio Sacerdotibus, laborantium se obsequiis mancipat. Dum itaque omni caritatis officio pio operi ac labori incumbunt, neque illis periculis parcunt, quo sese in aliorum salutem effundant, ipsi quoque pestilentia sublati, voluntario caritatis martyrio coronati e Mundo ad Paradisum evolant; eo ferme tempore, quo impius Valentinus Gentilis Consentinus Cives, ex his regionibus Genevam, Sabaudiam, & exin Poloniam petens, ibi ipsum Georgius Baldrata Medicus impiusque hæreticus in diffundendis fallis dogmatibus socium sibi assumsit; contra quos tamen *nova bella Dominus eligens, & portas hostium subvertens*, Sebastianum Leopolitanum Minoritam strenuum Christi militem sibi delegit, cujus merita, zelus & pietas tribus in Generalibus Capitulis claruere, & apud suos non parum attulit Catholicæ fidei, christianisque moribus utilitatem. Moritur Vir Dei hoc anno die XVII. Novembris apud Cracoviam.

Jacobus Rheginus. *Flor. Seraph. Capuc. Tom. 1. fol. 271. & 366.*

Hieronymus de Georgia. Hieronymus a Monte Sorio. *Flor. Seraph. cit.* Valentinus Gentilis Consentinus hæreticus. *Spond. ad hunc ann. §. 33. seqq.*

Judic. cap. 5.

Sebastianus Leopolitanus. *MSS. auth. ex Archivo S. Isid. Arm. 1. n. 4. fol. 280.*

XI. Neque cæteris Italiæ partibus Servi Dei Annalibus nostris perpetua digni memoria desunt. Enimvero in Cœnobio Pistoriensi Provinciæ Tusciæ, mense Majo Angelus de Monte, sanguine virtutibusque illustris mortalitatem deposuit, cum jam tertio Definitoris, & iterum Reformatorum Custodis munere præclare functus esset. Vir cæteris affabilis & pius, sibi severissimus, quippe, qui corpus jejuniis, vigiliis, cilitio, & flagellis usque ad senectutem & senium perpetuo cursu in servitutem spiritus continuit, aliaque pietatis signa edidit, ac sanctimoniæ sparsit odorem. In Cœnobio Montis extra Portam sancti Miniatis Florentiæ Franciscus Bannellius, item Florentinus, vir rerum cœlestium contemplationi, ac sacris meditationibus ita intentus, ut non sine summa animi molestia, ac corporali afflictione divelli posset, atque illis ut per otium vacare posset, sæcularium omnino, Fratrum vero, quantum licuit consortia declinavit, in choro tantum & mensa cum ipsis communicans. Definitorem tamen an. MDXLVI. atque secundo & tertio; præfati Montis sancti

Angelus de Monte. *Anton. Terrinc. in Hist. MS. Provinc. Tusc. ad hunc ann. Decad. 3.*

Franciscus Bannellius. *Ant. Terrinc. ibidem.*

ſancti Miniatis Guardianum voluerunt Obſervantes, cui & majora Provinciæ munia contuliſſent, niſi ipſe exſpreſſe renuiſſet aliis præeſſe, qui nec ſibi (ut ipſe dicebat) præeſſe, aut prodeſſe unquam noverat. In ſuo ergo humili ſtatu relictus, theſauros meritorum & bonorum operum ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurizare non ceſſavit, donec hoc anno in præfato Conventu viator eſſe deſiit. Antonius Æthiops etiam moritur in Cœnobio ſanctæ Mariæ de Jeſu, non procul a Camaro Siciliæ oppido, ubi Fratribus pluribus annis fideliſſime inſervivit: cuique octiduo, antequam carnis ergaſtulo ſolveretur, Angelus Cuſtos obitus diem prænuntiavit, & ad ultimum uſque vitæ inſtans adſtitit, atque tantam gratiam D. O. M. contulit, ut plura miracula mortuus ediderit.

Antonius Æthiops. *Hieron. in Prov. Sicil. Cen. 6. Wadd. ad ann. 1428. n. 7. Barett. lib. 4. cap. 26.*

XII. Secundum item Clariſſarum Inſtitutum nobiliſſimæ fœminæ illuſtrant, quarum una Franciſca de Ararvo, quæ in Monaſterio Aſturicenſi Provinciæ ſancti Jacobi in Hiſpania deceſſit, quæque vivendi auſteritate admirabilis, paſſioniſque Dnminicæ meditationibus perpetuo addicta, dum ſacra in templo peragerentur, prima dominica Septembris hujus anni, ad illa ſymboli verba: *& incarnatus eſt* &c. ſpiritum divino Sponſo reddidit. Huic non diſſimilis Agnes de Nebia obit diem extremam in Monaſterio Ovetenſi ejuſdem Provinciæ, ubi immaculatam vitam tranſegit. In Provincia Caſtellæ Catharinam quoque de ſancto Joanne præclaram Virginem deceſſiſſe, ex monumentis ejuſdem Provinciæ comperimus: & in Clariſſarum Monaſterio Santarenenſi, Luſitaniæ Provinciæ, Eliſabetha de Paſſione, ſic dicta, quia paſſionem Dominicam aſſidue meditabatur; quam ob cauſam pluribus donis cœlitus decorata extitit, virtutibus & meritis illuſtris migravit ad Sponſum.

Franciſca de Ararvo, ſive de Arnex. *MSS. authen. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. nu. 52. fol. 369.*
Agnes de Nebia. *MSS. authen. ex ejd. Arch. Arm. 3. num. 52. fol. 380.*
Catarina de ſancto Joanne. *MSS. auth. ex Arch. S. Iſidor. Arm. 3. nu. 52. fol. 165.*
Eliſabetha de Paſſione. *Hiſtor. Seraphic. Provin. Portug. par. 1. fol. 141.*

XIII. In Monaſterio autem S. Urſulæ Florentiæ inter Sorores Tertii Ordinis præclaræ fuere duæ fœminæ Appollonia de Cavalcantibus, atque Barbara de Covonis. Horum prima inter alias egregias animi dotes ſanctæ orationis & contemplationis ſpiritum aſſequuta, ſæpe ſæpius in extaſim rapta & a terra elevata, converſationem ſuam cum cœlitibus tenere viſa eſt, ad quorum conſortium hoc anno tranſiit. Secunda vero, non ſolum virginitatem ſuam multis auctam virtutibus Domino cum uſura reddidit, ſed & in hora mortis a Confeſſario hortata, ut Crucifixi ſponſi imaginem contemplaretur, verum ſui ſponſum, reſpondit illa, ſibi præſentem intueri, in cujus manus, his dictis, animam tradidit immaculatam.

Appollonia de Cavalcantibus. Barbara de Covonis. *Anton. de Terrinc. hiſtor. MS. Prov. Tuſcie ad hunc an. Decad. 3.*

XIII. In Hiſpania etiam hoc anno Franciſcanus Ordo Cœlo peperit Andream Rodericum Laicum, ut auctor Menologii Franciſcani, atque etiam Arturus ſcribunt. Hic virtutibus exornatus in converſorum numero angelicam vitam tranſegit, pro cujus ſanctitate diſcutienda examen in partibus coram locorum Ordinariis fuiſſe inſtitutum, libellus Neapoli editus anno MDCXXVI. apud Joannem Dominicum Ronugliolum, Arturus & Rapinæus affirmant, qui tamen locum obitus minime produnt.

Andreas Rodericus Laicus. *Arturus ad diem 14. Novemb.*

XV. In triumphanti Eccleſia his omnibus præfulgentibus, alii viri eximii dignitatibus, doctrina & ſanctitate conſpicui Minorum Ordini decus in Militanti auxerunt. Quantum ad dignitates pertinet: promoti ſunt ad Eccleſiam Daventrienſem in Belgio, in Tranſilvana regione, Ultrajectenſis Provinciæ (ut ex actibus conſiſtorialibus diſcimus) a primæva illius inſtitutione vacantem, die octava Auguſti, Joannes Mahuſius (perperam Rodulpho *Maluſius*, & Auctori Viridarii *de Mauritio*) de Obſervantium Familia: ad Gronnigenſem (male Rodulphus *Gromugenſem* legit) ſimiliter in Belgio, & Ultrajectina Provincia, a primæva ejus inſtitutione vacantem eadem die Joannes Ruffius ejuſdem familiæ (quem recenſitus Viridarii Auctor minus vere Joannem

Joannes Mahuſius Epiſcop. Daventrien. *Arch. Vatic. in A.9. Conſiſtor. Rodolph. pag 235*
Joannes Ruffius Gronningen. *Reg. Vatic. cit. Virid. Seraphic. Tom. 1. in Ind. Alph. Epiſcop. Ord.*

nem Riccium appellat, & Gravinienſem Epiſcopum in Regno Neapolitano facit): ad Jucatanenſem vero in Indiis occiduis, Mexicanæ Provinciæ, a primæva ejus inſtitutione ipſam quoque vacantem, die XIX. Novembris Franciscus de Toral ex Obſervantibus. Huic Eccleſiæ Pontifex Cucumeleuſem, Raynaldo referente, adjunxit; Rex vero Catholicus ducentos ducatos aureos pro annuo vectigali attribuit. Et Octavianum Præconium (non vero *Præcopium*, ut male horum Annalium Continuator) ex Conventualibus, Pontifex a vinculo, quo tenebatur Eccleſiæ Monopolitanæ, abſolvit, tranſtulitque ad Eccleſiam Arianenſem in Principatu ulteriori Provinciæ Beneventanæ, Neapolitanæ ditionis, vacan. per obitum bon. mem. Diomedis Arianenſis.

Franciſcus de Toral Epiſcopus Jucatanen. *Reg. Vatic. cit. Raynaldus ad hunc annum nu.* 70.

Octavianus Præconius Arianenſis. *Reg. Vatic. cit. Cont. Ann. Min. ad annum* 1546. §. 154.

XVI. Doctrina floret Beniaminus Bonauport, ideſt pulchri Portus, Gallus, Regularis Obſervantiæ, qui gallice edidit *Harmoniam & Conſenſum Evangeliorum*; Pariſ. apud Gabrielem Bonum, anno MDLX. *Monotheſaron Evangeliorum*, ibidem apud Viduam Mauritii a Porta hoc anno. Ad ejus imitationem, inquit Franciſcus Carriere Minorita, initio ſuorum Commentariorum in ſacram Scripturam Janſenius Epiſcopus Gandavenſis octo poſt annos ſuam *Harmoniam* publici juris fecit. Agit quoque de noſtro Beniamino Fabianus Juſtinianus, & Crovvæus.

Beniaminus Bonauport. *Biblioth. Franc. lit. B. Fabian. Juſtinian. ſuo Auct. blendo fol.* 47. *Crovv. in Scriptor. Bleu. fol.* 82.

XVII. His omnibus vita functis, ſuperſtes adhuc remanet præclariſſimus Hiſpaniarum hæros ſanctus Petrus Alcantarenſis, contemplatione atque pœnitentia vere admirabilis; populi propterea indeſinenter efflagitabant, ut ſui Inſtituti Domos in eorum Oppidis exſtrueret; at Vir ſanctus prudenti conſilio ductus eo tempore reſtitit, ne obtrectatoribus invidiæ materiam magis augeret. Inſtabant ardentius incolæ loci Aldeæ *del Palo* quinque milliaribus Zamora diſtantis; ideoque, quo facilius obtinerent, D. Guiomaram de Ulloa, quam adeo ſancto Viro addictam noverant, litteris compellunt, ut eum ad ſua deſideria pertrahat. Hæc autem cum a S. Commiſſario variis perſuaſionibus conſenſum extorſiſſet, litteras quoque, quibus idem explicaretur atque ad fabricæ promptitudinem Cives invitarentur, elicuit. Servantur adhuc apud Zamorenſes Cives prædictæ litteræ in deaurata tabula ſub chriſtallo incluſæ, quarum tenorem hic exſcribere non ingratum fore exiſtimo: ſic ergo habent: *Ego Frater Petrus de Alcantara Commiſſarius Generalis Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum per Hiſpaniam auctoritate Apoſtolica &c. Quia illuſtris D. Guiomara de Ulloa, modo habitans in civitate Avilæ, mihi dixit, quod in Aldea de Palo Oppido propinquo Zamoræ, Rectores & aliæ perſonæ principales ejus loci offerunt quoddam Oratorium a ſancta Magdalena vocatum, ut ſub noſtra obedientia ibi Conventus ædificetur, & ſic aliqui devoti conſtruere volunt Eccleſiam, domum atque hortum, juxta formam noſtri Inſtituti: Itaque dum ita fuerit, ut prædicta Domina fide digniſſima retulit; & prædicti ſollicitantes in propoſito eidem declarato perſeveraverint; ego ex nunc recipio atque admitto prædictam domum pro Monaſterio; & illud incorpero cum cæteris Conventibus noſtræ Cuſtodiæ, & exhibeo me miſſurum Fratres, qui opus incipiant: & quando, Deo favente, Domus perfecta fuerit, promitto, me deſtinaturum alios, qui eam incolant; hac tamen conditione, quod non excedat formam noſtris ædificiis præſcriptam, & quod Magiſtratus vel hi, qui majorem partem Monaſterii ædificaverint ſemper maneant Domini ejuſdem, ita ut ibi habitantes Fratres inde ejicere poſſint quandocumque intellexerint, quod ex ipſorum vita non reſultet gloria Dei, atque proximi ædificatio, ſive quavis alia ex cauſa; quia illud noſtrum non exiſtimamus, niſi tantum, ut in eo Domino Deo noſtro ſerviamus, tanquam peregrini & mendi-*

S. Petrus Alcantarenſis.

Epiſtola, qua conceditur Cœnobii Aldeæ del Palo fundatio.

ci in hoc mundo. Et ſic promittimus reſtituere illis quolibet anno claves ejuſdem Conventus, ut de illis faciant quidquid ipſis placuerit; aut propter amorem Dei, nos iterum in illo habitare permittant. Et ut præſentes litteræ majus robur habeant, ſubſcribuntur mea propria manu, & obſignantur ſigillo majori mei officii. In villa Oropeſæ die IX. *Januarii anno* MDLXI.

Fr. Petrus qui ſupra manu propria.

Comitia vocat apud Pedroſum. *Monum. MSS. auth. ex Archivo S. Ild. Arm.* 1. *n.* 2. *fol.* 10. *March. in vita S. Petri lib.* 3. *cap.* 1. *Virid. Ser. To.* 1. *p.* 1. *cap.* 18. *Laur. de S. Paulo in vita S. Petri lib.* 1. *cap.* 1.

XVIII. Quum ergo in dies iſthæc numero augerentur Cœnobia, cumque ad arctiſſimum Inſtitutum amplectendum undique Viri concurrerent, Vir ſanctiſſimus Sodales ad Comitia vocat (non in Villæ Vitioſæ Cœnobio, ut Marcheſius, Auctor Viridarii, cæterique opinantur, ſed apud Pedroſum, quemadmodum Laurentius a ſancto Paulo, Joannes de ſancto Antonio, & alii ejuſdem ætatis, publicis monimentis, & libris MSS. authenticis illius Provinciæ inhærentes affirmant) ut poteſtatis vigore ſibi a Pontifice factæ Cuſtodiam ſuam ſancti Joſephi in Provinciam tandem aliquando erigeret, ſalutaribuſque regulis Sodales obſtringeret. Pedroſi ergo congregatis Conſcriptis Patribus, placuit divinæ bonitati Servi Dei conſilia ſequenti miraculo illuſtrare. Habitabat in propinquo Pago Innoxal Vir quidam ſatis pius & addictus religioſæ Familiæ, cui filius eadem pietate non inferior, Fratres apud ſe tranſeuntes omni caritatis officio opportune proſequebatur. Inter alia vero chriſtianæ pietatis opera quæ obibat, ſæpe conqueſitas a Fratribus eleemoſynas ſuo jumento ad Conventum perferens, ibi a Petro humaniter exceptus in morum innocentia, qua monitis, qua exemplis efficacius confirmabatur. Quadam die quum contigiſſet, hujuſmodi explendo officio tardius domo ſua proficiſci, indeque tenebricoſa nocte ad Tagi ripam accedere; quum autem jumentum altas fluminis aquas pedibus attigiſſet, profunditate deterritum, nullo verbere vel alio iucitamento progredi voluit, fruſtra illud compellente juvene; qui ſe ad torrentem quemdam, qui in eadem via intercurrit, perveniſſe exiſtimabat. His curis anxius, ne in deſerto loco noctis inclementiam experiri cogeretur, ad Deum converſus, enixe precatur, ac ut voti ſiat compos magna eum fiducia Petri patrocinium flagitans, ſimulque jumentum acrius ſtimulat. Mirum dictu! jumentum præcepto obediens, moras rumpit, timorem excutit, undas fluminis ingreditur, & cum ductore ſuo, ſine ulla aquæ offenſa, in objectam ripam ſiccis pedibus tranſit; at vero juvenis, cui nondum in mente Tagus venerat, quum ſe illum trajeciſſe animadvertiſſet, perculſus ſtupore maximo, vix non exanimatus corruit. Quapropter in gratias ac lacrymas coram Deo totus effuſus, meritum Petri atque virtutem etiam ſuper animantia & elementa altiſſime celebrando iter accelerat, ut quamcitiſſime ad liberatoris ſui pedes in Cœnobio procumbat. Pervenit tandem, licet tardius, ad Conventum, & coram omnibus, potiſſime vero ad pedes ſancti Patris liberatoris, beneficium & miraculum exultabundus recenſet; cujus cauſam Petrus caritatis præſtantiæ adſcribens, gratiarum actionem omnem in divinam Omnipotentiam refundit. Viatores autem, qui ad flumen trajiciendum pervenerant, a Navicularo certiores facti, neminem ſe ea nocte trajeciſſe, eo magis admirandi ſucceſſus conditionem quacumque tranſirent evulgabant. Interea dum quiſque debitas Deo gratias referre contendit, duo adveniunt nuntii ab Oppido de Arenas inſtantes, ut Cœnobium Fratrum apud ſe ædificare Petrus permittat; & idem ſuis ſumtibus Cives pollicentur perfecturos; quibus tunc humaniter dimiſſis, poſtea, Deo ſic inſpirante, plenius ſatisfecit. Idipſum ſæpe numero petiit D. Joanna de Portugal Marchioniſſa de Elche, quo tempore audivit, eum ereatum fuiſſe Commiſſarium Generalem, & conceſſam illi fuiſſe facultatem alia recipiendi Cœnobia. Ejus precibus

Petri meritis Vir Fratribus addictus Tagum tranſit inoffenſo pede.

Conventum de Arenas exſtruendi facultatem largitur. Et Conventum de Elche. *Monum. MS. ex Arch. S. Iſidor. Arm.* 5. *n.* 140. *fol.* 311. *& num.* 143. *fol.* 10.

bus indulſit Petrus anno MDLX., ut ad illum locum explorandum Antonius a Conceptione, & Bartholomæus a ſancta Anna accederent. Hi poſtquam opportunitatem ſitus condendi Domum exacte deſignaſſent, tam in loco de Elche ab ipſa Marchioniſſa oblato, quam in Oppido de Monſorte, ſive Montis Fortis, quo illos tranſeuntes pium incolarum ſtudium vocaverat, redire ad Capitulum Pedroſi, ut miſſionem Fratrum ad novam fundationem acceleraret, quemadmodum in Capitulo Lorianæ congregato ſanctus Commiſſarius ſtatuerat. Rebus ita diſpoſitis, principium Capituli Dominica Septuageſimæ celebratum eſt, in quo auctoritate Apoſtolica ſibi, tanquam Commiſſario Generali conceſſa, Patrum quoque votis accedentibus, Cuſtodiam jam novem, aliis XVI., in Bulla autem pontificia XIV. ac forſan plures, Conventibus auctam erigit in Provinciam titulo ſancti Joſephi; cujus imaginem pro ſigillo aſſumere placuit. Ei paribus ſuffragiis primus Provincialis præfectus fuit Chriſtophorus Bravo, vir ſingularis virtutis atque diſciplinæ religioſæ, cui ſola obedientiæ vis acceptationem muneris extorſit, maxime urgente ſanctiſſimo Commiſſario. Joannes de ſancto Bernardo in vita ſancti Petri minus vere ſcribit, Chriſtophorum per ſexennium nondum tamen expletum, dum ad naſcentis Provinciæ regimen promovetur, cum Sodalibus converſatum eſſe; quum etenim ſanctus Petrus omnium primum Chriſtophorum ad ſuæ vitæ rationem ineundam adniſerit, labente anno MDLVII., quemadmodum & ipſe Joannes fatetur, fueritque idem Chriſtophorus hoc anno, menſis Februarii initio Miniſter electus, ſatis ſuperque conſtat, eumdem per tres dumtaxat annos, totidemque circiter menſes noſtræ fuiſſe adſcriptum Sodalitati, dum Provinciæ ſancti Joſephi Miniſter hoc anno electus eſt. Ibidem cæteris mox creatis Superioribus, Provinciæ leges propoſuit, alias etiam in Conventu Lorianæ propoſitas, quæ a fundatione Cuſtodiæ traductæ vigebant, frequentis Reformationis normæ atque exemplari nitebantur; proinde unanimi conſenſu approbatæ fuerunt. Quoniam vero pietatem ac ſtudium præcipuum religioſæ paupertatis ubique redolent, e re ducimus eas hic exſcribere:

Conobium item de Monte Forti. *Ibidem fol. 332. & Arm. 5. num. 143. fol. 18.*

Provincia ſancti Joſephi erigitur. *Gonzaga par. 4. in procm. hujus Provinc. Guber. Tom. 2. lib. 7. cap. 2. Monum. MSS. auth. hujus Provinciæ.*

Chriſtophorus Bravo primus Provinciæ Miniſter. *Joan. de ſancto Bern. lib. 2. cap. 37. & lib. 4. cap. 22.*

Leges in Capitulo præſcriptæ.

Primo ordinamus, ut in omnibus Conventibus noſtræ Provinciæ recitetur officium divinum voce ſubmiſſa, æquali atque devota, ubicumque quatuor Fratres convenerint, qui id rite explere poſſint.

Item in omni tempore fiat oratio mentalis per tres horas in communi, & una hora labore corporali Fratres exerceantur. Per totum annum faciant diſciplinam in communi more ſolito, exceptis Dominicis ac feſtis de præcepto.

Item quia ſcimus, quod noſtræ profeſſionis principalis obſervantia conſiſtit in ſanctæ paupertatis praxi; qua derelicta, obſervantia quoque Regulæ noſtræ ſanctæ deperiit: ea propter ordinamus, ut omnes Fratres nudis pedibus incedant, veſtiti panno groſſo; ex quo habitus longitudo non excedat pedis ſuperficiem, nec latitudo decem palmos; manicæ pertingant ad primam manus junkturam, & latitudo inter utrumque humerum palmi & medii cum unica apertura: mantellum longitudinis tantæ ſit, ut extrema digitorum obtegat demiſſo brachio.

Item ordinamus, ne petantur pro ſanis carnes, piſces, vinum, ova, exceptis eleemoſynis quotidianis, quibus non petantur res delicatiores, ſed illæ recipiantur, quæ ſponte offeruntur, exceptis pernicibus, gallinis & aliis hujus generis cupediarum: nec conquirantur res quæcumque ut ferventur; præter legumina pro uno aut altero menſe cum conſenſu Provincialis, Guardiani & Seniorum Conventus; nec cogatur aliquis carnes vel lafticinia manducare, quocumque tempore, ſi noluerit.

Item omnes Fratres ſuper humum dormiant in aliqua tabula, ſtorea vel pelle,

pelle; ſalvo in locis humidis, ubi ſtratum erigere poſſint altitudinis unius palmi a terra, neque ad hoc faciendum a Superioribus cogantur: & poſſint habere ſtragulum vile quatuor menſibus anni, & aliis duo; quatuor vero æſtivis nullum.

Item ordinamus, ut Fratres ætate provecti bene habeantur, & infirmi optime curentur ſecundum poſſibilitatem ſine magna aliqua diſtractione cum charitate: nec quiſquam, qui vitam communem non ſervaverit, ad minus per medium annum habeat vocem paſſivam; ſi vero convaleſcens, ad eamdem vitam per medium annum redierit, eandem vocem recuperabit. Pro vita autem communi intelligimus non portare quodcunque genus calceamenti, non uti cuſcitra, lino aut aliis hujuſmodi, quæ ubique ſanis prohibentur: & ſi quis hac voce paſſiva utitur, prout dictum eſt, impeditus, privetur eadem per duos annos; & Prælatus, qui id permiſerit privetur ad triennium in Capitulo ſequenti.

Item ordinamus, ne pro ſacrario recipiantur vaſa aurea vel argentea, præter duos calices, & unam cuſtodiam pro ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: nec recipiantur paramenta ſerica aut acu picta; ſed ſimplices quatuor tantum caſulæ cum cæteris ornamentis ad ſacrificium neceſſariis; neque ſint in qualibet Eccleſia plura quam duo Altaria, quorum ornatus pauper ſit & nitidus, ut devotionem excitet. Cætera Conventuum ſuppellex humilis ſit atque exigua; ita ut neceſſitati ſufficiat.

Item non recipiantur pecuniæ pro Miſſis, ſed omnes applicentur pro Benefactoribus; ſalvo quod Guardianus unam aut duas applicare poterit pro aliqua perſona particulari, cui Provincia ſingulariter obſtricta fuerit; nec pro eadem quicquam recipiatur.

Item ordinamus, ut Conventus, qui inpoſterum recipientur, ſint parvi & humiles, juxta formam a Capitulo præſcriptam: nec aliquis recipiatur, qui non habeat patronum, cui non permittatur, ut eum Papæ renunciet, ſed tanquam Dominus quandocunque voluerit, poſſit ejicere Fratres, & facere de eo quicquid ei placuerit. Idcc quoque quolibet anno accedant eum Fratres cum clavibus, ut ei reſtituant; aut ſi propter amorem Dei voluerit eos ulterius in eodem habitare, id iterum concedat: tenenda quoque ſunt duo inventaria ſupellectilis Conventus, ut excuntibus Fratribus relinquant illud, quod a Domino acceperunt, aliud vero ſecum afferre poſſint.

Item ordinamus, ut juxta regulæ præceptum de Conventuum noſtri Inſtituti humilitate, Eccleſiæ parvæ ſint; nec latitudine octo pedibus anguſtiores, nec viginti quatuor longitudinem excedant: nec ex quacumque occaſione amplientur, niſi propter aliorum habitatorum commoditatem, qui nullam aliam in propinquo Eccleſiam habuerint. Et in Conventu, ubi habitaverint Fratres reſplendeat paupertas & vilitas: nullo ligno elaborato conſtruatur niſi Eccleſia, Chorus & ſacrarium: nullum ibi ſit ſynodium aut bibliotheca; ſed libri inter Fratres diſtribuantur, ut melius conſerventur. Totius Conventus de novo extruendi circuitus quinquaginta ad ſummum pedes contineat. Octo pedum vel novem latitudinem ſacrarium, portaria atque valetudinarium inferius includat. Cellæ ſeptem pedes ad ſummum, valetudinarium hybernum tredecim aut ſexdecim non excedat: clauſtri area in forma quadrata ſeptem pedes habeat. Diviſio cellarum ſit ex lateribus; & ſcala trium pedum latitudinis: ad quam formam omnes Conventus, quantum poſſibile fuerit, redigendi aut præcipue ædificandi.

Nullus Conventus ultro octo cellas habeat; portam clauſtri quatuor palmis latam, ſeptem vero altam, reliquas portas duo pedibus latas & ſex altas. Eccleſia ejuſdem ſit altitudinis cum Conventu, ut quadratura juſta ſervetur.

Tan-

Anno Christi 1561.	Pii IV. anno 2.	Ferdinandi I. Imp. anno 4.	Religionis Minorum anno 354.

Tandem ordinamus, ut Provincialis, Commiſſarius, Cuſtos aut Guardianus, qui has Regulas non ſervaverit, privetur per ſex annos, aliiſque pœnis ſubjaceat, juxta ſententiam omnium Patrum.

XIX. Poſteaquam ergo a Patribus hujuſmodi conditæ ſunt conſtitutiones, de Cœnobiorum Præfectis proviſum eſt; varüque Religioſi, qui novi Inſtituti deſiderio ad Capitulum ex variis Provinciis concurrerant, per familias commode diſtributi ſuere; Petrus novum quoque Provincialem Romam deſtinavit, ut Magiſtro Generali Conventualium rerum geſtarum rationem reddens, omnium confirmationem tam ab ipſo, quam a ſummo Pontifice procuraret. Novum Miniſtrũ Romã mittit decernitur, & quare.

XX. Non defecit interea Romæ Provincialis Præſes Chriſtophorus Bravo negocia Provinciæ apud Generalem PP. Conventualium Magiſtrum ſuperiorem ſuum promovere, ut Regulis ad novi Inſtituti confirmationem approbatis, facilius religioſæ vitæ diſciplina augeretur. Variis propterea cum Cardinali Carpenſe Ordinis Protectore conſultationibus habitis, Philippo II. Hiſpaniarum Rege, Franciſco de Zamora totius Ordinis Generali Miniſtro, & Franciſco Guſmanio pro Obſervantium familia in Romana Curia Commiſſario Generali efflagitantibus, quinimo, & ipſo ſummo Pontifice arridente, recens erectam ſancti Joſephi a Petro Provinciam, de qua tamen PP. Conventuales erant optime meriti, Obſervantium regimini ut ſubjiceretur agere non intermiſſum, donec optatum finem ſint aſſequuti, ut ad annum ſequentem dicemus.

XXI. Eodem tempore octo Sodales moribus & experientia probatos, nempe Gaſparum de Tordeſillas, Hieronymum de Civitate Roderici, Antonium de Valentia, Antonium de Bravo, Hieronymum de Torrejonzillo, & Gaſparum de Salmeron novitium, eorumque Commiſſarium Alphonſum de Lerena, & Guardianum Conventus ſancti Joſephi de Elche, & Iſidorum a ſancto Jacobo Guardianum de Lorito, miſit ad fundandos eoſdem Conventus, de quibus ſuperius mentionem fecimus. Horum virtute, ac ſanctitatis exemplo fundamenta jacta ſuere Reformatæ Provinciæ ſancti Joannis Baptiſtæ in Regno Valentiæ, cui Petrus tamquam primogenitæ & affectum & ſpiritum pietatis impenſius communicavit, fovitque ſemper quoad vixit, ut merito hæc Provincia Petrum ſuum fundatorem præ cæteris agnoſcat ac veneretur. Cæteros Fratres Fundatores alibi mittit. Qui S. Jo. Baptiſtæ Provinciæ fundamenta jaciunt.

XXII. Ut autem votis Guiomaræ de Ulloa nobilis fœminæ ſatisfaceret in exſtruendo Aldeæ de Palo ſive Pagi Ligni Cœnobio illuc verſus hoc anno, non autem, ut apud Gonzagam legitur, MDLII. pergit, ibique ſummis honoribus omnium exceptus, ſolum ab eadem oblatum recipit. Interea vero cum ſociis in ædiculam quandam, quæ uſui erat trapeto, ad habitandum ſecedit. Dum hic rebus diſponendis exſtructionis incumberet, & annunciatione divini verbi uberes fructus colligeret, accidit interea duobus erga Petrum affectis, ut domeſticis, externiſque curis conturbati ſortis ſuæ moleſtias invicem conferrent; conſiderando ſe a beato Patre alias excluſos a religioſæ familiæ ingreſſu, majoribus adverſitatibus tam animi quam corporis vexari, conſultum putarunt tanti Patris ſpiritualis præſentiam adire, ut ſolatium aliquod referrent; quod ſola ſpe ejuſdem reditus avidius prælibabant. Quadam itaque die, qua hujuſmodi collocutionibus animi mœſtitiam ſublevabant, placuit divinæ Omnipotentiæ Servo ſuo Petro, licet longe diſtanti, omnia in ſpiritu pateſacere, & ut illis ex improviſo apparens, ſic amice ſalutaret: *Dominus det vobis ſuam pacem.* Ipſis vero præ gaudii magnitudine quaſi exanimes ad Petri pedes corruentibus, lacrymiſque irrigantibus, inſta- Cœnobium recentitum Aldeæ del Palo fundat. *Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3 n. 31. fol. 70. Gonz. in Prov. S. Joſeph Con. 5.* Duobus affictis conſolator apparet.

ſtabat ille, *quid vobis eſt filii? quid occurrit? quæ cogitationes, quæ dubia vos conturbant?* Unde a terra ſurgentes, atque ſeorſim Virum Dei conſultando animi latebras aperire, omnes anxietates deponere, tantoque majori ſtupore percelli, quo repente ex oculis ſuis evaneſcere, & certa indagine miraculoſe ſibi adfuiſſe compertum habuere. Hinc ſummas divinæ bonitati gratias reddidere, qui in ſuæ afflictionis auxilium Petri ſanctitatem, propriamque in ipſum venerationem modo tam admirando magis magiſque confirmare dignatus fuiſſet, atque inpoſterum ſæpius conſolati ejuſdem præſentia, eandem aliis ejus devotis divinitus conceſſam tam beneficii accepti gratitudine, quam altiſſimis amici Dei præconiis publice declamarent. Novo ergo Cœnobio numeris fere omnibus, Deo juvante, abſoluto, Vir Dei ad illud de Arenas exſtruendum progreditur, qua de cauſa ex eodem oppido binos ei adveniſſe nuncios ſupra monuimus. Quamvis autem hyemalis intemperies illo anno maxime increviſſet, ſanctum tamen Virum in ſui rigoris obſervantia non relaxabat, dum nudis plantis gelu calcans, caput omni nivium imbriumque inclementiæ nudum exponeret. Augebat quoque magis dolores Fratrum in Aldea del Palo relictorum conmiſeratio, quorum e cœlo benigniori Extremaduræ ad illud rigidius translatio, majorem ſibi alienum quam proprium doloris ſenſum afferebat. Exaudivit tamen Deus Servi ſui præces, quibus ſuccurrere filiis ſuis minime prætermiſit. Enimvero die quadam in memorato Conventu Fratres, alimonia deficiente, afflicti, ſequenti tandem luce, Angelico miniſterio eiborum copia ſunt recreati; ita divinæ providentiæ debitas referentes gratias, mirabiliter delatam opem ſancti Commiſſarii meritis acceptam ferre non deſtiterunt. In via autem Petrus progrediens, pervenerat ad Durium fluvium aquis exundantem, quem ſine periculo tunc tranſire non poterat, niſi renovando priora miracula, Deus Servo ſuo opportunam opem attuliſſet; nam ſtruſtra implorato tranſitu, quem navicularius ob rapidum aquarum curſum pertinacius denegabat, ſanctus Vir crucis ſigno ſe aquaſque muniens, ſuper undas, obſtupeſcentibus his, qui e Ripæ regione expectabant, in alteram partem ſiccis pedibus tranſgreditur; quo quum perveniſſet, inter medias turbas, quæ ad ejus venerationem pronæ conglobatæque coneurrebant, quam citiſſime potuit irrumpendo tranſivit. Miraculo interim ubique pateſacto, & ad Conventum Aldeæ del Palo rei mirificæ rumor progreſſus, Religioſos illos de ſingulari cura qua Servum ſuum Deus ubique mirificabat, certiores reddidit. Pervenit tandem, emenſo ærumnoſo itinere, ad locum de Arenas, ubi omnium plauſu velut Apoſtolus exceptus, Eremitorium quoddam media leuca diſtans, quod *ſancti Andreæ de Monte* audit, juxta divinam revelationem, ineolendum accepit. Erat locus ipſe ſitus amœno inter colles, caſtaneis aliiſque arboribus opaeus, quem a quadam Sodali petitum, mox fundatione, atque Fratrum habitatione habitandum ſuſcepit; at invidente Dœmone huic pio operi, quoſdam Clericos ſuſcitavit, qui fundationi adverſantes ad Epiſcopum Abulæ provocarunt; unde ne quicquam Petrus turbatus, meliora concepit de ipſius Cœnobii progreſſu præſagia; ſcribens proinde ad D. Joannem Velaſquetium de Abula, ut ſuaderet adverſariis, opus illud magnam Dei gloriam, incoliſque utilitatem allaturum, reſponſum retulit, neceſſarium eſſe, ut ipſe Abulam accederet, coram difficultatis & controverſiæ ſolutionem a favente ſibi Epiſcopo auditurus. Sine mora itaque Vir ſanctus Abulam profectus, tanta humilitate, atque dicendi vi rationes fundationis ſuæ Epiſcopo explicavit, ut ipſos adverſarios non convictos modo, ſed & faventes operi ſuo redderet; Epiſcopum vero adeo propitium faceret, ut inſuper alium ſitum ædificando valetudinario commodum aſſignaret. Hinc miſ-

Conventus de Arenas edificatio.

Angelica alimonia Fratres refecti.

Iterato amne ſiccis pedibus tranſit.

miſſo ad fabricæ continuationem ſocio, ipſe ad alia negotia pertractanda Abulæ manſit.

XXIII. At vero vir Petrus Abulam advenerat, quum a Tereſia de Jeſu ad colloquium invitatur (quo gratius ſibi contingere nihil omnino poterat) controverſia de novo Cœnobio feliciter compoſita, nulla mora interpoſita, ad eandem ſe confert, & poſt pœnitentiæ ſacramentum, de ſuorum negotiorum ſtatu interrogat; illa Roma ſe Apoſtolicas litteras expectare quamprimum indicat pro Reformationis approbatione; deinde conſulit, an Monaſterium ſuum eum modica dote fundare conveniens foret. Quod amans, & promotor religioſæ paupertatis, non quidem admiſit, ſed adducto ſanctæ Claræ exemplo, & tunc vigentium Regiarum Diſcalceatarum nobili pauperie, Tereſiam adeo in ſententia hujuſmodi confirmavit, ut omnino nullos redditus Monaſterio addici proponeret. Actum pariter de variis vitæ aſcetieæ regulis, tam in pœnitentiis, quam aliis exercitationibus ſpiritualis vitæ: inter quas, quum duriſſimam S. Commiſſarii abſtinentiam Tereſia admiraretur, eo quod ingenue S. Virgini denunciaſſet ſe fere poſt tres tantum dies refici, & interdum etiam integram hebdomadam inedia tranſigere. Addit ille: *ne mireris filia hoc, quod conſuetudine fit poſſibile*: perrexit deinde Tereſia urgere Petrum, ut ad Dei gloriam manifeſtaret ſibi quid ipſi in vita ſpirituali maxime omnium difficile occurriſſet; cui Vir Dei ſomni torpedinem accuſans, ſe jam ab ingreſſu Religionis id tormenti genus graviter ſenſiſſe dolebat: ideoque *ſcias*, inquit, *ut illud vincam, me ſemper aut erectum, aut genuflexum, aut ſedentem, capite ad lignum accliuato per annos quadraginta, & ultra ſet qui horam ſomnum non capere*. Mox de oculorum mortificatione diſſerens, quia aſſueverat indifferens eſſe videre vel non videre, addidit alia multa de vitæ ſuæ norma, quam nemini unquam declarare voluit, ſed ad inſtructionem modo Sanctæ, ejuſque vitæ confirmationem, cum rigoroſo ſilentii præcepto tunc familiarius explicare ab ipſa auditus fuit, & ſcriptis ſuis poſtea publicavit. Hac occaſione Tereſia B. Patrem, ut apud ſe prandaret maximis precibus, amoriſque Dei, quo unice commovebatur argumento, ad conſenſum pertraxit; & quia Petrum inedia adeo confectum dolebat, videns pellem oſſibus inhærentem, & vix cutibus inſiſtere; pedes autem & manus radices potius arboris exprimere quam vera viventis hominis membra, parari jubet modicam refectionem, ad quam filiam quandam ſpiritualem Petro devotiſſimam Virginem cui nomen Maria Diaz invitare placuit. Sequenti igitur die utraque ad Monaſterium veniunt, ubi poſt mutuas gratulationes Religioſarum Virginum, ſermo de amore Dei ſerventior injectus fuit a Tereſia; quo dum explicando vehementer inardeſceret, S. Commiſſarius totus extra ſe raptus, in altiſſima exſtaſi longo temporis ſpatio elevatus permanſit, itaut Tereſia, tunc prima vice hunc cœleſtem favorem in Petro conſpiciens, eundem, non ſine teneriſſimo lacrymarum imbre eſt proſecuta, atque cum ſociabus Deo gratias agens, finem reverenter expectaret. In ſe igitur reverſus Petrus menſæ adſidens, atque ſolito cibo juſculi aquæ delibuti uſus, alia deguſtare recuſabat, cum repente juvenis quidam divina ſpecie ferculum quoddam dividere viſus Petro offerre, atque potum propinare, illique os abſtergere familiarius tractando, ſtuporem inſpicientibus incuſſit. Unde divinam præſentiam agnoſcentes Virgines, indignas ſe tanto favore confiteri cœperunt: divinam præterea bonitatem prædicare; Sanctum quoque tam admirabili dulcedine repletum profundius venerari; ejus diei memoriam inter illuſtriora ſcribere conſtituerunt. Et licet totius ſucceſſus ſilentium utriſque diſtricte Vir ſanctus imperaſſet; tamen, jubente Deo, a Tereſia factum aliquo poſt tempore vulgatum

S. Tereſiam alloquitur.

Paupertatem ſuadet.

Admirabilis ejus pœnitentia.

Somni parcitas.

Oculorum cuſtodia.

Cibum cum Tereſia ſumit.

Et in exſtaſim rapitur.

tum ſuit; & ab altera Maria Diaz ſuo etiam teſtimonio confirmatum; ut ſic ad poſteritatis notitiam facilius promanaret. Tunc eadem Tereſia alios favores Petro a Deo collatos propriis oculis conſpexit, quos reticuiſſe ſe tum ejuſdem mandati reverentiam, tum Confeſſarii, quo tunc utebatur, cum vitam ſuam ſcriberet timore perculſa teſtatur, ita de Petro loquens: *Multa alia dicere vellem, niſi timerem ea dicere, ideoque relinquo, contenta his, quæ hactenus dixi.*

XXIV. Nuper Abulam Clericus quidam nobilis advenerat, qui juventa, atque opibus inſoleſcens, diſſolute vivendo, alios quoque pravo ſuo exemplo offendebat: nam redditus eccleſiaſticos, quos ſatis copioſos habebat, in luxum, ludos, cæteraque vitia licenter profundens, divini muneris graduſque eccleſiaſtici, imo & decoris natalium nullam rationem habere videbatur. Accedebat ille interdum cum aliis nobilibus ad Petrum tunc Abulæ degentem, cujus colloquia & doctrinam, ſodalium magis gratia, quam virtutis amore, aut ſtudio auſcultabat & mirabatur; enim vero, quum primo Viri ſancti conſpectu tamquam defuncti cujuſdam e ſepulcro tunc egreſſi ſpecie ſuiſſet perculſus, mox verbis ejuſdem altius animum penetrantibus, cœpit flagitioſæ vitæ pudore frequentiores Viri Dei acceſſus paulatim declinare. At beatus Pater, qui interno lumine juvenis ſecretiora ſcrutabatur, ſubinde quum recedebat, monita ſalutis ſuggerebat. Quodam autem die ab ipſo rogatus, ut pro ſe Deum deprecaretur, libenter hoc præſtiturum ſpopondit. Mirabilis hanc ſponſionem eſt ſequutus effectus; eadem ſiquidem nocte Viro ſancto ſerventius pro juvene Deum orante, ille tam vehementi ſcelerum ſuorum contritione commotus fuit, ut nec requiem conſcientiæ, nec levamen dolori, niſi in lacrymarum profuſione inveniret. Dubius tamen tam repentinæ mutationis cauſam cogitans, neſciebat cui aut illam adſcriberet, aut quomodo peccatorum turpitudines prius licentia peccandi evulgatas tunc per Sacramenti virtutem deleret, accuratius tandem caſum meditanti occurrit Petri recens promiſſio, cujus effectus certius illa nocte ſe expertum agnoſcens, ſummo animi dolore conſcientiæ examen ſcripto commendat, & ſtilo altiſſimæ compunctionis characteres formans ingenti lacrymarum copia irrigabat; dum culparum turpitudinem exhorreſcens illas lingua exprimere verebatur: tum magis magiſque erubeſcens, confiteri differebat. His itaque curis noctis quiete interturbata, ſummo mane ad Petrum properat, eumque poſt celebratam miſſam, Arenas euntem, maximaque ſalutantium corona ſtipatum invenit; hic iterum, invidente Sathana, ne meditatam confeſſionem faceret, mundano quodam reſpectu a ſalutari propoſito ſe vehementer retrahi ſenſit, nec in facie tantæ multitudinis beato Patri appropinquare, ſuumque negotium aperire auſus eſt; at fortiur ſtimulante divina gratia, quæ vocaverat, ducitur ſuaviter inter alios, qui Petrum ſequebantur extra civitatem; ita ut ſemper e propinquo eum conſpiciens omnibus recedentibus, ipſe tandem ultimus accederet; mox concepti doloris pondere preſſus, ad pedes Petri provolutus, ac ſcriptum ſuum porrigens; *in hac*, inquit, *pagina, Pater mi, vitæ meæ obſcuras vitiiſque conſpurcatas lineas agnoſce: demiſſe ſupplicans, ut orationibus tuis a Deo mihi omnium peccatorum veniam deprecari non dedigneris.* Ad quæ Petrus manum, & ſinum extendens benigne eum ſuſcipit; verbiſque velut aculeis cor ejuſdem configens, oleum conſolationis vulneribus pœnitentis conſcientiæ infundit; denique perſeverantiæ donum a Deo ei poſtulaturum promittens, cum benedictione lætum dimittit. Poſtea adjunctis ſibi ſociis itineris Magiſtro Daza, & nobili quodam Franciſco de Guzman, Arenas progrediens, hunc licet pergravem inceſſu; ſua-

Clericum flagitioſum convertit.

ſuavitate tamen ſuæ converſationis illectum, obtentu cujuſdam negotii Arenis expediendi, nequaquam a ſe paſſus eſt ſeparari. Nec omittebat interea ſecreta mentis elevatione, divinam implorare miſericordiam, ut juveni pœnitenti dignam delictis ſui compunctionem cordis impertiret. Quamobrem ille per totam viam, qua domum redibat, ſentiens ſe vehementiori dolore peccatorum conteri, mutatus in alium hominem, depoſitiſque prioribus vanitatibus ſæculi, cœpit varia luxus inſtrumenta pauperibus erogare, vitamque Chriſtiano more inſtituere. Paulo poſt Arenas petens, Petro peccata, quæ jam ſcripto prodiderat, confeſſione ſalutari feliciter diluens, ab eodem opportuniora probæ vitæ documenta retulit, quibus anteactæ ruinam tam ſibi quam aliis illatam inſigni emendationis exemplo reparavit. Hinc quamprimum Abulam reverſus, modico contentus famulatu, veſtituque vulgari, ſericis dimiſſis, nobilium juvenum conſuetudines, & cujuſvis generis humana oblectamenta fugiens, Religioſis frequentiſſime jungebatur. Viſitabat aſſidue xenodochia & carceres, Eccleſias quotidie frequentabat, & in privato Oratorio meditationibus, atque corporis macerationibus pervigilem dabat operam. Inſuper pauperum neceſſitatibus ſubveniendis plurimum intentus, hac etiam in parte priora diſpendia compenſare nitebatur, exemploque bonorum operum eſſe, quibus fuerat ſcandalo. Hujuſmodi novæ vitæ ratione omnibus admirandus, atque beati Patris frequenti magiſterio profieiens, tam ſuæ virtutis exemplum illuſtre, quam efficaciæ orationum doctrinæque Viri Dei ſingulare teſtimonium ad mortem uſque præbuit.

Petrus Magiſtro Dazæ negotium Tereſiæ commendat.

XXV. Dum autem Petrus Arenas pergit, Magiſtro Dazæ propoſitum ſanctæ Tereſiæ de fundando novo Monaſterio primi Inſtituti Carmelitarum enarrat, ejuſque favorem eidem præſtandum efficacius implorat. Ejus autem ſalutaribus colloquiis tum Magiſter hic, tum Franciſcus Guzmanus adeo conſolatos ſe fuiſſe poſtmodum affirmarunt, ut ſingulari Viri Dei merito adſcribere non dubitarint, ſe viæ moleſtiam pedeſtri labore nequaquam ſenſiſſe. Tranſiens autem per locum *del Baracco*, incolæ cum quibuſdam Sacerdotibus ordinatim, Viro Dei uſque ad certum Oratorium a loco per milliare diſtans, obvii proceſſere; inde ſumma eum reverentia exceptum ad locum ſuum duxerunt: multi ejus aſpectu commoti, detractis calceamentis, nudis etiam pedibus ſequi non recuſarunt. Ad hæc præcipuæ venerationis exempla ſuffundi rubore Petrus cœpit: & ut erat humilitatis virtute ornatiſſimus, magis divinum conſilium reverebatur, qui talibus argumentis multorum ſaluti conſulere volebat: ideo ad Eccleſiam recta proceſſionem dirigit: hymnos, pſalmoſque in Dei gloriam religioſe intonans; inter eundum tamen per plateas & vicos conglobati magis magiſque populi, & coram Servo Dei demiſſe proſtrati; quidam illi contra enitenti veſtem & pedes oſculari; alii ſola ſpirantis veluti cadaveris ejus objecta ſpecie vix non terreri, aut ad cordis dolorem excitari videbantur; adeo ut plerique commotis animis, nulla ejus audita prædicatione, ad pœnitentiam converſi, ab Eccleſia (ubi coram venerabili Sacramento ejus benedictionem receperant) ad domos ſuas reverterentur propiores. Erat eo in loco Sacerdos nomine *Andreas del Prado*, cui Petrus multis precibus rogatus indulgens, voluit per aliquot horas in ejus domo quieſcere, magis nobilium ſociorum, quam ſui ipſius cauſa, qui omni genere afflictationum corporis & fatigatione occalluerat. Cum itaque ad menſam varii cibi hoſpitibus convenientes afferentur, ipſe juſculo quodam contentus, frigidam infundebat: quare ab aliis reprehenſus, quod ſtomacho noceret, excuſabat ſe, nec alios cibos concoquere poſſe, nec res nimis calidas pati. Hinc Arenas progrediens, varios pagos, quos tranſire occurebat, tanta ſui admi-

Ad loca perveniens recipitur acclamantibus populis.

muratione replevit, ut incolæ ſequendo eum e longinquo, venerabundi ac proni in terram benedictionem ejus ſuſcipere pro ſumma fœlicitate haberent. Eodem honore Arenis affectus, illos quoque ſibi favente experiebatur, quos alias maxime adverſos in Conventus fundatione prius invenerat: unde cum ſuis Religioſis in loco, qui ægrotis deſtinatus erat, aliquandiu vitam religioſiſſimam ducens, Conventus fabricam ſuo admirabili vivendi exemplo non minus, quam doctrinæ efficacia brevi ad neceſſariam habitandi commoditatem promovit.

Conv. Arenarum exſtruit.

Chronic. Prov. S. Joſeph. lib. 4. cap. 18. Gonz. in Prov. S. Joſeph. Conv. 6.

XXVI. Ex quibus ſatis ſuperque liquet, mendum typographi, ſive amanuenſis Gonzagæ in numeralibus notis, ubi pro 1561. 1571. adnotatur. Ex eodem tamen eruitur, hoc anno a ſancto Viro Cœnobium S. Andreæ titulo inſignitum inter aſperrimos Montes, ſeſquimilliare tantum diſtans ab oppido Arenarum, Ducis de Infantado expenſis, a quo etiam quicquid pro infirmis curandis, cum per mendicationem occurri minime poteſt, requiritur, liberaliſſime recipit. Nam ea eſt hujus loci penuria, eaque aſperitas, ut nullo pacto abſque hujuſmodi adminiculo Fratres ibidem perſeverare valeant. Hoc igitur in Conventu cum quodam die panis, imminente jam prandii hora, penitus deficeret, nec ejus habendi aliqua ſpes affulgeret, adſuit præ foribus ruſticus quidam, qui depromtos ex ſitarchiis magnos v. panes portario ſibi cuſtodiendos tradidit, ſtatimque diſparuit. Cœnobii vero Præfectus eos ſibi divina providentia miſſos intelligens, ut rei eventus facillime comprobavit; nam præfatus ruſticus amplius non comparens, Fratres diſcumbere, ſibique miſſos a D. O. M. panes apponere juſſit. Quiſquis ille fuerit, qui apertis oculis hujus Provinciæ paupertatem, vivendique modum contemplatus fuerit, nullo pacto exiſtimabit, nos fabulas ad horum Cœnobiorum deſcriptiones detexere, dum hujuſmodi eventus in medium adducimus.

De cibo, neceſſitate urgente, cœlitus proviſum.

Pluviam a Deo ſupplicationibus impetrat.

XXVII. Dum Arenis moratur Petrus, longa durities cœlum occluſerat, & pro ſiccitate herbis ſeminibus deficientibus, terra ipſa crebris hiatibus pluviam exigebat. Ad hæc mala evertenda omnium ſupplicationes atque vota irrita videbantur, ita ut dolore oppreſſi incolæ, nihil præter ſcelerum ſuorum ſupplicia agnoſcerent. Incidit tamen quibuſdam in mentem beatum Virum adire, ejuſque interceſſionem expoſcere: qua quidem miſeria ille commotus promittit, ſe non defuturum ſuis precibus inſtare, modo ſolemni proceſſione omnes ad conductum diem ac locum pro placando divino Numine acceſſiſſent.

XXVIII. Itaque ex vicinis locis ad Eccleſiam præcipuam ingens multitudo convenerat, cum Petrus rogatus, ſermone ad populum habito, omnium affectus lacrymaſque ad Deum convertit. Hi verum ac intimum offenſarum dolorem exprimere viſi, ſpem certiorem dabant divinæ exauditionis; quamobrem Petrus fiducia divinæ miſericordiæ aliquantulum ante Altare in orationem incumbens, Deum invocat; ſtatimque exurgens: *Procedamus*, inquit, *Fratres contrito corde ad placandum Deum, ego etenim annuntio vobis, quod priuſquam ad hanc Eccleſiam redeamus, exauditos nos a Domino manifeſte cognoſcetis.*

XXIX. Inde procedunt cuncti ex ordine religioſe cantando hymnos ac pſalmos, ut divinum auxilium implorent. Erat tunc ſerenum cœlum, adeo ut Solis radii omnes vehementer adurerent, quum quaſi ex improviſo aer turbari, nube cœlum obduci viſum eſt, ita ut populus futurum imbrem ſuſpicans paſſus acceleraret. Deus igitur ſervi ſui Petri devotis ſupplicationibus motus, quas defixis in terram oculis, & corde in Cœlum elevato, efficaciter porrigebat; denſiſſimam pluviam immittendo populum exultantem made-

defecit, & Servi ſui fidem in Eccleſia afflictæ genti datam pleniſſime exſolvit.

XXX. Poſtquam univerſi templum intrarunt, beatus Pater ad gratiarum actionem pie ac fideliter reddendam adhortatur, & ut in conſcientiæ puritate Deum ſibi propitium conſervare perſuaderet. Mox inter congratulantium, atque adorantium globos ad Cœnobium rediturus perrumpit, proclamantibus cunctis divinæ gratiæ ſingularem largitatem, quæ non ſolum aliquot dierum pluvia exſiccatos fructus revireſcere; ſed etiam ubertate meſſis multorum annorum præcedentium annonæ difficultatem obliviſci feciſſet.

XXXI. Ingenti evulgato miraculo, undique ad ſanctum Commiſſarium concurrunt populi, qui ſe ſuaque orationibus ejus confidentius commendant, cæterique ad ejus Inſtitutum admitti poſtulant, ut mox narrabimus. Erat Arenis mulier quædam oculorum morbo pene ad cæcitatem redacta, quæ auditis Petri miraculis, illum quam celeriter adire decernit, ut ejus benedictione accepta, viſum ad lucrandum victum, quo miſera indigebat, recipiat. Petrus mulieris comperta fide, atque amoris Dei audita mentione, viſcera ſibi commoveri ſentiebat; ſtatim manus capiti ejus imponit, & ſublatis in Cœlum oculis, *Deus te ſanet*, reſpondit, quo dicto omni illa dolore ſe carere agnoſcit, ac ſanam profitetur. Mulieri viſum reſtituit.

XXXII. Alius nobilis filium parvulum habebat, quem hernia immenſis doloribus ad deſperationem affligebat; nec medicorum conſilio, niſi per ſectionem curari poterat: mater tamen Maria de *las Torres* vicem filii vehementer dolens, anxia Petrum convenit; atque ut orationibus & ſacrificiis ſuis miſerum puerum ut Deo commendet obteſtatur ardentiſſime; cujus dolorem & ſolicitudinem Petrus ſublevans, bono animo eſſe jubet; hortaturque, ne ulterius quicquam circa puerum agat, ſed quamprimum ad ſe conducat; mulier domum regreſſa, omnia parata ad inciſionem invenit, ſed patefacto Servi Dei præcepto, ſciſſuram ſuſpendit, & puerum ad Fratrum habitaculum perduxit. Tali ſpectaculo magis compatiens Petrus, prius ſacrum facere aggreditur, eoque abſoluto, Evangelium ſuper puerum recitat, eique benedictionem impertit; interea vero dum in ſacrarium ad deponendas ſacras veſtes accedit, puer melius ſe habere, nullaque ſe parte offenſum ſentit, & mater præ gaudii magnitudine *miraculum*, *miraculum* exclamat. Mox profundiſſimis gratiis benefactori ſuo, qui mirificum illum effectum in divini Sacrificii virtutem rejiciebat, redditis, ipſa cum filio ſano læta domum regreditur. Qui ſubinde ætate provectior hujuſmodi eventus fidem publico teſtimonio palam fecit. Parvulum hernioſum ſanat.

XXXIII. Sic itaque inclareſcente fama virtutis Petri, undique variis tribulationibus, aut infirmitatibus vexati ad eum confidenter convolabant, & ſicut amoris Dei incitamento omnibus expeditiſſime compati ſolebat, ita orationibus ſuis ſalutem ac remedium plurimis impetrabat. Inter hos ſingulare fuit, quod fœminæ Catharinæ uxori Bernardini de Madrano accidit, quæ addictiſſima beato Patri, Fratribus, ac religioſo Conventui eiſdem eleemoſynas abundanter largiebatur. Adierat quadam die Petrus domum hujus nobilis Viri, ut pro beneficio cuidam miſero ſuis precibus opportune conceſſo gratias eidem ageret, quum uxor a beato Patre confidentius funiculum quo cingebatur propter amorem Dei dari ſibi poſtulavit, & obtinuit. Non multo poſt mulier fluxione gravi in facie correpta, præter deformitatem, graviſſimis quoque doloribus cruciabatur: quare fruſtra medicorum conſilia atque induſtriam experta, a marito monetur devotionis in Petrum, & partem ejus cinguli, quam apud ſe retinebat, & per quam ut remedium quæreret hortatur. Confiſa igitur mulier Beati meritis illam ſumit, eamque offenſis membris imponit, Alia item ingentia patrat miracula.

ponit, Deum pie & reverenter deprecans, ut ob merita amici ſui ſanitatem reſtituat. Nec defuit Deus ſupplicanti, qui ut cingulum mulier partibus læſis imponit, eaſdem illico, tumore recedente, curari conceſſit; ita ut omni prorſus ex parte ſana, exin magna cum veneratione cingulum illum habuerit: & per ipſum pluribus aliis beneficium ſanitatis impertitum fuerit. Contigit hoc præ aliis multis fœminæ cuidam in partu laboranti, cui quum ad extremum vitæ periculum perductæ cingulum Petri adhiberetur, ab imminenti periculo ſubtracta, duos maſculos filios ſanos in lucem fœliciter edidit. Sicque Viri Dei merita longe lateque apud omnes corruſcantia, venerationem atque pietatem publicam magis magiſque accendebant.

Animarum ſaluti ſolicitus.

XXXIV. Præclaris Petri virtutibus tribuebatur, ut, prupitio Numine, multi corporum ſalutem adipiſcerentur, ſed ut plurimi animæ quoque conſulerent, ſub ipſiuſque magiſterio æternitati ſtuderent, ſequentes converſiones potiſsime edocebunt. Alias retulimus, ſanctum Commiſſarium in Andalutiam euntem per Baezam tranſiiſſe, ibique a clve quodam pio ac opulento perhumaniter exceptum fuiſſe. Huic filius præclara indole a Petro ad perfectionis vitæ ſtatum præſignatus enixe Patri commendatus fuerat; donec ſtudiorum profectu Sanctorum ſcientiam edoctus, religioſi Inſtituti perfectionem amplecteretur. Is poſt divina oracula per frequentem orationem conſulta, quadam die, inſcio Patre, domo egreditur, Arenis Petrum aditurus. Adoleſcentem quindecim annorum tenui corporis temperatione in deliciis paternæ domus enutritum, eo blandius Petrus collegit, quo certius ſpiritu prævidit virtutis ejuſdem futurum magnum incrementum; ideo auſteritatem Inſtituti primis initiis, temperandam eſſe judicavit, ne ſtatim opprimeretur. Suſcepit itaque illum ad religioſum habitum non adverſante Patre, qui memor prædictionis Petri, ut filium divino famulatui manciparet, libenter a ſe avelli permiſit; nec fefellit utrumque opinio; creſcente ſiquidem ætate, ſingularibus a Deo donis juvenis illuſtrari merebatur: nam orationis, contemplationiſque frequentia, crebris raptionibus, corporis maceratione illuſtres victorias de infenſiſſimo communi hoſte feliciter retulit. Ob vitæ autem innocentiam atque humilitatem, a ſancto Commiſſario ſui *Agniculi* nomine nuncupatus, ſtupenda plurima operatum ſuiſſe perhibetur. Toto quaſi vitæ tempore educationi Tyronum præfectus, tam inſigni fructu exercuit magiſterium, ut multi ex ejus Diſcipulis virtutibus clari, atque etiam martyrio in Japponia celebres evaſerint. Poſt obitum autem ejus Tereſia ſæpe numero de animæ ſuæ ſtatu eundem viſo conſulerit, intellexitque, in illo tanquam altero Eliſæo ſancti Magiſtri ſpiritum perennare; nomen ipſi erat Gaſpar a ſancto Joſepho, de quo alias mentio recurret.

Ad ſui conſortium multos allicit.

Gaſpar de S. Joſepho pius adoleſcens.

Didacus Mencado.

XXXV. Alter qui Arenis Petro aſſociari voluit Didacus Monchado fuit, qui in religioſa familia rigidius inſtitutum profeſſus, tali viſo ad illa ſequenda veſtigia ineitatus eſt. Quadam nocte orationi operam danti per ſpeciem objectum fuit ſpatioſum mare, in cujus medio navis inſtructa variis inſigniis velut firma ſtabat, ad quam multi viri Religioſi per viam ſaxoſam, quæ inter aquas eminebat, pergere contendebant; animadvertebat autem ex his aliquot ſarcinis prægraves, non adeo expeditos, titubando inter ſaxa, undis ſubmergi: alios vero lenioribus veſtibus, ac corpore, vultu & membris macilentos expeditius ad eandem navem pervolare. Alii videbantur in littore ſuſpenſi hærere, deſiderio tantum tranſeundi; dum aliorum, qui ſe præceſſerunt, periculum pertimeſcerent. Unde turbari ipſe quoque non parum videbatur, donec excuſſa mora, adeundum ſibi Petrum proponeret, cujus eximiæ ſanctitatis fama univerſam Hiſpaniam implens, Inſtituti quoque obſervantiam re-

religioſæ ſalutis viam ſecuriorem ſtraviſſe vulgabat; hinc difficulter a Miniſtro Generali tranſeundi ad ſtrictiorem aliquam Franciſcani Ordinis Provinciam impetrata licentia, Arenas contendit, ubi duos ejuſdem Inſtituti Patres obvios habet, quos ex vultu, atque habitu judicabat ex illis eſſe, quos ſibi viſio velociores fœlicique acceſſu ad navem perveniſſe oſtenderat. His itaque comitantibus, ad Petrum adducitur, a quo perhumaniter exceptus, ejuſdem Societati nomen dedit fœlici adeo ſucceſſu, ut inter ferventiores Fratres Provinciæ ſancti Joſephi merito habitus, tam in vita, quam poſt mortem miraculis a Deo condecorari meruerit. Sanctus Commiſſarius vero ad Cœnobium Roſarii excurrens ut Fratres ſuos ſolaretur; mox Arenas rediit, quo in fabricam novi Cœnobii diligentius incumberet. Accidit autem in via, ut ſocius ejus Franciſcus a Melo, inedia, ac laſſitudine deficeret, quamobrem commiſeratione ad Deum Petrus converſus, opem ei afferre per orationem contendit: inde ad Socium, *Frater*, inquit, *inſpice ſacculum iſtum, in quo libros geris, & neceſſitati tuæ ſuccurras.* Ille cui in ſæculo contenta probe nota erant, vane ſibi id dictum fuiſſe exiſtimans, obediens tamen promte, ſæculum aperit, indeque panem calidum optimumque extrahit, quo uterque obmuteſcentes, mox in terram provoluti, ſingulare miraculum divinis laudibus celebrarunt. Recepit circa hoc tempus Petrus Epiſtolas officioſiſſimas tum a Joanna de Auſtria, tum etiam a Maria Infante Luſitaniæ, in quibus utraque animæ ſuæ dubia quædam exponebat, atque orationum ejus implorabat ſubſidium. Conquerebantur inſuper, quod nihil a ſe officii poſtulaverit, cum paratiſſimæ eſſent ad quodlibet beneficium etiam ipſius religioſæ Familiæ præſtandum. Unde reſpondens Joannæ, pro veſtiendis Fratribus pannum vile, & ab Infante ſimplicia quædam linea corporalia pro Eccleſiarum ſuarum uſu humiliter petiit.

Franciſcus a Melo.

XXXVI. Alias etiam accepit literas a Ludovico Granatenſi, quibus ei explorandum oratione commendabat, cui ſe ſtudio dicandum divinæ voluntati potiſſime placeret. Aliquot poſt dies illi reſpondit, ut prædicatione poſpoſita, ſcribendis libris ſpiritualibus operam daret, quo plurimis in hac via laborantibus prodeſſet: nam experientia innuit, hujus celeberrimi piique Theologi tractatus orationi, & contemplativis ſtudioſis maximam utilitatem præſtitiſſe, atque adhuc fructum uberem afferre, illis præſertim libris, quos de oratione, & meditatione conſcripſit, in quibus eundem Petrum, vel imitari ſtuduit, vel commentando illuſtravit, nimirum idem utrumque divinus ducebat ſpiritus: chriſtiana vero illorum virtus, vitæ ſanctitas mirifica cœleſtium rerum peritia eminenſque doctrina ſcriptos ab ipſis utiliſſimos libros magis magiſque commendant.

Dat Ludovico Granatenſi amico ſalutaria monita.

XXXVII. Præ omnibus autem Vir ſanctus literas a Tereſia exoptabat, quibus ſtatum ſuæ fundationis, quam perfici vehementer cupiebat, intelligeret. Ut igitur ad hoc ipſam alliceret, ipſe menſe Septembri hujus anni, teſte Franciſco Ribera in ejus Vita, Brevem ad eandem epiſtolam dedit, qua etiam ſe enixe orationibus ejus commendavit, eo quod plus ſolita valetudine laboraret. Pervenit autem hæc epiſtola ad ſanctam Virginem Abulæ commorantem, eodem tempore quo ipſa, propter defectum cujuſdam clauſulæ, Brevis Pontificii Roma miſſi valde cruciabatur. Non enim exprimebat facultatem Monaſterii ſui ſubjiciendi Ordinario, ſi forte Provincialis Præſes Carmelitarum acceptare noluiſſet; quæ res negotium ſuo in exordio valde turbare videbatur. De his itaque certiorem fecit Petrum, & de quibuſdam aliis agendis conſuluit, ſimulque gratias egit, quod hanc ſolicitudinis partem tam pie ſibi aſſumſiſſet.

Epiſtolæ a S. Tereſia exoptat.

XXXVIII. Pla-

Cum Teresia colloquitur.

XXXVIII. Placuit Deo omnia hæc, quæ mente Virgo sancta conceperat, & in epistola inscripserat, Petro absenti aperire; atque ut ille Arenis existens Abulæ in Monasterio Incarnationis cum Teresia colloqueretur, difficultates omnes explicans, ac profuturis successibus opportune ac familiariter omnia disponens; unde modum præsentiæ ipsa admirans, summa cum animi consolatione verba Amici Dei suscipiebat; quibus auditis itaque, in oratione perseverans, Petri meritorum excellentiam divinitus penetravit, ad quam tot heroicis virtutibus ipse ascenderat. Prædicationibus quippe suis universæ Hispaniæ multiplices fructus attuliſſe, ſicut vitæ exemplo comprobaverat, ita divina revelatione maxime ſibi gratum exiſtere, Teresia ex hoc insigni memorabilique testimonio novit, ac manifestavit universis: *Hujusmodi sunt merita Petri de Alcantara, & tanti apud me æstimantur, ut quodcumque a me ejus nomine petieris numquam sibi negaturum me scias*, quibus adjunxit Dominus, se infra annum eundem Servum suum ad cœlestia præmia vocaturum, spiritali colloquio finem imposuit. Teresia vero mox ad Petrum divinæ revelationis nuncium perscripsit, eique de summi boni promissione gratulatur; tantoque magis eum accendebat, ut majori cum animi suavitate imminentem vitæ finem expectaret, atque ad eundem agonem suscipiendum exercitiis ferventioribus sese diligentius præpararet, augendo corporis macerationes, jejunia multiplicando, orationes protrahendo.

Petri meritis petentibus Dominus se exauditurum semper promittit.

Abulam iterum proficiscitur Reformationis Teresianorum causa.

Maria Diaz.

XXXIX. Nec diu distulit sanctus Commissarius Abulam proficisci, ut Reformationis Teresianorum initia promoveret; cujus effectum videndi, antequam suum diem obiret extremum, ardentissimo desiderio flagrabat. Tertium Seraphicum Institutum Abulæ pia quædam, ac nobilis fœmina nomine Maria Diaz profitebatur, quæ spiritali vitæ addicta, orationibus, jejuniis, ac corporis macerationes assidua nullius familiaritate a Teresia utebatur. Hæc similiter Petri salutari doctrina proficiens, virtutis ac sanctimoniæ fama, tum etiam pro contemplationis studio inter præcipuas Hispaniæ tunc habebatur; quapropter, quum illum advenisse Abulam intellexisset, confestim, ducente spiritu, ad ipsum convolavit, ut divina manifestatione sancti Directoris, ac magistri sui merita facilius agnoscerent, quod sane accidit sequenti modo.

In extasim rapitur.

XL. Erat eo die Petrus in Aula Joannis Velasquezii Domini de Loriana, cui erat a sacris consiliis, coactus tamen apud ipsum prandere. Vix mensæ accubuit, cum ciborum diversitatem oculis despiciens, eosdem in Cœlum attollens, cœlestium rerum sapore atque dulcedine abstractus extra se rapi visus, nullius sensus usum indicabat; sieque diu perseverans, tali spectaculo etiam assidentes, stupore magis, quam appositorum ciborum nutrimento satiabat. Hujus autem inediæ quasi compatiens Christus Dominus, stupendo favore Servum suum beatum Patrem tunc temporis prosequi dignatus fuit; ipse enim cum multis Angelis cœnaculum ingressus, adstare Petro, eique quoddam ſerculum ministrare suaviterque ori immittere, ut cibum assumeret, adhortari voluit. Nec ideo Petrus sensibus redditus naturæ officio fungi poterat; sed virtute superiori adjutus facultatem attrahendi cibum exercens, interioribus animæ delieiis, quibus absortus erat, vacabat.

Christi præsentia reficitur.

XLI. Interea accessit Maria Diaz, & quod cæteris eclabatur, ipsa admirans summo animi oblectamento, ad pedes Christi procubuit, tum intimo cordis suspirio hanc vocem edidit: *Ah Domine mi, hic ne tu stas?* cui ille: *Ubi vis filia, ut sim? hic sto, ut electos meos reficiam*. Tanta vero hæc verba suavitate, atque efficacia a Christo proferebantur, ut cor Virginis superna dulcedine perfusum tunc omnes corporis sensus destitueret: eamque in quietissima exstasi immobilem figeret. In qua dum illa persistebat, ad se re-

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 354.
1561.	anno 2.	anno 4.	

reverſus Petrus, & admirabilem divinæ benignitatis profuſionem demiſſa humilitate cognoſcens, eidem Mariæ, poſt exſtaſim, divinorum ſecretorum beneficia commendans, breve colloquium celeri fuga diſſolvit. Mox Tereſiæ ſociiſque vale dicens, ad Cœnobium ſuum Arenis rediit. Ad ſuos revertitur.

XLII. Propoſitum erat Petro illa nocte locum *De las Cuevas* attingere, ut ſequenti die Arenas perveniret: ſed præpeditus, viribus ſenio atque corporis maceratione debilitatis, non minus quam viæ difficultatibus, non ultra radices montis *Puerto del Pico*, declinante die, perrexit. Hujus itaque Montis ardua conſcendens, nocte obſcura pervenit ad tabernæ cujuſdam deſertæ ruinas; quæ tunc nullo alio loco receptaculum præbente, & tenebrarum horrore creſcente, hoſpitio pauperrimo ac deſolato gratiſſime obvenerunt: ſed turbavit quietem tempeſtoſus turbo, qui nivem & aquas effundens ſub aperto Cœlo diluvium minabatur, adeo ut Petrus Socii magis quam ſui memor, Deum præcatus ſit, ut eum ſalvum præſtaret, eumque paterne hortabatur, ut ſibi meliori quo poſſet modo provideret. At Socius viciſſim beato Patri commiſerans, & a nudo ejus capiti nives excutiens, tot ejus incommodis ad patientiæ imitationem animum firmabat conſtantius. Imbrem evadit illæſus.

XLIII. Dum igitur hujuſmodi caritatis officiis utrinque certabatur, obtinuit Petrus obedientiæ authoritate, ut Socius (qui ſibi tamquam meritis inferiori, atque viribus robuſtiori majora incommoda deberi judicabat) tandem cederet, & in ſpecum quandam ſe reciperet, foris manente Petro, ubi omnem aeris inclementiam ſolus ſuſtineret. Sed tanta fuit vis orationis, ut decidentes ſuper eum nives ab interno quodam calore liqueſcerent, ut Socio intempeſtæ, ac moleſtiſſimæ noctis frigus nihil quicquam incommodis, eodem fatente, afferret. Itaque dum inter anguſtæ hujus maceriæ ſpatium orando obambulat, experiebatur, nives illic liquefactas ſub pedibus ſuis ſolum non attigiſſe, ſed mirabiliter in aere ſuſpenſas in modum teſtudinis tectum ſibi quoddam efformaſſe; ſub quo noctis tempeſtatiſque incommoda ſecurus evaderet. Ingenti miraculo nix Petrum a nive liberat.

XLIV. Ita ergo noctem in oratione tranſigendo, mane diluculo clarius animadvertit divinæ providentiæ admirandum opus ſuperſtructum, qua ſe tegumento a frigore immani, & copioſa nive fuiſſe agnovit. Deinde cum gratiarum actione viam proſequens, conglobatas nives, quæ illam occluſerant, extenta manu tantum removit, quantum tranſeundi ſibi locum ſufficientem tribuerent. Res ipſa ſocio ſtuporem maximum injecit; nam Petrum exiſtimans nivibus obrutum, prodire ex fornice illa ſiccum & alacrem, mirabili & aperto divinæ providentiæ argumento conſpicit; quapropter ambo ad divinas laudes excitati, ſingularis beneficii prodigium per totam viam altius celebrarunt; tum maxime quod beneficium ipſum non ceſſavit, donec ipſi ſingulis velut paſſibus altiſſimas nives perrumpendo, & latentes foſſas & ſaxa feliciter, & ſine offendiculo tranſeundo, ad locum *de las Cuevas* incolumes pervenerunt, ubi in Templo gratiis Deo peractis, ad domum Franciſci de Andrada pergens, ſumma eum admiratione atque gratulatione excipitur. Præ cæteris qui Servo Dei ſunt congratulati, Religioſus fuit quidam Sacerdos Hieronymus Moreno nomine, qui miraculum ingens perſerutatus, mirificumque operimentum, quo ſibi Petrus a nivibus ipſis paratum confidenter narraverat, ipſe, licet prohibitus, ad Dei gloriam evulgare non dubitavit. Unde amicorum plauſus, magis quam præterita tormenta frigoris effugiens B. Pater, poſt brevem quietem atque ſocii refectionem, eandem viam iterum proſequitur.

XLV. At ex hujuſce itineris moleſtia S. Commiſſarium ad Cœnobium re-

reverſum vehemens ſtomachi occupavit dolor; conſueta tamen animi tranquillitate tormentum ferens, inde ſeſe diſponendi ad vitæ terminum quem ſibi appropinquare prænoverat, occaſionem amplectitur. Contigit interea, Sodales novi Cœnobii, victu deficiente, laborare fame, quam quotidiano quæſtu ſublevare cœli intemperies vetabat. Itaque exitu omni præcluſo, quocumque etiam cibi genere conſumto; ſola Petri conſtantia cæterorum animos ad cœleſtis ſubſidii ſpem alacriter erigebat. Nec feſellit in oratione perſeverantes eventus; enimvero quodam die, inſtante hora prandii, ad portam Cœnobii quidam pulchro & venerabili aſpectu juvenis quinque panes oſtiario attulit, ac ſtatim diſparuit. Illos de cœlo veniſſe hoc argumento Petrus agnovit; quare confeſtim Conſodales ad gratias Deo agendas hymno ad Altare duxit. Auxit magis magiſque hoc teſtimonium, quia memoratos panes continuarunt, proſequentibus pluviis, & Fratribus exitum e Cœnobio impedientibus, iiſdem per ſequentes aliquot dies ſuffeciſſe compertum eſt. Exinde ad Cœnobium Roſarii Michaelem de Catena mittens cum ſodali ſocio, & in itinere, tempeſtate oborta, Fratres Arenis commorantes vicem ipſorum dolentes Petrum periculi admonet, & quid de illis ſoret exquirunt anxii. Quibus ille, *ne ſolliciti ſitis*, inquit, *quia Michael Evangelium ſancti Joannis nunc recitat; atque eo ſe a tempeſtate defendit*. Quod verum fuiſſe a Fratribus compertum eſt, quando Michaelis ſocius ad Cœnobium reverſus ita eveniſſe pro certo affirmavit.

Iterum ei, ex Cõſodalibus cœlitus de cibo provitum.

XLVI. Erat his diebus Toleti Ludovica *de la Cerda* Ducis Medinæ Cœli ſoror, quæ ob immaturam mortem Marchionis de Malagon conjugis nullam conſolationem admittere patiebatur. A quibuſdam propterea amicis exorata ut Tereſiam revocaret, & ab ipſa efficaciora humanitatis officia expectaret & caperet. Ad Provincialem Carmelitarum Præfectum ſupplicem miſit libellum, ut hac de cauſa Tereſiæ opportunam facultatem impertiretur. Nec mora Provincialis illuſtri fœminæ obſecundare cupiens, Tereſiam virtute ſanctæ obedientiæ Toletum ire circa feſtum Natalis Domini hujus anni præcipit. Quo quum illa perveniſſet, ſumma omnium lætitia excepta, Ludovicæ adeo grata extitit, ut converſatione ſua omnem pœnitus mœrorem abjiceret. In hoc chriſtianæ pietatis opere Tereſia ſex menſes inſumſit, & interea de ſua fundatione Petrum certiorem facit, ac de quibuſdam difficultatibus, quæ ei a viris doctis & piis circa paupertatis modum objicicbantur. Erat etiam pius animus memoratæ Marchionis Petrum videndi cupiditate fervens, Tereſiamque proinde urgebat, ut ipſum advocaret. Verebatur tamen Tereſia ne adverſa ſancti Viri valetudo itineris moleſtia opprimeretur. Sed deſiderii affectus timorem abjiciens, Petrum ad iter verſus Toletum ſuſcipiendum invitat, precibuſque Vir ſanctus annuit, ut ad ſequentem annum dicemus.

Toletum verſus a Tereſia vocatus, proficiſcitur.

XLVII. Hoc anno item a Petro, non autem MDLVIII. ut Gonzaga opinatur, Cœnobia Elchii ſive *de Elche* & Montis Fortis exſtructa ſunt, * authographis monumentis Provinciæ ſancti Joannis Baptiſtæ, ad quam pertinent, teſtantibus. Quum enim Joanna de Portugallia Elchenſium Marchioniſſa enixe in Sodales propenderet, cuperetque, Elchii, quod ejuſdem Valentini Regni oppidum eſt, Domum illis erigere, datis illorum duabus commendatitiis litteris, Elchenſium Proceres monuit, ut ſi tum ſibi tum populo conſultum cuperent, Fratres ipſos benigne exciperent, & illis locum opportunum pro ædificando Cœnobio deſignarent. Ejuſdem Joannæ piis votis Petrus annuens, anno præterito (ut verius Laurentius a ſancto Paulo ſcribit) indulſit, ut ad illum locum explorandum Antonius a Conceptione, & Bartholomæus a ſancta Anna conſodales tranſirent. Hi poſtquam ubique opportunitatem ſitus condendi

* *Loqui de fundatione intendimus.*
Conv. de Elche. *Monum. MSS. auth. Provin. S. Jo. Bapt. Ex Arch. S. Iſid. Arm. 5. n. 140. fol. 331. & num. 141. fol. 10. Gonz. in Prov. S. Jo. Bapt. Conven. 1.*

Con-

Conventus deſignaſſent, tam in loco de Elche a prædicta Marchioniſſa oblato, quam in oppido de Monteforti, quo illos tranſeuntes devotio incolarum vocaverat, rediere ad Capitulum Pedroſi, ut miſſionem Fratrum ad novam fundationem ſolicitarent, quemadmodum in Capitulo Lorianæ ſanctus Commiſſarius ſtatuerat. Proceribus igitur annuentibus, & plurima ad hujuſmodi opus conferentibus, adfuit beneficentia, ac largitate pari ipſa heroina, fuitque in cauſa, ut Cœnobium ſancti Joſephi titulo inſignitum, non longe a memorati oppidi Vallo omnibus ſuis muneris abſolutum Diſcalceatis daretur. His tamen cupientibus in hac Regione ſecundam domum erigere, cryptam quamdam inſalubrem, omnino ab hominum frequentia remotam, ad nonum lapidem a Valentia urbe, quum aliquandiu, non abſque propriæ ſalutis jactura inhabitaſſent, pientiſſimus heros Fridericus de Portugallia eorum incommodis ex caritate compatiens, illis Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Pietate, & contiguum Monaſterium, diſtans tamen ab ipſa crypta in ejus oppidi, quod *Solana* vulgo nuncupatur, ſibique parebat, territorio ex domeſticis facultatibus exſtruendum curavit.

Conv. Solanæ de Pietate. *Ex Arch. S. Iſid. Arm. 1. n. 140. fol. 132.*

XLVIII. Ex quibus idem etiam liquet quantum ad Montisſortis recenſitam domum, de qua hæc narratur hiſtoria. Aſſueverant oppidi Montisſortis in Valentino Regno Hiſpaniarum incolæ ſingulis annis ad fonticulum quemdam, cruce erecta, ritu religioſæ ſupplicationis accedere, eamdemque crucem tertio aquis immergere, Deum deprecantes, ut aridæ a natura regioni copiam aquarum largiretur. Sepe autem divina bonitate annuente, grati animi ergo ædiculam ibidem exſtruxere. Cum autem de Sancto loqueretur, cujus titulo locus deberet inſigniri, in eam ſententiam ab omnibus itum eſt, ut ei dicaretur, cujus nomen in litaniis, dum Sacerdos ad fontem perveniret, caſu enunciari contingeret. Itaque Parocho verſiculum *ſancta Maria* intonante, eo momento quo ipſe pede fontis marginem tetigit, decretum eſt, ut locum Virginis Nativitatis audiret. Vocata eſt tamen paſſim titulo Dominæ noſtræ de Laureto. Ut igitur primum ædicula ex contiguo tuguriolo fuit exſtructa, quidam Pater Mercenarius adfuit, qui ejus obſequio intenderet. Is cum quodam mane ſacra facturus lintea corporalia pararet, exiguam beatæ Virginis imaginem illis involutam ex inſperato invenit; idque miraculo tribuens, eandem in ſacrario honorifice condidit, atque totius rei eventum Oppidanis aperuit. Applicuerunt ſorte illis diebus Montefortio aliquot Provinciæ ſancti Joſeph (nunc autem ſancti Joannis Baptiſtæ) Diſcalceati Sodales, quorum conſuetudine populus delectatus, eandem ædiculam in Conventum hoc anno evexere; quo tempore etiam eadem ſacra Imago miraculis corruſcare cœpit. Non procul ab hoc Cœnobio antrum quoddam viſitur, ad quod pergens per ſingulas hebdomadas ex Fratribus incolis unus contemplationi ſolitarius vacare conſueverat, ſecum ferens panem dumtaxat & aquam; ad Cœnobium inde rediens hebdomadis ultima die. In domo ejuſmodi ſanctum Paſchalem Baylon, utpote ſibi dilecta, diuturnam feciſſe moram ſuo loco narrabimus.

Conv. Montis Fortis. *Ex Arch. S. Iſid. Arm. 1. n. 141. fol. 18.*

Imago Virginis inventa miraculis corruſcat.

XLIX. Florentiæ (cui Provinciæ perperam Gonzaga hoc anno unitam illam Senarum ſcribit, cum in Capitulo in Alverniæ Monte anno MDLXIII. celebrato hoc factum eſſe Antonius de Terrinca Pulinarius, cæterique affirment, & Acta authentica MSS. ejuſdem Provinciæ aſtipulentur) Fratres e Cœnobio ſanctæ Catharinæ inter Caſtrum & ſancti Galli Portam ſito, ad quod primum ab illo ſancti Salvatoris fuiſſe anno MDXXXIX. translatos, Pauli III. Pontificis Maximi accedentibus literis, die x. Decembris ejuſdem anni MDXXXIX. datis, Waddingus narrat; hoc tandem anno, inſtante Coſma Etruriæ Magno Duce & Romano annuente Pontifice, *Ex commiſſo* &c. t. *Januarii*, *ut in Re-*

Conv. Omnium Sanctorum Florentiæ. *Gonz. in Provin. Tuſcia Com. 10. MSS auth. ejuſdem Prov.*

geſto, ad Parochialem Eccleſiam Cœnobiumque Omnium Sanctorum, Bernardo Dragonicio Provinciam moderante, quadrageſimalibuſque occurrentibus diebus, tranſmigrarunt. De re hujuſmodi Gonzaga caute legendus, dum in utraque ſui præclari Operis editione, aut inverſis, aut mutatis, aut etiam non expreſſis numeralibus notis, quod, dubio procul, Amanuenſium ſive Typographorum vitio tribuere debemus, pro *Pio IV.* modo *Pium V.* modo etiam *Pium VI.* ſcribit, & pro anno 1561. 1571. minus vere exprimit. Waddingi ergo citati inhærendum eſt narrationi, dum de præclara Domo ſermonem ad hunc annum pollicetur habiturum, quod tamen ſenio confectus adimplere non potuit. Locum igitur Sodales ingreſſi eleemoſynis memorati Coſmæ, Eleonoræ Toletanæ conjugis, & Franciſci, qui eorum major natu exſtitit, ædem repararunt ampliaruntque. In re plurimum etiam contulere Bernardus præfatus, alterque conſodalis Maſſeus Bardius vir egregius, de quo infra ſuis locis, qui memorati Franciſci fuit a Confeſſionibus, indeque Cluſinus Epiſcopus; & Petrus Gobbus Florentinus.

Gonz. in Provin. Tuſciæ Con. 10.

Wadd. cit.

L. Eccleſiam haud vulgaris magnitudinis & ſtructuræ in modum crucis eleganter diſpoſitam, pluribuſque ſacellis venuſtatam per totum ambitum circumquaque lapidibus ceruleis exornavit Joannes Baptiſta de Ambra anno MDCXXVII., atque ex iiſdem lapidibus Eccleſiæ frons cum ſuis lineamentis figuriſque anno MDCXXXVII. addiderunt ſuis ſumtibus Alexander & Antonius Medices germani fratres. Odeum vero anno MDLXX. adaptavit Pandulphus de Bardis e Comitibus Vernii, prout ſequens indicat inſcriptio:

> *Pandulphus Albertus Fratris Philippi N. e Nobilibus Bardorum Fam. ortus, quæ Vernii dominatur, ac Franciſci Medices Mag. Etruriæ Ducis Magnus Cubicularius, cum in Æde omnium Sanctorum locus deeſſet, in quo pie ſanctèque Euchariſtia ſervaretur, ac Fratres ſacras laudes D. O. M. canerent, Teſtudinem hanc a fundamentis Pietatis C. ædificari C. P. S. anno* M. D. LXX.

Ara major ſtructura perquam celebris cum cappella & teſtudine lapidibus pretioſis dolatis, aureis ornamentis & picturis opere & induſtria Joannis Franciſci Cocchii Provincialis ac Definitoris Generalis ab anno MDCXIII. cœpit exornari, atque hic morte præventus Linus Moronus Florentinus & ipſe Miniſter, abſolvit addiditque, vel ſaltem inauratum voluit, tabernaculum ligneum, quod vetuſtate tabeſcens circa annum MDCLXX. depoſuit Joannes Baptiſta Particinius Florentinus, ea ætate loci Præfectus, exin Provinciæ Cuſtos, & utcumque inſtauratum in Conventum recenſitum Montis ſancti Miniatis transtulit, cujus loco ſuper baſim quandam ex vario marmore ſecto atque affabre elaborato collocari curavit Jeſu Cruci affixi ex ære fuſili perpulchram effigiem. Quæ autem præ reliquiis multis, iiſque pretioſiſſimis, quibus ſacram Ædem & Aram ditari, nos Commiſſarii munere fungentes comperimus, ipſa eſt eadem Tunica, qua Seraphicus Pater noſter indutus erat, dum ſacra Stigmata cœlitus in Alverniæ Monte recepit. Pignus hoc vere ſanctum in decenti archa duabus diverſis clavibus obſerratum includitur, una quarum apud Magni Ducis Celſitudinem, altera penes Cœnobii Præfectum aſſervatur. Waddingus de Cœnobio ſancti Salvatoris extra portam ſancti Miniatis ſcribens, ait, quod dum *Eccleſia eadem ſancti Salvatoris conſecrata eſt anno* MDIV. *die* XXII. *Aprilis ab Epiſcopo Vagienſi, qui eodem die inſignem habuit concionem ad populum, ex ſuggeſtu explicuit ipſum habitum, ſub quo ſanctus Franciſcus ſacra Stigmata ſuſcepit*; per quod ſatis ſuperque comperimus, ex-

Habitus S. Patris Francisci ibidem asservatus.

Wadd. ad ann. 1419. n. 13.

ex eodem veteri Cœnobio ad hoc novum etiam ſacram Tunicam a Sodalibus fuiſſe traslatam. Hujus Eccleſiæ titulus eſt *ſancti Salvatoris* ab antiqua Eccleſia Montis ſancti Miniatis, cui ille *ſancti Franciſci* relictus eſt, dum ſacris oleis anno MDLXXXII. a ſupra memorato Maſſeo Bardio Epiſcopo Cluſino, annuente Archiepiſcopo Florentino inuncta eſt, cujus feſtum agitur die decimanona Novembris; & curam animarum in eadem habent Fratres concreditam, quas cœleſtis doctrinæ pabulo ſacrarum concionum verbique Dei explicatione enutriunt. Tres Sæcularium item Sodalitates, quarum cuilibet intra Monaſterii ſepta eſt præſignatum Oratorium, ubi rebus divinis dant operam, quibuſque Franciſcanus Presbyter præeſt, erectæ ſunt, ſanctiſſimi Sacramenti videlicet, quæ unica ſaccis albis utitur, Eccleſiæque noſtræ in ſacro deferendo Viatico, in funeribus cæteriſque ſacris inſervit: ſancti Joannis Decollati & ſancti Dominici, vulgo *il Becchella*. Illi tamen Doctrinæ Chriſtianæ, vulgo *li Bacchettoni*, a devotiſſimo Viro Hippolyto Galantino olim fundatæ, aditus ad clauſtrum non patet. His addendus tertius Seraphicus Ordo, cui multi nobileſque homines ingenti cum civium ædificatione in dies nomen dare non dedignantur.

Ibidem Sodalitates erectæ.

LI. Conventus vero inter Franciſcanas domos hujus Provinciæ multiplici titulo illuſtrior, numeriſque omnibus abſolutus merito proinde ut a nobis diligentius deſcriberetur, niſi ad alia majoris momenti nos evocaret hiſtoria:

Cuſtodes primo inſtituti.

LII. Apud Piſtorium in eadem Provincia duo celebrantur Comitia, ubi primo eligitur Cuſtos Sylveſter Pupienſis (hactenus enim Cuſtodem eligebant, quando Capitulum aut Congregatio generalis inſtabat, ut ſuum ibi ſuffragium deferret, quibus abſolutis, ab eo munere ceſſare mos fuit). Ut autem anno ſequenti MDLXIII. in S. Alverniæ Monte intermedia convocari poſſent generalia Comitia, Cardinalis Raynutius Ordinis Protector Pontificias miſit epiſtolas, quarum initum *Supremo Patre* XXVI. Septembris, quibuſque Pontifex etiam indulgentias largitur.

Capitulum Generale PP. Capuccinorum. *Bover. ad hunc ann. n. 1.* Euſebius Anconit. Capit. Prælect.

LIII. Hoc anno PP. Capuccini Romæ ſua Generalia celebrant Comitia: *Triennium namque*, ita Boverius, *in paſtorali munere Thomas Generalis exegerat; quum hoc anno* MDLXI. *illuceſcente, undecimo Generali Capitulo Romæ congregato, nova celebrantur Comitia, quibus quamplurimi Viri virtute illuſtres interfuere, atque inter alios frater Euſebius Anconitanus, qui primum inter Difinitores in his Comitiis locum ſortitus eſt, frater Franciſcus a Suriano, frater Marius a Foroſarzinio, frater Hieronymus Piſtorienſis, frater Evangeliſta a Canobio, quorum ſpectata virtus ac prudentia, his præſertim temporibus, plurimum Religioni ſplendoris atque utilitatis contulit. Antiquus ab ipſa Religionis Conſtitutione uſus jam inolevit, ut qui Generalatus officio defungitur, coram Capitulo publice negligentias in officii adminiſtratione a ſe commiſſas accuſet, ac ſalutarem pœnitentiam, juxta delictorum menſuram, conſtitutam accipiat. In hoc itaque Capitulo, cum nimia in puniendo ſeveritas Thomæ Generali objecta fuiſſet: id illi, poſt gravem objurgationem, pœnitentiæ ab Euſebio injunctum fuit, ut popinæ patinas & uteníilia ablueret, quod ille eo alacrius opus obeundum ſuſcepit, quod & ad humilitatem conferret, atque eo ſe a Prioris officii onere, a quo ſe abdicare decreverat, liberandum ſperaret. At cum res illi ex ſententia minime ſucceſſiſſet (ſtatim enim poſt hæc, habitis Comitiis, rurſus in Generalatus munere, communi omnium ſuffragio confirmatur) rem is adeo moleſte tulit, ut cum tenacius propoſito inhærens, electioni prorſus aſſentiri recuſaret, cæteris de more hymnum* Te Deum laudamus *&c. concinentibus, & Eccleſiam adeuntibus, is in cellam ſeceſſerit. At cœleſti voce admonitus, qua ad crediti ſibi oneris labores compellitur, conſilium mutat, &*

Thomas de Typherno iterú Generalis eligitur.

ad Eccleſiam pergens, oneri humeros iterum ſupponit. Rurſus quoque Evangeliſta a Canobio ad Procuratorium munus eligitur, qui, cum adverſa valetudine præpeditus, ei deinde muneri vacare non potuiſſet, Euſebius in ipſius locum ſufficitur. Uſque huc citatus Boverius, qui Cœnobium Caſtrovillaris Capucinorum citerioris Calabriæ Oppidi, anno MDLVIII. exſtructum, quibuſdam interpoſitis, prudentum judicio, ut ibidem dicebamus, inanibus viſis, ait, hoc anno ſua habuiſſe initia. De fundatione tamen Modilianenſis Cœnobii, Faventinæ diœceſis, & Bononienſis Provinciæ, quam pii populi expenſis, non procul ab Oppido, ſub titulo S. Mariæ de Pace Montis Sion hoc anno contigiſſe MSS. ejuſdem ætatis monumenta, quæ apud nos exſtant, diſerte narrant, nec minimam facit Boverius mentionem. Ex iiſdem MSS. etiam colligitur, quod dum hac in eadem Regione lues graſſaretur, pientiſſimi hujus Familiæ Patres in miniſtrando ea laborantibus ſecundi cæteris Eccleſiaſticis non fuere. Item bonus Auctor non refert aut ſaltem recenſet ad alia tempora, fundationem Cœnobii Capuccinorum Caſtri Saraceni, Anglonenſis diœceſis, & Lucaniæ Provinciæ, populorum ære prope Caſtrum exſtructi: Rentii ſive Arentii Santagatenſis diœceſis, & Neapolitanæ Provinciæ D. P. extra mœnia, in honorem ſanctæ Mariæ Angelorum ſimiliter publicis expenſis, Eccleſiam Santagatenſem Joanne Opelluardo Panormitano moderante, per acta publici Tabularii Vincentii Galaſſii de Caviano, alteriuſque Angeli Martinenſis de Rentio: & demum ſancti Franciſci Montis M. P. extra Elginium Seraphicæ Provinciæ, in quodam colle de Fornaculis nuncupato, cujus fundatoris memoria non exſtat.

Conv. Caſtrovillaris Capuc. *Bover. ad hunc ann. n. 3. Monum. MSS. ex Arch. Capuc. Urbis.*

Conv. Modilianenſis Capucc. *MSS. authentic. eorumdem Prov. Bonon.*

PP. Capuccinorum erga peſte laborantes pictas. *Idem Bov. n. 5.*

Conv. eorumdem Caſtri Saraceni. Conv. eorumdem Arentii. *Monum. MSS. eorumdem cit.*

Conv. eorumdem Fulginii. *MSS. eorumdem Prov. S. Franciſci ex Arch. Urbis.*

LIV. Pro Clariſſis, quas Urbaniſtas vocant, Joannes Jacobus Achajæ Dominus, & Lycienſis Civis illuſtris, ut in urbe Patria Monaſterium ſuo ære conſtrueret ſub ſancti Antonii Patavini invocatione in Provincia ſancti Nicolai, Neapolitanæ Ditionis, a Pontifice facultatem impetravit. Breve expeditum ſub nonis Septembris hujus tenoris eſt: *Superna diſpoſitione &c. Sane pro parte dilecti filii Joannis Jacobi de la Caya Civis Lycien. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum alias ipſe zelo devotionis accenſus, necnon ob ſingularem, quem ad ſanctam Claram, ejuſque Ordinem gerebat devotionis affectum, cupiens terrena in cæleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ac pro ſua & Conjugis &c.* Diploma autem integrum dabimus in Regeſto. At neque Monaſterium Clariſſarum apud Lyciuni, ſub nomine ſancti Antonii, neque alibi Joannem Jacobum ædificaſſe comperimus. Verum tamen cum Sodalium noſtrorum Lycienſe Cœnobium ſub ejuſdem S. Antonii auſpiciis ab ipſomet Joanne Jacobo an. MDCLXVI. ædificatum ſit, ut ſuo loco dicemus, aſſerere cogimur, prudentem virum, mutato conſilio, non Sororibus, ſed Fratribus, alia facultate impetrata, domum ædificaſſe.

Regeſt. Ciſm. fol. 220.

Conv. PP. Conv. Roncilionis. *MSS. Prov. eorumd. lib. 2. fol. 665.*

LV. Patribus item Conventualibus die XXI. Septembris apud Roncilionis oppidum, Sutrinæ diœceſis, nunc autem Civitatis nomine a Benedicto Papa XIII. decoratum Romanæ Provinciæ, in Suburbio, non procul a mœniis, Cœnobium titulo S. Sebaſtiani exſtruitur, quum Sodalitas, quæ ejuſdem ſancti Martyris patrocinio fulcitur, auctoritate Clementis VII. per litteras in forma Brevis datas Romæ die VIII. Septembris MDXXXI. ſolum, ſive fundum conceſſiſſet, quam donationem deinde confirmarunt anno MDLXII. die II. Octobris. Itemque Octavio Farneſio, cujus olim dominio oppidum ſubjiciebatur, & Cardinali Chriſpo Sabinenſi, ac Sutrino Epiſcopo, ut liquet ex patentibus litteris datis Romæ XXI. Aprilis MDLXVI. quæ omnia demum loci communitatem rata habuiſſe conſtat ex actis Antonii Bubati Communis Cancellarii. Eadem porro ſocietas in conceſſionis Tabulis hoc anno die XXI. Aprilis aſti-

aſtipulatur; publico Tabulario Andrea Flamma. Petrus Rodulphus Toſſinianenſis lib. 2. Seraph. hiſt. agens de Provincia Siciliæ ſub Meſſanenſi Cuſtodia, ſcribit fuiſſe hoc ipſo anno ſuis ædificatum Cœnobium Tuſæ, diœceſis Cephaludenſis, ſub titulo ſancti Michaelis, quod ter mutatum ſequentibus temporibus, PP. Capuccinis modo ſanctiſſimo nomini Jeſu dicatum relictum eſt. Hujus domus apud cæteros Ordinis hiſtoricos nulla penitus occurrit memoria.

Conv. eorundem Tuſæ. *Rodulph. lib. 2. fol. 280.*

LVI. Obſervantibus etiam domus prope mœnia Vallis Viridis, Conchenſis diœceſis, & Cartaginenſis Provinciæ in Hiſpania titulo ſancti Franciſci inſignita exſtruitur, Georgio de Alarcon Patritio quadringentos coronatos aureos erogante, cæterorumque fidelium eleemoſynis adjuvantibus. Ad eoſdem Obſervantes transfertur Cœnobium ſanctæ Mariæ de Stignano Provinciæ ſancti Angeli ad Montis Gargani radices ſitum, cujus hiſtoriam Waddingus ad ſui fundationis annum MDXV. quum referat, non eſt cur hic illam repetamus. Transfertur item ad eoſdem domicilium Dominæ noſtræ de Fontibus Aquilarii, Hiſpanice *de Aquilar*, cui Gonzaga trigeſimum tertium locum inter illa Provinciæ S. Jacobi aſſignat: & cujus mirum eſt, Waddingum nuſquam meminiſſe. Hic locus a maritimarum Hiſpanicarum claſſium præfecto olim exſtructus, plurimiſque prædiis, poſſeſſionibus, atque redditibus cumulatus, inſuper, & Hieronymianis Patribus ad inhabitationem ab antiquo collatus extitit. Cumque poſt diutinam ejus habitationem ab iiſdem Patribus anno Domini MDXXXI. derelictus eſſet, Fridericus Henriquetius Caſtellæ tunc Ammiras, ad quem patronatus jure attinebat, eum matrici præfati oppidi Aquilarii Eccleſiæ tradendum curavit. Nec tamen eidem ſubfuit: nam ſequenti anno, nempe MDXXII., eodem Domino id procurante, Tertiariis Patribus Franciſcanis ex Apoſtolica auctoritate traditus fuit. Quibus denique hoc anno deficientibus, ad hujus Provinciæ Patres translatus extitit. Cum autem Ludovicus Henriquetius Caſtellæ quoque Maris Præfectus, atque Friderici memorati ſucceſſor maximo Patrum Recollectorum deſiderio teneretur, ut hic locus eiſdem in habitationem traderetur, a Provinciæ Patribus Salamanticæ anno Domini MDLXX. capitulariter congregatis, inſtantiſſime petiit, quod & obtinuit. Aſſervantur in hujus loci tabulario duo Diplomata a Gregorio XIII. conceſſi, quorum altero IV. Decembris anno Domini MDLXXVI. dato, plenaria omnium peccatorum indulgentia iis omnibus conceditur, qui rite diſpoſiti, hujus Conventus Eccleſiam pro pace atque pro hæreſum extirpatione in nativitatis glorioſæ Virginis feſto Deum oraturi viſitaverint; altero vero, quod XXIII. Martii an. Domini MDLXXX. expeditum fuit, hujuſmodi privilegio, Altare in honorem beatæ Mariæ eadem in Eccleſia erectum donatur, ut videlicet quicumque Sacerdos pro fideli defuncto ſacrum ibi fecerit, ejus animam ex Purgatorii pœnis, ſi forte iis implicari contigerit, protinus eruat. Uſque huc Gonzaga. Domum hujuſmodi ab altera Aquilaræ Provinciæ Conceptionis diſtinguendam eſſe monemus, ne quod ad unam Scriptores pertinere memorant, alteri minus accurate quiſquam tribuat.

Conv. Vallis viridis. *Gonz. in Provin. Cartag. Conv. 25.*

Conv. de Stignano. *Gonz. in Prov. S. Aug. Conv. 25. Tom. XV. an. 1515. n. 34. Monum. authen. MSS. hujus Provin.*

Conv. Aquilarii. *Gonz. in Prov. S. Jacobi Con. 33.*

LVII. Ædificatum item Clariſſarum Monaſterium in oppido ſancti Angeli Provinciæ Siculæ, ſumptibus pientiſſimi viri Blaſii Natolii, cujus corpus in perpolito ſarcophago ejuſdem Eccleſiæ clauditur. Monaſterium quoque beatæ Virginis Beatiæ Provinciæ Granatenſis (alterum ab eo, quod in eodem oppido eſt S. Antonii titulo inſignitum, de quo Waddingus ad annum MCCCCLX.) urbis muro circumſeptum, atque ab Urbaniſtis Clariſſis olim derelictum, ea lege ex propriis facultatibus reædificare cœperunt, ut Conceptioniſtis Monialibus inpoſterum deſerviret. Quorum voluntati ſubſcribens Raynutius tituli ſan-

Monaſt. S. Angeli. *Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. num. 33. fol. 65.*

Monaſt. Beatiæ. *Gonz. in Provin. Granatin. Mon. 18. Tom. XIII. an. 1460. n. 66.*

ſancti Angeli Cardinalis, litteras ad Generalem noſtri Minorum Ordinis, 11. Januarii ex Pontificis mandato dedit, quatenus ex Conventu ſancti Antonii Beatiano, aut ex alio quovis Provinciæ Bæticæ Monaſterio aliquot Clariſſas Sorores Urbaniſtas educeret, & ad novum hunc locum transferret, atque ex Apoſtolica auctoritate ab habitu, & ſecunda ſanctæ Claræ Regula abſolutas, habitui, atque Ordini Conceptionis beatæ Virginis manciparet, illiſque omnes gratias, immunitates & privilegia, quibus reliquæ Conceptioniſtæ Sorores gauderent, ex Apoſtolica eadem authoritate impertiretur. Nihilominus tamen, cum in jam abſolutum Monaſterium aliquot Clariſſæ, ſimul & quædam juvenculæ ſolemnem profeſſionem ſuo tempore facturæ, hoc anno inducendæ forent, a Joanne Campegio Bononienſium Epiſcopo, atque Apoſtolico in Hiſpaniis Nuncio cum utriſque diſpenſatum eſt, ut, non obſtante fundatorum decreto, tum iſtæ tum quoque illæ ſub habitu atque ſecunda ſanctæ Claræ Regula ibidem Deo famularentur. Atqui piæ Sorores, ut antiquiori Inſtituto debitum deferrent honorem, & fundatorum votis ex parte ſatisfacerent, utque hujuſmodi diſpenſatione frui poſſent, Urbaniſtarum interim Regulæ ſubjectæ, Conceptioniſtico ſcapulari (hoc vulgo patientiam vocant) ſupra habitum uti voluerunt; quo etiam ejus ſucceſſores utuntur. Aſſervantur denique in præſentis loci ſacrario aliquot ſanctiſſimæ Dei Genitricis crines, quædam SS. Bartholomæi Apoſtoli, Marci, & Lucæ Evangeliſtarum, Hippolyti martyris, atque Hieronymi oſſa, & molaris dens ſanctæ Appolloniæ Virginis & Martyris. In Monaſterio Arnedi Hiſpaniarum oppidi, Provinciæ Burgenſis, in quo Sorores Tertium Inſtitutum olim profitebantur, hoc anno Clariſſarum Regulam ipſas ſervare decreviſſe, Gonzaga affirmat.

Monaſterium Arnedi. *Genc. in Provin. Burgen. Monaſt. 10.*

LVIII. Patres autem ejuſdem Tertii Inſtituti in Italia in Cœnobio Montis-Belli, Laudenſis diœceſis, & Mediolanenſis Provinciæ per Albertum de Caſali Butano Commiſſarium Generalem (Bonaventura etenim Vicentinus Generalis Miniſter e vivis deceſſerat) ad Capitulum convocantur, in quo die XXVII. Aprilis celebrato, Paulum de Brixia in Commiſſarium Generalem ſufficiunt, ut liquet ex actis Georgii filii Baſſanti de ſancto Columbano publici Tabularii. Pro Regno autem Neapolitano Alphonſus de Barco Cropanenſis Commiſſarius electus eſt contra contumaces & vagos. Iiſdem Patribus conceditur item Cœnobium ſanctæ Mariæ Auxiliatricis in Conſentina diœceſi a Thaddæo de Gadelis, Eccleſiæ illius perpetuo Adminiſtratore, per ſuum Vicarium Generalem Honorium Græcum Epiſcopum Leſinenſem. Item exſtruitur Domus Agyrienſis in Sicilia, de qua Rochus Pyrrus ſic ſcribit: *Franciſcanorum Tertii Ordinis ſub titulo ſanctæ Mariæ de Angelis anno* 1551. *exſtructum ope F. Vincentii Mænci Agyrenſis ejuſdem Ordinis, ibi Mons Calvarius nuncupatus die Paraſceve magna hominum frequentia ac religione colitur.* Ubi tamen expungendus eſt error in numerorum notis, quum pro 1551. legi debeat 1561. ut ex ſequentibus tabulis in Archivio Cœnobii aſſervatis liquido conſtat. Habent enim:

Capitulum Generale Tertii Ordinis. *Bordon. Chronol. Tert. Ord. c. 13.* Paulus de Brixia Cõmiſſarius Generalis. Alphonſus de Barco Commiſſarius pro Neapolitano Regno. Conv. S. Mariæ Auxiliatricis Tertii Ordinis Licii. *Bord. Chronol. g. Tert. Ord. c. 24.* Conv. Agyrenſis Tert. Ord. *Ibid. cap. 25.*

Decretum Cardinalis Raynutii.

Raynutius miſeratione divina tituli ſancti Angeli Presbyter Cardinalis, dilecto in Chriſto F. Vincentio de Minio terræ ſancti Philippi Catanenſis diœceſis Ordinis Tertiar. profeſſori ſalutem in Domino. Altitudo divinæ providentiæ, a qua bona, & ſancta opera omnia procedunt, ea in fidelium ſuorum animis frequenter ingerit, per quæ ex novarum Eccleſiarum, præſertim Religioſarum perſonarum plantatione, ejus acquiſitio ad humanæ ſalutis præſidium valeat ubique propagari, ut pia devotio & divinus cultus floreat. Unde nos perſonarum Apoſtolicæ Sedi devotarum votis intendere conſpicimus, ut votivos aſſociantes affectus, cum a nobis petitur, Apoſtolici favoris ſuffragium

gium ſolertius impertimur. Sane exhibitæ nobis hodie pro parte tua petitionis ſeries continebat, quod tu zelo devotionis accenſus deſideras aliquos ſpirituales fructus de Eccleſia afferri; ac vineam Domini Sabaoth excolere, cupiſque unum Monaſterium cum Eccleſia ſub invocatione ſanctæ Mariæ Angelorum in diœceſi Catanenſi ſub Regula ejuſdem ſancti Franciſci Tertiariorum, ad id commodo, & opportuno loco per te eligendo conſtruere, erigere, & fundare, ſi ad id Sedis Apoſtolicæ ſuffragetur aſſenſus. Quare ſupplicare feciſti humiliter, tibi ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur confidentes, ſicuti religioſæ perſonæ Ordinis Seraphici ſancti Franciſci maximos probitatis & doctrinæ & animarum ſalubres fructus in Eccleſia Dei attulerint, & ſe ſolicitis ſtudiis, & honeſtis paleſtris ibi laturos fore, tuo pio & laudabili deſiderio in hac parte opportune conſulere cupientes, tuis ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, tibi, ut in dicta diœceſi Catanenſi, loco ad id congruo & apportuno per te eligendo, unum Monaſterium, ſeu domum Fratrum Religioſorum dicti Ordinis ſancti Franciſci Tertiariorum cum Eccleſia ſanctæ Mariæ Angelorum, cum dormitorio, refectorio, Eccleſia, cœmeterio, ſacrario, clauſtro, campanili, campanis, horto & hortalitiis, officinis, ac quibuſque aliis neceſſitatibus, aut neceſſariis & conſuetis, pro uſu & habitatione eorum omnium Fratrum, ſecundum normam, ac modum & formam, & ad inſtar aliorum Conventuum ejuſdem Ordinis ſub obedientia & auctoritate Superiorum Ordinis præfati ipſius Provinciæ vivere, degere, & permanere. Ac omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, præeminentiis, & exemptionibus, favoribus, & indulgentiis, & conceſſionibus, quibus alia Monaſteria, ſeu domus dicti Ordinis, ac illorum, & illarum Religioſi, & perſonæ ubique exiſtentes de uſu & conſuetudine, privilegio vel alias quomodolibet in genere, & in ſpecie utuntur & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere, quatenus poterunt, quomodolibet in futurum, uti potiri, & gaudere poſſint & debeant, ad inſtar aliorum Monaſteriorum, ſeu domorum hujuſmodi Ordinis participet illarum, ſine alicujus præjudicio, ac de conſenſu Provincialis dicti Ordinis, eligere, conſtruere, & edificare libere poſſis & valeas, tenore præſentium licentiam & liberam facultatem concedimus, tibique pariter indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ XIII. *Maii Pontificatus Domini Pii IV. anno* II. Raynutius namque anno II. Pii IV. qui eſt MDLXI. litteras hujuſmodi dedit, quæ litteræ palmare mendum recenſitum oſtendunt. In hac domo inſtituuntur, litteriſque informantur tyrones.

LIX. Acquirunt Patres ipſi & Conventum SS. Cornelii & Cypriani Triultii in eadem Provincia, & in Ticinenſi diœceſi, octavo ab urbe lapide, ut ex Apoſtolicis litteris: *Cum a nobis petitur &c.* Idibus Septembris hujus anni, Archangelo Puccio Rhegienſi directis. Eccleſiam Parochiali titulo inſignitam, Archipresbyterum Antonium Scaruffa, & ipſum Rhegienſem, Civi ſuo fuiſſe elargitum, opportunis ac neceſſariis facultatibus a Generali Damiano de Cremona impetratis, ſequens inſtrumentum nos docet: Conv. Triultii Tertii Ordinis.

In Nomine Domini, Amen. Anno Nativitatis ejuſdem MDLVIII. *Indictione prima, die vero ſecunda menſis Septembris, hora tertiarum, vel circa. In Civitate Papiæ in Saleta Superiori contigua aulæ magnæ Palatii Epiſcopalis ſiti in porta Pertuſii Parochialis ſancti Georgii in Fenarolo, in præſentia mei Notarii, & teſtium infraſcriptorum. Cum ſit, quod R. & Magnificus* Ex Archivo ejuſdem Inſtrum. 34.

D. An-

D. *Antonius Scaruffus Rhegienſis J. U. D. Archipresbyter Eccleſiæ Parochialis SS. Cornelii, & Cipriani loci Trivoltii diœceſis* Papienſis *exiſtat, cui Eccleſiæ ad hæc uſque tempora per unum Vicarium, ſeu Presbyterum mercenarium in divinis deſerviri conſuetum eſt, & illam poſſidere legitime, quiete, & pacifice reperiatur; videns tamen, & cognoſcens dictus Archipresbyter propter latitudinem, ſeu amplitudinem dictæ curæ per unum Presbyterum Sæcularem non poſſe commode, & ſufficienter deſerviri, cupiens ſuæ conſcientiæ melius in futurum ſatisfacere, dictæque animarum curæ conſultius providere, & præſertim ut cultus divinus magis in dies atque in dies augeatur, decrevit, dictam Eccleſiam una cum ſuis ædificiis & horto, cœmeterio, campanili, & aliis paramentis neceſſariis ad uſum dictæ Eccleſiæ, quibus Vice-Curator præſens fruitur, quæ ibidem de præſenti reperiuntur, aliquibus Religioſis tradere, commendare, locare, & in emphyteuſim perpetuam concedere, dummodo Sedis Apoſtolicæ ſuper hoc beneplacitum accedat. Idcirco a laudabili vita, honeſtiſque moribus venerabilium religioſorum dominorum Fratrum Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia Regularis Obſervantiæ Congregationis Lombardiæ in habitu eremitico degentium, & in Cœnobio SS. Gervaſii, & Protaſii Papiæ reſidentium inductus, & præcipue R. in Chriſto P. F. Archangeli Puccii Rhegienſis ſui concivis in hac parte Syndici, & Procuratoris ſpecialiter electi, ut conſtat per literas Rmi P. Generalis, & Miniſtri principalis ſupradicti ſui Ordinis, datas Cremonæ in Conventu ſancti Salvatoris ſub die* XXII. *menſis Februarii* MDLVIII. *ſubſcriptas, & ſigillatas, ut moris eſt, quarum tenor talis eſt* = F. *Damianus de Cremona Fratrum Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia in Obſervantia degentium ejuſdem Ordinis auctoritate Apoſtolica Generalis, & Miniſter Principalis, omnibus viſuris, lecturis, & audituris ſalutem in Domino ſempiternam. Cum præceperit Chriſtus Diſcipulis, & Succeſſoribus*: Ite in univerſum Mundum, & docete omnes gentes. *Quapropter præfatus Generalis cupiens, ac volens, ut ſuo convenit officio, ejus mandatum pœnitus pro ſalute animarum implere, & religionem augere. Hinc eſt, quod R. P. F. Archangelum de Rhegio ejuſdem Ordinis in Procuratorem hac in ſequenti cauſa eligit, & ſic electum conſtituit, eique omnem facultatem, aut poteſtatem, qua authoritate Apoſtolica fungitur, liberam concedit & tradidit, ut a quavis perſona tam Eccleſiaſtica, quam ſæculari nomine dicti Ordinis aliquam Eccleſiam etiam Parochialem, aut Oratorium in Territorio, ſeu diœceſi Papiæ quærere, petere, accipere, & obtinere poſſit & valeat, & de ea, vel de eo inſtrumentum conficere, & inſuper eo confecto, ibidem permanere, miſſas celebrare, divinis officiis fungi, confeſſiones audire, vitamque bonorum religioſorum ducere, & curam animarum gerere. In quorum fidem & robur ſingulorum omnium has præſentes annosari & ſcribi, ſigilloque Ordinis majori, ut mos eſt, muniri juſſit, & manu propria ſubſcripſit. Datum Cremonæ in Conventu ſancti Salvatoris die* XXII. *Februarii an.* MDLVIII. *ſubſcripta frater Damianus de Cremona Viſitator ut ſupra concedit, & dicto ſigillo in cera rubea ſigillata. Sponte &c. & alias omni jure, &c. locavit, dedit, & conceſſit, ſeuque inveſtivit, locatque, dat, & concedit, ſeu inveſtit in perpetuum livellum, ſeu emphiteuſi perpetuam a præſensi die inantea prædicto fratri Archangelo dicti Tertii Ordinis ſancti Franciſci nomine, & vice Congregationis prædictæ ibidem præſenti, ſtipulanti, & recipienti pro ſe, & ſuis Succeſſoribus in ipſa Congregatione nominative dictam Eccleſiam curatam SS. Cornelii, & Cypriani cum ſuis domibus, & ædificiis, horto, campanili, & cœmeterio, ac aliis, quibus Vice-Curator, ut ſupra, conſuevit uti & frui, ſimul ſe tenentibus, quæ omnia*

ſunt

ſunt in prædicto loco Trivoltii ſub ſuis coherentiis, & etiam cum ſuis paramentis ad uſum dictæ Eccleſiæ, quæ de præſenti ibi reperiuntur deputatis, & cum omnibus honoribus & oneribus, ac aliis quibuſcumque dictæ curæ ſpectantibus. Excluſis tamen ad cautelam per pactum expreſſum, ac præſenti locatione & conceſſione, ut ſupra, omnibus juribus Epiſcopalibus Rmo D. Epiſcopo Papienſi, & ſucceſſoribus ſuis in dicta Eccleſia, nec non etiam per pactum expreſſum, reſervatis titulo ſeu denominatione dicti Archipresbyteratus, ac omnibus & ſingulis aliis bonis & juribus ac proprietatibus dicti Archipresbyteratus, & cenſibus eidem debitis & debendis, ſalvo, ut infra; ac etiam excluſis a præſenti locatione, & contractu in perpetuum, ut ſupra, omnibus fructibus, redditibus, & proventibus, ac emolumentis ejaſdem Archipresbyteratus prædicto D. Antonio Archipresbytero, & ſucceſſoribus ſuis, ut ſupra conſiſtentibus, & ad eundem quomodocumque ſpectantibus, & obvenientibus, tam ad præſens, quam in futurum, & occaſione alienationum, & devolutionum quorumcunque bonorum, & propietatum dicti Archipresbyteratus, & inveſtiturarum faciendarum de his quæ, & qui ſpectant & pertinent ad uſum & utilitatem dicti Archipresbyteratus, & vi de eodem quocunque in futurum proviſum fuerit. Itaque prædictus F. Archangelus Syndicus & Procurator, ut ſupra, & Fratres cum eo moraturi, ac ſucceſſores ſui in & ex ipſa Congregatione, & pro tempore exiſtentibus in eis fructibus, redditibus, & proventibus, ut ſupra, ſe aliqualiter unquam intromittere non poſſint nec valeant, ratione vel cauſa, ſeu ratione aliqua, ſalvis tamen infraſcriptis. Promittitque verſa vice prædictus D. Archipresbyter, præſentem inveſtituram perpetuam manu tenere, attendere & obſervare prædicto F. Archangelo ſtipulanti, ut ſupra, ita & taliter, quod præfatus D. Archipreſbyter, ſuique ſucceſſores ullo unquam tempore non poſſit nec valeat, nec poſſint, nec valeant removere, nec expellere prædictum F. Archangelum, & Fratres ſecum moraturos, nec eorum ſucceſſores in dicta Congregatione ex dicta Eccleſia, aliiſque, ut ſupra, locatis, conceſſis, & inveſtitis bonis, ſalvo ut infra, nec ſe intromittere, nec impedire de illis, nec in adminiſtratione dictæ Eccleſiæ, & illius curæ directe, nec per indirectum, & hoc ſub, & cum pactis, & conventionibus, ac oneribus prout infra, videlicet. Prima, quod præfatus F. Archangelus, & Fratres ſecum moraturi, & eorum ſucceſſores teneantur & debeant, ac obligati ſint, & ita per ſe, & ſucceſſores eorum promiſit, convenit, ac promittit, & convenit præfatus F. Archangelus dicto nomine, ut ſupra, præfato dicto Archipresbytero ſtipulanti, ut ſupra, in dicta Eccleſia miſſas, & alia divina officia celebrare, & curam animarum exercere, & alia facere, quæ ipſi Eccleſiæ curatæ incumbunt, tam de jure, quam conſuetudine Eccleſiaſticæ diſciplinæ; ipſamque Eccleſiam & Domos, ac ædificia, & bona ſupradicta locata, & conceſſa propriis ſumptibus, & expenſis dictorum dominorum Fratrum, & abſque aliquo onere ipſius D. Archipresbyteri reparare, & in decenti & habili ſtatu manutenere; & ulterius promittunt & conveniunt in recognitionem ſolvere omni anno in perpetuum dicto D. Archipresbytero, ſuiſque ſucceſſoribus in feſto SS. Cornelii & Cypriani mediam libram ceræ laboratæ, incipiendo ſolvere cum primam dictus F. Archangelus, & Fratres ſui, ut ſupra, corporalem poſſeſſionem, & actualem tenutam dictæ Eccleſiæ, ut ſupra adepti fuerint, & ſic ſucceſſive omni anno in perpetuum. Item ſalvis præmiſſis, quod præfatus D. Archipresbyter, & ejus ſucceſſores in dicto Archipresbyteratu teneantur & obligati ſint, & ita promittit & convenit prædicto F. Archangelo, ut ſupra ſtipulanti, eundem F. Archangelum, & Fratres cum eo moraturos, eorumque ſucceſſores, ut ſupra,

indemnes, & bona dictæ eorum Congregationis indemnia relevare, & conſervare a quibuſcumque oneribus tam impoſitis, quam quomodolibet imponendis, tam authoritate Apoſtolica, quam aliter prædicto Archipresbyteratui, & bonis ejuſdem occaſione decimæ, & decimarum, vel etiam additionum, & alia quavis occaſione, taliter, & in modum, quod damnum & intereſſe aliquod pati non habeant, nec expenſas aliquas facere, videlicet, ratione, & cauſa fructuum, redituum & proventuum, jurium quoque, & cenſuum, ac emolumentorum, & quorumcumque aliorum bonorum dicti Archipresbyteratus F. Archangelo, & Fratribus eum eo moraturis, & ſucceſſoribus ſuis non inveſtitorum, nec conceſſorum; & quæ omnia dicto Archipresbytero, & ſucceſſoribus ſuis reſervata intelligantur, ut ſupra, & in omnibus, prout de præſenti competunt & ſpectant, ita quod ipſe F. Archangelus, & Fratres, ſucceſſoreſque ſui, ut ſupra, ullo unquam tempore nequeant ſe in eis intromittere quovis modo directe vel indirecte, alias eo ipſo eadant a præſenti contractu locationis & conceſſionis, ut ſupra, pro tempore factæ, quæ ad prædictum D. Archipresbyterum, ſeu pro tempore exiſtentem libere revertantur, ſi eidem D. Archipresbytero, & ſucceſſoribus ejus placuerit. Item ſalvis præmiſſis, quod omnes eleemoſynæ & oblationes, & omnia legata, quæ fieri contigerint in ipſa Eccleſia SS. Cornelii & Cypriani, ſeu prædicto F. Archangelo, & Fratribus cum eo moraturis, & ſucceſſoribus ſuis, ut ſupra, ibidem degentibus, intuitu dictæ Eccleſiæ, vel bonorum conceſſorum, ut ſupra, quavis occaſione, vel cauſa ſint, & eſſe debeant, ac remaneant dicto F. Archangelo, & Fratribus, & ſucceſſoribus ſuis, ut ſupra, & illi remanere habeant, & debeant. Item ſalvis præmiſſis, dictus F. Archangelus Syndicus & Procurator, ut ſupra, promiſit & promittit prædicto D. Archipresbytero, & mihi Notario ſtipulanti exhurſare, erogare, & numerare libras octuaginta ſeptem imperiales dandas, & ſolvendas Presbytero Stephano de S. Auguſtino nunc Vicecuratori in prædicta Eccleſia, & hoc pro quibuſcumque melioramentis, quæ ipſe Presbiter Stephanus aſſerit ſe feciſſe, & ſive ſe feciſſe prætendere poſſit, quæ quidem pecuniæ pro una dimidia ſolvantur, & ſolvi debeant tempore, quo dictus F. Archangelus, & Fratres, ut ſupra, dictam Eccleſiam inhabitare, & poſſidere cœperit; pro altera vero dimidia per totum menſem Auguſti proxime ſecuturi. Item, pacto etiam expreſſo, quod ſi prædicti F. Archangelus, & Fratres, & eorum ſucceſſores ceſſaverint in ſolutione dicti annui cenſus ſeu canonis emphyteutici, de quo ſupra, per triennium continuum, & per menſem unum poſt, ipſo facto cadant, & cediſſe intelligantur in dicto caſu a jure præſentis locationis, & emphyteuticæ conceſſionis, & aliis quibuſcumque eorum juribus præſentis contractus, & dicta Eccleſia cum aliis bonis locatis, & ut ſupra conceſſis cum omnibus melioramentis factis ad prædictum Archipresbyterum, ſeu ejus ſucceſſores, ſi ipſis videbitur & placuerit, libere revertantur, & nihilominus teneantur, & cogi poſſint ipſi F. Archangelus, & Fratres dictæ Congregationis ad ſolutionem dicti livelli ſeu canonis emphyteutici ab inde retro debiti, & ad obſervationem aliorum in præſenti contractu contentorum, ut ipſi dicto Archipresbytero, & pro tempore ſucceſſoribus, ut ſupra, videbitur & placuerit. Item ſalvis præmiſſis, quod nullo unquam tempore ipſi F. Archangelus, & Fratres ſecum moraturi, & ſucceſſores ſui a quocunque futuro Archipresbytero dicti Archipresbyteratus expelli, moleſtari, ſeu inquietari non poſſint nec valeant ſub prætextu alicujus læſionis, & in integrum reſtitutionis, cum quibuſcumque oppoſitionibus, derogationibus, & clauſulis, & non obſtante, quod ipſa Eccleſia ſit ſolita gubernari per Clericos Sæculares, non autem Regulares, ſeu Mendicantes, cum aliis clauſulis magis neceſſariis & op-

& opportunis. Ita etiam, quod per contractum hujuſmodi contrahentes ipſi non contraveniunt in aliquo Apoſtolicis conſtitutionibus, nec propterea incidant, ſeu incurrunt in aliquas ſententias, cenſuras, vel pœnas, ut quibus ipſi contrahentes in aliquo contravenire non intendunt, prout ſolemniter proteſtati fuerunt & proteſtantur. Item quod præfati F. Archangelus, & Fratres teneantur, & obligati ſint impetrare & obtinere a ſuo Capitulo Generali, vel Provinciali, ſeu ab eorum Miniſtro Principali, vel ejus Commiſſario, ſeu Vicario Provinciali ratificationem & confirmationem præſentis contractus in amplu & debita forma omnibus eorum laboribus & expenſis, & illa reddere prædicto D. Archipresbytero infra annum unum proxime futurum, una cum præſenti Inſtrumento in publica & authentica forma in carta membrana. Ad quem quidem contractum, & omnia & ſingula in eo contentu contrahentes ipſi devenerunt & deveniunt, accedente tamen conſenſu, & authoritate Sedis Apoſtolicæ, & non aliter, nec alio modo, de quibus expreſſe proteſtantur, per quem quidem contentum, & quam quidem authoritatem pro confirmatione omnium contentorum in præſenti contractu ipſe F. Archangelus, & Fratres prædicti teneantur, & obligati ſint omnibus ſuis expenſis impetrare & obtinere infra triennium proxime futurum, vel quam citius commode fieri poterit, a præfata Sede Apoſtolica, & ubi ipſe conſenſus obtineri non poſſet ex facto præfatæ Sedis Apoſtolicæ, quia noliet ipſum conſenſum præſtare, quod tunc, & eo conſenſu præſens contractus pro nullo, & infecto habeatur, ac ſi celebratus non fuiſſet, & tunc dictus Archipresbyter teneatur, & obligatus ſit facere & curare, & ita promittit ſe facturum & curaturum, quod præfatus Presbyter Stephanus eſſet renitens ad reſtituendum illas pecunias, vel eorum partem, tunc eo caſu dictus Archipresbyter teneatur & obligatus ſit, & ita promittit verſus dictum F. Archangelum Syndicum, & Procuratorem ſolvere de ſuo proprio, quia ſic fuit effectum per pactum expreſſum inter partes ipſas. Item pacto expreſſo, quod ubi confirmatio præſentis contractus, & omnium & ſingulorum in eo contentorum a præfata Sede Apoſtolica nullo quovis pacto poſſet obtineri, præfatus F. Archangelus, quod tunc & eo caſu ſi dictus F. Archangelus reperiret fuiſſe aliqua melioramentu, ſive expenſas neceſſarias utileſque, ſalva rei ſubſtantia, aſportari non poſſet in dicta Eccleſia, ſuiſque officiis, ut ſupra, depromtis meliorumentis, ut ſupra, nunc exiſtentibus in ipſa Eccleſia, & ædificiis, quæ conſignata acceptare teneatur ipſe Syndicus, teneatur, & ita promiſit præfatus D. Archipresbyter reſtituere, reimborſare & reſarciri præfato F. Archangelo omnes expenſas ipſorum melioramentorum, juxta illorum æſtimationem faciendam per duos amicos confidentes per partes ipſas eligendos. Item, quia præfatus D. Archipresbyter quædam melioramenta per ipſum facta in dicta Eccleſia & ædificiis, quæ ad ſummam librarum octuaginta duarum aſcendere aſſerit, pie donavit dicto Syndico, ideoque dictus Syndicus dicto nomine, ut ſupra, ne videatur eſſe immemor dicti beneficii, pro quadam remuneratione illius, & pro memoria ipſius D. Archipresbyteri benefactoris, & totius familiæ ſuæ promittit celebrare unum anniverſarium ſingulis annis in perpetuum cum miſſis octo, computata miſſa in cantu, immediate poſt feſtum SS. Cornelii & Cypriani. Quæ quidem omnia & ſingula præfata, ſingula ſingulis referendo prædictus D. Archipresbyter parte una nomine, & præfatus F. Archangelus dicto nomine parte altera ſibi ipſis, hinc inde viciſſim, & ad invicem ſtipulantes & recipientes promiſerunt & promittunt habere rata, grata, & firma &c. ac attendere, & obſervare, & non contravenire &c. ſub refectione, & reſtitutione omnium, & ſingulorum damnorum &c. credentes viciſſim &c. obligantes ſibi ipſis hinc inde &c. præfatus

D. Archipresbyter bona ipſius Archipresbyteratus, & præfatus F. Archangelus Syndicus & Procurator dicto nomine bona dictæ ſuæ Congregationis &c. quæ bona &c. conſtituentes vicißim &c. ſubmittentes ſeſe in hac parte dumtaxat pro præmiſſis omnibus & ſingulis firmiter attendendis, complendis & obſervandis ordinariæ juriſdictioni &c. conſtituentes ſeſe ad invicem Procuratores irrevocabiles ad ſupplicandum, impetrandum, & obſervandum a Sede Apoſtolica dictam confirmationem &c. renuntiantes, ut ſupra, more Eccleſiaſtico videlicet, prædicta omnia & ſingula fuiſſe & eſſe, ac attendere &c. Ita tamen, quod non cadant &c. Et prædicta omnia & ſingula facta fuerunt, & fiunt præſente & audiente, & intelligente R. utriuſque juris Doctore D. Hieronymo Scaruffo Curiæ Epiſcopalis Papienſis Vicario & Locumtenente Generali ibidem pro tribunali ſedente ſuper quadam cathedra ibi poſita, quam, & quem locum pro ejus juridico banco ac loco idoneo ad ſupradicta omnia & ſingula, ut præmittitur peracta ſpecialiter eligit & elegit, & ex abundanti, & quatenus expediat ejus, & dictæ Curiæ Epiſcopalis auctoritatem, & decretum præmiſſis omnibus & ſingulis dante, præſtante, largiente, & interponente, cum plena & matura rei & cauſæ cognitione ſecundum formam juris, & ſacrorum Canonum. Non obſtante conſtitutione ſynodali Cleri, & Eccleſiæ Papienſis poſita ſub rubrica de reb. Eccl. non alien. incip. Indiſcretis, & damnoſis *&c. & aliis in contrarium facientibus nequaquam attentis, quibus omnibus & ſingulis, quo ad præmiſſa dumtaxat expreſſe derogavit & derogat, cum reſervatione tamen, & ſine præjudicio dictæ Confirmationis Apoſtolicæ, ut præmittitur, impetrandæ, & non aliter, nec alio modo cum aliter &c. præſentibus R. J. U. D. D. Fabio Viuſtino Præpoſito Eccleſiæ omnium Sanctorum Papiæ, Cauſidico D. Guidone de Mangano fil. q. ſpectabilis Cauſidici D. Michaelis Cive Papienſi atteſtantibus cognomen &c. & D. Alexandro Tomma fil. q. D. Baptiſtæ Cive Mantuano teſtibus. Ego Joannes Antonius de Segna fil. q. D. Guidonis publicus Papienſis Apoſtolic. & Imper. auctoritatibus Notarius, Curiæque Epiſcopalis Papienſis Cancellarius ſupraſcriptum Inſtrumentum mihi fieri juſſum rogatum ſcripſi, & tradidi prout jacet in breviario, & pro fide ſubſcripſi. Supradictus contractus approbatus fuit in Capit. Provinc. habito anno* MDLIX. *die* VIII. *Aprilis in Conventu S. Rocbi Riperiæ de Salodio per Fratres Bonaventuram Vicentinum Viſitatorem Generalem, & Miniſtrum Principalem, ac Albertum Cremonenſem Commiſſarium Generalem, Damianum Cremonenſem, Joannem Cremonenſem, Carolum Vicentinum, & Paulum Brixienſem Definitores ejuſdem Capituli Provincialis ibidem celebrati diœceſis Veronenſis. Prout latius apparet in alto Inſtrumento ſubjuncto eidem ſupradicto, quod conſervatur in Conventu præfato ſanctorum Cornelii & Cypriani.*

Conv. Siciliæ.

Conv. Scafurni. *MS. Sanct. Provinciæ Siciliæ. Regeſt.*

Privilegium Fratrib. Albaniæ conceſſum.

LX. Horum Religioſorum tantus extitit, atque adhuc perſeverat erga Obſervantium familiam affectus, ut in Provincia Siciliæ duas illis domos ſint elargiti, illam videlicet Siclis, quod oppidum eſt eadem in Regione præclarum; Scafurni alteram titulo ſanctæ Crucis decoratas, diœceſique Siracuſanæ ſubjectas; quas quidem donationes Pontifex Maximus ſuis litteris ratas habuit, quarum initium: *Cum a nobis petitur &c.* ut liquet in Regeſto.

LXI. Fratribus Alexii, & Sebaſtæ Crayanenſis diœceſis in Epiro, ſub Turcarum dominio commorantibus, ne fame deficiant, ut bona quædam ſtabilia poſſidere poſſint facultas conceditur, ut conſtat ex Diplomate, quod recitatur in Regeſto, incipiente: *Cum ſicut nobis* &c. Ex elauſulis ibidem a Pontifice expreſſis, quantum ei cordi fuerit altiſſima, quam Obſervantium familia profitetur paupertas licebit expendere; neque minus Paſtori ſanctiſſimo cordi fuit

ſan-

ſanctorum locorum Palæſtinæ cultus, dum privilegia, ſaeraſque indulgentias, quas ſui deceſſores conceſſerant per litteras: *Divina diſponente* &c. XVI. Kal. Auguſti confirmat, facile piam ipſius curam præcipuam intelligimus. Bonifacio Raguſino expetente, qui præſulatus munere iis in locis olim functus fuerat, idem Pontifex Diploma dedit, cujus exordium: *Religionis zelus* &c. atque per amplam facultatem largitus eſt annunciandi divinum verbum Tranſilvanis, Hungaris, Ruſſis, Poloniſque populis; Concionator Apoſtolicus hanc ob cauſam pleniſſima cum poteſtate conſtitutus. Hic ille Bonifacius anno MDLXIV. ad Eccleſiæ Stamnenſis Regimen in Dalmatia promotus. Magiſtro Generali PP. Conventualium conceſſum, quod in Capitulo quindecim ex ſuis, præviis diſputationibus, poſſint ad Magiſterium promoveri, quodque ab aliis promoveri nequeant. Statutum item pro bona directione Monaſteriorum Monialium eiſdem PP. Conventualium ſubjectarum, quod prætextu cujuſvis licentiæ nequeant exire a ſuis Monaſteriis, niſi de ſpeciali Protectoris & Generalis licentia, per Pontificias litteras datas XV. Julii. Ab eodem ſummo Pontifice confirmantur per Diploma, ait Gonzaga, omnes indulgentiæ, quæ viſitantibus Sacellum Expectationis in Eccleſia ſancti Franciſci Ubetæ Provinciæ Granatenſis, in Hiſpania, conceſſæ fuerunt, ut liquet ex litteris datis Romæ II. Junii. Demum erga univerſum Ordinem P. SS. ſigna volens ſui particularis affectus oſtendere, quæcunque privilegia adinſtar Pauli IV. ſui deceſſoris confirmat, data Bulla, cui initium: *Ex Clementi* &c. die XXVI. Aprilis ad ſequentis ſupplicis libelli tenorem:

Confirmatio Indulg. Conv. Montis Syon. *Ex Arch. S. Iſid. Arm. 3. num. 46. fol. 55.*

Bonifacio Raguſino facultates conceſſæ. *Ex Regeſt.*

Ex Archiv. Vatic. Ex Reg. Brev. Pii IV. ann. 1561. Tom. 15. num. 202.

Ibidem n. 206.

Indulgentia pro Conv. Ubetæ. *Gonz. in Provin. Granat. Con. 1.*

Univerſi Ordinis Privilegia confirmat.

PATER SANCTE.

Ut Ordo ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ in præinſertis nominatus folio annexæ litteræ Pauli IV. qui uberes fructus in vinea Domini hactenus attulit, & quotidie afferre conatur, tempore felici S. V. fuit favorabilis ſignatura; non minorem gratiam ab eadem S. V. quam a ſuis prædeceſſoribus Romanis Pontificibus reportare videatur, dignetur eadem S. V. litteras bonæ memoriæ Pauli Papæ IV. S. V. prædeceſſoris præinſertas, & in eis contentas quecumque illarum, ſi videbitur, præinſerto tenore motu proprio, & ex certa ſcientia confirmare, & innovare, ſeu illas ſub nomine S. V. & data currenti, omiſſo nomine dicti Pauli prædeceſſoris prout in eis continetur, ad ſupplicationem Franciſci de Zamora moderni dicti Ordinis Generalis Miniſtri, ſi videtur & ſi videbitur, conceſſiones, ſeu indulta, aut alias gratias in eiſdem præinſertis litteris in genere contentas, ſeu earum aliqua prout videbitur ad ſpeciem reducenda, & illa particulariter ſpecificando, prout per Romanos Pontifices quoslibet reſpective, qui exprimi poſſint, conceſſa exiſtunt, expedire & andare de gratia ſpeciali. Non obſtantibus omnibus, quæ in iiſdem præinſertis litteris idem Paulus prædeceſſor voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque = Fiat = Datum Romæ apud ſanctum Petrum V. Kal. Majl, anno II. Regiſtrata in Regeſto ſupplicationum 2. Cod. ſol. 1.

Reg. Ultram. fol. 185.

ARGUMENTUM.

Hiſtoria S. Petri de Alcantara ſatis ſuperque deſcripta, tandem abſolvitur. In Gallia S. Bonaventuræ exuviæ ab Calviniſtis combuſtæ; Franciſcanorum Templa profanata; domus dirutæ, ac plures pro catholica Fide vexati, atque interemti. Sacro Tridentino Concilio ex Minoritis non pauci interſunt. Plures etiam cum ex Obſervantium, tumque ex Capuccinorum Familiis Viri Dei decedunt. Ex Patribus Conventualibus vero nonnulli Doctores florent, inter quos Inquiſitores contra hæreticam prævitatem ſeliguntur. Eorundem celebrantur Generalia Comitia. Ad Epiſcopales Sedes alter promovetur, alter tranſfertur, alter autem renuit aſcendere. Multa per Orbem acquiruntur virorum mulierumque Cœnobia, multiſque etiam privilegiis Ordo univerſus ditatur.

Petrus iterum Tereſiam invi-ſit.

I. FUlget annus hujus ſæculi ſexageſimus ſecundus Petri Alcantarenſis corona gloriæ, quam in Franciſcano Sodalitio illuſtrando, propagando & reformando, ſplendidiſſimam tandem in Cœlo adeptus eſt. Hoc igitur poſtremo anno ætatis ſuæ, dum Arenis moraretur, Tereſia, quæ apud Toletum degebat, eum illuc venire, ut ad modo elapſum annum innuimus, precibus enixis compellit. Eo Vir ſanctus profectus, mox in domo Marchioniſſæ de Malagon Tereſiam inviſit; illa vero præſentia Viri Dei in lacrymas devotionis ſoluta, pedibus ejus adhærens, doctrinam, atque colloquia ad Carmelitarum reformationem pertinentia cum Tereſia quam libenter audiebat. At non minus lætabatur ſanctorum Hoſpitum familiaritate, quam remiſſo animi dolore ſuſcepto ex Mariti funere, ſe ad majora deſideria Deo inſerviendi vehementius accendi cognoſceret. Quapropter erga Petri ſpectatiſſimam vitæ ſanctimoniam magnopere affecta, priuſquam Toleto abiret, duo eidem non minoris momenti prædia per totidem Cœnobiorum conſtructione obtulit: unum prope Parequellos, alterum in oppido de Malagon. Neque ſola oblatione contenta, fabricæ prioris domus ipſam adeſſe, operam ſuis manibus dare, aliaque tandem adeo ſtudioſe præſtabat, ut non minus veram in Deum pietatem, quam ſingularem in ſervum ejus Petrum venerationem factis aperiret.

Agunt de Reformatione Carmelitarum in puberate fundanda.

Conv. de Parequellos. Conv. de Malagon.

Marc. de Alcalà Chron. Prov. ſancti Joſeph. lib. 3. cap. 6.

II. Quantum autem ad Domum *de Malagon*, ſequentem ſanctus Vir ad Marchioniſſam ſcripſit epiſtolam, quam ex Hiſpanico translatam damus. *Spiritus Chriſti animam Dominationis veſtræ impleat: Quia Dominatio veſtra mandavit, quod mitterem Fratrem noſtrum Provincialem, ut ſitum Malagonis inviſeret, utque ibidem initia & finis Monaſterio darentur; ſed Ipſe ire præpeditus a ſuo incepto Romam verſus itinere; ego, qui, eo deficiente, in me obtuli, Dominatione Veſtra mandante, non tamen mandaſſe comperii. Ego mitto Guardianum Dominæ noſtræ de Laureto, ut Malagonem petat, ibique ſitum eligat ſibi beneviſum, dummodo Dominationi Veſtræ arrideat; & ad hunc finem tres ſibi aſſigno ſocios, ut Domum exſtruant, ſintque in divino miniſterio & oratione unanimes, quemadmodum in regulari diſciplina, cæteriſque Domus exercitiis, & in petenda eleemoſyna. Sed quia modernus Guardianus pro Domo Dominationis Veſtræ ſelectus nunc præeſt in Cœnobio Pedroſi, ibique permanebit, donec ibi accedat alter a me deſignatus; hoc veniente, ipſe Pater Præſes Malagonem ibit, & ædificio aſſiſtet. In exſtructione hujuſmodi ſuæ Domus Dominatio Veſtra Fratrem noſtrum præſentis latorem provideat, ut in exſtructione difficultatem non ſentiat, ita ut, ſi fieri poſſit, menſe Octobris. Do-*

Domus alias exſtruendas habeo a die, qua Toleto diſceſſi; ſed ego cupio prius Dominationi Veſtræ, quam cæteris ſatisfacere, quia ſane eandem in Domino noſtro ſummopere diligo, multumque mereri agnoſco. Non minus juxta ſuum gradum & qualitates valde diligo Dominum Joannem, quem puto ſingularem futurum ſuæ Domus atque Provinciæ noſtræ Patronum. Ita mihi prorſus videtur de Domicellis filiabus Dominationis Veſtræ, cujus Perſonam illuſtrem Dominus noſter pieutiſſimus conſervare in ſua ſancta dilectione dignetur. Ex Arenis die XII. *Junii* MDLXII. *ſervus & Cappellanus Dominationis Veſtræ indignus Fr. Petrus de Alcantara.*

III. Alteram ſanctum Virum iiſdem Dominis Marchionibus ſcripſiſſe epiſtolam, cujus authographum in Archivo Cœnobii ſancti Didaci Complutenſis ſervatur, Chronologus Provinciæ ſancti Joſephi refert. Tenor eſt ſequens. *Spiritus Chriſti animam Dominationis Veſtræ impleat, ſuus amor accendat & uret, ſuum gaudium lætificet. Amen. Ego nunc non venio ad Dominationem Veſtram viſitandam ob cauſas, quas ipſi mei Fratres narrabunt; cogito tamen hoc facturum Paſchalibus ſolemnitatibus celebratis, ſi Domino noſtro placuerit, quia hoc ſane cupio ſummopere. Interim meum erit commendare Deo Dominationem Veſtram, ſuaque negocia, cum Fratribus Provinciæ noſtræ; & ſi Dominatio Veſtra nobis ædificaverit Domum, ego ſtatuam in eadem vivere, & mori. Majeſtas divina Dominationem Veſtram in ſua ſancta dilectione conſervet. Ex Oropeſa die* X. *Martii* MDLXII. *Servus addictiſſimus Dominationis Veſtræ indignus Frater Petrus de Alcantara.* Sed non adhuc optatam Domum die XII. Auguſti hujus anni fuiſſe fundatam, quum ſanctus Petrus ibidem Fratres nondum mittere potuerit, teſtis eſt ſequens ad eandem Marchioniſſam miſſum iterato chirographum: *Spiritus Chriſti animam Dominationis Veſtræ impleat. Ego meam hanc neutiquam ſcriberem epiſtolam, neque per manum alterius ob ægritudinem qua teneor. Sed amor, quo in Chriſto erga Dominationem Veſtram ſuamque Domum feror me cogit ipſam eandem ſuperare ægritudinem. Ego valde gratulor Dominationi Veſtræ ob D. Mariæ conjugium, quum ſciam Dominationem Veſtram de re hujuſmodi gratulari. Dominus noſter huic matrimonio benedicat pro ſuo ſancto ſervitio & Beatæ Virginis conſolatione, & benedictionis filios Dominatio Veſtra videat, & Domini Joannis & aliarum Dominarum, ut cum iiſdem pacem & conſolationem habeat in terris & in cœlo perpetuam. Non miſi adhuc Fratres*, & rationem Fr. Alphonſus narrabit. Dominus Joannes, Domina Comitiſſa, aliæque Dominationis Veſtræ Domicellæ habeant me Domino Deo commendatum, quum ego ſim verus humillimuſque ſervus Domus ſuæ hujus. Gratulor ſummopere D. Joannis Aulici: ambos Dominus noſter in ſua ſancta dilectione conſervet. Ex Abula* XII. *Auguſti* MDLXII. *Servus humillimus Dominationis Veſtræ indignus Fr. Petrus de Alcantara.*

Marc. cit.

Marc. cit.

* Nota.

IV. Prænoſcente autem Petro, vitæ ſuæ non longe diem extremum abeſſe, ut magis magiſque Tereſiæ negotium promoveret, utque viam a Dæmone ſeptam prorſus ſtatimque rumperet, memoratum Abulenſem Antiſtitem adire ſtatuit. Interea gravi morbo ex maximis laboribus, vigiliis, carniſque maceratione vexatus, Abulæ in lecto decumbere cogitur. Graviter & dolenter Vir Dei hæc accipere viſus eſt magis impedimenti dolore, quam affectæ valetudinis ſenſu; multoque magis, quia, abſente Epiſcopo, neque per amicos negotium ad quod venerat, tractare opportune valebat. Dum igitur ſpe erigitur videndi Epiſcopum, etſi febre correptus, ad eumdem ſcribere non diſtulit; utque diſtincte coram magis explicent, amicis ſuis Franciſco Salzedo, Gonſalvo de Aranda & Magiſtro Dazæ, ſolicite commendat. Epiſtolæ hoc eſt exemplum.

Abulam ad Epiſcopum hac de cauſa adit.

Ægrotat.

Spi-

Epiſtolæ ad eumdem Epiſc. dirigit. *Chron. Pro. S. Joſ. Mar. Compl. lib. 6. cap. 4.*

Spiritus Chriſti impleat animam Dominationis Veſtræ, a qua benedictionem peto: Infirmitas, qua aggravor, hactenus me detinuit, quin negocium valde conveniens divino ſervitio cum Dominatione Veſtra pertractare poſſim; itaque ne ejus effectui promovendo ex parte mea deeſſe videar, præſenti Epiſtola Dominationi Veſtræ ejus argumentum interea explicare conſultum duxi. Eſt quædam perſona ſpiritualis quæ conſtituit Monaſterium religioſiſſimum Monacharum in hoc loco ædificare, juxta perfectionem primi Inſtituti, ac Regulæ Ordinis beatæ Virginis de Monte Carmelo: ideo pro eadem Obſervantia conſervanda, conveniens ac neceſſarium judicavit, Ordinario hujus loci obedientiam, atque ſubjectionem vovere. Imprimis confiſa bonitati Dominationis veſtræ, cujus virtutem, atque ſanctitatem in diœceſi ſuæ gubernio una cum aliis omnibus veneratur; perduxit autem negocium cum impenſa quinque millium legalium ad illud punctum, ut Romæ Diploma Pontificium obtinuerit, & quia mihi viſum eſt bonum propter amorem Dei, ſupplico Dominationi Veſtræ, ejus defenſionem ſuſcipiat; quia ſcio eſſe augumentum divini cultus, & utilitatem hujus Civitatis; & ſi Dominationi Veſtræ viſum fuerit, eo quod præſens benedictionem ſuam accipere, & negocium orcenus pertractare prohibeor, hanc mihi præſtet charitatem, ut ad me mittat Magiſtrum Dazam, cum quo id conferre poſſim, vel aliquem alium, ſicut magis Dominationi Veſtræ placuerit; adeout hoc maximæ conſolationi mihi futurum ſit. Ulterius dico, quod poteſt Dominatio Veſtra idem conferre cum Magiſtro Daza, & Gonſalvo de Aranda, quos optime novi, & ipſi me quoque intimæ cognoſcunt. Et licet multa mihi promittam de his, quæ Inſtitutum hoc ſuſcipere cupiunt, cum provectæ ſint, atque expertæ virtutis; tamen de principaliori mihi perſuaſum habeo, in illa Spiritum Sanctum habitare, cujus gratiam Dominationis Veſtræ diu ſervet Divina Majeſtas ad majorem gloriam ſuam, & univerſæ Eccleſiæ bonum. Amen Amen.

Servus D. V. indignus F. Petrus de Alcantara.

Epiſcopus renuit.

V. Epiſtolam cum accepiſſet Epiſcopus, neque auctoritate Petri, cui cæteroquin multum deferebat, neque memoratorum Virorum perſuaſionibus, quas ſingularibus rationibus contendebant, opus de Cœlo provenire, perſuaderi potuit, Monaſterium ſine certis redditibus admittere; ſed pateſacta repulſa, poſtremo reſpondit, ſe Abulæ Petrum plenius de ſuo adverſo conſilio perſuaſurum, mœſtoſque ita dimiſit. Hi cum Petrum adüſſent, non exigua rei admiratione percellebant, at ille perſpecta Epiſcopi pietate, ſimul perſuadere nitebatur, repulſam hujuſmodi divina providentia ad majus operis incrementum dirigi, ut inter tam ingentes difficultates opus conſurgens, nobilius extolleretur. Quo detinebatur, relevatus aliquantulum morbo, viribus tamen exhauſtis, Epiſcopum convenire neceſſarium exiſtimans, jumento quodam vehi non recuſat, quo & negocio conſuleret & ſanitati; cum hactenus pedes iter agere ſemper conſueviſſet. Hinc ad locum *Tumblo* dictum, ubi tunc Epiſcopus degebat, perveniens, eumdem ſupplex validis rationibus & argumentis ita urget, ut licet in ſua ſententia fere inflexibilem, non niſi

Tandem Petri efficacibus rationibus annuit.

manifeſtæ Dei voluntati ſibi declaratæ cedere coegerit. Audita etenim Tereſiæ ſanctitate, atque Servi Dei ſervore perſpecto, adverſarium ſe ulterius præſtare non eſt auſus, ſed magis divini conſilii promotorem ſe præbuit. Eadem vi Petrus paupertatis difficultatem depellens, haud diſſimilibus rationibus Epiſcopum vicit, quibus olim Innocentio III. ſanctus Franciſcus ſui Inſtituti ſupra arctiſſimam paupertatem fundandi facultatem obtinuit; ſicque præter amplum Epiſcopi conſenſum, favorem quoque & auxilium reportans,

Verſus Pedroſum iter arripit.

Pedroſum verſus lætus iter arripit, poſteaquam eundem ſpiritualibus colloquiis,

quiis, ae universum populum præsentia sua consolatos reliquisset. Dum autem memoratæ fundationis a Teresia disponerentur initia, Petrus in Cœnobium Pedrosi reversus, eamdem de iis, quæ cum Episcopo Abulæ feliciter acciderant, certiorem reddere scripto non omisit.

VI. Etsi tamen plurimum Petrus pro Teresianorum reformatione distraheretur, propterea non in munere suo exacte obeundo quidquam sollicitudinis remittebat, ut etiam sui Instituti perfectam observantiam confirmare atque promovere posset. Perveniunt interea Roma Martii primis diebus Cardinalis Protectoris, Francisci Guzmani (non Zamorensis, ut Joannes de sancta Maria scribit) & Christophori Bravi ad sanctum Virum epistolæ, quibus monebatur, ut sub Observantium regimine, Conventualibus vale dicto, suam familiam subjicere annueret, constitutionibus indultisque eidem familiæ concessis in suo robore remanentibus. Hæc pro viribus Observantes, Protectoris auxilio fræti procurabant, zelantes * (ait Joannes de sancto Bernardo, ejusdem sancti Josephi Provinciæ alumnus & Chronologus, Servique Dei Canonizationis Postulator) Seraphicæ paupertatis in Hispaniarum regnis vigorem, eupientesque propterea iisdem in regionibus privilegiis utentes auferre de medio, quod tamen non tam facile aliter contingere poterat, quodque tandem contigisse suo loco narrabimus. At Petrus de re tam gravi cum suis agere prudenti consilio decernens, eosdem apud sancti Joannis Baptistæ de Bobadilla heremum pro die XII. Aprilis, qua Dominica II. post Pascha illo anno contigit ad Comitia convocat, Comite de Oropesa loci Domino exoptante, ut commodius Conscriptis Patribus necessaria pro sua pietate ministraret. Iisdem igitur seriem negotii Petrus proponit, ut ea quæ Dei gloriam, Seraphicæque disciplinæ incrementum magis redolent decernantur. Aliis sub illa Conventualium permanere, aliis autem ad immediatam Apostolicæ Sedis, aliis demum ad Observantium transmeare obedientiam pro suo voto sentientibus; tandem eo deventum est, ut ithæc postrema prævaleret opinio, quemadmodum ex Pontificia Constitutione Pii IV., non autem Pauli III. ut apud eumdem Joannem de sancto Bernardo legitur, in regesto anni sequentis producenda sub Dat. Romæ VIII. Kalend. non vero die VIII. Februarii, ut Gonzaga scribit, satis superque liquet. *

Desiderio flagrat ut ejus reformatio augeatur.

Joan. de S. Maria in Chronica Provin. S. Joseph. part. 1. lib. 1. cap. 10.
Marcus de Alcala Chron. ejusd. Prov. lib. 6. cap. 3
Joannes de sancto Bernard. in vita sancti Petri lib. 5. cap. 5.
* Nota.

VII. Marcus de Alcalà sive Complutensis eitatus Antonio Panes Provinciæ sancti Joannis Baptistæ Chronologo, cujus verba refert, adhærens, atque vetusti cujusdam ab ipso asserti codicis testimonium producens, animose scribit, hoc eodem in confessu, Christophorum Bravo Ministrum Romæ degentem a munere absolutum, ejusque loco suffectum Bartholomæum de sancta Anna, novosque etiam Definitores electos, Isidorum videlicet de sancto Jacobo, Davidem de Monte, Antonium Olisiponensem, & Franciscum de Gallisteo *Laicum*. Addit præterea ad hujusmodi suam sententiam confirmandam cum eodem Antonio, Pontificiæ Constitutionis authoritatem, in qua semel iterumque Bartholomæus de sancta Anna *Provincialis* dicitur; deque Christophoro Bravo vel minima mentio fit. Nos tamen Joannis de sancta Maria antiquioris ejusdem Provinciæ egregiique Chronologi, cæterorumque illorum, qui acta sancti Petri scripsere sententiam sequentes, judicio nostro veriorem, eum iisdem asserimus, Bartholomæum Definitorem Romam post Bravum missum, Capitulari Provinciæ, atque Petri auctoritate veluti Commissarium munitum, ut in negotio, de quo agebatur, Provincialem Bravum minus quam par esset, sollicitum Superiorem minime agnosceret; quinimo ejus defectibus, si qui essent, in hac parte suppleret. Et en ratio, cur in laudata Constitutione Pontifex illius dumtaxat meminerit, eumque Provincialem vocaverit.

Joan. de sancto Bern. cit. Gonz. in Proem. Prov. S. Josep. Marc. cit.

* Hæc interim narramus, quinimo & alibi narravimus cum cómuni Historicorú sententia; cæterum, rem aliter se habuisse ad annum sequentem ex laudata Constitutione liquido demonstrabimus.

Joannes de sancta Maria cit.

Cæterum quod Chriſtophorus Roma Hiſpaniam reverſus ſuum ipſius officium ad annum uſque MDLXIV. ſit proſequutus, etiamque Miniſtri Generalis nomine Sodales ad obedientiam receperit laudatus Joannes de ſancta Maria non obſcure teſtatur. Quapropter dicendum, quod omnimodam improbabilitatem Marci opinio recenſita præſefert, quod nimirum Capitulum ſuperiori anno celebratum, iterum hoc anno convocatum ſit; quod cum Provinciali etiam fuerint Definitores electi; quod inter eoſdem Definitores Franciſcus de Galliſteo *Laicus* (tanti muneris propterea exercendi minime idoneus) adnumeratus fuerit; & tandem, quod vir innocuus, quinimo & verus Dei Servus, Chriſtophorus nempe, ab integro Capitulari conſeſſu, cui ipſemet Petrus præerat, fuerit ignominioſe, & non abſque injuſtitiæ nota ab officio depoſitus.

Joannes de ſancta Maria citatus cap. 12. & cap. 34.

Secularium erga Fratres devotio.

VIII. Interea humili Petri ſuorumque ſancta converſatione allectæ gentes, eoſdem ſummis extollere præconiis atque præcipuo affectu complecti inpoſterum cœperunt. Adeo vero hæc in illos reverentia ac veneratio crevit, ut Petrus a pluribus Hiſpaniæ Provinciis inſtanter ſollicitatus ad nova conſtruenda Cœnobia, coactus ſit differre opus, non autem rejicere preces, ut piorum votis quomodo licebat, faceret ſatis. Præcipue Abulæ Magiſtratus importunius inſtabat, ut prope Civitatem Domum exſtrueret, cujus deſiderii exequutionem ad tempus divinæ voluntatis conſtanter Petrus remiſit. At vero id negare nequivit Friderico de Portugal, & Margaritæ de Borgia, quorum pietas locum ſolitarium nomine *Alcaicia* prope Sollanam ſuæ ditionis, tribus leucis diſtantem Valentia, ad exſtruendum Cœnobium offerebat; quare Cuſtos Alphonſus de Lerena non diſtulit ejuſdem loci poſſeſſionem adire, & in quodam Eremitorio, ſub invocatione beatæ Virginis a Pietate ſedem figere, tum in propria ſpecu cellas quaſdam tanquam nidos excavare, ut ad annum elapſum, quo id accidit, dicebamus.

Abulæ Senatus Cœnobium ibi ædificari flagitat.

Idem faciunt & obtinent quidam Proceres prope Sollanam.

Conv. de Sollana.

Ad ann. 1561. num. 47.

IX. Idem pariter conceſſum Marchioni de Villena Duci Scalonæ in quodam oppido ſuo *Cadahalſo*, cujus cauſa hæc erat. Triſtabatur valde Dux idem ob ſterilitatem conjugis, quam ſancto Viro dolens, ſæpe numero memorabat, cui ille, ut cum uxore Deiparæ Virginis ſponſi ſancti Joſephi patrocinium imploraret perſuadens, ſe Deum quoque oraturum ſpondens, eodem Sancto favente, a quo hactenus multa beneficia obtinuerat, tum fixum hoc conſilium menti Joannæ de Toleto filiæ Comitis de Oropeſa, & Duci conjugi inhæſit, ut quadam die marito aperuerit, velle ſe glorioſo Patriarchæ Joſepho Cœnobium dicare, ſi ejus interceſſione prolem a Deo impetraſſet. Vir pio voto adhærens, conceptum propoſitum ſimul cum uxore Petro ſignificat; nec preces caruere fructu: Joanna ſiquidem brevi facta voti compos, primo maſculum, poſtea alios tres ſucceſſive peperit filios. Quo inſigni obſtricta beneficio, ardentius Dei Servum urgebat, ut ſuæ Familiæ Cœnobium in Scalona ædificari permitteret, ſed mutans Dei Servus locum propter Patres Obſervantes, qui jam ibi habitabant, elegit oppidum Cadahalſo, duabus inde leucis diſtans, ubi nullis aliis Religioſorum hominum familiis impediebatur; hic itaque Conventus poſt Petri obitum memoria inſignior evaſit, quia loci Domini filiorum imagines cum rei ſucceſſu in Eccleſiæ frontiſpicio inſculpi curarunt; quo monumenti genere ſancti Joſephi beneficium orationibus Petri impetratum, memoriæ poſteritatis, filiorumque & ſucceſſorum perpetuo commendatum eſt. Conſtruitur item hoc anno Cœnobium de Cannete in Regno Andalutiæ, modo pertinens ad Provinciam ſancti Didaci Patrum Diſcalceatorum, quod Marcus Complutenſis inter cætera minoris momenti Provinciæ ſancti Joſephi dumtaxat indicat.

Petri meritis proles a Deo quibusdam conceſſa Nobilibus.

Hæc de cauſa Cœnobii de Cadahalſo exſtruitur.

Conv. de Cannete.

Marcus Complutenſis lib. 4 cap. 28. in fine. MS. authentica archiv. S. Ildefonſi num. 80. fol. 9.

X. Adhuc

Anno Christi 1562.	Pii IV. anno 3.	Ferdinandi I. Imp. anno 5.	Religionis Minorum anno 355.

X. Adhuc Teresia Toleti apud Marchionissam de Malagon permanente, variis iterum iterumque Doctorum vexatur sententiis, quantum ad recensitum articulum de paupertate servanda; non enim pro una parte Christi indigentiam imitari se posse existimabat, si redditus aut bona Monasterii Instituti sui addici permisisset; ex altera vero prævidebat, idem imitationis studium non in omnibus permansurum; ad rerum siquidem temporalium sollicitudinem dilapsæ spiritum devotionis facile opprimerent aut dissiparent; quapropter in utramque partem anceps, neutram, nisi ex Petri consilio eligere constanter proposuit; cum hactenus eodem se plurimum perfeciisse aperte agnosceret. Scripsit itaque epistolam variis argumentis refertam, quam Gonsalvo sive Gonzalo de Aranda perferendam tradidit. Attulit hic Vir illam Petro, memorata Congregatione absoluta, qui tot aliorum opiniones Abulæ degentium ea, quæ Teresia narrabat, confirmare, & summæ illi paupertati, quam ipse suggesserat, adversas esse attestabatur. Quare divinæ gloriæ studio accensus Dei Servus, sine mora Abulam iterum proficisci, & quamvis deficientibus viribus, valido tamen spiritu iter nudis pedibus perficere non dubitavit. Hinc quia vera omnia ab amico perlata intellexit, confestim responsum, divino Spiritu dictante, ad Teresiam misit his verbis expressum: *Spiritus sanctus animam vestram impleat. Vidi illam, quam mihi Gonsalvus de Aranda tradidit, ex qua non exigua admiratione affectus sum, Dominationem Vestram, tale negocium litteratis comisisse, ad quos non pertinet; nam ubi de litibus aut conscientiæ casibus agitur, laudabile quidem erit, a Jurisperitis & Theologis consilium capere, eorumque sententiam sequi. At de vitæ perfectione, nonnisi illos consulendos esse, qui eandem profitentur; ratio potissima suadet, quod aut melius dictamen aut opinionem de hac habere non posse illos, ipsorum operum studium & exhibitio apertius demonstrant; nec in evangelicis consiliis aliena consultatione opus est, nisi an ampiectenda sint, aut servari possint deliberare, quod speciem infidelitatis certissimam præfert. Consilium enim Dei nullum nisi bonum esse potest, nec observatu difficile, nisi incredulis aut parum Deo fidentibus, dum secundum humanæ tantum prudentiæ regulas ducuntur, quippe auctor consilii, remedii etiam largitor erit, tamquam potens in omnibus, cum homo nullius boni consilii author esse ex se queat, quin cupiat bonum videri, licet ipse natura propria maius sit; quanto magis is, qui ipsa bonitas est, velit poteritque consilia sua sequacibus in bonum (ut proficiant) efficere, si vult sequi consilium Christi, quod est de majori perfectione, sequatur, quia non magis viris datum fuit, quam mulieribus, & ipse faciet, ut feliciter succedat, quemadmodum aliis plurimis, qui ipsum sequuti fuerant; si autem adhærere vult consilio litteratorum sine spiritu, quærat potius habere bonos proventus, ut experiri possit, si hi utrinque plus valeant, quam omnium rerum carentia, suadente Domino: ubi vero videmus aliquos defectus in Monasteriis mulierum pauperum, id magis evenire consideremus, ex eo quod hanc paupertatem invitæ patiantur, non ex consilio divino; nec ego simpliciter paupertatem laudo, nisi eam quam patienter propter amorem Crucifixi Redemtoris nostri toleramus, & multo magis desideratam illam, quam propter amorem ejusdem sponte suscipimus; nam si aliter sentirem, aut certa determinatione crederem, non mihi in fidem securius viderer; at in omnibus his in Christo confido, atque credo firmiter consilia ejus optima esse, quia divina; & licet sub peccato non obligent, attamen obligari aliquem magis perfectum esse, in ipsius imitatione, quam ut ea relinquant sine culpa; dico, quod obliget in eo quod perfectionem suadent, & in hoc reddunt sanctiorem, atque Deo magis gratum; existimo proinde beatos (ut ipse Dominus dicit) pauperes spiritu ideſt*

Teresia adhuc pro modo suæ Reformationis fundamenta anceps.

Abulam hac de re iterú proficiscitur.

Et ad Teresiam mittit epistolam *Chron. Provinc. S. Josephi Marci Complut. lib. 6. cap. 4. & alibi apud cæteros.*

ideſt ſpontaneos, ut ipſemet expertus ſum, licet Deo magis, quam propriæ experientiæ credam. Dominus concedat Dominationi Veſtræ tantum luminis, ut intelligere valeat hanc veritatem eamque perficere; nec credat illis, qui contrarium aſſerunt, ex luminis defectu, aut ex incredulitate, aut quia nunquam guſtarunt quam ſuavis eſt Deus his, qui ei ſerviunt, eum amant, & propter ejus amorem renunciant rebus omnibus ſæculi non neceſſariis. Nam hujuſmodi inimici ſunt Crucis Chriſti, nec credunt gloriæ, quæ poſtmodum tandem ſequetur. Addat quoque adhuc lumen Dominationi Veſtræ, ne in manifeſta adeo veritate vacillet; nec conſilium capiat, niſi ab his, qui conſilia evangelica ferio amplexi ſunt. Non licet alii, qui præcepta (ad quæ tenentur) ſervant ſalvi fiant, communiter tamen lumen majus non habent, quam de iis quæ operantur. Et quantumvis bonum ſit conſilium ipſorum, melius tamen Chriſti Domini noſtri conſilium erit, qui eidem dono perficiendi auxilium tribuit, & tandem præmia reddit his, qui plenam in eo fiduciam figunt, & non in rebus terrenis. Abulæ XIV. *Aprilis anno* MDLXII. *Fr. Petrus de Alcantara.*

Teresia Petri ſuaſionibus adhæret.

XI. Hac accepta perlectaque epiſtola, Tereſia omnem animi ſui hæſitationem velut diſſolvi ſentiebat, firmiter ſibi proponens, contradicentium objectis Servi Dei conſilium tamquam ſcutum opponere; atque ſic paupertatis regulam in Monaſterii fundatione integram ſervandam tradere; eadem inter ſcripta ſanctæ Virginis inventa epiſtola in primo Monaſterio ab eadem Abulæ fundato tanquam pretioſa gemma reverenter cuſtoditur, cujus inſuper Apoſtolicum ſpiritum nunquam celebrare ſatis ſibi videntur Scriptores vitæ ejuſdem ſanctiſſimæ Fœminæ. Ex his Epiſcopus Didacus a Yepes prodit, Petri monitis unice Tereſiam inductam, Reformationis ſuorum integram perfectionem in rerum omnium abdicatione firmaſſe. Diſcalceatorum vero Carmelitarum Chroniſta Franciſcus a ſancta Maria, occaſione hujus epiſtolæ ſcribit: *Hæc talis eſt, ut in omni clauſula plurima conſideranda ſuggerat in favorem ſanctæ Paupertatis, & qui vel verbum adjungere vellet, non minorem, quam auferendo injuriam faceret. Veneror eamdem non velut atramento exaratam, ſed ſanguine Chriſti aſperſam, non tamquam dictatam ab homine, ſed ab ipſo Spiritu ſancto, non veluti Evangelii explicationem, ſed ejuſdem ſimplicem verſionem &c. Et ideo eam deſeripſi hoc loco, ſperans magnum Religioni meæ fructum allaturam, & futuram velut Turrim David contra eos, qui infeſtare velint ſanctam Paupertatem, quam nunc profitetur.* Hactenus Author Carmelita.

Franciſcus a S. Maria in Chron. Carmel. Tom. 1. lib. 1. cap. 41. num. 11.

Abulæ adhuc remanet, ut alia negotia abſolvat.

XII. Adhuc autem Abulæ Viro ſancto degente, ut etiam quædam negocia ad fundationem ſuam pertinentia diſponeret, multorum vel imprimis animos paupertatis averſione præoccupatos ad Apoſtolicam regulam atque ſenſum perduxit, inter quos præcipuus fuit Franciſcus de Salzedo, qui opinionis adverſæ contagione infectus nimium obluctabatur. Monuit Joannem de Oballe Tereſiæ cognatum ut caute omnia in domus emptione, atque præparatione pro fundando Monaſterio perageret; & Jumaram de Uloa in ædificii, cui alio titulo operam dabant, feſtinationem incitavit. Porro hanc præter temporalis fabricæ curam, non neglexit Petrus etiam ſpiritualem promovere; Virginem ſiquidem illam, de qua alias fecimus mentionem, Iſabellam de Ortega, de propinqua occaſione perficiendi propoſitum admonere, ut parato animo Tereſiæ adeſſet. Idem quoque de altera Virgine, nomine Maria de Abula, duabuſque aliis, quæ numero quatuor boni ſpiritus, & devotionis exemplaria merito dici poterant, ut Tereſiæ aſſociarentur. Ideoque non abs re Petrus ab eadem Sancta, tanquam Pater, & principalis promotor ſuæ Reformationis ſæpe nuncupari, atque coli promeruit. His

Amicis ſupplicationibus Tereſiæ in ſuam Reformationem commendat.

ergo

ergo fauſte diſpoſitis, commendataque operis cura Magiſtro Dazæ atque Gondiſalvo de Aranda, ad Cœnobium de Arenas exhauſtus viribus, ægrotuſque pedes proficiſcitur. Erat tunc æſtas ſerventior & valida, cum Dei Servus, pro more, capite radiis Solis expoſito, incederet; in altiſſimis tamen contemplandis myſteriis elevata mente, moleſtias ullas ſentire videbatur. Socius autem Gaſparus ſiti potiſſimum confectus ferre ulterius non patiens, ſanctumque Virum præcedens ad rivum quendam, hauſta ex eodem aqua, advenientem exſpectabat; quem ille, quod ſine licentia ſitim levaſſet increpans, in pœnam febri correptum iri, atque in tali domo cujuſdam devoti remanſurum, donec ipſe eum inde ſanum reduxiſſet, ſine hæſitatione prædixit. Dignum ſane admiratione fuit, Religioſum ætate robuſtum, vix prolata Viri ſancti ſententia, male ſe habere cœpiſſe, atque ita adverſa valetudine affici, ut progredi ultra vicinum oppidum non valeret; unde ibidem apud amicum quemdam ſpiritualem relictus, tandiu ægrotus permanſit, donec Sodalis alter a Petro miſſus, ad reducendum eum in Cœnobium acceſſiſſet. Tunc, velut renovato miraculo, Gaſparem recte valere, atque ceſſante febri, integriſque viribus, ſequi eumdem verſus Cœnobium, cunctis admirantibus, viſus eſt. Interea Petrus extremum quoque vitæ tempus Deo ſacrificans, ne corpore otio in ejus ſervitio videretur, licet debilis, vicina obibat loca, ubi plurimos prædicatione, exemplo, ac Sacramenti pœnitentiæ adminiſtratione ad viam ſalutis convertit, quouſque morbo ingraveſcente, ad Conventum reverti cogeretur. Tranſiens autem per quemdam pagum *Monbeltran* nuncupatum, cujuſdam piæ mulieris domum divertit. Hic quum tantum per quieti datum de præſentis vitæ brevitate, atque futura æternitate altiſſimum ſermonem habens, tandem dicendi finem fecit, mulierem alloquens: *Soror Joanna Deus tibi abundanter reddat, quæ pro ejus amore facis, nos quidem ulterius invicem non videbimus; ideo quia aliud non habeo, quod tibi relinquam, accipe hunc baculum*, quo tradito receſſit, mæſtam valde relinquens, ob imminentis ſuæ mortis prænuncium. At doloris ſolatium ex relicto munere ſumens, pia mulier ſæpiſſime divinam beneficentiam experiebatur; baculi ſiquidem illius virtute plurimorum morbi, aut expellebantur plane, aut ex parte minuebantur eorumquibus tradebatur, quemadmodum & nunc Petri meritis atque interceſſione experiuntur.

Æſtivas ingentes moleſtias non ſentit.

Socium corrigit.

Et miraculoſe ſanat.

Plures per vicina loca ægrotos ad viam ſalutis convertit.

Baculum Mulieri ſibi devotæ donat.

Quo varii curantur languores.

XIII. Circa hoc tempus a Provinciali Præſide Tereſiæ mandatum eſt, ut ad ſuum Monaſterium Abula reverteretur, ubi Moniales virgines, ut ſibi eam præficerent avidiſſime expectabant; ipſa vero electionis tempus declinare ſtudens, caloris obtentu (erat enim tunc Julius menſis) reditum protrahebat. Deo tamen inſpirante, Toleto abire conſtituit, ut ejuſdem gratia ſavente, Abulæ majoribus rebus intenderet. Itaque Petrus, qui in Cœnobio Arenis, graviter ægrotabat, ſtomachi vero ſolito dolore vix non ad extrema redactus, ſe ſuperne vehementer ſenſit Abulam redeundi, ubi præſentia ejus tunc maxime neceſſaria erat; quoniam vero, exhauſtis pene viribus manibus aliorum ſuſtineri cogebatur; Sodalibus tamen ſuadentibus, ne mortis ſe periculo exponeret, ipſe tamen caritatis ſtimulo urgente, videbatur animum vireſque ſumere; ita tamen ut a medico jumentum peteret, quo Abulam veheretur, & quo eum Deus, Reformationis inducendæ cauſa, cum Tereſia vocabat.

Tereſia Toletum revertitur.

Illuc, & Petrus tranſiliſſet ægrotus.

XIV. Illuc cum perveniſſet, in ædibus Franciſci de Salzedo moram trahens, ab eodem ingenti cum dolore percepit, fundationis negocium in deterius mutatum; nam divulgato per urbem Tereſiæ propoſito, plurimi Petrum urgebant, quod ei adhæreret, atque nimis facile ſpiritui ipſius hactenus

Negocium Reformationis mutatum intelligit.

cre-

eredidiſſet ; præſertim vero in negocio, cui nullam humana prudentia rationem habere videbatur. Itaque reprehenſione dignam illam judicantes, ſatius, dicebant, in proprio Monaſterio perfectionis ſtudio occupandam, quam nova fundatione Carmelitarum diſcalceatarum, velut divinam providentiam pertentare, nullo proventuum admiſſo ſubſidio. Turbaverant iidem Epiſcopi mentem, quam antea Petri rationibus ad conſenſum fundationis pertractam, qui ſæculi dueebantur prudentia, atque divinæ erant expertes, variiſque argumentis pervertere adlaborabant. Nec minus in Jumaram de Ulloa importunos ſe gerebant, quod ſuo nomine Pontificium Diploma, Tereſiæ propoſitum obfirmans impetratum eſſet.

Petrus, & Tereſia multum propterea vexari.

XV. Hæc omnia Petrus exſpendens, facile Sathanæ dolos atque artes agnovit; Deum proinde exorabat, ut ſibi virtutem impertiret ad ſuæ gloriæ opus feliciter promovendum, cui ſine deſiderio divinam benignitatem annuere, id in primis monſtrabat, quod contra omnium ſententiam e lecto ægrotus ſurgere, atque negocium fauſte pertractare viſus fuerit. Itaque adverſantium principes frequenter adire, rationibus præmere ſtudens, evangelicam paupertatem Religioſarum familiarum præcipuam baſim eſſe, nec contradicentes ſine de divinis conſiliis opinari oſtendit; adeoque non levitati mulicbri, ſed conſtantia divinæ inſpirationis, imo & obedientiæ virtute, Tereſiam novæ fundationis propoſitum animo fovere. Cujus etiam virtutes, atque Inſtituti excellentiam debitis præconiis ſubinde comendabat. Deinde apud Epiſcopum pari humilitate, ac Apoſtolici ſpiritus fervore eandem paupertatis, ac fundationis novæ cauſam egit, adeo ut cultus divini, publicæque utilitatis efficaciſſimis momentis pius Præſul perſuaſus, facile ad priorem ſententiam, in qua vacillare videbatur, acceſſerit, promittens deſuper, ſe opportuno tempore omni conatu pio operi affuturum. Hinc ad Jumaram accedit, eamque conſolari non ſinit; ſuadet tamen ut dum Diploma Pontificium nondum ab urbe Roma adveniſſet, Abulam extra ſecederet, a Tereſia ſuo tempore revocanda: cui illa promtiſſime obſequuta, Abula egreditur, curam domus, quæ pro novo parabatur Cœnobio, Mariæ a Pace commendans, quam Petrus inter fundamentales novæ Reformationis lapides primam deſtinaverat.

Rationibus ſuadere intentum fatigit.

Epiſcopo, ceteriſque annuntibus.

XVI. Sic itaque Petrus in favorem Carmelitarum Reformationis agens, admirationi erat omnibus, quod in vitæ extremo conſtitutus, ægreque pedibus inſiſtens, tam inceſſanter nunc ad Prælatos accederet, nunc cum viris religioſis ac doctis congrederetur, interdum vero pios homines ad favorem ſollicitaret, denique cuncta majori prope ſtudio, quam in propria cauſa ſedulo atque inceſſanter incumberet. Interea & Diploma Pontificium Roma, & Tereſia Toleto perveniunt, ſicque univerſa opportune ad negocii promotionem & abſolutionem concurrunt. Ejuſdem autem Brevis tenor eſt ſequens.

Ardenti deſiderio pro hujuſmodi Reformatione, licet ægrotus, flagrat.

Ex Bullar. Carmelitar. Parte 2. ſub Pio IV. Bull. 4.

Raynutius miſeratione Divina tituli ſancti Angeli Presbyter Cardinalis. Dilectis in Chriſto Donnæ Aldunçæ de Guzman, & Donnæ Gujomar de Ulloa mulieribus illuſtribus, viduis, incolis Abulenſis Civitatis, ſalutem in Domino. Ex parte veſtra nobis oblata petitia continebat, quod vos zelo devotionis accenſæ ad Dei laudem & honorem, deſideratis in dicta Civitate Abulenſi unum Monaſterium numero, & ſub invocatione vobis bene viſis, Regulæ & Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ac ſub obedientia & correctione Venerabilis in Chriſto Patris Dei gratia Epiſcopi Abulenſis pro tempore exiſtentis, cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtro, refectorio, dormitorio, horto, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, necnon in eadem Eccleſia unam,

unam, ſeu plures cappellaniam, ſeu cappellanias erigere, ac Monaſterium, & cappellaniam, ſeu cappellanias hujuſmodi ex propriis veſtris bonis competenter dotare: id tamen vobis licere dubitatis abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia. Quare ſupplicari feciſtis humiliter, vobis ſuper his per dictam Sedem de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur attendentes, quod in his, quæ in divini cultus augmentum tendunt, favorabiles eſſe debemus, atque benigne veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate D. Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis in unum Monaſterium Monialium numero, & ſub invocatione vobis bene viſis Regulæ & Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, ac ſub obedientia & correctione dicti D. Epiſcopi Abulenſis pro tempore exiſtentis, cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtro, refectorio, horto, & aliis neceſſariis officinis in aliquo loco, ſeu ſitu, intra, aut extra muros dictæ Civitatis Abulenſis vobis bene viſo, ſine tamen alicujus præjudicio, conſtruere & ædificare: ac in eadem Eccleſia unam, ſeu plures cappellaniam, ſeu cappellanias erigere, & Monaſterium, & cappellaniam, ſeu cappellanias hujuſmodi, ex propriis veſtris bonis competenter dotare. Et poſtquam Monaſterium prædictum conſtructum & erectum fuerit, illud illiuſque Moniales pro tempore exiſtentes, omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, libertatibus, conceſſionibus, & indultis, quibus alia dicti Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Monaſteria, & illorum Moniales de jure, uſu, conſuetudine, vel alias in genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſint, & valeant, tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Vobiſque ſuper fundatione, & dotatione hujuſmodi, ac Prioriſſæ, & Monialibus dicti Monaſterii pro tempore exiſtentibus ſuper his, quæ felix regimen, & gubernium ejuſdem Monaſterii concernent, quæcumque ſtatuta, & ordinationes licita, & honeſta, & juri canonico non contraria condendi, & poſtquam condita, & ordinata fuerint, illa in toto, vel in parte juxta temporis qualitatem in melius mutandi, reformandi, alterandi, ac etiam in totum tollendi, eaque abrogandi, ac alia ſimiliter condendi licentiam, & liberam facultatem impartimur. Ac tam condita, quam mutanda, informanda, alteranda, & de novo condenda ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi Apoſtolica auctoritate ex nunc pro tunc, & e contra confirmata fuiſſe, & eſſe, ac inviolabiliter obſervari debere, ſicque per quoſcumque Judices, & perſonas, quavis, etiam Apoſtolica auctoritate fungentes ſublata, eis eorumque cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi, & definiendi facultate, & auctoritate, judicari, interpretari, & definiri debere; irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Mandantes, & ſtrictius inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub ſuſpenſione a divinis quoad Epiſcopos, vel alios majores Prælatos, quo vero ad alios excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœna, quam contrafacientes ipſo facto incurrere volumus, & a qua nonniſi per Nos, aut Sedem Apoſtolicam, præterquam in mortis articulo, abſolvi poſſint, quibuſvis Judicibus, & perſonis tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, quavis etiam Apoſtolica authoritate fungentibus, ne vos, & pro tempore exiſtentes dicti Monaſterii Moniales, directe, vel indirecte quovis quæſito colore, ſeu ingenio quomodolibet indebite moleſtare, perturbare, vel inquietare audeant, ſive præſumant: ac decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa diſcretis viris, Priori

Con-

Conventus de Magacela nullius diœceſis, & cappellano majori Toletan., ac Archidiacono Segobien. Eccleſiarum, & eorum cuilibet, authoritate, & mandato prædictis committimus, & mandamus, quatenus vobis, & dicti Monaſterii Monialibus pro tempore exiſtentibus, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtant, & quilibet eorum faciat, vos, & Moniales prædicta conceſſione, indulto, licentia, & facultate hujuſmodi, omnibuſque, & ſingulis præmiſſis pacifice frui & inviolabiliter gaudere. Non permittentes, vos, & eas deſuper dictas per dicti Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo, & aliorum quorumvis Ordinum Superiores, & Fratres, aut alios cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, & quacumque etiam Pontificali præfulgeant dignitate, vel authoritate etiam Apoſtolica fungantur, publice, vel indirecte, quovis quæſito colore, ſeu ingenio quomodolibet moleſtari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii PP. VIII. de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo, non ultra tres, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac beatæ Mariæ de Monte Carmelo hujuſmodi, & illius Monaſteriorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Ordini & Monaſteriis, illorumque Superioribus & Generali, ſub quibuſvis verborum formis, & clauſulis, & derogatoriarum derogatoriis, fortioribuſque, & efficacioribus, ac inſolitis, irritantibuſque, & aliis decretis conceſſis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, etiam Mari magno, *Bulla aurea, vel alias nuncupatis: quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſui robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub figillo Pœnitentiariæ, ſeptimo Idus Februarii, Pontificatus Domini Pii PP. IV. anno* III.

Petrus merito Carmelitarũ Reformationis Pater conſideramus. *Franciſcus Ribera in vita S. Tereſiæ lib. 1. cap. 11. 16. & alibi.*

Tereſia pro Petri ſalute precatur.

Domunculæ fundandę loca diſtribuit.

XVII. Merito ergo Ribera, cæterique actorum Tereſiæ Scriptores Petrum tanquam promotorem, & coadjutorem ſuæ Reformationis celebrando aliis facile perſuadere poſſunt eumdem Petrum aliqua ratione Patrem ejuſdem, ſicut Tereſiam Matrem appellari debere. Merito itidem Tereſia gratias Deo debitas reddere non ſinebat, quod operis ſui primordia, procurante Petro, tam felici eventu ſuccederent, orabatque inſtanter pro ejuſdem ſalute, ut infirma valetudine, atque deficiente jam vita, reliquis perficiendis ſufficeret. Ille vero in novo Monaſterio deſignando omnibus in iis, quæ peragenda occurrebant, adjuvare, diſponendo, diſtribuendoque loca officinis, cæteriſque manſionibus religioſæ Domui neceſſariis non omittebat, quæ quo anguſtiora erant, eo ſanctum Virum majori conſolatione afficiebant, cum ſuum Bethleemiticum repreſentarent tugurium. Quadam propterea die ad Tereſiam converſus, admonuit, ne unquam rigidæ paupertatis modum ac formam mutaret, quam ſuo Inſtituto propriam, ac pretioſam eſſe debere divina voluntas perſpicue oſtenderat. Interea Tereſia a beato Patre Confeſſionis, atque Euchariſtiæ Sacramentis refeiebatur, una cum quatuor illis Virginibus, quas ſanctæ Matri Petrus tamquam dilectiſſimas filias elegerat. Iſabellam de Ortega tamen præ cæteris commendatam voluit, quam Inſtituto ſuo ingens emolumentum allaturam prædixit. Hæc illa quæ, Petro celebrante, ſacrum audiens, dum pro more mentis quodam in Deum raperetur exceſſu, intueri meruit ſibi aſſiſtentes ſanctos Patriarcham Franciſcum Diaconi,

Tereſiæ permanentem paupertatem commendat. Tereſia eum ſuis a Petro Sacramenta recipit.

Iſabellam de Ortega commendat.

ni, atque Antonium Subdiaconi miniſteria exhibere. Nihil ob id commotus, ad participationem ſanctiſſimæ hoſtiæ properavit, ut interno animi jubilo, quo diffluebat in lacrymas, citius finem imponeret, atque adſtantibus divino ſacrificio Virginibus ſacram Euchariſtiam impertiret.

Tereſia innuitur SS. Franciſcum, & Antonium Petro in Sacrificio miniſtrare.

XVIII. Nec dum viſio illa tam inſolitæ gratiæ Virginibus ipſis, niſi per indicia aliqua innotuerat, ſed dum Servus Dei Tereſiæ ſacra myſteria porrigeret, ab eadem viſus ſuit medius inter duos Sanctos memoratos approximare ſibi; erat autem uterque veſtibus ſacris ſulgentibus indutus, qui dum Petrus Sacramentum miniſtrabat, reverenter genua flectebant; tum cum ipſo celebrante ad Altare ſunt reverſi. Quam quidem eximiam gratiam etſi Confeſſario præcipiente, in ſcriptis ſuis referre omiſerit, ne exinde majorem exiſtimationem quæreret, tamen, diſponente Deo, poſt aliquot annos in quodam colloquio cum Viris doctis & gravibus eandem viſionem Tereſia, inter cætera Petri merita atque mirabilia diſtincte enarravit; eoque ex fonte, ad poſteritatis memoriam, tam inſigne prodigium perveniſſe intelleximus.

Tereſia ipſa eandem gratiam revelat.

Petrus ſacras inſtruit Virgines.

XIX. Perſolutis Deo gratiis, Petrus ad devotas illas Virgines in quodam Sacello orantes acceſſit, ubi ad ſpirituale colloquium invitatas, mentes ſincere aperire invicem, ac nihil inter ſe celatum habere admonet. Hinc Tereſia Inſtituti ſui rationes Iſabellæ explicare, hæc Tereſiæ conſortii ſui deſiderium, ac fidem promittere, eamque rogare, ut conjunctis orationibus a Deo impetrare ſtuderet. Unicum impedimentum, quod ſibi a Patruo objiceabatur, quam citiſſime removeri, utraque tunc a Petro audivit. Cognovit eadem occaſione Tereſia altiſſimum Iſabellæ ſpiritum, quem Petro commendans, ei quam primum ſe obſtrictam fatebatur, quod tam inſignem virtutem indagaſſet, cujus ſocietas quamcumque, etiam expectationem compenſaret.

Sanctuſque opus ut abſolvatur, ſollicitat.

XX. Poſt colloquium unuſquiſque ad ſua revertitur, licet Petrus moræ impatiens, paucis diebus interjectis, iterum Tereſiam convenit, hortans vel maxime ut fundationi cito det initium, ad quod tandem faciendum dies ſancto Bartholomæo Apoſtolo ſacra deſignata eſt; iterum etiam convenit Epiſcopum, atque pro ultima facultate obtinenda, multa de Tereſiæ virtute eidem narrans, adeout pius Præſul nedum prudentiam & ſanctitatem Tereſiæ affectu conceperit, Petri ſtudium in promovendo hoc negocio reformationis verum & maximum judicaret, ejuſdem favori ſe obſtringens; volens propterea maximam Aram Templi primi Cœnobii ſibi jure patronatus eligere, ut ibidem poſt obitum terræ demandaretur.

Petri monitis Epiſcopus Tereſiæ virtutē agnoſcit.

XXI. His omnibus rite diſpoſitis Petrus vitæ ſibi finem inſtare præſentiens, ad Sodalium ſuorum conturbenium redire conſtituit, atque Abula diſcedere. Quare ne quidquam in Reformationis Tereſianorum negotio inſectum relinqueret, poſtremo Epiſcopum in favoris conſtantia confirmare, ſacris Virginibus perſeverantiam cum Inſtitutrice commendare, Magiſtro Dazæ ſpiritualem curam novi Monaſterii ex Epiſcopi approbatione ſedulo injungere, Gonzalo de Aranda, ut in omnibus Tereſiæ adeſſet, committere non deſtitit; & denique omnibus ultimum vale dicens, noviſſima laborum ejus Abulæ fuere.

Abula Petrus diſcedere cōſtituit.

XXII. Quæ porro cum Tereſia privato atque poſtremo illo conventu tractata fuere conſiderationi potius quam ſcripto intelligenda relinquo. Id unum memoro, Petrum pro reformatione hujuſmodi, tanquam pro ſuo a Deo ſibi unice commendato opere, ſtrenue laboraſſe, præcipuumque Servi Dei in re tanta ſtudium & laborem probe Tereſiam intellexiſſe ſimul, & opportune celebraſſe. Teſtimonium hujus veritatis ipſa ſanctæ Matris verba ex ſcriptis ejus recitata cap. 36. ejus vitæ in principio, ſic aperiunt. *Ille fuit, qui omnia operatus eſt, & niſi in tali occaſione adveniſſet, non poſſem intelligere quomodo*

Quæ pro reformatione Petr. egit ipſa Tereſia fatetur.

do fieri hæc potuiſſent, quia parum temporis hic manſit Vir ſanctus, nec exiſtimo, quod ultra octo dies, quamvis infirmus, & paulo poſt eum ad ſe Dominus vocavit; & videtur ad hoc tantum a divina benignitate fuiſſe ſervatum, ut negocio finem imponeret, quia a longo tempore, ideſt ut exiſtimo, a duobus annis male habebat: Sic illa. Itaque Petrus ad ſuos rediens cruribus vacillans, jumento impoſitus, Abula exit, atque præcipua ſui Inſtituti Cœnobia circumire conſtituit. Primum ergo Pedroſum, dein ad cætera Cœnobiola iter dirigit, ut approbata Religioſorum Fratrum diſciplina, tamquam filiis obedientibus ultimam paterni affectus benedictionem impertiret. Quum autem hoc loco Inſtituti ratio deſcribenda opportune occurrat, vitæ forma quam tunc vigentem apud ſuos B. Pater invenit, eamdem breviter aperire non pigebit.

Formã Petrus ſibi vivendi præſcripſit.

XXIII. Omnibus ſpiritus unus corpora aſſiduis cruciatibus afflicta ſuſtentabat; mens cœlo affixa vix ea curabat quæ mortis neceſſitatem exſcluderet; lectus quædam tabulæ vili ſtragulo coopertæ, aut ſarmenta, aut nuda humus. Alii, quos orationis fervor in odeo detinebat cum ſomnus opprimeret, ibidem, vigilum inſtar, excubias agere, nec cellam petere, ipſas vigilias aſperrimis verberationibus intexebant; & dum ſomnum excuterent carnes flagellis dilaniare non formidabant. His continuum cilicii tormentum addebatur, quod aut catenis, aut laminis ferreis, aut hirſutis pilis compactum, indicabat, cœleſtes milites ſeverius tam contra ſeipſos, quam contra inimicos armari. Erat autem adeo hujuſmodi rigor infractus, ut cum corpus diutius reſiſtere nequiret, occultis ulceribus aperire illa neceſſe erat Chirurgis, qui novis inciſionibus exactius jam marcida curarent. Diſplicebat quidem veris Dei Servis ſecreta, quæ ei ſoli patebant hominibus pandere, ſed humanitatis ratio ſuadebat, caſtigatione rationabili corpus in ſervitutem redigere, non animam iniqua carnificina propriis manibus expellere. Hinc cum vitæ hujuſmodi auſteritas plurimos Religioſos morbis gravibus affligeret, procurandum fuit, ut in commodis locis valetudinaria inſtituerentur, ubi pro paupertatis ac neceſſitudinis modo, ægrotantibus remedia exhiberentur. Ubi vero quorumdam tenerior corporis temperatio auſteritatem laxamentum ſuggerebat, tunc maxime incomparabilis Magiſtri, ac Patris Petri adhuc in extremo vitæ collactantis exemplum, velut aculeus ad perſeverantiam exſtimulabat, ne quidquam de priori vitæ rigidæ ratione remitterent. Idem rigor vigebat eum quæſtuandi gratia ad oppida & loca miſſi exibant, ubi paucioribus, quæ apponebantur contenti, noctis majorem partem in oratione, aut flagellatione corporis tranſigebant. Inter diu colloquiis, ac ſermonibus ſacris pios hoſpites, alioſque Benefactores animando ad cœleſtia, humanæ vitæ ac caducarum rerum contemtum ipſa etiam vultus habituſque effigie efficaciſſime perſuadebant; nec illa ſine admiratione omnium animos perinde ac oculos feriebat, eos homines quaſi ſemimortuos aſpicientes, obſervabantque illos vix laciniis ſe tegere, pedes inter ſpinas & tribulos laniare, totos denique vix pelle & oſſibus hærere, abſtinentiæ demum, ac frigoris algore interdum totos obrigeſcere. Hæc altiſſime movebat multos, ſimulque ad propriarum culparum examen rigidam, & veram pœnitentiam evocabant. Nam Viros ſpectantes innoxios, ut in tuto animæ ſalutem collocarent, tam rigide ſe cruciari, præteritæque vitæ aſſiduis lacrymis acerbiſſimiſque corporis afflictationibus veniam præcari; adeo quod ſibi timendum ſoret, qui criminibus onerati occaſionibus vitiorum hærebant arcte nullo æternorum ſuppliciorum timore commoti, nulla ſpe ſempiternæ acquirendæ gloriæ per puram reſipiſcentiam, & peccatorum dolorem tracti.

XXIV. Hic

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Mino-
1562.	anno 3.	anno 5.	rum anno 355.

XXIV. Hic igitur fructus notabilis erat Religioſæ ſobolis, ex qua ſicut ſingulos ad vitæ ſanctioris diſciplinam privatim inſtruxerat, ita omnes ad labefactatos ſæcularium mores corrigendos tum ſalutaribus præceptis, tum etiam admirabili virtutum exemplo, ac raro extra clauſtra commercio admirandos effecerat; nemini enim niſi pro ſpirituali aliquo proximi beneficio, aut Fratrum neceſſitudine laicorum domos adire permittebatur; ſi quando vero per obedientiam id præcipiebatur, admonebantur diligentiſſime, ne religioſam diſciplinam ſæculari converſatione corrumperent, aut ſaltem remitterent. Nam ſæculares homines, ut ajebat Vir Sanctus, *non vident auſteritates, aut devota exercitia, quibus Religioſi Fratres intra clauſtra exercent; proinde verbis & operibus inſtruendi ſunt, ut odore bonæ converſationis in vita & moribus corrigantur, atque proficiant*. Addebat inſuper, Dei præſentiam in omni loco attendendam & ſervandam, atque apta ſimilitudine declarabat, identidem monens & inculcans: *Filii eſtote imitatores piſcium in Mari, qui inter tempeſtates, & commotiones undarum non extra aquam fugere intentant, ſed potius ad profundiora ſe recipiunt; ſic vos inter rumores, & ſtrepitus hominum immergite divinæ contemplationi; et ſi diabolica forte ſuggeſtione interdum extra vosmetipſos rapi ſentiatis, currite ad ſanctiſſima Salvatoris noſtri vulnera, tamquam ſalutares quoſdam portcus, nobis patentia, ubi ſecuri a quacunque tempeſtate quam per pravam ſæcularium converſationem concitare contra vos Sathanas poterit, tranquilli animi veſtri quieti expeditius fruemini*.

Monita S. Petri ad Sodales.

XXV. His aliiſque opportunis monitis beati Viri diſcipuli quotidie eruditi, brevi ad eum perfectionis gradum pervenerunt, ut eximiæ ſanctitatis opinionem plurimis ubique ingeſſerint, quemadmodum ſuis in locis notabimus; nec deſinebat interea domi famulis ſuis proſpicere divina liberalitas, dum ſponte, ac ſtudioſe ſibi ſervientibus ſæpe numero mirabili modo vitæ alimenta ſubminiſtrabat; enimvero ſicut quotidianæ vitæ ratio herbas & legumina inſipida ſuppeditabat, ſic parcitas non raro penuriam parabat, earum præcipue rerum, quæ ad famem arcendam maxime neceſſariæ videbantur; hinc interdum temporis inclementia impediti ne cibos quæſtuarent foris, piorum hominum pietas, præter humanam ſpem uberem victum aſportabat. Interdum panes, qui paucis vix ſufficerent, non ſine miraculo per aliquot dies, & pro neceſſitate augebantur. Interim vero ægrotis mitiori alimento indigentibus, cœleſtis Paterfamilias & nutrimentum ac medicinam impertiit. Contigiſſe id aliquando traditur in Cœnobio Roſarii, ubi tribus ægrotis Fratribus Panis cœleſtis, quem Aeditimus in Altari invenerat, & famem expulit & morbum. Non minus memoria digna res in Regali Cœnobio de Guadalupo accidit, quo cum duo Religioſi ex Conventu ſancti Joannis Baptiſtæ Vicioſæ ad quærendum pro medicina parum mellis acceſſiſſent, Cællerarius fæces tantum ſupereſſe nuntiavit, mœſtuſque ad Priorem mittit, hic ne plane vacuos illos dimitteret, qualecumque eſſet, quod ſundum tegeret, dari jubet; quum autem rediiſſet Cællerarius, vas in quo fæces ſervabantur plenum melle optimo invenit; quod ipſe videns *miraculum* proclamat, Fratribuſque liberaliſſime obtulit. Quum autem hoc divinæ providentiæ prodigium religioſæ paupertatis merito omnes adſcriberent, conſtituunt inpoſterum, quæcumque Franciſcani Fratres peterent, prompte in illo Cœnobio concedendum, atque adhuc inibi vas ipſum in miraculi memoriam ſervari fertur.

Alimenta Deus ſæpe numero Servis ſuis miniſtrat.

Præcipue in Cœnobio Roſarii.

Mellis miraculoſum incrementa.

XXVI. Pedroſum autem primam Domum ſuæ reformatæ familiæ ingenti cum lætitia perveniens, propter ante actæ vitæ memoriam, atque cœleſtium donorum largitionem, quum quadam die coram ſacra B. Dei Genitricis ima-

Pedroſum accedit.

Ubi in extaſim rapitur.

gine (quæ ibi ſervatur) gratias Deo, ac Deiparæ referret, in extaſim rapitur, defixiſque in eandem imaginem oculis, corpus in aere, anima vero in ſuperis detineri videbatur; nec paucis illis diebus, quibus hic moratus eſt anteactorum temporum favores Deo conceſſos ſine lacrymis copioſiſſimis cogitare poterat. Præterea profunda ſuſpiria aſſidue edens, cordis affectus externis indiciis prodebat univerſis.

Salutaris Monita Sodalibus relinquit.

XXVII. Memoria digna videntur aliquot documenta, quæ hac occaſione ſuæ familiæ Fratribus reliquit: monere itaque Vir ſanctiſſimus conſuevit: *Quandiu vos debito verorum filiorum reſpondebitis vivendo in ſanctitate morum, Dominus benigniſſimus vobis, tanquam verus Pater, propitius erit; cauſa vero, quare in Monaſterio neceſſitates corporales deficiant ex eo provenit, quia in illis negligenter Deo ſervitur. Quas miſericordias experti non eſtis vos in extremis veſtris neceſſitatibus? Hic idem Conventus fidem hanc vobis faciet per tot mirabiles ſubventiones, quas in extremis de cælo expertus fuit; quemadmodum, & cæteri Conventus novæ hujus Provinciæ, ubi Dominus ſæpius Religioſos noſtros fratres cæleſti Pane paſcere dignatus fuit. Ponite itaque, filii, in Deo omnem fiduciam veſtram, ab ipſo etenim erit omne veſtrum remedium; uſque enim ad hodiernum diem nunquam derelictus fuit quiſquam, qui in eo ſpem ſuam firmiter collocavit.* Tam pia & plena monita Patris affecto erga illum animo accipientes filii, extremam hanc ejus viſitationem eſſe ſuſpicabantur. Proinde cum lacrymis eum ad portam uſque proſequuti, ne a cæterorum Conventuum ſpirituali conſolatione diutius diſtinerent, accepta benedictione receſſerunt.

Ad Roſarii Cœnobium pervenit.

XXVIII. Ad Roſarii Cœnobium beatus Pater jumento vectus pergebat; at ubi eum adeo exſtenuatum conſpexere Fratres, extremum vitæ diem illi imminere judicarunt: ideoque accuratius ſolito curare viſi ſunt: & quamvis ea de re maxime ſollicitarentur, tamen nequaquam obtinere potuerunt, ut a conſueto rigore vivendi quidquam remitteret; exemplo enim hujuſmodi oſtendebat, qua ratione uſque ad mortem proprium corpus Fratres ſui tractare deberent. Sic paucis ibidem diebus in Fratrum viſitatione conſumtis, illorum vivendi auſteritate gaudens, ad virtutum continuandam exercitationem, atque paterne univerſos eſt adhortatus; ipſi contra, orationum ejus ſuffragio confiſi, ab ipſo tandem ſeparari ægre paſſi ſunt.

Ægrotum corpus affligit conſuetis rigoribus.

Vicioſam pergit.

XXIX. Perrexit porro Vicioſam, ubi pluſculos dies commorari oportuit; illuc enim Adoleſcentes plerique ad famam ſanctitatis loci quum convenisſent, ad habitum admitti flagitabant. Horum itaque ſpiritu probato, novæ familiæ tyrones aſcripſit, & cum nonnullis aliis provectioris virtutis atque ætatis ad incolendas alias domus diſtribuit; ubi & pietatis Magiſtri, & laborum Socii in promtu haberentur. Lætabatur magnopere Vir ſanctus ſtudio orationis & interioris mortificationis, quibus ſerio intentos Conventus hujus incolas intuebatur, eoſque ſuo exemplo ad majora animabat; ſæpe enim verſabatur in Eremitorio, quod de Bethlehem nuncupabant, ſolitarius, diu in rerum divinarum contemplatione etiam in aere ſublevatus perſeverare, lacrymiſque & ſuſpiriis divinam Majeſtatem, ſanctiſſimamque ejus Matrem orare. Interdum Montem propinquum aſcendebat, amoris ſervore magis quam virium vigore ſuffultus, ibique longiori oratione ac contemplatione voces tales ſubinde edebat, quæ audientium corda in divinum amorem mirifice attraherent & inflammarent.

Mirificæ contemplationis prodiit effectus.

Exultat ob ſuæ reformationis progreſſum.

XXX. Inter alia autem ejus ſpiritualis ſolatii argumenta, quæ ultimum illud fuit quod ex litteris Cuſtodis Galleciæ Michaelis de Catena, & Cuſtodis Valentiæ Alphonſi de Lerena perſenſit; dum eorundem Cœnobiorum Religio-

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 355.
1562.	anno 3.	anno 5.	

gioſum ſtatum cum his quos ipſe inviſerat, perfectione certare intellexit; nam de novorum Cœnobiorum fundatione pietatis quoque, ac ſanctæ paupertatis augmento inſtructus videbatur, dolorumque, quos patiebatur, vim hujus nuncii gratiſſima jucunditate mirum in modum Vir ſanctus temperaſſe, vel ſuperaſſe viſus eſt. Lacrymæ enim, cæteraque ſpiritualis dulcedinis indicia, quæ in Religioſis ſpectabat, internam mentis lætitiam indicabant, quam ſubinde externa etiam ad Fratres exhortatio, ut Deo gratias pro tanto bono referrent, majoreſque impetrarent reformationis progreſſus adjuxit, & omnium animos ad ardentiorem virtutis amorem & exercitationem magis accendit, amplificato ſancti Patris ſolatio. Ea de cauſa ad illorum litteras tanto affectu reſpondit, ut omnes ad perfectionis ſtudium novo quaſi ſpiritu inflammaret. Præterea, quum omnes prorſus filios ſuos jam morti proximus videre rurſus, ſolari, atque hortari præſens non poſſet, litteris ſaltem viſitare, & ſpiritu amplecti, atque fovere ſtudebat. Gaudia iſthæc nuncius Tereſiæ auxit de poſſeſſione domus accepta die ſancto Bartholomæo ſacra, quemadmodum conventum fuit. Et ob illius S. Tereſiæ initium.

XXXI. Cæterum quum mortalis vitæ conditionem meditaretur, nec aliud optaret ardentius ac vehementius ſibi ſupereſſe, niſi diſſolvi & eſſe cum Chriſto, ſerio ſæpe a Fratribus inter ſuſpiria in his voces erumpere auditus eſt: *Principium amabile & omnis ſufficientia mea, quando me accipies, ut totum in te immergas & tranſferas, ut nunquam amplius peream? Quando ſubmotis omnibus impedimentis, me facies tuo Spiritui conjunctum, ut a te nunquam poſſim divelli?* Et quia optime norat, brevi ſe a Domino exaudituri, curabat, paucis illis vitæ diebus quæ ſupererant, conſuetas corporis afflictationes ac pœnitentiæ rigorem augere; ſed a caritate Sodalium præpeditus, in lacrymas mentis fervor erumpens, videbatur amarius deflere vitæ tranſactæ negligentiam, identidem & inſtantius repetens: *Væ mihi ſervo inutili & nullius fructus.* Quibus verbis atque affectibus omnium corda in ſe converti, & pœnitentiæ ac paupertatis ſtudium incredibili aviditate amplecti perſuadebat. Ejus jaculatoria oratio.

XXXII. Paucis poſt diebus Petrum aucta febris in lecto defixit, cui ſubvenire opportunis remediis loci extrema paupertas & ſolitudo prohibebant, eoque magis dolentes Fratres omnes detinebant. Hinc quam citiſſime Comitem Oropeſæ de ſancti Viri ſtatu certiorem faciunt, ut pro pio in ipſum affectu ac pietate prompte adeſſet cariſſimo ſuo ſpirituali Parenti. Neque ſpes feſellit; mox enim Comes advolans, ad pedes beati Patris provolutus rogabat, ut ſineret ſuam ad aulam deferri. Quod licet ipſe negaret, tamen prius divina voluntate patefacti, ut Arenis appropinquaret, ubi erat humandus, exorari paſſus eſt; vix tamen aliter, quam jumento vehi voluit, ut moleſtias pateretur itineris, aſſociantibus ſibi eodem Comite & duobus Fratribus, dum reliqui in Conventu relicti ſanctum Patrem & lacrymis & precibus proſequebantur. Morti proximus pœnitentiæ augere cupit. Et Comitis de Oropeſa domum adit.

XXXIII. Pervenit itaque Petrus ad ædes Comitis laſſus adeo, ut vix non animam ageret; ibi ad cubiculum ornatu præclaro inſtructum perductus, nequaquam in lecto pretioſo decumbere, ſed in angulo quodam ſuper ſtrato humili quieſcere elegit, ubi altare quoddam præparari humillima prece obtinuit. Omnibus quidem ſancti Viri ægritudo mœrorem augebat, ſed ejus præſentia tamquam de theſauro quodam acquiſito, amplius lætabantur. Hinc Phyſicis vocatis, qui morbi vim explorarent, ex ipſorum conſilio atque præſcripto, remedia opportuna obedientiæ præcepto injungebant. Miniſtratio ciborum, qui contrarii vel inſueti erant ſancti Viri abſtinentiæ magis cruciare, quam Ubi ſtratum humilem eligit.

Morbus augetur.

quam reficere videbatur. Auctus tandem inde morbus doloribus totum corpus excruciat. Inde crus intumeſcens, & in ulcus erumpens, in lecto immobilem detinet. Accedit conſuetus ſtomachi dolor, qui magnopere auctus interdum etiam loquelam prohibet, nec nulla pars corporis præcipuo ſuo tormento carebat. At ſpiritu gaudens Petrus nullum externum doloris atque quærimoniæ ſignum edit, quin etiam ex ipſis pharmacis cauſas novi ſolatii capere videtur. Inſerviri a Comitiſſa tamen ei vel maxime diſplicet, dum propriùs manibus miniſtrare atque infimis etiam officiis aſſiſtere contendit.

Eximiam in illo patientiam oſtendit.

Dæmonum moleſtias patitur.

Quia impatientia morbi vinci non poterat, diſponente Deo, Dæmonumque ſuggeſtione etiam provocatur ad iram; cogitur propterea ſæpe ſæpius repetere, *ſit nomen Domini benedictum*, *fiat Domine*, *fiat voluntas tua*.

Et famulorum irriſiones.

XXXIV. Deprecante Petro, non a Comitibus, ſed a famulis inſerviri; ii dum cibos ad ægrotum deferunt & porrigunt, Diaboli ſuggeſtione ejus acta irridentes atque ſannis excipientes quæ dictabat, ſalutaria documenta, contemtum potius ac convicia, quam refectionem aut ſolatium ſibi miniſtrant. Quæ omnia diu magno ac patienti animo perferendo Petrus nunquam de injuriis apud aliquem conqueri, nec ſerenitatem vultus aut animi tranquillitatem mutare ullo modo viſus eſt; itaut præ aliorum dolorum & mirifica moleſtiſſimæ valetudinis tolerantia ſingulare hoc, quod a Dæmone ſibi intentari cognoverat, acerbioris cruciatus augmentum, magnam virtuti ſuæ coronam addidiſſe, poſt mortem ejus vel ipſi adoleſcentes faſſi ſunt, dum rem enarrando admirari ſe dicebant, quomodo ipſi talia tunc auſi in domo Domini ſui, ſingularem Viri reverentiam in tot obbrobria tam temere convertere præſumſiſſent; quod non niſi ab aliqua vehementi Dæmonis ſuggeſtione fieri potuiſſe, communi, ad probandam magis magiſque Petri conſtantiam, opinione pronunciant.

Ad Arenarum Cœnobiù defertur.

XXXV. At urgente jam morbo, Comitibuſque fruſtra ejus votis obſtantibus, Cœnobium de Arenas tandem relatus, in lectulo collocatur. Cumque ſibi ultimam diem inſtare ſentiret, trium vel quatuor dierum requiem ſibi concedi efflagitat, quo tempore ingentibus a Deo favoribus auctum Sodales non incongrue judicant. Præfecto inde imperante, Medicorumque conſilio Valetudinarium intra Oppidum pro ſodalibus deſtinatum delatus, humilique ſtrato injectus, quietem ſe appetere indicat, ſic omnibus vitæ longioris ſpem præſcindens reliquum Medicorum curæ permiſit. Licet autemipſe ſibi nihil profuturum ad ſanitatem intelligeret, obedientiæ tamen ac naturalis debiti perſuaſione, curationis moleſtias, novoſque corporis cruciatus tolerabat;

Neque penſum divini officii reliquit.

quo extremum etiam vitæ inter tormenta claudere poſſet. Nec omiſit propterea divini officii penſum exſolvere; ſingulis enim diebus maxima cum religione horas recitare conatus eſt, animum erga Deum Intime affectum, obortis interdum lacrymis oſtendens; Frequenter vero flammam divini amoris magis quam febris eructans, provocabat cœleſtes Spiritus hujuſmodi vocibus: *Vos Seraphim, qui Cœlos accenditis ſicut & terram veſtro amore, ne deſeratis humile hoc & miſerabile cor meum.*

XXXVI. Quatuor circiter ante obitum diebus Magiſter Daza, de cujus valetudine ſollicitus litteras Franciſci de Salzedo mature attulit, ut oretenus etiam quædam alia conferret. Nunciatum itaque ſancto Viro fuit, quemadmodum Tereſiæ nova objiciebantur circa paupertatem impedimenta; quare quum morbi vi præpeditus, pro remedio Abulam ire non poſſet, ad Tereſiam novam mittit epiſtolam, qua & animum auget & proſperum rei eventum prædicit. Ad hæc inſtruxit quoque Dazam qua ratione quorumdam animos paupertati maxime adverſos demulceret; ſpondens, ſe ejuſdem rei im-

Suæ epiſtola ſanctam Tereſiam conſolatur.

me-

memorem non futurum; quemadmodum etiam poſt mortem experientia comprobavit, edito ab Apoſtolica Sede ſequenti diplomate, quod conatus omnes adverſos prorſus eliminavit.

Raynutius miſeratione divina tituli ſancti Angeli Presbiter Cardinalis. Dilectis in Chriſto Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii ſancti Joſephi Abulenſis, Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo, ſalutem in Domino. Ex parte veſtra nobis oblata petitio continebat, quod licet vos ex indulto ſpeciali Sedis Apoſtolicæ in vim quarumdam litterarum Apoſtolicarum per officium ſacræ Pœnitentiariæ expeditarum, Fundatricibus dicti Monaſterii nuper erecti conceſſo, quæcumque bona in communi & particulari habere & poſſidere valeatis, nihilominus ob meliorem vitæ frugem cupitis, bona aliqua in communi aut particulari habere ſeu poſſidere minime poſſe, juxta formam Regulæ dicti Ordinis, ſed ex eleemoſynis vobis per Chriſtifideles pie elargiendis vos ſuſtentare, prout aliæ Moniales dicti Ordinis in illis partibus degunt; id tamen vobis licere dubitatis abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali. Quare ſupplicari feciſtis humiliter, vobis ſuper his per Sedem eamdem de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, autoritate D. Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis, ut bona aliqua in communi aut in particulari habere ſeu poſſidere minime poſſitis, juxta formam primæ Regulæ dicti Ordinis, ſed eleemoſynis & charitatis ſubſidiis vobis per Chriſtifideles pie elargiendis vos ſuſtentare libere valeatis, tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo Officii Pœnitentiariæ, Nonis Decembris, Pontificatus D. Pii Papæ IV. anno III. Sic ergo Petrus promotorem ſtudioſiſſimum Tereſiani Inſtituti, obitu etiam imminente ſe prodidit. *Ibid. Bull. 8.*

XXXVII. Evulgato interim Petri vitæ diſcriminis per vicinia rumore, Arenam verſus confluxere undique Populi, quibus ille aliis virtutum regulas dictando, aliis ſæculi contemtum perſuadendo, aliis denique adverſorum tolerantiam, ſpe æternorum præmiorum propoſita, commendando, ſic omnes ad amorem chriſtianæ virtutis, & anteactæ vitæ malæ pœnitentiam accenſi, præclaros ex ejus monitis fructus collegerunt, & ipſe admirandi ſui zeli pro animarum converſione ad extremum mortalis vitæ ſpiritum certiſſima argumenta præbuit. Idem præſtitit abſentibus ſuis benefactoribus atque ſodalibus. Illos autem, qui aderant ita alloquutum legitur. *Sinite filii & fratres, ut terra ſuo munere fungatur, remedia tarda ſunt nimis, & ſi quædam recipio, ad nihilum ultra valent, quam ut tormenta mea producant. Non prætendo in his doloribus vires corporis abſumere, ſed gratiam Dei acquirere.* Interdum autem ajebat: *Natura ea, quæ gratiæ contraria ſunt, appetit, ideo dum vivitur, periculum imminet, & ſic uſque ad mortem ſemper vigilandum erit. Videte filii quantam nobis ſollicitudinem Sancti commendant, & quam parum de nobis confidendum ſit; reſpicite magnum illum ſanctitate Paulum in gratia confirmatum, quomodo a ſenſualitatis beſtia ſibi timebat, cum corpus affligeret, dicens,* ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. *Cui ſic contigit, quid mihi non timendum erit, qui tanta ſecuritate plane careo? Non licet in hac vita corpori indulgere, propter periculum, quod aſſert ſecum, nec remedia neceſſaria videntur, cum amplius juvare non poſſunt.*

Populi ad illum invifendum confluunt. Qui ejus audiunt ſalutaria monita.

Suos Sodales hæc voico ſpirim alloquitur.

XXXVIII. Ad hæc verba Religioſos in gemitum erumpentes divino accenſus igne ita ſolabatur. *Quæ hæc veſtra anguſtia eſt, filii? Quis dolor vos tenet? Nolite obitum meum plangere, tempus enim adeſt, quo divina miſeri-*

Reſque ſolatur.

cor-

cordia immenſa mei peccata miſerebitur, & ſpero, quod veſtri non obliviſcetur; ego hic ultra neceſſarius non ſum. Inſtantibus porro, ut ſibi a Deo longiorem impetraret vitam, ut magis magiſque ſiliorum ſuorum ſolidaret perfectionem, ſobolemque firmaret, voce ſubmiſſa ſic orare audiunt: *Domine & Deus meus, ſi amplius pro hac hæreditate tua neceſſarius ſum, & tibi placitum fuerit, ut pro novis laboribus vivam, fiat in me ſancta voluntas tua; pati enim non recuſo, modo tibi placeam.* Siti æſtuans, vaſe aqua pleno de manu amici accepto, oculos in Crucifixi imaginem intendit, ſitiſque quam Salvator paſſus fuit, memor, potum illi in holocauſtum obtulit, ac ne guttam quidem deguſtans, amico reddit, ſubdens: *ſit propter amorem Dei, ipſe hanc vobis caritatem reddere dignetur.*

Sitę ſtudet afflig.

In arctiſſima cõtempla tione adſtantes illum vidon abſortum.

XXXIX. Inter tot tamen corporis cruciatus longo interdum mentis exceſſu integras noctes tranſigens, in altiſſima rerum cœleſtium contemplatione verſabatur, quæ adſtantes ex facie irradiante dignoſcere facile potuere. Interdum etenim ex verbis, quæ hinc inde miſcebantur, Sanctorum cum ipſo commercii adſtare quibuſdam conceſſum fuit, ſingulariter vero quum die quadam Chriſto, Matre ipſius ſanctiſſima, & ſancto Joanne Baptiſta viſitari ex inſolito quoque ſplendore, atque altiſſimarum interrogationum viciſſitudine illorum præſentiam compertam haberent.

Ad ſe Fratres ſe niores arcellit.

XL. Nec interea caritatis erga Fratres immemor, abſentes aliquot ſenes ad ſe ultro arceſſivit, ut eum his ultimos ſermones haberet, qui in futurum novo inſtituto conſervando prodeſſent. Confluxere itaque ex propinquis Conventibus tam vocati, quam alii, quos videndi poſtremo S. Patris, ac benedictionis ejus accipiendæ pia cupiditas allexit; quibus quidem congregatis, cœpit Vir ſanctus priora Dei beneficia commemorare, tam in vocatione, quam ſuſtentatione mirabili ipſis collata, addendo arctiſſimum ipſorum debitum, quo Deo tenebantur obſtricti tum in obſervatione Regulæ, tum in orationis, ac mortificationis exercitationibus, in quæ ad S. P. Franciſci imitationem maximopere incumbendum eſſet. Super omnia vero paupertatem ipſis commendavit, dicens: *Filii paupertatem vobis injungo, filii paupertas nobis a Chriſto relicta fuit pro hæreditate, quia natus in præſepio, mortuus eſt in cruce. Hanc etiam P. Franciſcus commendavit: vivite ut pauperes & peregrini in hoc Mundo; ab illis, qui plura deſideraverint, multo pauciora invenient, quam quæ invenire deſiderant!*

Illis commendat Seraphicam paupertatem.

Orationem.

XLI. Hortabatur quoque ad orationis frequentiam, ajebatque: *Oratio, filii, veſtrum quotidianum ſit exercitium, hoc vobis injungo, tanquam cæterarum virtutum fundamentum ad quarum exercitia teneamini, in Deo omnem curam veſtram ponite, & cum omni fidelitate ſervite ei, ipſe vos enutriet. Loquor vobis per exſperientiam, dum nunquam in vanum ſpes meæ ceſſerunt, quas in Domino poſui; non vos deterreat vitæ aſperitas, quam elegiſtis, nec videatur difficilis via crucis, quam tenetis, animemini pro Deo ardua aggredi; ipſe enim vos juvabit; aſſueſcite pœnitentiæ, & Regula Seraphica veſtrarum ſit actionum ſpeculum, & conſolentur vos in omni tribulatione verba S. P. N. Franciſci, quibus filios ſuos hortabatur, magna promiſimus, ſed majora promiſſa ſunt nobis.* Hæc & alia ſimilia tanto ſpiritus ſervore filiis ſuis Petrus ſignificabat, ut altiſſime illorum mentibus impreſſa ad perfectionis ſtudium mirabiliter accenderent. Alia inſuper ſenioribus pro conſervatione atque augumento religioſæ diſciplinæ ſuggeſſit, ac tandem omnibus a Deo bene precatus, dimiſit.

Illos dimittit.

XLII. Non ſinebat interim veniam Deo, Fratribuſque præteritorum petere, Pſalmi verbis utens: *Amplius lava me ab iniquitate mea: munda me*

Do-

Domine magis magisque, ut mundus coram altissima præsentia vestra appaream, a qua nulla res nisi pura recipitur. Mox paulisper subticendo repetebat: *Deus meus & Dominus meus castiga me, si vis, sed cum misericordia, quia per merita sanctissimæ tuæ Passionis salvari confido*; susceptisque demum devotissime Ecclesiæ sacramentis, & præcipue sanctissimi Christi Corporis, horæ sui obitus præscius, hilari vultu non sinebat repetere: *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum & terram. Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus, Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum*: His pias aspirationes adjungens dicebat: *In te Deus meus omnem fiduciam meam toto vitæ tempore posui, & spero in hac hora thesauro meo frui, ad quem semper cor meum direxi*. Hinc spiritus quodam impetu veste se exuens, illam Guardiano tradit, humiliter efflagitans, ut corpori humando viliorem largiatur.

Castitatis custodiendæ præcipuum documentum relinquit.

XLIII. Sicque interim, dum nudus ac in terra genibus flexis, Fratribus coram adstaret pius sodalis Gasparus a sancto Josepho nudum tangens quasi mortuum corpusculum, monet, ut super stratum decumbens, calefieri parumper sinat; hæc tamen audit a Petro: *sine me, fili, nec corpori meo molestus sis, quia adhuc periculum timeo*; indicans quanta semper solertia puritatem sui corporis custodiret, dum ne quidem morti proximus illud vel leviter tangi permitteret a religiosissimo discipulo, pietatisque & virtutis imitatore strenuissimo. Ad cæteros inde adstantes conversus, his verbis affatus est: *Filii mei in hac ultima hora repeto vobis ea, quæ sæpius inculcavi, de sancta paupertate, quam vobis injungo quantum possim; quia pauperum spiritu Regnum est Cœlorum. Sollicite eſtote in observatione illius quod edocti estis a me, nec gravia vobis videantur Regulæ Institutique præcepta; levis enim labor est, & præmium infinitum ac æternum. Si perseveraveritis usque in finem, Pater vester cælestis Regnum vobis promittit Cœlorum; vitam vestram ad Christi exemplar instituite, omnis vestra sollicitudo pro animarum salute intendatur, ut doctrina vestra eas Deo lucremini, ut exemplo viam ad Cœlum monstretis. Sit conversatio vestra inter Angelorum choros, cum his in oratione servite Domino; hæc enim omnium virtutum auri fodina erit. Felices vos dicam, si hanc doctrinam meam servaveritis, aliosque Fratres vestros observare feceritis, vivatque in vobis semper amor Christi Domini nostri; sic enim in vobis vivet ipse.*

Iterato paupertatem commendat.

Et cæterorum præceptorum observantiam.

XLIV. Post hæc omnes pio affectu amplexatus est; tum sublatis in Cœlum oculis, in nomine sanctissimæ Trinitatis, ex parte beati Francisci benedicens, orationibus eorum se commendavit. Filios autem Patris transitum prosusis lacrymis prævenientes ita consolatus est Petrus: *ne ploretis, filii, decessum meum, nam adest hora, qua mei miserebitur Deus, nec vestri obliviscetur*. Dum igitur vitæ terminum intrepidus exspectabat, ad psalmum *Miserere*, qui interea recitabatur, rite respondens, sæpius tanquam peccator maximus verba illa *amplius lava me Domine* intenso affectu iteravit. Quo finito, aliquantisper in contemplatione defixus, meruit a sanctissima Virgine Deipara, S. Joanne Evangelista, multisque Angelis visitari; simulque eosdem adesse, ut innocentem illius animam in Cœlum deferrent; quos ipse hilari animo conspiciens, nec ulterius intra se continere valens spiritus fervorem, in illa verba prorupit: *Fratres mei non videtis hic adesse sanctissimam Trinitatem, gloriosissimam Virginem Mariam Dominam nostram, & sanctum Joannem Evangelistam?* Mox in altissima contemplatione perseverans, viribusque ulterius auctus, velut Christi verus assecla, se in genua erexit, Crucifixi Salvatoris effigiem sibimet ob oculos posuit, varias orationes jaculatorias religio-

Sodalibus benedicit.

Et consolatur.

In transitu sanctissima Trias, Deipara, sanctus Joannes Evangelista, Angeli quamplurimi animæ sanctæ mox adsperunt. *Bremund. Brocard. loc. 7. vitæ S. Odilon. 26. Ulric.*

gioſiſſime protulit, atque pſalmum, *Voce mea ad Dominum clamavi*, attentiſſime recitavit; unde omnes adſtantes ſtupor inceſſit, videntes Virum cum morte colluctantem extrema ſine dolore pati, & potius delicias Paradiſi præguſtare. Tandem ſic in genua provolutus in medio Fratrum ſuorum cum ad verba illa perveniſſet, *me expectent Juſti, donec retribuas mihi*, ſuavi & angelica voce reſpondit: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*. Pauloque poſt, ſic humi genuflexus, reſpiranti ſimilis, Deo animam exhalavit hora diei ſexta, nimirum Italiæ duodecima, ut alias prædixerat, die Dominica, feſto ſancti Lucæ decimo octavo menſis Octobris, ætatis autem ſuæ tertio & ſexageſimo.

Genibus flexis lætus Deo ſpiritum reddit.

XLV. Eadem hora, dum Tereſia Abulæ manens orationi incumberet, Petrum intuitur ad ſe ingredientem Solis inſtar radiantem; ita ut formæ majeſtatem ſe explicare non poſſe fateatur. Stupore igitur perculſa ſic ipſum alloquuta fuit: *Quid hoc eſt Pater mi?* cui Petrus: *Vado ad requiem meam*. Unde maximo perfuſa gaudio intellexit, beatam illam animam Paradiſi delicias petere. Poſtea de quibuſdam aliis ad Inſtitutum ſuum pertinentibus illum interrogans, integram omnium reſponſionem accepit, atque ad perſeverantiam ab eodem animata eſt. Addidit quoque ſanctus Petrus, ſe jam participem factum ſupernæ illius gloriæ. Explicavit inſuper gloriæ ejuſdem ſublimitatem, quam ob virtutem pœnitentiæ adeptus erat, cujus præmia miris encomiis celebrabat, & in hæc verba prorupit: *O fortunata pœnitentia, cui tantum conceſſum eſt præmium*. Sicque in ſuo propoſito confirmata Tereſia, Petrum intuetur recta ad Cœlum, Purgatorii pœnis tranſactis, evolare, mirabili ſplendore circumdatum. Poſt hanc viſionem ipſa ſibi diffidens, & præ nimia humilitate talibus indignam ſe judicans, Confeſſario ſuo, & Franciſco deSalzedo eamdem aperuit; quibus rei veritas tunc maxime perſuaſa fuit dum poſt octiduum mortis Petri hora nunciata eſt, quam cum apparitionis tempore a Tereſia memoratæ mire conveniſſe compertum fuit.

Idem S. Tereſiæ apparet. *Breviar. cit.* Sæpeque gloriæ certiorem reddit. Illa intuetur beatam animam penetrare Cœlum.

XLVI. Corpus autem genibus flexum oculiſque in Cœlum defixis, aliquandiu tanquam adhuc viveret, manſit in cubiculo. Fragrans odor omnes recreabat, & ſplendor lucidiſſimus idipſum illuſtrabat. Præterea ſuavis quidam ſonus a Cœlitibus, ut creditur, efformatus omnes in ſtuporem rapiebat, conceptumque ex ſancti Viri obitu omnium mœrorem aliqua ratione temperabat: Crevit vero magis admiratio, quum corpus Solis ardore aduſtum, ac macerationum tormentis quondam lividum, ita ut truncum arboris magis exprimeret, viſum fuit velut revireſcere; colore rubeſcens atque candeſcens, gratia reſperſum ſingulari, ita ut aſpectu jucundum eſſet, ac tractari pateretur, inſtar infantis corpuſculum. Maxime in vultu emicabat ſplendor, qui cœleſte quidpiam referebat, & in oculis apertis, ſtellis ſimilibus, ſingulare & pluſquam terreſtre lumen rutilabat, quaſi in præmium admirandæ cuſtodiæ virginitatis & pudoris caſtiſſimi has illis Deus tribuerit dotes, ut eſſent indicio immenſæ gloriæ, qua in Cœlis ab eo donata jam fuerat ſanctiſſima anima. Vulgata ejus morte, ingens confeſtim hominum concurſus, viſendi cauſa, domum eſt factus; Præſidique loci neceſſum fuit ad januam deſtinare excubias, ne quid ſiniſtri accideret. Hi pedes, hi manus certatim exoſculantur; alii veſtis fruſtulum poſtulant; multiſque ægrotis ad ſacri pignoris contactum ſanitas reſtituta. In oppido Arenarum, ubi locus pro Sodalibus ægrotantibus curandis Petro, ut dicebamus, demortuo, ſecundo a Fratrum domicilio lapide, illuc aſportatur cadaver, univerſo Clero ſociante, ceſſantibuſque, qui tunc acciderant, ingentibus imbribus; & quod mirabilius, cereis, quibus accenſis in magna copia funus honeſtatur, vel minimum conſumtis. Mox aperta

Quæ omnia quibuſdam revelat. Mirabili modo exanime corpus remanet. Habitus particulæ dono diſtribuuntur.

pro-

prope Aram maximam ſepultura, ibidemque corpore immiſſo, terram Sodales more ſuo ingerunt, quamvis multorum precibus monerentur, in loco honoratiori condere. Appoſito interim a quodam religioſo Viro pro epitaphio epigrammate.

Epitaphium. *Chron. Provinc. S. Joſephi Marci Complut. lib. 6. cap. 9.*

Conditur hoc tumulo Petrus de Alcantara, cujus
Sanguinis illuſtris indicat Orbe decus.
Nobile principium: cujus virtutis origo,
Dum vixit, Terras, Aſtraque celſa replet.
Hic patriam deſerens, Franciſci limina quærit,
Queis humilis Chriſtum corde ſequatur amans.
Ad tantum demum virtutis adire cacumen
Eſt viſus, cunctos quod ſuperaret adhuc.
Nam vixit virgo prius, & ſine crimine rectus;
Singulis omnis erat, omnibus unus idem.
Ingenio pollens, doctrina oppletus, & ingens
Tullius in verbis, firmat, ut ejus opus.
Semina tum verbis ſpargens, & dogmata Chriſti
Diffundens, multos ad pia ſacra trahit.
Alligero curſu Petrum ſuper aſtra volantem
Conſpicit exorans ſancta Tereſa Deum.
Excelſus meritis ſcandit per climata Cœli,
Prodigiiſque orbem clarus amore replet.
Texuit hic vitam, veluti moriturus, & ipſe
Compoſuit mortem, viveret uſque diu.

Interea dum quiſque terram ac ſepulcrum contingere, & ſe Sancto commendare contendit, nox ingruit, & pluviæ, quæ prius ceſſarunt, interim copioſiores cadunt; multitudo tamen, quæ cum funere acceſſerat, ab illis intacta domum regreditur, videtque novo ſtupore miraculum modo narratum innovari, quamvis circum cuncta maderent.

Qui ad funus accellere minitata ab ingenti pluvia læduntur.

XLVII. Mortuo Petro, adhuc pro ſuo Inſtituto firmando vexabatur Tereſia, ad cujus tamen ſolatium ei ſeſe offert gloria ſpectanda, qua ſanctus Præceptor in Cœlo coronatur. Hinc quadam die, dum orationi vacat, en Petrus apparet cœleſti ſplendore circumdatus, indutus veſte pretioſiſſima & pallio plurimis lectiſſimis margaritis intexto, ſuper thronum chriſtallinum Angelis comitantibus ſedens, ſalutaribuſque monitis in ſuo propoſito lætantem Virginem magis magiſque obfirmans, ut ipſa poſtmodum cuidam alteri piæ Virgini revelaſſe legitur. Narravit inſuper, ſibi revelatum, ut etiam alibi dicebamus, Chriſtum Dominum ſemper in Petri nomine exauditurum petentes: eique Presbytero, qui ſuas excipiebat ſacramentales confeſſiones memoratam apparitionem tantum his verbis expreſſit: *Manifeſtavit eum mihi Deus cum gloria quaſi immenſa.*

Tereſiæ anguſtiis preſſæ Petri iterum revelatur gloria.

XLVIII. Verum iſthæc Petri apparitio Tereſiæ eadem facta de cauſa non ultima omnino fuit. Proceribus ſiquidem, Religioſarum Domorum Præfectis, atque Doctoribus Abulenſis urbis præcipuis in ſua de paupertati obſtando ſententia permanentibus, Magiſtro Dazæ pro tuendo Petri præcepto, neceſſum viſum eſt ad Regium appellare Concilium Diſcalceatorum nomine. Pergebat itaque Matritum Gundiſalvus de Aranda, ut Regium decretum eiſdem propitium obtineret. Sancta vero tempori cedere convenientius rata, objectiſque tam inſignium Virorum cedere temporis circumſtantia ſtatuit, animo tamen, ceſſantibus turbis, univerſis renunciare redditibus. Monet propterea Franciſcum de Salzedo, atque Magiſtrum Dazam, ut cuncta pro libito di-

Eidé Petrus territo apparens ſuam imbecillitaté objurgat.

ſponerent, quia ſequenti die negotium abſolvere in integrum proponebat; at eadem nocte apparens ei glorioſus Pater, eam de humana hujuſmodi prudentia ac puſillanimitate iterum iterumque objurgavit. Refert hæc ipſamet ſancta Virgo. *Ego adeo*, inquit, *affligebar laboribus eorum, qui me adjuvabant; ut mihi non importunum videretur (dum res ſe in melius componerent) admittere aliquos redditus, quos poſtea dimitterem. Itaque dum eadem nocte in oratione perſeverarem, cum negotium terminare debebat, dixit mihi Dominus, ne tale quid facerem: eadem quoque nocte apparuit mihi ſanctus Petrus jam defunctus; qui ante mortem mihi ſcripſerat, quomodo ipſi conſtabat de contradictionibus & perſecutionibus, quas ſubſtinebamus, & quod gaudebat ſatis, fundationem hanc talia pati; eo quod ſignum eſſet, Deo maxime hoc Monaſterium gratum fore, dum Sathanas ſic omnes vires intendebat pro ejus impedimento. Jam alias hic eum videram, & inſignem gloriam, qua fruebatur, & ſic nullum mihi timorem incuſſit; nam ſemper in ſpecie corporis glorificati mihi apparuit plenus magna luce, quæ me totam conſolabatur. Aliud non dico, niſi, quod hac vice ſeverum ſe mihi oſtendit, dicendo, quod nullo modo redditus acceptarem, addendo, quare nollem conſilia ejus ſequi? & mox diſparuit.* Uſque huc Tereſia, quæ adveniente die, ex ordine Dazæ & Salzedo univerſa ſignificat & ingenue fatetur, ſe prioris propoſiti pœnitere, nec in illo amplius quodcumque humanum conſilium admittere velle: itaque ſuaſioni ſancti Patris adhærens, poſt exiguum tempus omnibus tempeſtatibus ſuperatis, rediit ad ſuum Monaſterium, & Inſtitutum, quod cœperat communi Urbis plauſu continuare perrexit.

In Aliis S. Tereſiæ cap. 36. De his omnibus ipſa Tereſia docet.

Difficultatibus ſuperatis Tereſiæ Inſtituti augetur.

XLIX. Præ aliis, quos Petri mors mœrore affecerat, duo erant ſui diſcipuli Alcantaræ nobiles Viri: quibus etiam longe abſens in magna quadam afflictione, ut ſupra narratum eſt, præſens mirifice adfuit. Itaque Magiſtrum mortuum dum audiunt, lacrymis & ſupplicationibus ejus continuam tutelam implorabant: quapropter die quadam, dum mœſti variis ſcrupulis exagitarentur, apparuit eis Petrus pacem nuncians, ac cætera quæ proponebant dubia, clariſſime elucidans; hortatus ſimul eſt, ut præſentis ac futuræ vitæ conſideratione conſcientias ſerenarent; ac monitis ſalutaribus inſiſtendo, timorem Dei ſollicite uſque in finem conſervarent, ſic maxime conſolatos reliquit. Idem aliis diverſis in locis præſtitiſſe perhibetur; præcipue vero his, quibus orationis exercitium magis familiare erat, efficacius quam cum viveret ejuſdem perſeverantiam ac virtutem inculcans.

Duobus etiam aliis diſcipulis Alcantaræ ſe prodit.

Salutaribus monitis conſolatos reliquit.

Cæteris etiam apparet.

L. Dum Abulæ murus horti Carmelitarum Monaſterii conſtrueretur, Tereſia mandavit opificibus, ut ſolidum quoad poſſent elaborarent, paupertati ſic maxime conſulens. Cui obedientes ſe futuros fabricatores ſunt polliciti, quod, & præſtiterunt; at non diu ſanctæ Virgini apparuit Petrus graviter interdicens, ne tale admitteret, quod in poſterum toties a ſe præſcriptæ paupertatis Regulæ repugnaret, monuitque, quod fabricæ, cæteraque opera pauperum ex Evangelio plurimum differre deberent ab his, quæ divites ſæculi moliuntur; addens præterea: *ſi murus ceciderit, non deerunt, qui reficiant*, & his dictis diſparuit. Et hiſce apparitionibus etiam in cæterarum ſuæ familiæ Domorum fundationibus ſemper ac opus fuit, Petrus ſanctam Virginem non eſt dedignatus ſolari. Quamobrem eadem Tereſia ſingulari affectu atque reverentia Franciſcanos proſequi perpetuo conſuevit, eoſque præcipue qui ſocii B. Patris, ac familiares extiterant. Hinc cum Bartholomæo de ſancta Anna ſpiritualia olim colloquia miſcens, vultu de more obtecto, quum exin eumdem Petri fuiſſe ſocium agnoviſſet, ſic admonuit: *Quid, Pater, mihi hoc prius non ſignificaſti, ut facie ad faciem vos alloqui potuiſſem?* Indicans quan-

Iterum Petrus Tereſiam in vitu arguit.

S. Tereſia Fratribus Diſcalceatis addicta.

to

to animi affectu Franciſci, & Petri aſſeclas a cæteris diſcerneret. Neque Franciſcani huic religioſo officio paria reddere neglexerunt; enim vero Tereſiam Matrem veluti ſæpe ſæpius, neceſſitudinibus occurrentibus, indicant; ſicque Sancta iſthæc animorum unio uſque modo, Petro & Tereſia ſaventibus, inter ambos Ordines perſeverat. Fratres item S. Tereſiæ devoti.

LI. Interea miraculis, iiſque ingentibus, Servum ſuum Deus cum perpetuo illuſtraret, cumque propterea ex ejuſdem exuviis ditari populi inſtare non ſinerent, quadriennio jam a ſumere tranſacto, Provincialis Præſes locum in quo ſanctum corpus humatum clam noctuque effodiens, Sodalibus dumtaxat adſtantibus, tum illud integrum, odoremque ſpirare inveniunt. Crines autem canitie affecti in aureum ſunt tranſmutati colorem; & oculi ita prorſus videntur fulgere, quemadmodum die obitus ſplendorem emiſiſſe dicebamus. Liquor item guttatim ex membris fluit, qui olei ſpeciem refert. Demum, quidam Vir pius, qui ea nocte apud Fratres hoſpitari contigit, corpus intuetur veſte auro texta obtectum, quam veritatem, interpoſito jurejurando confirmare in rei aſſerenda veritate non dubitavit. Provincialis autem Præſes corpus exinde aqua aſperſum calce operiri jubet. Quamobrem multos poſt annos, etiam aſſentiente Epiſcopo, effoſſa humo, corpus partim conſumtum ſed adhuc ſpirans odorem, liquoremque diſtillans inventum eſt: atque in area egregie ornata prope Aram maximam collocatum. Sodales ſepulchrum poſt quadriennium effodiunt. Cætera glorioſa ſigna deſcribuntur.

LII. Concurrebant proinde undique majori frequentia populi ex univerſa Hiſpania ad memoratum Sarcophagum pro gratiis inibi Deo referendis, vel pro novis beneficiis impetrandis, itaut ex remotis quoque Indiæ partibus multos, qui auxilium Petri ſuerunt experti pro gratiarum actione Arenas veniſſe compertum ſit. Admirabantur tamen univerſi, quod corpus obſcuro in loco ſine aliquo cultu muro incluſum jaceret. Inſtantibus ſubinde pluribus Hiſpaniæ Proceribus, ut Sacellum præcipuum conſtrueretur pro ſacro pignore deponendo Miniſter Provincialis Didacus *del Eſcurial*, opus perfecit, petiitque ab Abulenſi Antiſtite Franciſco Gamarræ, ut ſolemni corporis translationi diem indiceret; qui benigne annuens, ſextam decimam diem Decembris illius anni MDCXVI. deſignavit; hyemis eodem anno recrudeſcente rigore. Iterū ſacras Reliquias tranſferre decernunt.

LIII. Eodem die, quo Epiſcopus, advenerant quoque Arenas Marchio de Xarandilla, & Comites de Morata & de Orgaz, itemque populus ingens cum Magiſtratu, atque loci Proceribus ad idem officium confluxerunt. Expoſitiſque ſacris Reliquiis flagrantiſſimum undique odorem redolentibus, piorum corda in Deum exſperiebantur excitari. Solemnis translatio deſcribitur.

LIV. Sequens autem dies, qui dominicus extitit, omnium vicinorum locorum concurſu celebris fuit: Epiſcopus enim Pontificalia peragens ritu ſolemni Cappellam benedixit, atque laudibus ServiDei enunciandis delectus fuit Franciſcus de Zuago Auguſtiniani ConventusArenarum Præfectus, qui quatuor ante diebus acutiſſima febri correptus apud noſtros impoſitam ſibi Provinciam recuſabat. At excuſatione ab iiſdem rejecta, Petri interceſſione meritiſque confiſus, ſanus continuo factus, propoſito themate: *Tu quis es?* miro omnium applauſu elegantem orationem habuit, cujus gratiæ publicam fidem feeit. Supplicatio etiam ſive proceſſio peracta eſt ab univerſo Clero, ubi Epiſcopus arca a Comitibus memoratis, ac loci Præſide geſtata ſequebatur, quæ tandem in deſignato loco collocata, uſque hodie miraculis ingentibus corruſcat, quorum catalogum ex poſitionibus compulſatis pro Petri canonizatione fere ad verbum extractum hic attexere neceſſum viſum eſt, eſtque ſequens.

Mira quæ de Petro narrantur.

Miracula S. Petri exſpenduntur. *Ex Proceſſibus pro canonizatione.*

A mortis paucibus plures brevi.

LV. Lucas filius Sebaſtiani Gonzalez Galan, & Mariæ Rodriquez Incolarum oppidi de Arenas annorum ætatis tredecim, forte in vini dolium decidit, itaut crura tantum eminerent; poſt aliquod intervallum accurrens Mater Puerum inde exſtraxit, quem circumſtantes omnes, adhibito etiam Medicorum experimento, mortuum judicarunt. Afflicta Genetrix, ac omni humano deſtituta remedio, divinum imploravit; invocatoque S. Petro ad ejus Cappellam novenam vovit cum imagine cærea, & eleemoſyna frumenti impertienda religioſis Fratribus, quantum Puer ponderis habebat. Commota B. P. pietas, tam precibus afflictæ Matris, quam lacrymis filiæ ejus innocentis ſex annorum, vitam filii a Domino impetrat, quare ille ſtatim vultu rubeſcens, & ad ſe reverſus primas voces edidit: *o S. Petre de Alcantara, o Mater Mater*. Atque ſubinde integra ſalute in parentum domo diu ſupervixit.

LVI. Angela de S. Gabriele filia Melchioris de Canizares, & Marcellinæ de Trinitate, infans duorum annorum ex feneſtra quadam Cœnobii S. Joſephi (qui tunc Toleti conſtruebatur) decidit in terram, duodecim fere cubitorum lapſu, quo caſu in ſaxa impingens, caput fregit, itaut cerebrum efflueret. Ad cujus remedium vocatus Chirurgus, negabat ſe vitam mortuæ reddere poſſe: erat forte præſens Religioſus quidam Conventus ejuſdem, qui commiſeratione motus afflictæ Matris, & exſtinctæ filiæ, reliquiam quandam S. Petri de Alcantara eidem applicans ſancto Viro precibus commendavit. Mox, ſtupentibus cunctis, puella illacrymari viſa fuit, & poſt horas quatuor cibum petere, eumque ſumſit ea aviditate, quaſt malum nullum perpeſſa fuiſſet.

LVII. Joannes Hernandezius incola oppidi de Arenas, annum agens ætatis vigeſimum ſecundum, repente cadens in terram, loquelam amiſit, ad quem vocati Medici jam vita functum judicantes reliquerunt. Pater cæterique amici mœrore confecti, ſanctum Petrum pie invocant, promittentes, ſe gratiam beneficiis in Religioſum Conventum, & viſitatione ad ejus ſepulcrum, compenſaturos: nec incaſſum preces iverunt; enim vero poſt horas viginti quatuor (antea enim vitæ ſignum nullum juvenis edidit) viſus fuit erectus ſtare, & brevi bene ſe habere; quamobrem liberatori ſuo perpetuas gratias agere non omiſit.

LVIII. Domina Agnes Martinezia, uxor Joannis a Vega Matritenſis, dolore partus oppreſſa, reliquia quadam ſancti Petri adhibita, filiam edidit, quæ ab omnibus extincta videbatur, ideoque ab obſtetrice linteo involuta, ſepulturæ deſtinabatur. Omnes interim intenti liberandæ parturienti B. Patris patrocinium implorabant: mox illa periculo erepta, & quod omnes perculſit, infans ad ſepulturam delata in via audita fuit vagire, ſenſimque vitæ ſigna reddere. Ideoque domum parentibus gaudii, ac venerationis in ſanctum Petrum maximum incrementum attulit, cui ſe enixe commendarant.

LIX. Didacus Martinezius de Mombeltrano filium habebat Joannem nomine annorum quatuor, qui febri acuta correptus, tanquam morti addictus relictus fuit a Medicis. In hoc ſtatu accepit eum in ulnas ſoror ejus Maria, & jam novo acceſſu febris animam efflantem, repoſuit in lecto, ut interea quæ pro illo ſepeliendo neceſſaria erant ſtudioſe præpararentur. Pater vero affectu paterno compatiens, ante lectum in genua provolutus Deum ſupplicat, ut ſi filii vita ei grata futura eſſet, eam tunc ob merita

Ser-

» Servi ſui Petri benigne concederet. Vix orationem finierat, cum vivum » ſe puer oſtendit, oculos, & os aperiens, & mox cum ſpectantium admira- » tione ſanitati priſtinæ integræ reſtituitur.

» LX. Anno MDLXXX. in Pago Ornillo ægrotabat graviter Maria Sanche- » zia uxor Ferdinandi Sanchezii, mulier valde pia, ac Religioſis Diſcalceatis » addicta; proinde ſocietati Ordinis per filiationis litteras adſcripta. Poſt ali- » quot autem adverſæ valetudinis dies ad extremum reducta, inter alia » teſtamento diſpoſuit, ut ſequenti die vel viva, vel mortua ad Eccleſiam » ſancti Andreæ Patrum Diſcalceatorum deportata, ſupra ſepulcrum ſancti » Petri collocaretur, ſacrumque pro ipſa fieri curaretur. Nocte proxima ex » morbi vehementia eam omnes extinctam judicarunt. Hæredes, aperto » teſtamento, ad dictam Eccleſiam Leuca diſtantem eam deportari jubent, » & ſicut juſſerat, omnia rite exequuntur. Dum vero Miſſa celebratur, & » Sacerdos *Dominus vobiſcum* pronunciat, mirabile viſu! mulierem mo- » veri aliquantulum; deinde ad Epiſtolam reſidere ſuper feretrum; poſt ad » Evangelium erectam, ac devotam Miſſæ adſiſtere ſpectant univerſi, ſum- » ma cum admiratione omnium. Peracto ſacro, & gratiis Deo ac Servo ſuo » humiliter actis ſana, ac exſpedita ad domum propriam revertitur, ubi » quindecim adhuc annis vitam piam ducens, multos ad interceſſionem » B. Patris confugere pro variis beneficiis impetrandis edocuit.

» LXI. In oppido Arevalo Licentiatus Bargas cum uxore ſua D. Barbara, » ambo devotiſſimi ſancti Petri, filium habebant parvulum nomine Joachi- » mum. Hic forte tranſiens per locum quemdam domus ubi cacabus aqua » plenus fuerat poſitus, in illum decidit; abſente Matre & famula, quæ pro » rebus domeſticis domo exierant. Poſt aliquod intervallum reverſæ, puc- » rum ad medium uſque immerſum extrahentes, facta experientia, ſine ſpi- » ritu, aut vitæ indicio exſtinctum invenerunt. Quamobrem omnia vocibus » ac ejulatu replent; ipſa autem Matre ſanctum Petrum altius invocante, » quia valde erga illum erat affecta, pieque Sanctum colebat: circumſtantes » commiſeratione commovet Pater, ne ſpectaculum videret triſtiſſimum, » domo exivit. Illa vero, velut altera Cananea, clamore, fiducia, precibus » inſtans exaudiri tandem meruit, & poſt horam circiter videt filium revi- » viſcentem, ac infra breve ſpacium ſibi, Patrique alacriter ablandientem.

» LXII. Joannes Barrozzius ex oppido ſanctæ Crucis per ſex integros » menſes febri decumbens, tandem omnibus Sacramentis Eccleſiæ munitus, » animam agit; & circa noctis medium vitalis calor, ac ſpiritus eum penitus » deſtit. Mœſta Uxor cum fratre ſuo ſanctum Petrum compellat ardentius. » Sequenti autem mane Eccleſiam Fratrum Diſcalceatorum adeuntes, ſa- » crum fieri curant pro defuncti (ut credebatur) ſalute. Domum vero re- » verſi, Joannem inveniunt, non ſine miraculo reſpirantem, ac loquentem, » ita ut poſt triduum ſanus & ſoſpes cum amicis congratularetur, qui prius » pro mortuo defletus fuerat.

» LXIII. Melchior Hernandezius ex oppido Mombeltran filium uni- » cum undecim habebat annorum morbo, (quo multi illo anno perierunt) » affectus) poſt varia remedia per viginti quinque dies incaſſum adhibita, » animam agebat. Poſtulaverat ille ſæpius, ad ſepulcrum ſancti Petri in » Cœnobio ſancti Andreæ in Monte perduci pro ſalute obtinenda, ac timore » Parentum, ne tali motu mortem accelerarent, voti compos factus non eſt. » Deploratum itaque ad Conventum deportari, atque ſuper ſepulcrum » beati Viri extendi properant. Nec diu ſic inanimis jacuit, ſed paulatim » oculis apertis, apprehenſaque Matris manu, ſeipſum ſanum in pedes erigit,

Deum

„ Deum altiſſime collaudans, qui ſe tam glorioſum in Sancto ſuo oſtendere
„ dignatus fuerat.

„ LXIV. In eodem oppido Mombeltran filius Catharinæ Velaſqueziæ
„ annorum quinque, poſtquam graviſſimo morbo varia medicamenta exſper-
„ tus eſt infructuoſa; morti proximus, inter Patris amplexus omni pene re-
„ ſpiratione deſtituitur. Quapropter Mater vocem ad cœlos exſtollens, ſan-
„ cti Petri auxilium invocando, multoties ſe Roſarium recitaturam promit-
„ tit, ſi filium ſalvum præſtitiſſet. Finita ſupplicatione, puer ridere, aperire
„ oculos, loqui, cæteraque viventis ſigna edere cepit; tertioque die, cum
„ cæteris æqualibus in platea colludere, non ſine ſtupore, viſus eſt.

„ LXV. Magdalena Gomezia uxor Paſchalis Sanchez dum menſæ adſi-
„ deret, apoplexia correpta, in terram decedit, loquela, ac ſenſibus repen-
„ te privata. Itaque omnibus remediis fruſtra adhibitis, Mater ad patroci-
„ nium beati Petri confugit, vovendo, ſe filiam ad Sancti ſepulcrum tribus
„ ſextis feriis conducturam, ſi incolumitatem recuperabat. Vix edito voto,
„ calor naturalis morienti rediit, & ſenſus integre reſtitutus, omnium admi-
„ rationem provocavit, qui defunctam exiſtimabant.

„ LXVI. Michael infans trium menſium, filius Michaelis Sereno, &
„ Mariæ Lopeziæ, quum a Matre in vicinæ cujuſdam lecto poſitus (panno
„ quodam laneo ſorte vultum obtegente) inter dormiendum ſuffocatus cre-
„ deretur, ex eo quod eadem vicina eum ſine reſpiratione, & cum oculis
„ retortis inveniſſet; accepto inter brachia puero, ad Matrem cucurrit; cui
„ tali ſpectaculo, pallorem mortis impreſſit, tum voces ac gemitus in cœ-
„ lum effundens, & ſanctum Petrum invocans, cum voto ducendi filium
„ cum imagine cerea ad ipſius ſepulcrum; vidit confeſtim, illum colorem
„ recuperare, oculos aperire, & mammillas ſugere, magno cum omnium
„ præſentium ſtupore.

„ LXVII. Petrus de Olives filius Petri Velaſquez de Mombeltrano,
„ menſium decem & octo a Matre ſanus in proprio lecto compoſitus, mane
„ ſequenti tumidus, ac clauſis oculis, ſine motu inventus fuit; quo caſu per-
„ culſi Genitores, ſancto Petro filium offerunt ad Cappellam ejus, cum Miſſæ
„ celebratione deferendum. Mirum dictu! ſtatim infans ridendo mammillas
„ apprehendit, & omni tumore tum capitis, tum colli penitus evaneſcente,
„ integre convaluit.

„ LXVIII. Alphonſus de Frias Cepeda Sacerdos de Arenas puellam ſex
„ annorum, Ludovicam nomine, domi alebat. Huic febris maligna loque-
„ lam, pulſum, ac calorem abſtulerat, ita ut mortua videretur: ſed appli-
„ cante Sacerdote Reliquiam quandam ſancti Petri ſuper caput & cor ejuſ-
„ dem puellæ, cum pia ſupplicatione; viſa eſt confeſtim in ſe reverti, & ver-
„ ba proferre *Deus me adjuvet*, donec integra convaleſceret.

„ LXIX. Anna Gonzalez uxor Gabrielis Lopez incolæ Arenis aliquot
„ dierum febri vexata, Medicorum judicio morti proxima judicata fuit; un-
„ de munita SS. Eccleſiæ Sacramentis, agonizans per quinque dies; nova ac-
„ cedente criſi, extincta putata eſt. Hinc filia ejus Iſabella Matris ſalutem a
„ ſancto Petro exſpoſtulans, copioſiſſimis lacrymis ac ſuſpiriis illico recupe-
„ rato ſpiritu, hæc verba proferre audivit: *O S. Petre de Alcantara, quos*
„ *favores mihi a Deo impetraſti, & nunc mihi vitam reſtituis, ne hæc filia*
„ *orphana remaneat, & ut ego quoque vitam meam emendem*! Paulopoſt ci-
„ bum petiit, & cum cæteris inſigna ſancti Petri merita devoto præconio
„ collaudavit.

„ LXX. Filius cujuſdam Franciſci Hernandez de Paredes vi febris, ac
mor-

» morbi ad extrema radactus credebatur. Qua fama per oppidum ſparſa, omnes amici ad conſolandum Patrem acceſſerant. Inter hos Guardianus Conventus Diſcalceatorum, qui eidem Patri potiſſime gratus, quum ejuſdem afflictioni condoluiſſet, ad Cœnobium ſe redire promiſit, ut Miſſam celebrando pro agonizante, ſancto Petro commendaret. Sacro peracto, regreſſus ad triſtem Patrem, invenit inſtantem oculis apertis, ſigna reſpirantis, ac moventis edere, ac paulatim recedente febre, ſanus evaſit.

» LXXI. Joannes de Aguero incola Arenarum filium viginti dierum morbo vehementi oppreſſum deflebat; quoniam calore vitali ac ſenſibus deſtitutum conſpiceret: & quia humanum remedium pro unigeniti ſui ſalute deſperabat, imaginem cæream ſecum ad Eccleſiam Fratrum portans, eam in Cappella Servi Dei tamquam pro gratia obtenta appendit; poſt peractam ſupplicationem, domum reverſus invenit parvulum in ſinu Matris perfecte convaleſcentem; quemadmodum antea conſtanti fiducia in ſanctum ſibi fuerat pollicitus.

» LXXII. Joannes Fernandez de Aroyo Caſtanno, paroxiſmo vehementi vitæ extremum attigiſſe a Medicis cenſebatur. Parentes Communionem, ac Confeſſionem ad Cappellam ſancti Petri voventes, paulopoſt eum integræ ſaluti reſtitutum, ſecum ad ſolvendum votum alacres lætique duxerunt.

Claudi Brecti, et Mancı curati;

» LXXIII. Alphonſi Sanchez habitantis in oppido de las Cuevas, tibia infracta Chirurgorum ſcientiam omnem fatigaverat, itaut vice curationis a quodam inexſperto in alio loco eandem nova fractura affecerit; jacebat itaque miſer ſummis doloribus vexatus, omniumque manus expaveſcens ne tormenta majora exſperiretur. Quo quidem rerum ſtatu, dum ſibi miranda ſancti Petri narrari audiret, maximam concepit fiduciam, ſe deſperatam ſalutem ejuſdem Sancti interceſſione a Deo recepturum; ideoque quodam die feſto aſſociantibus multis, ad ſepulcrum Servi Dei ſe duci curavit; quum autem ad Eccleſiam perveniſſet, audito prius ſacro, & Sacramentis perceptis, amicis innixus, ſepulcro ſancti Petri appropinquat; quod quum primum attigiſſet, interius conſolationem magnam animi ſentiens, quaſi proximi favoris pignus mox ſpectante populo pede terram calcans, & erectus ſine adminiculis ſtans, tandem cum omnium ſtupore liber incedere ſine dolore viſus fuit. Redditiſque Deo ac ſancto Viro humillimis gratiis, religionem in illum mirifice auxit; ipſeque ſanus ac lætus domum confeſtim regreditur.

» LXXIV. Franciſca Martinez de Mombeltran doloribus vehementibus cruciabatur ob pedem detortum, quem nec terræ imponere, nec fulcris ſuſtinere poterat; per triennium fruſtra Chirurgorum experta diligentia ad ſancti Petri opem tandem, cum voto viſitandi ejus ſepulcrum confugit. Die ſequenti deferri ſe eodem feſtinans, poſt conſcientiam expiatam, ſenſit ita ſibi dolores augeri, ut ad ſacratiſſimam Communionem accedere non poſſet. Hinc mœrore oppreſſa, adhuc conſtanter Liberatoris ſui auxilium implorat: nec mora redeunt illico ad locum ſuum oſſa, ceſſant cruciatus; ac ipſa depoſito in terram pede libere ambulans, domum ſuam ſana petit.

» LXXV. In oppido Arenarum Franciſcus Ramirez Alphonſi filius annorum novem ex longa infirmitate crura ita infecta habebat, ut inſiſtere non poſſet. Poſt aliquot menſes eum Parentes ex voto ad Cœnobium ſancti Andreæ, ac ſepulcrum ſancti Petri tranſtulerunt, ubi ungendo læſa membra oleo lampadis Servi Dei, confeſtim conſolidata vi-

derunt, & puerum ſine ullo impedimento, uſui pedum reſtitutum.

LXXVI. Andreas Velez faber, ex pago de Lanzaita diſtante tribus leucis Arenis, crurium debilitatem tantam contraxerat, ut fulcris, uti cogeretur per ſeptem menſes continuos: dein etiam in lecto decumbere coactus eſt: quod cum uxor adverteret, nec humana prodeſſe remedia noſceret, ad cœleſtia convertitur; ſuggerens marito, ut ſancto Petro ſe devoveret, de quo miranda multa inaudierat. Huic obediens prompte Andreas equo impoſitus, ac amicis hinc inde ſuſtinentibus ad Eccleſiam, moxque ad ſepulcrum defertur. Ibi poſt auditum ſacrum, & ſumptum diviniſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, ſerventer ſe ſancto Viro commendat; poſtquam aliquandiu ſic perſtitiſſet, ſenſit ſibi vigorem in cruribus redire; itaut ex ſe erectus, paulatim incederet. Tandem integre per Eccleſiam obambulans, fulcra gratulabundus ſepulcro appendit, & cum amicis pedeſter reverſus eſt, inceſſanter ſingulare Sancti beneficium ſummis præconiis apud cunctos extollens.

LXXVII. Matriti puer quidam nomine Balthaſſar filius Ludovici Mendieta a nativitate adeo debilia crura habebat, ut per ſeptem annos eis inſiſtere non poſſet, ſed per terram tantum reptans, a cunctis *ſerpentis* cognomine indicaretur. Mater ob id vehementer afflicta, quia ſancto Petro potiſſime erat addicta, ei filium inſtanter commendabat: quadam die infra octavam feſti ejuſdem Sancti, quod in Aula ſummo Principum, ac populi concurſu magnifice celebrabatur, eurat puerum ad Cappellam illius deferri, & ex cordis intimo ſupplicationes iterari; biduo poſt infirmus eruribus inſiſtens, & paulopoſt perfecte viam capiens (qua domum reverteretur) omnium elicuit admirationem, & Sancti gloriam apud plurimos evulgavit.

LXXVIII. Leonora Gonzalez de Arenas per aliquot annos brachio, & humero dextero ita contracta fuit, ut neque manum quidem poſſet attollere; quum autem miranda, quæ ad ſancti Petri ſepulcrum quotidie perpetrabantur intellexiſſet, emiſſo voto, ſe per novenam illuc tranſtulit. Ultima tandem die, dum tota orationi intenta in terram ſe proſtraſſet, ſurgens, manu & brachio integre reſtitutis, domum exultans revertitur.

LXXIX. Domna Ludovica de Villagra ex oppido Mombeltrani e gravi morbo ita membrorum uſu capta eſt, ut ultra annum movere ſe non valeret, quadam die, Deo inſpirante, ad ſancti Petri ſepulcrum delata, tota ſe inſuper extendit cum fiducia ac religione magna. In eodem inſtanti membra vigere, totamque convaluiſſe ſe ſenſit.

LXXX. Alia mulier ex Pago de Ornillo prope Arenas, brachiis, ac cruribus manca, alinrum manibus moveri, ac cibum capere cogebatur. Hæc ad ſepulcrum Viri Sancti delata, antequam novenam abſolviſſet, ſana priſtinæ integritati reſtituta eſt.

LXXXI. Catarina Blaſquez de Arenas, manibus ac pedibus adducta a triennio detinebatur in lecto. Quum vero plura beneficia meritis ſancti Petri obtenta a multis narrari audiſſet, ad ejus Cappellam ac ſepulcrum deportari, quam citiſſime curavit. Ibi ferventi oratione valitudinem ſuam Deo per Servi ſui merita poſtulans domum reſertur, pauloque poſt liberam ſe, ac omni impedimento membrorum ſolutam agnovit.

LXXXII. Catharina Velaſquez de Mombeltrano cruciabatur vehementi dolore cruris, quod ſpatio trium annorum movere nequiverat. At voto ad ſepulcrum ſancti Petri delata, atque interceſſionis ejus ſe religioſe commendans, dum ſuper illud ſe extendit, conſeſtim ſine-

do-

» dolore ſurgit & gaudens, ſana & incolumis ad propria regreditur.
» LXXXIII. Adoleſcens quidam ſexdecim annorum ex eodem oppido
» Mombeltrani contractus cruribus, fulcris ſuſtinebatur. Huic quum mira-
» bilium ſancti Petri memoria obverſaretur; ad ejuſdem ſepulcrum perre-
» xit; inibi dum humili ſupplicatione ſalutem imploraſſet ſtatim ſoſpes eva-
» dere, ac ſine dolore recedere meruit.
» LXXXIV. Alphonſus Munoz ex oppido ſanctæ Crucis viribus robu-
» ſtus, dum pondus centum octoginta librarum brachiis geſtaret, crus ſini-
» ſtrum offendi ſenſit; malo ſubinde creſcente, in lecto decumbens ultra vi-
» ginti dies maximos dolores paſſus eſt. His adactus, votum ſancto Petro
» nuncupavit, ſepulcrum ejus ſe aditurum, atque crus æreum appenſu-
» rum; quo emiſſo, pars offenſa obtorpuit, donec equo conſcenſo, ut Eccle-
» ſiam adiret, in via omnis dolor abſceſſit, ſanus perinde, pedibus reliquum
» confecit iter, & ſancto Viro gratias cum voto obtulit.
» LXXXV. In Villa Parræ uxor Simonis Gomez, nomine Maria Marti-
» nez, dolore conficiebatur propter incurabilia ac fœtentia ulcera, quæ crus
» ejus per decem annos infecerant. Fama ſepulcri ſancti Petri commota,
» inde ſe ſanari ſperabat; unde tot convaleſcentes rediiſſe audierat; quo er-
» go modo potuit illuc translata, poſt piam orationem firmari pes cœpit, &
» mox obductis plagis, atque integræ ſaluti reddita fulcra appendit, & pe-
» des ad ſua revertitur.
» LXXXVI. In eodem loco Petrus Sanchez, manibus & pedibus impe-
» ditus, in lecto pluribus menſibus decumbebat. At quadam die memor mi-
» raculorum ſancti Petri ad ejus ſepulcrum peregrinationem vovit. Hæc fe-
» fellit eventus; nam ſtatim expeditum ſe ſenſit, e lecto proinde exſurgens,
» poſt biduum ad explendum votum pedeſter acceſſit ſummo cum ſtupore
» omnium: qui una cum illo debitas Deo & Servo ſuo gratiarum actiones re-
» tulerunt.
» LXXXVII. Joannes Martinez Cavezudo decumbens ſuperiori parte
» corporis obtorpuerat, eodemque uti non poterat; hinc per integrum an-
» num Medicis fruſtra curantibus, recurrere ad ſancti Petri auxilium conſti-
» tuit, promittens ſe ejus ſepulcrum viſitaturum. Nec abnuit Sanctus mox
» læſa membra reſtituens ſupplicantis.
» LXXXVIII. Maria Ximenez, uxor Ferdinandi Blaſquez, caſu quo-
» dam adeo graviter offenſa eſt, ut mortis periculum adierit. Dum clamo-
» rem præ cruciatu attolleret, audita fuit a quodam Religioſo Diſcalceato,
» qui pro eleemoſyna ad ejus oſtium acceſſerat ipſamque eſt adhortatus,
» ut ſe ſancto Petro offerret, & cum voto ſepulcrum ejus inviſeret. Morem
» gerens devota mulier eodem tempeſtive duci ſe fecit, ibique gratiam inte-
» græ valetudinis confeſtim obtinuit.
» LXXXIX. Antonius Martin filius Dominici, brachium ex quodam ca-
» ſu fractum, Chirurgorum negligentia mancum retinebat; quare ſepul-
» crum Servi Dei accedere & inviſere ſtatuens, ibi poſt piam ac ferventem
» orationem ex oleo lampadis brachium inunxit, & mox cum omnium ſtu-
» pore optatam ſanitatem obtinuit.
» XC. Joſepha de Salamanca ancilla D. Alphonſi de Montalvo, ex Are-
» valo, diœceſis Avilæ, in manu vulnus incurabile acri cum dolore patieba-
» tur. Ejus Dominus ſancto Petro enixe commendavit; quare non multo
» poſt perfectam Ancillæ ſalutem ſuis precibus impetravit.
» XCI. Catharina de Saravia, quæ habitabat Arenis, cox endine labo-
» rabat, quam nullis medicamentis curare poterat. Ducta tamen ad ſepul-

» crum ſancti Petri conſeſtim convaluit; nec ultra morbum ac dolorem » paſſa eſt.

CÆCI VIDENT, ET SURDI AUDIUNT.

» XCII. Cæcilia Velaſquez, ex oppido Mombeltrani, per octo menſes » continuos oculorum morbo adeo graviter afficiebatur, ut nec videret ubi pe- » dem figeret. Quæ cum audiſſet ſepulcrum ſancti Petri apertum fuiſſe, jumen- » to ſe ad Eccleſiam vehi fecit, quamvis tempus rigidum & nivibus impediti- » ſimum iter eſſet. Ibi vero poſtquam oculos aqua (quam reliquiæ beati Viri » attigerant) lavaſſet, & ſepulcro adhuc aperto caput immiſiſſet; illico » viſum recepit, & laudans Deum in Sancto ſuo, domum oculis integerri- » mis rediit.

» XCIII. Iſabella Gonzalez de Arenas, vidua Sebaſtiani Moreno, gravi » quoque morbo oculorum uſum amiſerat; licet per tres menſes Medicorum » operam & induſtriam fruſtra fatigaſſet. Itaque voto ad ſepulcrum ſancti » Petri emiſſo, a quadam vicina conducta, lavit ex ejuſdem aqua oculos, » tum ferventer orans viſum a Beato conſeſtim impetravit; nec impoſterum » quicquam in illis mali paſſa eſt.

» XCIV. Joannes Velaſquez, filius Thomæ incolæ oppidi ſanctæ Cru- » cis, per quinque menſes propter panniculum oculo obductum, cœcitatem » patiebatur; nec aliquo remedio curari poterat. Quadam vero die læſum » oculum baculo ſancti Petri contingens viſum recepit, & perſpicacem po- » ſtea habuit.

» XCV. Domina Eleonora de Arias uxor Joannis de Frias Matritenſis, » dolore oculorum oppreſſa, poſt octo menſes unius lumen omnino amiſit. » Quadam die a D. Iſabella de Fonſeca viſitata admonita eſt, ut ſe Petro » commendaret; & aquam quoque adhiberet, quam ſancti Viri reliquiæ atti- » gerant; hac itaque accepta, oculum lavit offenſum, & conſeſtim lumen » recepit.

» XCVI. Franciſcus Nietus incola Guiſandi, extremum vitæ adierat, » ex carbunculo oculo obducto; ejus mater ac ſoror accenſa fide ad ſancti » Petri patrocinium accurrunt, vovendo ſe cum infirmo ad ejus ſacellum ac- » ceſſuras. Vix votum emiſerant, quum evaneſcens tumor, febris, qua af- » flictabatur, evanuit, infirmo ſanitas rediit; votumque ſolvit, ſtupentibus » plurimis qui factum probe noverant.

» XCVII. Bartholomæus Garzias incola Pagi ſanctæ Crucis diu ſurdita- » tem paſſus, quum nullo humano remedio recuperare illam potuiſſet, ad » cœleſtia tandem converſus ſepulcrum ſancti Petri adiit. Hic pie orans, » poſt aquæ guttas ex reliquuiis ejuſdem auribus inſtillans, conſeſtim audi- » tum mirabiliter recepit, debitaſque Deo & famulo ſuo beato Petro gratias » reddidit.

» XCVIII. Domna Maria Alvarez de Medrano uxor Joannis de Frias » Caravaxal incolæ Arenis, ſpatio novem menſium auditum amiſerat ex » acerbiſſimo dolore capitis. Quadam nocte ingraveſcente dolore, cor ad » ſuum Patronum ſanctum Petrum ferventer elevat vovetque, ſe ſi ſana » fieret, per integrum diem in ejus ſacello gratias redditurum. Expleta » oratione, ſuaviter ſomnum cœpit, ex quo evigilans, & dolore & ſurditate » ita ſe liberam ſenſiit, ac ſi nunquam adverſi aliquid paſſa fuiſſet.

» XCIX. Laurentius Segovia medicinæ Doctor Juvenis, civis Toleta- » nus, angina graviter laborans, diuque fruſtra medicamentis uſus, mor- » tem exſpectabat; dum ergo animam ageret, recordatus ſancti Petri, ſalu- » tem eidem intimo affectu cordis devovit. Inde aquam ex ſacris Reli- » quiis ejus bibens, ſtatim ſanus evaſit.

C. Ma-

» C. Maria Velaſquez ex oppido de las Cuevas, quadam nocte faucium
» dolore ita cum febri correpta fuit, ut vix verbum proferre poſſet. Quam-
» obrem interno affectu ad ſanctum Petrum cor attollens, promiſit ſacel-
» lum ejus adire, ac certam eleemoſynam largiri. Mox febris receſſit, &
» loquela reſtituta faucibus, votum grata perſolvit..

» CI. Dominicus Gonzalez Dominici item filius ex oppido de las Cue-
» vas, grave gutturis malum paſſus, a genitoribus ſancto Petro offertur. Per-
» acta oratione, mox ſanus factus eſt, & cum amicis gratulantibus Deo &
» beato Petro gratias retulit.

» CII. D. Joanna filia Joannis de Medrano, & Antoniæ de Herrus habi-
» tantium Arenis, in extremis agebat propter anginam, quæ tunc multos
» extinguebat. Mater, quæ ob filiæ morbum valde cruciabatur, ſancto Pe-
» tro illam commendat, & quoniam eo die transferri ad novum ſepulcrum
» corpus ejus intellexerat, voluit, contradicentibus Medicis, eam ad Eccle-
» ſiam deferri. Quo quum acceſſiſſent, atque infirmam ſuper ſepulcrum
» extendi curaſſet, vidit illico ſanam ſalvamque ſurgere.

» CIII. Franciſcus Lopez del Picon habitans Arenis, anginæ doloribus
» ſuffocabatur, adeout, nec cibum caperet, nec verbum proferret; uxor
» Anna de Vargas pro ſalute mariti ad ſepulcrum ſancti Petri votum emiſit,
» ſinulque ejus cingulo collum mariti cinxit, qui poſtquam obdormiſſet,
» paulo poſt, obſtupente conjuge, ſalvus evigilavit, ac gratias reddidit.

» CIV. Dominica Iſabella de Cruce nobilis Toletana gravem anginam
» patiens cum ardente febri a Matre ſancto Petro commendatur enixe.
» Deinde parte reliquiæ Servi Dei faucibus ejus admota, omni dolore libe-
» ram, Sanctique merita collaudantem vidit quam citiſſime.

» CV. Eliſabetha de Fonſeca Matritenſis a duobus annis aſſidua cordis
» palpitatione afflictabatur, adeout pluries quotidie vexata mortis periculum
» adiret. A multis proinde perſuaſa, ſancti Petri emiſſo jam pio voto ſeſe
» commendavit. Quod ei tam feliciter ſucceſſit, ut ſtatim beneficium agno-
» ſcens, brevi integram valetudinem recuperaverit.

» CVI. Maria Gonzalez nata Arenis, per duodecim annos quotidie ter
» aut quater palpitationem cordis magna cum anguſtia patiebatur; quæ illam
» ſenſibus privabat ob vehementem cruciatum. Ut ſanitatem impetraret,
» ſpiritu ac religione ferventi ſanctum Petrum invocat, & ſe ſacellum ejus
» inviſuram promittit, ab eoque temporis momento omni morbo libera im-
» poſterum ſana perſeveravit.

» CVII. D. Iſabella de Caravaxal de Arenas, morbo quodam affecta,
» qui cum febri deliquium & cordis anguſtias cauſabat, itaut extremo Un-
» ctionis Sacramento accepto, mortem opperiebatur: acceſſit interea filius
» ejus Joannes, & matri ſe beato Petro vovere ſuadet, ſicut ille fece-
» rat, pro ſua ſalute. Quo facto, obdormivit ægrota; paulo vero poſt evi-
» gilans, cum ſumma admiratione ab omni pœna & malo libera inventa eſt.

» CVIII. D. Catharina Pacheca nata Oropeſæ, tertiana duplici afficieba-
» tur, quæ alios cruciatus vehementes inducebat cum vitæ periculo. Obtulit
» ſe ſancto Petro, cui ſemper addicta fuerat, tum aquam miraculoſam Servi
» Dei hauriens, ſopore corripitur. Poſtea evigilans, ſine febri ſanam ſe no-
» vit, ſanctoque Viro gratias reddidit. Idem quoque in alio morbo graviſſi-
» mo experta fuit.

» CIX. Maria filia Chriſtophori Martin & Mariæ Sanchez del Arenal,
» morbo quodam ſingulari ultra annum torquebatur. Quum autem multi
» eam a Spiritibus vexari indicarant, id animadvertentes Genitores, poſt-

quam

quam, ex piorum hominum conſiliis, varia experientia fruſtra cœpiſſent, tandem ad ſacellum ſancti Petri eam ducunt, & poſt orationem integre ab omni morbo liberam ad ſua reducunt.

HERNIOSI, ALIISQUE MORBIS LABORANTES SANATI.

CX. Balthaſſar Rodriquez filius Thomæ, habitantis in oppido Arenis, laborabat hernia, brevi a Chirurgis ob morbi gravitatem incidendus, ejus mater Franciſca Munnoz voverat, ſe per novem dies filium ad ſancti Petri ſepulcrum conducturam; quum autem die quadam devotioni ſuæ intenta, Eccleſiam, ubi corpus ſancti Viri requieſcit, verteret, filium ad ſe venientem aſpicit, quem prope ſepulcrum antea depoſuerat; & quia integre ſanatum expediteque currentem agnovit, præ gaudio *miraculum*, *miraculum* exclamans, humillimas Beneſactori gratias reddidit, nec beneficium deprædicare ceſſavit.

CXI. Thomas Rodriquez ejuſdem loci incola, tam moleſta hernia cruciabatur, ut quotidie gemitus & clamores mœſtiſſimos ederet, Mater, quæ erat Diſcalceatis valde addicta, meliori quo potuit, modo ad ſepulcrum ſancti Petri filium afferri conatur. Quo quum perveniſſet, conſeſtim omni defectu ac dolore liberatum domum reduxit.

CXII. Maria Nunnez uxor Joannis Sanchez Serrano ex Pago Parra, filium habebat, cui inteſtina diffluebant, fruſtra experta Medicorum remedia. Fide igitur accenſa, ad ſacellum ſancti Petri cum puero accurrit, & cereum magnitudine eumdem æquans ſecum afferens, poſt piam & humillimam orationem puer integre convaluit.

CXIII. Filius cujuſdam Thomæ Velaſquez & Mariæ Gomez, per annos quatuor duplici hernia miſerrime patiebatur. Quare Parentes voto viſitandi ſepulcrum ſancti Petri pro gratiarum actione emiſſo, ſtatim perfectam ejus ſanationem mirabiliter impetrarunt.

CXIV. Petrus Hernandez de Herrera, ex Pago Candelera, cum pro lucrando Jubilæo ad Eccleſiam Roſarii Patrum Diſcalceatorum acceſſiſſet, inteſtina in ſcrotum defluxere, intimoque dolore correptus, in terram decidit; ipſe vero ad ſancti Petri auxilium provocans, oratione facta, ſine dolore ſanus liberque ſurrexit.

CXV. D. Catharina de Balde Nebro ex oppido Arenarum, filiam habebat hernia incurabili laborantem, quæ nocte quadam illam ad extrema adduxit. Tunc mater coram Deo genuflexa, ſancti Petri opem tanquam peculiaris advocati fidenter invocat; mox ægra ſomnum cœpit, & brevi expergiſcens, ſine aliquo morbi ſigno matri ſe obtulit.

CXVI. Filia quædam Balthaſſaris de Frias, ex oppido Arenarum, adeo acuta febri obbluctabatur, ut Medicorum judicio, nulla ſpes vitæ relinqueretur. Quibus ille auditis, inquit, *Benedictus ſit Deus; ergo a Sanctis ejus remedium quæramus.* Statim vero ad Eccleſiam ſancti Petri deportata filia, ſacrum fieri curavit, cum ſpe certa filiæ ſalutem impetrandi. Quod equidem accidit; finita enim Miſſa, puellam priſtinæ ſaluti reſtitutam Medici aliique admirati ſunt.

CXVII. Maria Lopez ex Pago ſancti Stephani aliquando magnis febribus vexabatur, quæ oppilationes quoque eidem creantes, vicinam morti conſtituerent; ob id matrem ſuam rogat, ut ſe portari faceret ad ſacellum ſancti Petri, pro ſalute recuperanda. Nec ſpes feſellit; eadem enim ſancti Petri impoſita ſepulcro confeſtim ſana ſurrexit, collaudans Deum in Sancto ſuo glorioſum & admirabilem.

CXVIII. Joannes Blaſquez de Arenas quadam die Caſtaneam aſcenderat, ex qua, infracto ramo, in terram decidit, ubi inter ſaxa prærupta to-

totum corpus contundit, accurrentes ſocii, quem mortuum credebant, erectum viderunt, ab eoque didicerunt, quomodo ad invocationem ſancti Petri evidens mortis periculum evaſerat: unde eos rogavit, ut ſecum ad Eccleſiam ejuſdem accederent pro tanto beneficio gratias debitas Deo redditurі.

CXIX. Sebaſtianum de Garzia ex Pago de la Parra, febris vehemens invaſit; cui medicamenta levamen nullum afferebant. Ideo ad ſancti Petri auxilium cœleſte accurrens, ejus patrocinio confiſus, ad Eccleſiam Diſcalceatorum deferri jubet, ubi ferventer aliquandiu orans brevi ſanus, liberque a febri domum reverſus eſt.

CXX. Joannes Garzia Ramos de Arenas ligna ſecuri ſcindendo, pedem graviter vulneravit, accum præ dolore hebeſceret, invocato tamen auxilio ſancti Petri, cum promiſſione mittendi ad ejus ſepulcrum pedem cereum, ſtatim tumor deceſſit, & vulnus obductum eſt, ſtupente Chirurgo, qui lethale judicaverat.

CXXI. Infans quidam duorum annorum Mariæ di Flores, febri ardentiſſima laborabat ab octo menſibus, nec Medicorum magna cura & diligentia liberari poterat. Quadam die matri pium conſilium in mentem venit, ſe cum filio ſancto Petro offerendi, & pro gratiarum actione ſacellum ejus inviſendi; hac promiſſione facta, mox infantem febris omnino reliquit, & ſanus evaſit.

CXXII. Didacus Sanchez Arenarum incola, per viginti quinque dies febri continua vexatus, tandem accedente quartana, viribus deſtituebatur. Omni proinde ſpe deſtitutus ad ſanctum Petrum de Alcantara cum voto viſitandi ejus ſepulcrum quatuor diebus Veneris accurrit. Vix voverat, quum ſe ſanitati ac viribus integre reſtitutum ſenſit, ſanctoque Viro gratias retulit.

CXXIII. Catharina de Atienza de Arenas lecto tenebatur a febri continua, quæ etiam delirium ſuperadduxit. Eam quadam die inviſens frater ejus, hortatus eſt, ut ſancto Petro ſe commendaret, quemadmodum ipſe cum alio fratre, ſæpe eum fructu expertos ſuiſſe affirmabat. *Exaudiat nos Deus* reſpondit ægrotans, & invocata ſancti Petri ope, cum voto viſitandi ejus ſepulcrum, & jejunandi per tres ſextas ferias, ſequenti mane cum omnium ſtupore liberam ſanamque oſtendit.

CXXIV. Filius quidam Petri Ximenez ætatis anno decimo octavo, vehementi capitis dolore vexabatur; adeout requiem non haberet. Mater ſancti Petri devotiſſima, filium ei ſerio commendabat, promittens eum diſcalceatum, per tres ſextas ferias ſepulcrum ejus inviſurum. Qua facta promiſſione, adoleſcens e lecto ſurgit, matriſque votum religioſe implevit.

CXXV. Bartholomæus filius Franciſci Martinez, & Mariæ Sanchez incolæ del Arenal, tam moleſta hernia laborabat, ut ex ea moriturum ſe crederet, Parentes ejus vovendo ſe ſancti Petri ſepulchrum cum Bartholomæo inviſuros, confeſtim convaluiſſe vident, & ad perſolvendum promiſſa ad Conventum ſancti Andreæ accedunt. Hoc ſibi contigiſſe anno ætatis tertio decimo, jam annum trigeſimum agens. Idem Bartholomæus teſtatus eſt, neque ultra quidquam ſe paſſum aſſeruit in illa corporis parte. Propterea in quodam naufragio, quo ſeptem naves perierant, ipſe cum ſua ſalvum evaſiſſe ejuſdem Sancti favori adſcribebat, cui maxime erat addictus.

CXXVI. Chriſtophorus Lopez Arenenſis per annum & medium inteſtinum rectum adeo extra ſuum locum prominens geſſit, ut etiam matri eru-

„ cruciatus ſuis doloribus adderet. Hæc enim remedio humano deſtituta, „ ex conſilio cujuſdam Religioſi Viri Diſcalceati, filium ad ſepulcrum ſancti „ Petri conducit. Ubi quum ferventi præmiſſa oratione eundem ſubſidere „ feciſſet; divina virtute ſtatim inteſtinum ad interiora rediit, & æger mira- „ biliter ſanatus, divinam beneficientiam, & Servi ſui gloriam ubique de- „ prædicavit.

„ CXXVII. Puerulus Æthiops inutilis pœnitus atque contractus ad ſan- „ cti Petri ſepulcrum ab ejus hera, uxore quondam Martini de Frias, oppi- „ di Arenarum incolæ adductus, meritis ejuſdem Servi Dei integræ ſoſpitati „ reſtituitur.

„ CXXVIII. Leonora Gonſalva ejuſdem oppidi Arenarum inquilina, a „ paralyſi, qua graviſſime laborabat, ad ejus quoque ſepulcrum liberata eſt.

Sanati solo Reliquiarum contactu.

„ CXXIX. Iſabellæ Gonzalez uxoris Franciſci Godinez de Arenas, fa- „ ciem æryſipolæ inflammatio ſic occupaverat, ut intra octo dies quaſi cæcam „ reddiderit. Huic allato cingulo ſancti Petri, ac faciei adhibito, ſtatim tu- „ morem depulit, ac ſanam præſtitit.

„ CXXX. Joannes Lopez filius Ægidii de Mombeltran, annorum duo- „ rum cum medio, magnam ſuppurationem in crure habebat cum dolore in- „ tenſo: quum nulla ſanandi ſpes affulgeret ope humana, Parentes ad cœle- „ ſtia remedia confugerunt, faſciaſque quaſdam intinctas aqua ex reliquiis „ ſancti Petri cruri obvolvunt, quando ſomnum capiebat. Sequenti mane „ puer omni morbo liber Parentibus offertur.

„ CXXXI. Maria Alvarez de Soto uxor Simonis Guttierez de Mombel- „ tran cruciabatur valde ex quodam manus vulnere; quo etiam illa intu- „ muerat, ſed poſtquam baculum ſancti Petri reverenter ac pie contrecta- „ vit, non dolor modo, ſed ex vulneris ſignum omnino evanuit.

„ CXXXII. Illuſtris quidam Vir in Caſtellæ Regno uxorem habebat in „ magno periculo verſantem ex faucium inflammatione lethali. Hinc ambo „ auxilium ſancti Petri implorantes, & ſacris ejuſdem Reliquiis offenſas fau- „ ces contingentes infra ſex horas integram ſanitatem recepit.

„ CXXXIII. Joannis Baptiſtæ Munnoz Arenis habitantis cum inflamma- „ tione ſecreta, febris ingens per octiduum continuum requiem turbabat, „ auditis miraculis ſancti Petri, ad ejus ſacellum deportari feſtinans, ibidem „ poſt piam orationem, perfectam ſalutem a Deo obtinuit.

„ CXXXIV. Joanni de Soto Architriclino Octavii Centurionis, Mar- „ chionis de Monaſterio, ex inflammatione cum ardente febri maxilla intu- „ muit. Id autem videns ejus filia D. Clara eandem oleo lampadis ſancti Pe- „ tri inungens, ſtatim aperiri vidit, & ſaniem effundere, itaut poſt tres dies „ Pater ſanus prorſus exſtiterit.

„ CXXXV. Joannes Martinez Spinoſa de Arenas habebat guttur inflam- „ matum cum interiori ſuppuratione, quæ cum febri continua ingens ei tor- „ mentum afferebat. A Medicis proinde derelictus, acceptiſque Sacramen- „ tis, cum morte luctari videbatur: at recordatus beneficiorum ſancti Petri ei „ ſe religioſe commendat. Mox guttur aqua ex ſancti Petri reliquiis aſper- „ gens ſenſit ſuppurationem erumpere, marcorem diſluere, febrim ceſſare, „ ſeque priſtinæ ſanitati omni prorſus ex parte reſtitutum.

„ CXXXVI. Alphonſus de Arias ex oppido de Arenas, ex apoſtemate „ gutturi inhærente cum ardenti febre vita periclitabatur, quum duo Fra- „ tres Diſcalceati ad ædes ejus accedentes piæ ſtipis poſcendæ cauſa, pro- „ mittunt ſe ad Conventum reverſos eum Deo piis precibus oblaturos, ſi- „ mulque miſſuros ad ipſum aquam ex ſancti Petri reliquiis, quos æger hau-

rie-

» rieret; vix illâ bibit quum ſomno corripitur & aliquanto poſt evigilans,
» ſenſit ruptum apoſtema, ac febrim ceſſaſſe.

» CXXXVII. Andreas Ximenez incola pagi de las Cuevas propter ſup-
» purationem cruris moveri e lecto non poterat. Auditis mirabilibus ſancti
» Petri, ei ſe commendans, aqua ex reliquiis ejuſdem ulcus lavit, brevique con-
» valuit.

» CXXXVIII. Doctor Laurentius Pinel de Suſa Medicus Arenis propter
» apoſtema in gutture a Medicis relictus Sacramenta Eccleſiæ acceperat, ut
» mortem exſpectaret. Huic adhibitum cingulum ſancti Petri apoſtema di-
» rupit, & ſalutem peperit, atque ex hoc miraculo omnium devotio in ſan-
» ctum Petrum mirum in modum exiode crevit.

» CXXXIX. D. Rodericus de Mendoza, & Sandoval Dux del Infanta-
» do, apoſtema in aure ovi magnitudine habebat, quo vehementer torque-
» batur, nec requiem capiebat. Accepta igitur reliquia quadam ſancti Petri,
» quem ſingulariter venerabatur, eam auri applicuit, mox ceſſante dolore,
» ſomnum cœpit: de hinc ſurgens a ſomno tumorem receſſiſſe, & ſe ſanum
» agnovit, quod a Medicis ac Chirurgis pro miraculo habitum fuit.

» CXL. D. Thomas Lopez Præfectus Arenis, hydropiſi laborans in par-
» te ſiniſtra ventriculi magnum tumorem ſentiebat, qui dolores & eruciа-
» tus afferebat vehementes, adeout de remedio deſperans, uxori diceret,
» omnino ſibi mortem inſtare; cui nobilis mulier confidendum ſibi merits
» ſancti Petri, eique ſerio ſe commendandum, ſi ſalutem cuperet. His ille
» cum magno pietatis affectu ſancti Viri cingulum partem affectam tangens,
» illico ſenſit dolores minui, appetitum cibi redire, quem hactenus faſtidie-
» bat, tandem infra paucos dies omnino ſe convaluiſſe, cum omnium admi-
» ratione & ſancti Petri gloria, viſus eſt.

» CXLI. Catharina Rodriquez Vidua Joannis Rodriquez habitantis in
» oppido Guiſando, pectus occupaverat ſupporatio maligna, quæ ſub brachio
» ad ſiniſtrum latus protendebatur, ac neceſſario a Chirurgis incidenda ju-
» dicabatur; quum miſera mulier inſtrumenta expaveſceret e lecto exſiliens
» in terram ſe proſtravit exclamans: *O ſancte Petre de Alcantara tibi dico,*
» *Sancte benedicte, ut mihi faveas in hac anguſtia, nec permittas me ab iſtis*
» *inſtrumentis attingi*. Mox reliquias Viri ſancti religioſe adhibens vulcus
» aperiri vidit, & fruſtula carnis marcidæ exire; atque brevi agnovit ſe ſa-
» nam evaſiſſe penitus.

» CXLII. D. Catharina de Medrano Incola Arenis per tres menſes con-
» tinuos dentium dolore cruciabatur atrociſſime, eum totius vultus inflam-
» matione. Accepit itaque cingulum ſancti Petri, & cum eo faciem in erucis
» modum ſignavit, ſtatim dolor ceſſavit, & infra quadrantem horæ omnis
» tumor evanuit, quaſi nihil paſſa fuiſſet.

» CXLIII. Aloyſia Centeno Civis Toletana, fauces tumore quodam in-
» flammatas ſic habebat, ut acutiſſimos cruciatus afferret, & caput in ſini-
» ſtrum humerum, cum deformitate detorqueret. Memor ipſa alterius be-
» neficii a ſancto Petro accepti, miſit ad Cœnobium pro ejuſdem ſacris Re-
» liquiis; cum eis accedens Guardianus, & tumorem ſignans, obſtupeſcentibus
» univerſis, viſum fuit guttur detumeſcere extemplo, & caput ad locum
» ſuum redire ſine ullo infirmitatis veſtigio.

» CXLIV. Filius quidam Ludovici Gomez, & Mariæ Lopez de Arenas
» cruciabatur valde a vulnere in crure accepto, cui a Chirurgis ferrum ap-
» plicandum parabatur. Mater vero ad ſanctum Petrum lacrymando confu-
» giens promiſit, ſe cæreum ad ſepulcrum ejus allaturam, & tribus ſextis

„ feriis viſitaturam. Poſtea ad filium accedens, invenit, rupto apoſtemate, „ bene valere, ſimulque cum ipſo ſtatim votum perſolvit.

„ CXLV. Doctori Zavallos Prætori Toletano ex morbo gravi, & vario „ crura adeo intumuerunt, ut lecto hærere cogeretur, & poſt varia tentata „ remedia, ferro tumorem aperire. Dum ergo quadam nocte cogitando „ imminens periculum cui ſe exponebat, ad ſanctum Petrum ſingulari affe- „ ctu devotionis converſus, illi ſupplicavit ut ſibi opem ferret, ne inciſio- „ nem pateretur; certiſque exercitiis pietatis ſe ei pro gratiarum actione ob- „ ſtrinxit; ſequenti mane mirabiliter ſine omni inflammatione, aut ſigno le- „ cto egreſſus ſanus inventus eſt.

Mira cordæ ejus contactu, et cæterarum reliquiarum.

„ CXLVI. Simon Gomez, dum in Sylva quadam cedebat, ex arbore „ in terram eadens duo oſſa in dorſo confregit, quæ maximos ei dolores, „ extremamque triſtitiam afferebant; tandem ſumma fiducia ad auxilium ſui „ ſingularis Advocati ſancti Petri confugit, promittendo ſe cæræ quantitatem „ ad ejus Altare delaturum. Voto vix emiſſo, ſtatim dolor evanuit, ipſe „ quietem cepit, atque die ſequenti e lecto ſurgens, & ad priſtinum exer- „ citium in Sylvam reverſus eſt.

„ CXLVII. Habitabat in oppido de Arenas Rodericus Arias Godivez „ vir ſatis conſpicuus, qui febri continua periculum adierat. Quamobrem ſe „ commendans ſancto Petro, quem ſingulariter colebat, cingulum ejuſdem „ ſibi adferri petiit. Quum autem ille collum cinxiſſet, atque aquæ hauſtum „ ſumpſiſſet, compellando Viri ſancti interceſſionem obdormire viſus eſt; „ quod a multis diebus non fecerat. Ex quo ſomno evigilans, omni febri li- „ ber gratiam a ſancto Petro juxta deſiderium impetravit.

„ CXLVIII. Antonio Gonzalez de Arenas filia erat, cui gravis morbus „ loquelam abſtulerat, & cum accidentibus mortalibus tremores mirandos in „ omnibus membris efficiebat; ſtatim, ac illam cingulum ſancti Petri attigit, „ ſine mora loquelam recepit, & toto corpore convaluit, ſimul ſancto Petro „ debitas gratias reddidit.

„ CXLIX. D. Joanna de Abula habitans Arenis per triginta dies aſſidua „ febri vexata, proxima morti cenſebatur. At recordata mirabilium ſancti „ Petri, ad ejus patrocinium confugit, cingendo ſe ejus cingulo, & vovendo, „ ad ejus ſepulcrum pro gratiarum actione acceſſuram; confeſtim febris re- „ ceſſit, & ſana votum ſolvit.

„ CL. Filia quædam Bartholomæi Sanchez, & Annæ Gonzalez, ſine ullo „ remedio febri continua laborabat; unde Pater ad Cœnobium Fratrum Diſ- „ calceatorum accedens, reliquias quaſdam ſancti Petri adſportavit, & pe- „ ctori filiæ impoſuit cum fiducia reddendæ eidem optatæ ſalutis. Nec ipſum „ ſpes feſellit, ſtatim enim omni morbo liberam, non ſine omnium ſtupore „ conſpexit.

„ CLI. Petrus Velez Incola Pagi de las Cuevas, tertiana duplici uſque „ ad delirium laborabat; itaque ex amicorum conſilio ſancto Petro ſe com- „ mendans, quaſdam ejus reliquias adhiberi ſibi religioſe curavit. Ex qua- „ rum contactu mox omni infirmitate liberatus, pro accepto beneficio hu- „ millimas gratias egit.

„ CLII. Ignis vehemens in quadam Sylva D. Antoniæ de Herruz ſorte „ accenſus venti incremento contiguas Sylvas depopulabatur. Quare vicinæ „ mulieres clamores in cœlum extollentes, auxilium ſancti Petri invoca- „ bant. Venit tunc in mentem memoratæ D. Antoniæ, ſe aliquid de terra „ ſepulcri ejuſdem Sancti habere, quam cito prolatam, flammis injecit. Mi- „ rum dictu! ſtatim illæ extingui viſæ majores in omnium cordibus devotio-

nis

» nis ardores reliquerunt, & Deum in Sancto ſuo admirabilem prædicarunt.
» CLIII. D. Agnes de Cepeda nobilis Toletana filiam habebat propter gravem morbum a Medicis derelictam, itaut animam ageret. Dum agenti animam miniſtrantur ſpiritualia ſubſidia, eidem parum aquæ cum terra ex ſepulcro ſancti Petri miſſa fuit a D. Maria de Paramo. Quam quum devote hauſiſſet, illico febris abſceſſit, atque in ſe reverſa ægrotans omnibus ſummæ admirationis cauſa fuit, ac Deum laudarunt.
» CLIV. D. Joanna Valeriana Arenis nata febri peſtifera poſt aliquot dies ad extremum redacta erat. Animo tamen erecta ex conſideratione miraculorum ſancti Petri, ejus opem cum fiducia implorat. Mox aliquantulum terræ ex ſepulcro ejuſdem aquæ commixtæ bibendo liberam ſe, & recte valentem mirifice agnovit.
» CLV. Franciſcus Fernandez de Fonte Toletanus, morti proximus a Matre ſancti Petri patrocinio oblatus eſt. Et cum tangi eum a reliquiis ejuſdem procuraſſet, confeſtim incolumem recepit.
» CLVI. Franciſcus Godinez de Arenas duo olei dolia habebat, ita colore, ſapore, atque odore pravo corrupta, ut prorſus inutilia æxiſtimarentur, nulliuſque uſui apta, nec pretii. Quod animadvertens ejuſdem uxor, aliquantulum terræ ex ſepulcro ſancti Petri oleo immiſcuit, & ſtatim extrahens, adeo purgatum totum invenit; ut admiratione conſuſa, miraculum ubique prædicaret.
» CLVII. Iſabella Gomez uxor Petri Ximenez, ex Pago Arenal per duos menſes lecto detinebatur a febri continua, quam arte expellere in vanum tentarat. Ergo ad ſanctum Petrum toto corde converſa, quaſdas Reliquias ex Cœnobio Diſcalceatorum obtentas collo impoſuit, & illico ſurrexit incolumis.
» CLVIII. F. Joannes de Leganez Religioſus Conventus ſancti Andreæ, cum vehementer ſe a febri cruciari ſentiret, cum magna fiducia ſe reliquiis B. Patris tangi expetiit, ac ſtatim bene habuit.
» CLIX. Marchioniſſa de Malpica ex ulcere faucibus inhærente, vita periclitabatur: inde auxilium ſancti Petri piis precibus imp'orans, ejus reliquias collo appendit. Mox, quum brevem ſomnum cœpiſſet, expergiſcens ſana abſque ullo offenſionis ſigno Sanctum liberatorem ſuum glorificavit.
» CLX. D. Catharina Maria uxor Didaci Ximenez ex Civitate Toleti, ex febri peſtilenti mortis periculum Medicorum judicio timebat. Sed adhibitis reliquiis ſancti Petri, poſt modicum ſomnum libera evaſit.
» CLXI. Franciſcus Martinez Arenis incola, digitum in manu ſiniſtra adeo morbo vitiatum habebat, ut abſcindendum Chirurgi judicarent; ægrotus itaque ſeipſum cum certa eleemoſyna ſancto Petro devovens, reverenter quaſdam ejus reliquias deoſculatus. Tota ſequenti nocte ſopore refectus, quem per triginta dies ob doloris vehementiam prorſus amiſerat, proximo mane, obſtupentibus Chirurgis, inventus eſt ſanus.
» CLXII. Sebaſtianus de Medina Ephæbus Comitiſſæ de Garzias in Belgium navigans ingentibus procellis jactabatur in Mari, itaut omnes præſens naufragium pertimeſcerent; ipſe vero ſocios ad invocandum patrocinium ſancti Petri exhortans, ſumma in ſanctum Virum fiducia reliquias quaſdam ex ejus veſtimentis in Mare projecit. Vix undas illæ tetigerant, quum fretum exagitatum detumeſcit, & tempeſtas ceſſavit.
» CLXIII. In Civitate Toletana D. Hieronyma de Dios cruciata per duos annos a febri ethyca, vitæ ſpem amiſerat. Soror ejus parum aquæ cui reliquiæ

liquiæ ſancti Petri intinctæ fuerant propinavit; eamque cum magna fide hauſit, eodemque tempore deficit febris, & poſt paucas horas integræ valetudini reſtituta, ſe omnibus exhibuit, eum Sancti glorificatione, & gratiarum actione debita.

CLXIV. D. Franciſcus Gratianus Berrugere Secretarius linguarum apud Regem Catholicum, ob improviſa paralypſi omnibus ſenſibus privatus fuit: ille vero interna cordis elevatione, coram quadam S. Petri imagine ſe eidem ſancto Viro commendat, ſtatimque ad ſe reverſus, intra breviſſimum tempus omnino convaluit.

CLXV. Licentiatus Vargas ex oppido Arevalo, bis febri ſyncopali correptus cingulum ſancti Petri ex ejuſdem loci Cœnobio poſtulavit. Inſuper voto novenam offerens brevi ſalutem recepit; actiſque gratiis, nihil inſuper poſſibile ſe neglecturum, quod nomine ſancti Petri a ſe peteretur, libere ſpopondit.

Oleo lampadis, et aqua miraculosa sanati.

CLXVI. Alphonſus de Frias inflammatione gutturis per octo dies oppreſſus, quæ ob morbi gravitatem in faciem extendebatur cum imminenti vitæ periculo: animatus autem fiducia patrocinii ſancti Petri ſingularis ſui advocati, ad ejus Sacellum adiit, & oleo lampadis guttur inungi fecit; quo facto ſtatim omnis tumor evanuit.

CLXVII. Maria Lopez uxor Blaſii de Ponte habitantis Arenis, filiam habebat annorum duorum nomine Catharinam, hæc fracta cervice ex gravi quodam caſu, caput ſemper in ſiniſtram partem pendens geſtabat. Et quia curari arte humana non poterat, Mater eam ad ſancti Petri per tres ſextas ferias adduxit; ibique ungendo oleo lampadis obtortum filiæ collum, mox in priſtinum locum caput reſtitui, atque erectum ſtare vidit, aperto miraculo.

CLXVIII. Catharina Lopez uxor Alphonſi Palomeri habitantis Arenis, afflictabatur in genu a quodam carbunculo, qui acutos dolores eaufabat; commendavit itaque ſe ardenter ſancto Petro, & oleo lampadis inungens illico ſana evaſit.

CLXIX. Maria de Atienza uxor Petri Stevano Arenis incolæ filium habebat Nicolaum, cui poſt diuturnum morbum inflammatio gutturis acceſſerat cum ardente febri; hic quadam die e lecto ſurgens decidit in terram, Mater accurrens, oleo quod ſervabat ex lampade ſancti Petri, filium inunxit, illique enixis precibus commendavit, ſtatimque inflammatione ac febri remittente adoleſcens convaluit.

CLXX. Anna de Arenas uxor Didaci Gomez Bezino, genu inflammato ab opere impediebatur. Die proinde quadam auxilium ſancti Petri invocans, oleo ejus lampadis partem inunxit, & liberata protinus evaſit.

CLXXI. Joannes Garzia filius Dominici Garziæ Palomero Stephaniæ Garziæ Gomez, ætate quinquennis catharro ita contractus remanſit in nervis, ut nec pedes nec manus movere, aut ſtare, aut ſedere poſſet. Mater conſiliis amicorum perſuaſa, filium ad ſacellum ſancti Petri conductum ſuper ſepulcrum collocavit, oleoque lampadis inungens, dum ſacrum fieri curaret, puer ſponte ſurrexit; nec impoſterum tale quid amplius paſſus eſt.

CLXXII. Puella octo menſium filia Mariæ Munoz de Monbeltran lumborum tenus lepra operiebatur; præter alia quædam ulcera fœtentia & horrida, quæ curationem reſpuebant. Poſt ſexdecim dierum medicamina infructuoſa Parentes ad divina remedia recurrendum eſſe ſtatuerunt. Ideoque ex vera pietate ſancti Petri patrocinium implorantes, aqua quam re-

» reliquiæ ejus attingerant, puellam lavant, & mox cruſtæ ulceram decide-
» runt, lepra exſiccata eſt, nullumque ultra ſui veſtigium in cute puellæ re-
» liquit.

» CLXXIII. Iſabellæ Lopez habitanti Arenis, oleum quod conſervabat
» in propria domo, ita corruptum erat, ut nulla induſtria purgari poſſet, ad
» cœleſte igitur remedium ipſa confugiens ſancti Petri miraculis ſtimulata
» aquam ex ejus reliquiis oleo ſuperfudit, cujus partem pro lampade ejuſdem
» erogandam vovit; eodemque puncto oleum ad priſtinam ſalubritatem re-
» verſum mulieri devotionis præmium rependit.

» CLXXIV. Petrus Sanchez Uſero poſt gravem morbum ad ultimum
» vitæ terminum pervenerat, ipſis Medicis de ſalute deſperantibus. Circa
» mediam noctem, quaſi a lethargo quodam excitatus filio præcepit, ut ex
» Cœnobio Fratrum Diſcalceatorum parum aquæ miraculoſæ protinus af-
» ferret, quod cum filius diligenter præſtitiſſet, bibendaque Patri anhelanti
» propinaſſet, vidit febrim declinare, & intra paucos dies integre ſanum e
» lecto ſurgere.

» CLXXV. Petrus Rama habitans in Arenal, uxorem habebat incura-
» bili morbo oppreſſam; cui poſt varia remedia fruſtra adhibita aquam ſan-
» cti Petri potandam exibuit, ex qua poſt modicum ſomnum, ægrota inte-
» gre ſanata evigilavit.

» CLXXVI. Joanna de Medina Arenis nata, laborabat febri continua,
» cui per triginta dies medicinæ exhibitæ nequaquam profuerunt. Igitur
» ſanctum Petrum invocando, ejus aquam hauſit, brevique convaluit.

» CLXXVII. Dominicus Ximenes incola Pagi de Mombeltran, variis
» acceſſionibus febris continuæ ad extrema redactus, quadam die e lecto
» ſurgens ſepulcrum ſancti Petri adivit, orationem fudit, atque ex aqua, quæ
» ſacras illius reliquias attigerat bibit, totuſque incolumis ad ſua rediit, ut
» gloriam Dei, ac meriti Servi ſui altius deprædicaret.

» CLXXVIII. Beatrix filia Andreæ Manſo ejuſdem loci febri continua
» exagitata moribunda jacebat in lecto. Quamobrem Pater ſancto Petro de-
» votus, ex ejus aqua febricitanti propinavit; qua hauſta, ſtatim eam febris
» deſeruit, & bene illa inpoſterum ſe habuit.

» CLXXIX. Joannes de Fonte Civis Toletanus, peſſime ſe habebat ob
» tertianam duplicem, qua miſere torquebatur. Hinc quadam die ad Cœno-
» bium PP. Diſcalceatorum miſit ad poſtulandam aquam ex reliquiis ſancti
» Petri; quam afferens Guardianus, & ægrotum reliquiis ſignans, febris om-
» nino evanuit.

» CLXXX. Joannes Ximenez habitans in Pago Hornillo, habebat uxorem
» & filium ſexennem ambos graviter laborantes tertiana. Adiit Cœnobium
» ſancti Andreæ del Monte, & allata infirmis aqua ſancti Petri, eam potando,
» ſtatim ſanati ſuere.

» CLXXXI. Chriſtophorus Martinez Salzedo incola Mombeltrani, gravi-
» ſimas anguſtias paſſus erat per multos dies a tertiana duplici: quare ſecum
» deliberabat, priuſquam ultimam medicinam caperet ex Medici præſcripto,
» de accipienda aqua ex reliquiis ſancti Petri licet idem Medicus valde ob-
» niteretur. At inſtante conſtantius ægroto, vas allatum in principio paro-
» xiſmi manibus tenens, dicebat: *Sancte mi advocate Petre de Alcantara tibi*
» *me commendo, & aquam hanc in tuo nomine haurio, ut me a tam longa in-*
» *firmitate promptius liberes*. Vix aquam hauſerat, quum febris ceſſavit,
» & Medico præſenti ſummum ſtuporem attulit.

» CLXXXII. Petrus Velaſquez de Arenas fluxum ſanguinis per aliquot
dies

» dies paſſus vitæ periculum adierat: hinc memor beneficiorum ſancti Viri » ad Guardianum Cœnobii pro aqua ſancti Petri miſit, qua hauſta, dolor » omnis & fluxus receſſit, adeout e lecto ſtatim ſurgere potuiſſet, niſi » debilitas prohiberet; qua non obſtante facellum Servi Dei inviſere voluit, » & votum emiſit, ſe quotannis die ejuſdem tranſitus mendicum aliquem » cibaturum. Mox iterum de memorata aqua bibens, perfecte convaluit.

» CLXXXIII. Joannes Sanchez de Mombeltran vulneratus in manu » nervi incili, periculoſum vitæ ipſius ſtatum ex inflammatione fecerunt. » Uxor Franciſca Gomez de caſu mariti afflicta, pro ejus ſalute ſancto Petro » vovit, velle cum marito ſepulcrum ejus adire, inſuper aqua ex ejus Reli- » quiis manum lavit, & ſtatim eandem priſtinæ ſanitati redditam vidit; nec » cicatricem aliquam vulneris manere. Quo inſigni ſucceſſu valde in illo lo- » co cultus Servi Dei auctus eſt.

» CLXXXIV. Alphonſus Sanchez de Xara, qui morabatur in Pago Gui- » ſando, gregem ingentem caprarum alebat, quarum occulta infectione plu- » rimæ peribant, magno cum Domini detrimento, nec minore dolore. Die » quadam occurrerunt ei duo Fratres Diſcalceati, qui authores fuerunt, ut » ad Cœnobium mitteret pro aqua miraculoſa ſancti Petri, qua aſpergeret » Capras infectas; prontiſſime obediit Alphonſus, & cum fiducia in Virum » ſanctum eas aſperſit. Mox ceſſante morbo, impoſterum gregem amplius il- » le non infeſtavit.

Miracula ex apparitionibus, ex sola intercessione et ex ficu Petrosi plantata.

» CLXXXV. Dominus Auguſtinus Navarrus Burena, Eques Ordinis » Militiæ ſancti Jacobi, ex Civitate Calatayud, gravi morbo in Germania » affectus vita periclitabatur. Hinc quadam nocte ſanctum Petrum ſuum ſin- » gularem advocatum pie invocans, ab ipſo ſibi apparente certior factus fuit, » ſe ex illo morbo nequaquam moriturum; quod quidem ita evenit; enim- » vero contra omnium expectationem, ipſe infra breviſſimum tempus inte- » gerrime convaluit. Non diu poſt idem a Rege Catholico Philippo IV. Me- » diolanum miſſus; inde Secretarius Status, & belli apud Sereniſſimum » Archiducem Auſtriæ Leopoldum deſtinatur. Dum autem in navigatione » verſus Hiſpaniam, horribili tempeſtate concuſſa navis in mare ejicitur, in- » tima cordis devotione ſe ſancto Petro commendat; qui viſibiliter apparens » illi, per brachia ex undis in tutum locum extrahit, ulteriuſque ſecurum » reddit, neminem ex ſuis perituruni, ſed conditionem addidit, ut pro ac- » cepta gratia ſolemne feſtum in perpetuum ageret celebrandum in aliquo » Cœnobio ſui Inſtituti: monuit inſuper ipſum moriturum die infra ſui feſti » octavam, quemadmodum anno MDLVI. Matriti accidit, ubi diem extre- » mum clauſit. Hoc miraculo motus Cappellam Sancto dicavit in urbe Ca- » latayud, dotavitque tot annuis proventibus, quot ſufficerent celebrando » feſto ejuſdem cum magnificentiſſima pompa.

» CLXXXVI. In vita venerabilis ſervi Dei Patris Didaci de Vera Provin- » ciæ ſancti Pauli Diſcalceatorum olim Miniſtri, & totius Ordinis Minorum » Definitoris Generalis narratur, quod cum Romam aliquando pergeret, » timens, ne addita pedum nuditati & infirmæ ſuæ valetudini graviſſima, » qua laborabat, febris ipſum a tanta peregrinatione retardaret, a ſanctis » Petro de Alcantara, & Tereſia de Jeſu, quibus devotiſſimus erat, humili- » ter petiit, ut ipſi a Deo ſufficientes tam longo itineri vires impetrarent. » Exauditus pro ſua devotione Didacus, eos ſibi viſibili ſpecie apparentes » inſpexit, ſibique benigne aſſerentes audivit; *Nihil timendum eſſe, non* » *defuturum ipſi Dei auxillum, felicem itineris ſui finem conſecuturum, licet* » *non penitus reſtituta ejus corpori ſanitate; divinæ namque voluntatis*

eſſe,

» *esse, ut impositam obedientiæ legem, in doloribus & infirmitatibus adimpleret*: quæ omnia ita acciderunt.

» CLXXXVII. Maria Velasquez febri pestilentiali ad agoniam redacta, a Medicis derelicta, & Sacramentis Ecclesiæ acceptis, mortem opperiebatur, cum repente lecto exiliens stupentes adstantes monuit, ut recederent ad quietem, quia per Dei gratiam, & intercessionem sancti Petri bene se habebat; ulterius de modo interrogata, respondit; *dum animam ageret, ex corde Servo Dei se commendasse, qui apparens sibi, ut aridum quadam aqua miraculosa replevisse, qua non modo sitim sed & febris ardorem extinxit*. Vocati igitur Medici miraculi experimentum comprobarunt, lateque famam rei ac sancti gloriam sparserunt.

» CLXXXVIII. Catharina Rodriquez de Arenas inflammatione faucium vexata, nec cibum capere poterat nec quietem: unde quadam nocte vehementius oppressa, domesticorum auxilio frustra adhibito, sola sancto Petro instantius se commendat rogatque, ut succurrat laboranti. In oratione mox obdormiens, per visum sibi apparuit sanctus Petrus cum sancto Francisco, ingenti splendore cubiculum illustrans, illi vero quærenti, quid a se peteret? respondit; *salutem*, at ipse, *a sancto Francisco petas, ut certo tibi a Domino impetret*. Nec mora, eodem momento mulier perfecte sanata, omnibus suis admirationem maximam attulit.

» CLXXXIX. Joannes Rodriquez Montesinos de Arenas iter faciens per quasdam angustias, quas de Arenas nuncupant; ubi nebula, vento ac nivibus infestatus, ægre ad culmen montis penetravit. Hic iterum utrinque nivibus obsessus in auxilium sanctum Petrum patronum suum enixe compellat. Nec mora, videt eumdem præcedentem sibi, per medium nivium, semita quadam nuper aperta; quum tamen per tres menses nullus illac transiisset; ipse vero nullo aut venti aut nebulæ incommodo viam perficiens, beneficii magnitudinem gratiis humillimis semper recoluit.

» CXC. Bernavela de Figueroa, uxor Joannis Rodriquez Civis Toletani, ex febri maligna vitam desperabat; ob id Sacramentis perceptis, duos Viros Religiosos ex Conventu Discalceatorum advocari fecit, qui animam Deo commendarent. Hi quum advenissent, monuerunt ægrotam, ut sancto Petro se ex corde commendaret, & aquam ex ejus Reliquiis bibendam propinarunt. Hac autem accepta, obdormiens mulier; & post horæ quadrantem evigilans vocavit matrem ac materteram voce sonora, dicens: *D. Mater, Sanctus Religiosus, cujus hæc est Reliquia, mihi adstitit prope hunc lectum eo splendore ac pulchritudine, quam optassem, quod vidisset*. Inde accurrentes cæteri clamare cœperunt *miraculum, miraculum*, ægramque sudore aspersam, ac a febri liberam invenerunt.

» CXCI. Franciſca Ponze, uxor Joannis Ximenez, oppidi Algarobillas, anno MDCXXVIII. febrem malignam patiebatur, cum accessionibus mortalibus; servabat autem frustulum ligni ex ficu, quam sanctus Petrus plantaverat in Cœnobio Pedrosi, quod aquæ cyato intingi jubens, statim magna cum fiducia ac devotione illam ebibit. Hoc facto, mulier incolumis evasit, & quod magis admirandum videbatur, aridum illud lignum revirescens globulum fici instar produxit, plurimique deinceps ex ejus aqua salutem hauserunt.

» CXCII. Maria a sancto Josepho Tertii Ordinis sancti Francisci apud se servabat partem ficus sancti Petri, longitudinis unius palmi, sed subtilem. Hanc rogavit ipsa, ut Villicus quidam in arca domus suæ plantaret, quia confidebat in ficum arborem fructuosam evasuram; at Villicus ligni conditio-

» tionem, ac hyberni temporis importunitatem expendens, impoſſibilem & » ineptam plantationem arguebat, mulier vero ſpei ſuæ ac deſiderii cauſas » inculcans, tantum effecit, ut particula illa defoderetur; quam ſequenti » Martio menſe radices egiſſe, folia emittere, atque ut cæteras ficus creſce- » re, non ſine ſtupore ſubinde vidit. Hæc poſtea in Cœnobio Diſcalceatorum » translata, ejus fructus multorum infirmitatibus ſalubres ad hanc diem con- » tinua experientia celebres omnium devotioni exhibentur.

» CXCIII. Religioſus quidam Prædicator in Cœnobio Diſcalceatorum » beatæ Virginis de Cardilleo, febribus magnis ultra duos menſes vexaba- » tur, & poſt multas horas cibum indigeſtum evomebat, Medicus inſuper » perperam ægrotum curando, malum cum periculo vitæ auxit. Hinc con- » venientius ſibi ducens pulveres quoſdam ex ficu ſancti Petri ſumere, eoſ- » dem a Guardiano petiit; ac ſancto Viro ſe devote commendavit, vovens, » ſe ejuſdem imaginem ſemper habiturum prope lectum, & aliquot præces » quotidie recitaturum, ſi ſalutem ſibi redderet, aut bonam mortem, prout » ſi magis expediret, a Deo impetraret. Inde ſumta aqua cum immixto pul- » vere, cœpit intra ſe dicere; *Utinam Deus vellet me pro ſuo ſervitio iterum* » *ſanitate donare: utinam talem evacuationem habere poſſem, ut nihil humo-* » *ris maligni, quem patior, remaneat.* Alia inſuper multa mente revolvebat, » quæ infra breves horas omnia ſibi proſpere eveniſſe, poſtea Religioſis Viris » narravit cum ſumma ſancti Petri veneratione, cui id acceptum ferre fate- » batur.

» CXCIV. In Civitate Legionis devotiſſima ſancti Petri infirmabatur quæ- » dam cognomine Bayarda, de Fratribus Diſcalceatis optime merita, cui » mors finem accelerabat; quum a duobus Fratribus Guardiano nunciatum » fuiſſet, miſit eidem ex pulvere fici, quo illa accepto, integre convaluit.

» CXCV. Benedictus Ximenez Ponze, ex oppido Garovillas, digitum » habebat ulcere peſſimo infectum, & Chirurgi inſcindendum judicarant; » ſed infirmus abſciſſionem expaveſcens, faciliorem a ſancto Petro eurationem » expectabat. Itaque ad Cœnobium Pedroſi accedens, ſuper Altare » quod in cella, quam habitarat Sanctus, erectum erat, digitum poſuit pie » orando, ut ſe a Chirurgorum manibus liberaret; poſtea domum reverſus » Medico & Chirurgo digitum faſciis obligatum eurandum præbens, ab iiſ- » dem ſine ulla cicatrice inventus eſt ſanus.

» CXCVI. Licentiatus Michael Hernandez de Valverde, quum graviſſi- » mum morbum pateretur, ei Clericus quidam amicus, medium ficum ex » arbore ſancti Petri comedendum offert. Quo accepto melius ſe habere ſen- » tiens, pro gratiis feſtum in Cœnobio Manxarretes celebrandum magnifice » paravit. Illuc itaque patrem ac propinquos condueens, tot tantoſque alios » ultro conveniſſe invenit, ut vix tertiæ parti ſufficere cibaria præparata vi- » derentur, prout juramento firmavit. At ne cœleſtia prius quærentibus, » temporalia deeſſent, providit ſanctus Petrus, ut multiplicando præparata, » multæ reliquiæ ſupereſſent, quæ omnium devotionem & admirationem » auxerunt.

» CXCVII. Martinus Carrero ex pago de la Dehesa, beneſactor ſancti Pa- » tris Franciſci decumbebat febre, & gutturis inflammatione moleſtiſſima, » propter quem duobus diebus vix ſputum emittere poterat, aut aquam bi- » bere; proinde ſummo ardore conſumabatur. Acceſſit interea Religioſus » quidam ex Cœnobio de Arevalo, qui ægrotum percontatus, an devotio- » nem aliquam ad ſanctum Petrum haberet? Cui ille quum nunquam tali » Sancto ſe commendaſſe reſpondiſſet, admonitus fuit, ut ſe eidem enixe

com-

„ commendaret, & novenam cum fiducia ſalutis voveret, quo citius inter-
„ ceſſionis beneficium obtineret. Inde vas aquæ expoſtulans Religioſus, cru-
„ cem quandam ex ficu ſancti Petri immittens, bibendam ægroto exhibuit.
„ Qua auſta ſine difficultate, ovum etiam ſorbuit, & cætera omnia, quæ gu-
„ ſtanda dabant, facile deglutivit: adeo ut ex illa hora tam gutturis inflam-
„ matio, quam febris ardor penitus deſerit, & ad reddendas liberatori ſuo
„ gratias liberum ſanumque relinquerent.

„ CXCVIII. Incolæ oppidi de Arenas afflicto valde mœrebant ob plu-
„ viam continuam quinquaginta dierum, quæ a camporum cultura, cætera-
„ rumque ſuarum rerum cura eos domi inutiles detinebat. Qua de re quum
„ vocato conſilio decretum fuiſſet, ut ſacra proceſſio fieret, geſtando corpus
„ ſancti Petri, quo Deum placarent. Vix in publicum prodiit ſacrum pignus,
„ quod viſæ ſunt nubes aquis gravidæ evaneſcere, & Sol ſerenus univerſi po-
„ puli oculos exhilarare. Ob id univerſi laudes Servi Dei, ejuſque favores
„ gratis vocibus decantarunt.

„ CXCIX. Anno MDCLXI. idem oppidum Arenarum, ejuſque vicinos
„ campos diuturna ſiccitas affligebat, atque arvis & paſcuis ſterilitatem ſum-
„ mam & extremam afferebat. Cives nativa patriaque devotione ac pia fidu-
„ cia ſanctum Petrum acclamando, ejus auxilium tam ingenti neceſſitati op-
„ portunum exiſtimarunt implorandum, ſtatuunt proinde die Dominica in-
„ fra Aſcenſionem Domini, ſacra Oſſa, quæ apud ſe ſervari magna venera-
„ tione gaudebant, in publicum deferre, quo ejus patrocinio divina clemen-
„ tia ſolemnius exorari valeret. Itaque deſtinata die, quum ſacrum Corpus
„ reverenter ſuper primorum humeros in publicum deferretur, obſcurari
„ cuncta nubibus viſa ſunt, quæ priuſquam Proceſſio deſtinata loca circumiiſ-
„ ſet, ingentem imbrem effuderunt, atque ultra octingentos homines, qui
„ illuc convenerant, tamen ſingularis beneficii participes ac teſtes fuiſſe pu-
„ blico inſtrumento pateſactum eſt. Exaudiente Domino preces ſervorum
„ ſuorum, quibus poteſtatem etiam dedit Cœlos clauſos aperire, & terram
„ fœcundare fructibus in tempore opportuno.

„ CC. Fr. Didacus de Arenas, adhuc puer undecim annorum, de nuce
„ in terram cadens peſſime corpus contudit; & femur ligno quodam præa-
„ cuto transfixit; timens proinde mortem, ex corde auxilium ſancti Petri
„ invocavit, & per tres horas ſine alicujus ope in terram manſit. Poſtea a
„ quibuſdam advenientibus domum relatus, a Chirurgo ſine læſione ulla in-
„ ventus fuit, nec ipſe dolorem aliquem exinde ſenſit.

„ CCI. Idem pene evenit Joanni Ximenez, qui ex arbore, quam aſcen-
„ derat pro ramis ſecandis, non pronus in ſubjecta ſaxa, ſed rectus in ter-
„ ram ſine offenſa decidit, idque invocando auxilium ſancti Petri, cui bene-
„ ficium acceptum retulit debitas gratias reddendo.

„ CCII. D. Aloyſia de Villagra, quæ habitabat in pago Monbeltran, fe-
„ bribus vexata gravibus, nullo remedio curari poterat. Memor itaque alte-
„ rius gratiæ a ſancto Petro acceptæ, ejus ſepulcrum ſe viſitaturam promiſit,
„ ibique confeſtim ſanitati reſtituitur.

„ CCIII. Maria Gonzalez de Arenas, ultra annum quartanam dupli-
„ cem paſſa, ſine aliquo levamine, quadam die magna fiducia erga ſanctum
„ Petrum excitata, nudis pedibus ad Eccleſiam S. Andreæ Diſcalceatorum
„ viam ingreditur. Erat tunc frigus intenſius, & eunti dolores cum difficul-
„ tate augebat, ita ut media quaſi via ſubſiſteret. At ipſa animata iter proſe-
„ quens, quodcumque incommodum patientia ſuperat, donec ad ſacellum
„ S. Viri poſt brevem orationem, ſanam ſe ac vegetem mirabiliter invenit.

CCIV. In Cœnobio Patrum Diſcalceatorum Civitatis Legionenſis laborabat quidam Murator ex Montibus. Hic a febribus impeditus, operis lucrum propriæ familiæ ſuſtentationi afferre propter debilitatem ultra nequibat: Itaque adiens fratrem Martinum a ſancto Joſepho tunc Guardiano illius Conventus, Miſſam in facello ſancti Petri celebrari petiit, cui ipſe intereſſet, commendans ſe ejuſdem patrocinio, quod a pluribus celebrari audierat. Poſt auditum Sacrum acceſſit ad Guardianum, quem cum nobili quodam in clauſtro invenit; ac præ gaudio exultans, dixit; *Pater ſcias me, dum in facello Sancti orarem, acutum quemdam dolorem in humero ſenſiſſe, nunc autem ſanus optimeque habens, gratias tibi maximas pro charitate reddo.*

DE LABORANTIBUS DOLORE LATERIS, URINA &c.

CCV. Joannes Martinez Spina adeo vehementi lateris dolore correptus fuit, ut deliquium pateretur; quod advertens ejus frater, reliquias ſancti Petri, quas apud ſe habebat, adhibuit patienti, quo facto, ille obdormiit, indeque evigilans ſanatum ſe agnovit.

CCVI. D. Mentia Daza eodem morbo vehementer vexabatur; dum autem maritus ejus quadam die ſancti Petri admiranda legeret, ſpem concipiens, aliquam etiam ſibi gratiam largiturum, genua flectit, & viva fide illius auxilium apud Deum pro uxoris ſalute expoſcit. Statim comperit eam ſuaviter obdormiiſſe, quæ paulo poſt expergefacta, nullum ultra dolorem aut incommodum paſſa eſt.

CCVII. Gabriel Lopez Arenis incola, quadam nocte acutis doloribus lateris fuit affectus, quibus inquinarum acceſſit inflammatio, quæ requiem auferebant; poſt varia medicamenta fruſtra adhibita, quumque ſancto Petro cum voto viſitandi ejus ſepulcrum obtuliſſet; ſtatim dolores evanuerunt cum inflammatione, & ipſe libere officio ſuo functus eſt.

CCVIII. Joannes Sanchez Vaquero habitans in pago Guiſando, hyemali tempore, dum una cum ſuis ad ignem calefieret, doloribus correptus intenſis in terram vix non inanimis concidit; Uxor cujuſcumque remedii neſcia, magna cum fiducia interceſſionem ſancti Petri compellat; factaque brevi ſed ferventi oratione, vidit maritum ſe erigere, & ſine ullo doloris ſenſu debitas ſancto Patrono ſuo gratias agere.

CCIX. Joannes de Olmedo iiſdem doloribus per aliquot dies miſerrime vexabatur, nec levamen aliquod ex remediis ſentiebat. Quamobrem apponens lateri quaſdam Reliquias ſancti Petri, quas uxor ſervabat, ſanus confeſtim evaſit.

CCX. Maria Ximenea gravi morbo ac doloribus oppreſſa per tres menſes ob virium defectu in lecto ne quidem moveri poterat. Unde emiſſo tandem voto adeundi ſepulcrum ſancti Petri, ſtatim convaleſcere cœpit, & poſt quatuor dies baculo ac filiæ innixa, ad Cœnobium ſe tranſtulit; ubi in ſacello Servi Dei orans integre liberata, vegetior, nullo juvante, domum reverſa eſt.

CCXI. Chriſtophorus Martinetius Salzedo, incola Mombeltrani, variis corporis doloribus agitabatur, quibus per octo dies fruſtra humana remedia queſivit. At vero ſtatuens, quo poſſet meliori modo ad Cœnobium Diſcalceatorum ſe transferre, quum illuc ægre perveniſſet, aliquandiu in cappella ſancti Petri oravit, & tangi ſe Reliquiis ejuſdem devote expetiit; quo facto, eodem temporis momento ſine dolore aut alio impedimento ſanus domum regreſſus eſt, atque omnibus notis admirationem attulit.

CCXII. Eliſabetha Morena uxor Juliani Garzia ex oppido Alcolea diœceſis Toletanæ, per ſex annos ſine ullo remediorum levamento difficul-

» cultatem urinæ passa fuerat. Quadam die ab amica persuasa, ut sancto Petro se commendaret; & oleo lampadis ejus inungi curaret, postquam ter » symbolum recitasset, promisit se pedibus nudis sacellum Viri sancti visitaturam, & Missam celebrari curaturam, mane sequenti dolores ultra non » sensit, sed inter magnam sanguinis copiam calculum magnitudinis ovi anserini emisit, quem dimidiæ libræ pondere in manu gestans excurrit ad vicinos, & miraculum Servi Dei universis pie nuntiavit. Quod quidem magis confirmari Chirurgi fecerunt, qui hujusmodi petram naturæ viribus » ægrum non potuisse, constanter asseverarunt: mox liberata simul cum Marito voti debitum magna cum lætitia Sancto persolvit.

» CCXIII. Maria Blasquez filium habebat undecim annorum laborantem calculis, cui per sex annos medicamina studiose adhibita nihil profuerunt. Ipse proinde moræ, ac infirmitatis pertæsus cum magna fiducia ad » sancti Petri auxilium confugit, offerens Missam, & peregrinationem ad ejus » sepulcrum; ubi vero reliquias ejusdem sancti Viri sibi adhiberi curasset, » sanus evadens, ad solvendum votum viæ se tradidit.

» CCXIV. Franciscus Gomez, qui habitabat in oppido sanctæ Crucis, » diœcesis Abulæ, per quatuor annos urinæ molestiis torquebatur. Quare » Amita ejus Isabella Lopez commiserando eidem, salutem ejus sancto Petro enixe commendabat, vovens, se ejusdem sacellum cum munere visitaturam. Domum ergo rediens, invenit Franciscum doloribus liberatum, » nec amplius iisdem afflictum vidit.

» CCXV. Hieronyma Garzia filia Joannis Sanchez Garziæ, & Catharinæ Blasquez, cancrum in ore alebat, qui maxillam fere totam corroserat, » & ideo a Chirurgis incurabilis habebatur. Parentes morbi gravitate commoti eam patrocinio sancti Petri commendarunt, cum voto visitandi ipsius » sepulcrum. Mox cancer evanescens infra paucos dies juvenem omnino liberam reliquit.

» CCXVI. D. Franciscus filius D. Joannis Benegasi de Arenas, quatuor » annorum, eodem morbo laborans, desperabat de remedio. Quamobrem » D. Maria de Mescua ejus Amita, pro salute nepotis votum emisit de offerenda ad sepulcrum sancti Petri imagine cærea, & exaudita est.

» CCXVII. Maria Sanchez uxor Christophori Martin Salsero ex Pago » Mombeltrani assiduo dolore mamillæ sinistræ torquebatur, adeout Chirurgi timerent, ne serpendo ad pectus cancrum generaret; tanto exterrita » periculo Maria sancto Petro anxie se commendavit, pii etiam operis edito » voto. Quo quidem emisso, confestim liberam se, ac sanam invenit.

» CCXVIII Joannes de Cepeda, & D. Catharina de Baldenebro amarissime deflebant proximam mortem filiæ Mariæ duorum annorum; itaque » dum hæc in agone esset, Mater votum emisit de offerendo Conventui sancti Petri tantum grani, quantum filia ponderis habebat, si salutem recuperasset. Mox illa oculos aperiens, cibum gustare cœpit, brevique perfectæ sanitati restituta fuit.

» CCXIX. Franciscus Montero, & Catharina Pezel filiam Mariam annorum quatuor, longo tempore ægrotam habuerunt, cui Medicus vix dimidiæ horæ terminum vivendi illi reliquum prædixit. Unde in lacrymas effusi Parentes, altioribus vocibus patrocinium sancti Petri magna cum fiducia invocant, tum etiam piam peregrinationem ad ejus sepulcrum vovent; » hoc facto, statim puellam melius habere, & brevi integre convalescere » visa, Liberatori pro gratiis oblata, Parentum mœrorem in gaudia convertit.

» CCXX. D. Maria de Frias ex oppido Arenarum, annorum quatuordecim, per ſex annos febri ethyca conſumpta cum morte luctabat. At voto a » Parentibus edito, ægrotans illico a febri libera, tum ab omni morbi affectione poſt breve tempus immunis remanſit.

» CCXXI. Franciſcus Gomez Guadalupe ex Mombeltrano, ob dentium » cruciatum ad Eccleſiam Matris Dei accedere coactus fuit; hic per integrum » diem ſine levamine perſeverans, ſancti Petri de Alcantara memor, oculos » ac voce in cœlum extollens; *O S. P. Petre de Alcantara ora pro me Deum.* » Quibus dictis, ſtatim dolor ceſſavit, & paulo poſt ſanus domum revertitur.

» CCXXII. Catharina Saravia de Arenas coxendine in latere ſiniſtro » ægrotabat, nec ſublevari poterat Medicorum ope, vel humano remedio. » Quapropter medelam a ſancto Petro requirens, voto ſe obſtrinxit viſitandi » ejus ſepulcrum, & aperto miraculo confeſtim convaluit.

» CCXXIII. D. Anna de Salazar habitans in Mombeltrano, gravi morbo ad mortem properabat, dum autem omnia funeri ducendo præparabantur, ejus famula Dominæ ſortem commiſerans, ad Cœnobium Fratrum » Diſcalceatorum eleemoſynam miſit, ut in ſacello ſancti Petri Miſſam pro » moriente celebraretur. Redeunte vero domum nuncio, cum ſumma lætitia & admiratione novit, ægrotam juxta durationem Miſſæ, ſalutis etiam » gradus adeptam eſſe, & tandem optime convaluiſſe.

» CCXXIV. In oppido de Arevalo D. Barbara uxor Licentiati Vargas a » Medicis deſerebatur ob febrem malignam, quæ ipſam ad extremum vitæ » terminum adduxerat; acceſſerat forte Guardianus Diſcalceatorum viſitandi officio, eaque occaſione, ut ſancto Petro ſe commendaret ſuadit; ipſa autem de Sancti reliquiis exquirente, protulit particulam baculi, & aquæ » immiſit, ut ipſa biberet. Tam fauſto hoc omine ſucceſſit, ut ægrota, obſtupeſcentibus Medicis, hauſta aqua, ſtatim ab omni febri atque periculo » liberata conſurgeret, & Maritum pro reddendis Deo ac ſancto Petro gratiis ad Cœnobium læta comitaretur.

Proles Conjugis obtinent, et mulieres a partus periculo liberantur.

» CCXXV. D. Clara Centuriona filia Marchionis de Monaſterio, per » ſex annos prole caruit propter quandam infirmitatem, quæ Medicorum judicio putata eſt incurabilis, quadam die acceſſit ad ſepulcrum ſancti Petri, ibique deinceps novenam abſolvit. Ab hinc paucis poſt diebus gravida » evaſit, ac ſuo tempore fœliciter filiam peperit, quæ poſtea Marchioniſſa » Monaſterii fuit, ac in beneficii memoriam, filia ſancti Petri de Alcantara » nuncupabatur. Comes Pignorandæ, quia prolem non habebat, cum Conjuge per viam longam nudis pedibus adiit ſepulcrum ſancti Petri eidem ſupplicans, ut filios ſibi a Deo impetraret. Non diu poſt uxor concipiens, maſculum feliciter in lucem edidit; cujus effigiem pro gratia ambo ad Cœnobium detulerunt.

» CCXXVI. D. Petrus de Vega, & Loayſa, & D. Maria Tuſinno Conjuges habitantes in Mombeltrano, a ſexdecim annis ſine prole vivebant in » magna triſtitia. Ob id ſepulcrum ſancti Petri religioſe viſitarunt, & poſt » novem menſes filium maſculum obtinuerunt, cui pro beneficio Petri nomen eſt impoſitum.

» CCXXVII. Joannes a Ponte, & Angela a Palazios conjuges nobilitate » & opibus conſpicui in oppido Corral de Almaguer; cum per duodecim annos nullam prolem ſuſtuliſſent, voverunt ſe Altare erecturos Deo in honorem ſancti Petri, ſi liberos impetraſſent. Itaque expleto voto, prædicta » Angela concipiens, debito tempore maſculum peperit, cui ob beneficium » Petri nomen inditum fuit.

Anno Christi 1562.	Pii IV. anno 3.	Ferdinandi I. Imp. anno 5.	Religionis Minorum anno 355.

» CCXXVIII. In oppido Empudia morabatur D. Alphonſus Gonzalez » nepos Archiepiſcopi ſancti Jacobi & de Burgos, ad quem accedens Religioſus quidam Diſcalceatus Prædicator, ob viri amicitiam de rebus familiaribus loquebatur. Ille omnium felicem ſtatum enarrans, de prolis defectu poſt octennii conjugium vehementius conquerebatur: ad quæ idem Religioſus, tanquam facile remedium illi ſuggerens, hortatus eſt utrumque Conjugem, ut voto ſancto Petro ſe obſtringerent, videlicet die decima nona menſis Miſſæ ſacrificium Deo in illius honorem offerrent; in ejus feſto peccata confiterentur, ac communicarent; tum etiam aliquibus ægenis cibum, & eleemoſynam largirentur. Quod quidem cum illi libenter præſtitiſſent primum devotionis ſuæ fructum D. Alphonſus percepit; quum in ejuſdem Sancti die feſto a quodam catharro graviſſimo liberatus eſt; uxor poſt aliquos menſes filiam pareret, quam ſæpe tanquam ſuam ſancto Petro offerre ſolebat, & ipſa licet adhuc tenella ſingulari religione Sanctum colebat. Aliquando vero quartana febre laborans, die feſto ejuſdem Sancti rite a Parentibus pie celebrato ſanitatem recuperavit, & impoſterum ſanctum Petrum domus ſuæ tutelam ſingularem gerere aliis in rebus agnoverunt; nam ultra præterita beneficia, ſequenti anno eiſdem Parentibus filium maſculum ſanctus Petrus a Deo impetravit, ut voti liberalitati præmii munificentia reſponderet.

» CCXXIX. In oppido Arevalo Licentiatus Vargas cum uxore D. Barbara, ſummo ſtudio ſanctum Petrum colebant, & ideo varios ab eo favores impetrarunt; afflicti autem de importuno deceſſu filiorum, qui quaſi omnes in cunabulis moriebantur, voverunt ſe velle eos ex peculiari devotione Religioſæ familiæ habitu induere, quum primum annos pueritiæ attigiſſent. Quod poſtquam præſtitiſſent, impoſterum nullus filiorum immature deceſſit.

» CCXXX. D. Anna de Bazan Comitiſſa de Garzias per intervalla quatuor filios mortuos pepererat; ideoque de altero quem gerebat in utero valde ſolicita non ſine cauſa eandem ſortem prætermiſcebat. Quadam die viſitando Comitiſſam de Oropeſa, ab eadem perſuaſa fuit, ut confidendo meritis ſancti Petri ejuſdem patrocinio ſe commendaret; cui illa conſilio pie inhærens, opportuno tempore filium maſculum feliciſſime in lucem edidit. Hic poſt biennium ex morbo quodam ad extrema redactus, Parentibus novæ ſupplicationis occaſionem, & ſancto Petro novi beneficii materiam præbuit; Mater enim ad validum patrocinium ſui advocati ſerio confugiens, dum in Eccleſia Miſſam celebrari faciebat, nuntium accepit, puerum contra omnium ſpem ſomnum cœpiſſe, & poſtquam domum ipſa rediit, vidit integre ab omni morbo ſanatum; unde valde affecta deinceps uſque ad obitum erga ſanctum Petrum permanſit, devotionis ejus propagatrix ſtudioſiſſima fuit, & poſt mortem corpus ſuum ab Abula Matritenſi ad Cœnobium Arenarum deferri, atque in ſacello Sancti ſepeliri ex teſtamento juſſit.

» CCXXXI. Gratia de Villalobos uxor Petri Gomez Macotela habitans Arenis in quodam partu difficili de vita periclitabatur. Quare ad ſanctum Petrum ſupplex accurrens, ejus cingulum petiit, ut periculum vitaret. Hoc itaque præcincta facile filium maſculum enixa eſt, qui ab omnibus pro mortuo habebatur; at ubi eum quoque idem attigit, convaleſcens Matri duplicis gaudii, & gratiæ argumentum attulit.

» CCXXXII. Idem contigit Petronillæ del Valle ejuſdem loci, quæ per quindecim dies doloribus partus cruciata a vicino mortis periculo per contactum cinguli ſancti Petri liberata fuit. CCXXXIII.

» CCXXXIII. Maria Blaſquez uxor Joannis Gonzalez, ex conſilio cujuſdam amici cingulo ſancti Petri præcincta, feliciter peperit; quum extremo periculo proxima judicaretur, & a Chirurgis aperienda. Unde alia vice hujus beneficii memor ſanctum Petrum invocando difficilem partum expeditiſſime edidit.

» CCXXXIV. D. Beatrici de Olmedo uxori Joannis de Xubera, & Petronillæ del Valle conjugi Joannis Martinez de Olmedo, ſicut, & Mariæ Flores uxori Franciſci Gomez in partu periclitantibus, ſancti Petri cingulum, ac devota invocatio, & vitam & prolem miraculoſe donavit.

» CCXXXV. Maria Lopez uxor Didaci Gomez, & Catharina Ramos difficultate partus diu cum morte luctabantur; quum allatus S. Petri cingulus, parturientes fiducia illius patrocinii ejuſdem animavit, & adhibitus laborantibus, ipſæ fœtum feliciter emiſerunt.

» CCXXXVI. Filia quædam Franciſcæ Blaſquez de las Cuevas, incipiendo fœtum eniti, vix non animam exhalabat, cum in tanta anguſtia varios Sanctos invocaſſet, & ejus Mater nudis pedibus varias Eccleſias viſitaſſet; tandem filiæ ſuaſit, ut ſe ſancto Petro ex corde commendaret, qui illo potiſſimum tempore varia ſuis devotis beneficia præſtabat. Itaque dum parturiens affectu, Mater opere Sanctum invocant, ſtatim ambæ exauditæ, deſiderii ſui effectum impetrarunt.

» CCXXXVII. Mulier quædam Arenis, dum partui vicinæ febri acceſſione aggravaretur, audito quodam beneficio per aquam ex reliquiis ſancti Petri cuidam morienti ex Arrojo Caſtanno conceſſo, pro ea ad Cœnobium citiſſime miſit. Hic vero ſumta, mulieri ſanctum Petrum cum magna fiducia invocanti, febris extincta eſt, & præſens periculum evaſit.

» CCXXXVIII. D. Anna de Buſtos, & Zepeda in oppido Tordeſillas Caſtellæ Veteris degens, anno MDCXXXI. Maritum amiſerat, & paucis inde diebus partus doloribus preſſa, ex invocatione Beatiſſimæ Virginis Dei Mariæ ante ipſius imaginem *della Penna* nuncupatam ab imminenti periculo liberata eſt, fœtumque edidit ſanum & integrum; ſed tanta cum ſanguinis effuſione & totius corporis commotione, ut viribus deſtituta, ex Medicorum judicio ſenſim periret. Acceſſerat ad eam ſorte conſolandam Guardianus ſancti Franciſci Diſcalceatorum ejuſdem oppidi, qui ſortis ejus miſertus varia pietatis conſilia ſuggeſſit, inter cætera vero ſuaſit, ut quolibet die decimo nono menſis in honorem ſancti Petri ſacrum fieri curaret, & in ejus feſto ſacramentis Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſe muniret; inſuper, ut pauperes aliquot cibaret, & tandem aquam biberet, in quam ipſe reliquias ſancti Petri immiſiſſet; his ſummo affectu a pia muliere approbatis, aquam bibens, materiam quandam albam evomuit, quæ Medico præſenti optimum indicium ſalutis tribuit, nec feſellit eventus; illico ſiquidem ceſſavit vomitus, cæteraque incommoda, donec ægrota intra paucos dies integre convaluit. Quadam igitur die, quum pro eadem viſitanda forte Medicus una cum Guardiano conveniſſet, a priori dictum fuit, illam ſalutem ſuam merito B. Virgini *de Penna* adſcribere debere; ab altero autem Dei Matri omnium Sanctorum interceſſiones adſcribi: ſed illa occaſione videri eam voluiſſe ſervo ſuo ſancto Petro reſtaurandæ ſanitatis illius gloriam relinquere; cum a momento acceptæ aquæ, & emiſſi voti morbi mutationem experta fuerit. Ad quæ ipſa, plurimum ſe B. Virgini debere confeſſa eſt, nullamque de ſancto Petro mentionem fecit; & ſic aliquantulum Guardiano ingrati animi ſuſpicionem ingeſſit. Inde ad Cœnobium rediens minus recte facti curatæ mulieris memoriam, non ſine admiratione & triſtitia re-

co-

„ colebat. Sequenti mane cum forte ad prædicandum properaret, accedens „ nuncius memoratæ Annæ inſtabat, ut ſine mora ad eandem rediret, eo quod „ priores vomitus, & ſanguinis profluvium ægrotanti rediiſſent; ad quæ hæ„ ſitans aliquantiſper Guardianus, quid factu opus eſſet cogitans, nuncium „ celeriter ſequi ſtatuit. Quum ergo mulierem valde afflictam inveniſſet, „ admiratus cauſam quæſivit tam repentinæ mutationis; illa vero ingrati „ animi ſui erga ſanctum Petrum culpam ingenue deſignans, novoque voto „ viſitandi ejus ſepulcri ſponte ſe obſtringens; aquam (per quam prius ſalu„ tem impetrarat) iterum dari ſibi popoſcit. Hac ſumpta, noviſque monitis „ ad impetrandam petitam a ſancto Petro opem inflammata, ægrota mox ad „ meliorem ſtatum revertitur, brevi autem poſt ad ſolvendum votum debi„ lem ſe adhuc ad Cœnobium deferri curavit. At vero ubi expleta novena „ perfectam ſanitatem recuperavit, beneficii per Servum Dei accepti præco „ ſerventiſſima, & aliis ſalutis occaſio fuit; multis enim ægrotis ſui remedii „ experimentum ſuggeſſit efficaciſſimum: parique feliciter D. O. M. ſuppli„ cantium preces audiens, ſancti Petri meritum novis miraculis manifeſtavit.

„ CCXXXIX. D. Mariæ de Paramo habitanti Toleti, poſt febrem ſe- Sanati a Pe„ ptem menſium cum intimis doloribus, puſtulæ quædam eruperunt, ex tri. „ quibus Medici ægrotæ mortem præſagiebant; quapropter de remediis hu„ manis deſperans, magnaque fiducia ſancti Petri auxilium implorans, aquam „ cum terra ex ejus ſepulcro commixtam ebibit, & ſanitatem recuperavit.

„ CCXL. Catharina de Strada, Arenis habitans, febri maligna per vi„ ginti dies conſumta, ex indiciis puſtularum mortem propinquam timebat; „ tanto eo magis, quia, Medicis ſuadentibus, Sacramentis ſe munierat. Ideo „ ex animo ſe ſancto Petro devovens de viſitando ejus ſepulcro, divinumque „ inibi Sacrificium celebrari faciendo conſtituit, mox febri minuta, poſt pau„ cas horas perfecte ſana inventa eſt.

„ CCXLI. Ludovicus de Frias Arenis Incola, poſt aliquot dies febri ma„ ligna gravatus, puſtulas emiſit, quæ periculum vicini obitus indicarunt. „ Ejus matertera D. Catharina de Frias religioſe cingulo ſancti Petri cinxit „ eum, ſtatimque puſtulæ evanuerunt, & febris receſſit.

„ CCXLII. Didaco Calvo annorum quindecim, habitanti in urbe Tole„ ti, lethargo & febri oppreſſo, aqua ex Reliquiis ſancti Petri ad bibendum „ oblata fuit, quæ eum a febri liberum poſt tres dies perfectæ ſaluti re„ ſtituit.

„ CCXLIII. Ferdinandus Ochoa, ex Mombeltrano filium habebat „ ejuſdem nominis, quem poſt quintum diem febris maligna cum vomitu & „ puſtulis morti proximum conſtituit. Ideo parentes ardenter ſancti Petri po„ ſcentes auxilium, obtinuerunt, ut die ſequenti infirmus ſine febri & inte„ gre ſanus ſibi redderetur cum aperto miraculo.

„ CCXLIV. Catharina Gomez de Mombeltrano maritum Joannem Fer„ nandez Montero febri maligna ad extrema redactum habebat, propter vo„ mitus, deliria ac cordis palpitationes. Quamobrem Medicorum conſiliis „ deſtituta, patrocinio beati Patris ſe commiſit; & ex aqua ejuſdem marito „ propinavit, votumque de viſitando ejus ſepulcro emiſit. Confeſtim illum „ febris deſeruit, & brevi promiſſa ſoluturus perrexit. Simile beneficium „ ſanctus Petrus filio ejuſdem Joannis præſtitit, cui poſt ſeptem menſium „ ardentiſſimæ febris ſalutem contulit potu ſalutaris aquæ.

„ CCXLV. Filius D. Marianæ de Fonte ob febrem malignam morti „ proximus; eum mater omni humana ope deſtituta, ad ſancti Petri patroci„ nium confugit. Enimvero ſacris ejus Reliquiis aquam benedicens, filio cum

fidu-

» fiducia bibendam exhibuit. Qua multis præſentibus hauſta, infirmus, iiſ-
» dem obſtupeſcentibus, ſanus ſurrexit.

» CCXLVI. Filia Mariæ Romanæ & Alphonſi Gomez de pago ſancti
» Stephani annorum duodecim, febri acutiſſima graviter affligebatur. Unde
» poſt aliquot dies præ dolore lacrymas fundens, matrem ad has voces pro-
» vocavit; *Filia quid a me vis? Unicum tibi remedium ſperandum reſtat a*
» *glorioſo Patre Petro de Alcantara, cui ex intimo cordis te commenda.* Mox
» aquam ex Sancti Reliquiis porrigens, reliquit puellam ſuavi ſomno ſopi-
» tam: ut ad duos alios flentes parvulos accurreret; evigilans vero quæ
» ægrotabat, cognovit ſe ſine febri melius habere, & Medici judicio, ope
» ſancti Petri mirifice reſtitutam ſanitati.

» CCXLVII. Doctor Andreas Herrera Toletanus, diu febri continua
» vexatus, & medici judicio malignitate obnoxius, D. Ludovica ejus ſoror
» pro reliquiis ſancti Petri ad Conventum Patrum Diſcalceatorum miſit, &
» cum illis fratrem agentem jam animam, & aquam ſignavit, qua ipſum etiam
» adſperſit. Mirum dictu! ſtatim Andreas oculos aperuit, loqui cœpit, &
» enim, quaſi nunquam ægrotaſſet, inventus eſt ſanus.

» CCXLVIII. Maria de la Xara ardenti febri laborans, aquam e Reli-
» quiis ſancti Petri avide ac devote hauriens, illico libera incolumiſque ſur-
» rexit.

» CCXLIX. Filia quædam Iſabellæ Gonzalez de Arenas annos tres nata,
» ex ardentiſſima febri etiam nauſeam omnis alimenti contraxerat, adeout
» parentes de ejus ſalute deſperantes, ad præſidium ſancti Petri confuge-
» rent, promittendo, illam ad ejus ſepulcrum ſe ducturos. Oratione peracta,
» viderunt moribundum ad ſe reverti, & paucis poſt diebus cum matre voti
» ſolvendi cauſa exſurgere.

» CCL. Franciſcus & Ludovica Zentenò habitantes Toleti, ambo febri
» peſtilentiali ad vitæ ultimum redacti fuerunt. Acceſſerat tunc forte Guar-
» dianus Patrum Diſcalceatorum, qui partem baculi ſancti Petri ſecum affe-
» rebat, qua utrunque tangens ſuaſit, ut ſe beati Patris patrocinio commen-
» darent, & ulterius aquam, quam eodem baculo ſignaverat, cum recupe-
» randæ ſalutis fiducia biberent. Admirabile omnibus viſum eſt factum.
» Nam ſtatim poſt aquam hauſtam febris defecit, & fama virtutis & gloriæ
» ſancti Petri, quam maxime aucta fuit.

» CCLI. Maria Rodriquez de Mombeltrano filium ſeptemnem habe-
» bat, quem febris peſtifera in extremis conſtituerat. At mater fide animo-
» que conſtantior, voto ad ſanctum Petrum emiſſo, obtinuit, illum a præ-
» ſenti periculo cum omnium admiratione, quamcitiſſime liberari.

» CCLII. Didacus Calvo in civitate Toleti, in extremis propter febrem
» peſtilentialem laborabat. Dum autem illius anima e corpore egreſſura con-
» ſueto Eccleſiæ ritu, piiſque precibus Deo commendaretur, Guardianus
» Diſcalceatorum cubiculum ingreditur, Reliquias ſancti Petri afferens.
» Hanc agonizans manibus premens, ſe pio animo eidem obtulit, & aquam
» ejus contactu benedictam avide bibit. Mox viſus eſt e toto corpore ſudor
» copioſus erumpere per duas horas continuas, inde declinans morbus,
» brevi integre cum omnium gratulatione ab eo receſſit, quem mortuum
» jam deflebant.

» CCLIII. In oppido ſanctæ Crucis Thomas Velaſquez, poſt quindecim
» dierum graviſſimæ febris, quadam die, præſente Medico, acceſſione
» lethali jamjam moriturus putabatur. Quapropter ægrotus votum faciens,
» ſancto Petro vires recepit, pauloque poſt ſanus ad ſepulcrum ejus promiſ-
» ſum & gratias exſolvit. CCLIV.

» CCLIV. Didacus Lopez barbitonſor habitans in Pago Arenal cum ſe-
» bri acuta delirium patiebatur. Quare parentes aquam ex Reliquiis ſancti
» Petri offerentes a delirio ſtatim, & a febri poſt paucas horas integre libe-
» ratur.

» CCLV. Joannes Baptiſta Pagnoncellus Faberlignarius in Urbe Ro-
» ma, febri maligna correptus, ſeptima die morbi, Medicorum judicio cen-
» ſebatur morti proximus; creſcente autem vi morbi, poſt tres dies ægro-
» tans manſit cadaveri ſimilis ſine ullo pabulo, & ab omnibus deploratus:
» invocata tamen ſancti Petri ope, mox cibum petiit, & inventus eſt ſine fe-
» bre ac alio morboſo ſyntomate, frui meliori valetudine quam antea, at-
» teſtante hoc ipſum Medico ordinario, Joanne Antonio Antonello, anno
» Domini MDCLXVIII.

» CCLVI. Pater Didacus Romanus Religioſus ſancti Franciſci, Definitor
» & Commiſſarius Provincialis Romanæ Provinciæ in CœnobioAracœlitano,
» ætatis annorum XLV. adeo ſe viſcerum anguſta palpitatione torqueri ſentie-
» bat, ut nec cibum nec ſomnum, nec in lecto quietem capere valeret.
» In pervigilio autem ſancti Petri die XVIII. Octobris, noſcens ſe ultra ſoli-
» tum cruciatibus opprimi, qui ægrotum ad mortem cogere poſſent, ſi ſe-
» quenti nocte continuarent, omnes pertimeſcebant, vocatis quibuſdam
» Religioſis amicis, rogabat eos inſtantiſſime, ut ipſum ſancto Petro com-
» mendarent. Dum autem illi in ſacello Servi Dei orationi inſtant, ægrotum
» ſuper lectum muro acclinatus, & ſenſim obdormiens, tota nocte ſuaviter
» quievit. Mane vero proximo evigilans mirabatur, omni dolore liberatum
» fuiſſe; quapropter e lecto ſurgens, ad ſacellum ſancti Petri pro Sacro fa-
» ciendo gratulabundus acceſſit.

Quædam mira a Petro vivente patrata.

CCLVII. Huc uſque ex proceſſibus, ad verbum fere, Petri mira poſt obitum patrata exaravimus. Quædam aliæ nunc præſtat ex iiſdem poſitionibus ſummatim recenſere mirabilia, quæ viventis Petri meritis Deus operari dignatus eſt, ea præter quæ huc uſque fere innumera recenſita ſunt. Et primo: In oppido de Alburquerque ſæva graſſante lue, cum ingenti Oppidanorum ſtrage, Petrus divinam pietatem ſuis precibus miſerrimis parcere precatur & obtinet. Apud Arenas mulieri inopi ex induſtria pecuniæ quamdam collatam portionem, ut debitoribus ſatisfaceret, fures ſubripiunt; at Petri meritis, ad cujus auxilium paupercula ſupplex confugit, eo his verbis prædicente: *Vade filia, & dolorem depone; pecuniæ enim tuæ ad te redibunt.* Sequenti die ab manu ignota pecunias ſuas recipit. In Pago, cui nomen Erradon Abulenſis diœceſis quidam pueri ludrica agitantes, unus ex iis in puteum proximum decidit, a quo non tam cito extrahi potuit, quin mortuus judicaretur. At, Deo ſic diſponente, illac Petrus ea hora pertranſiens, brevibuſque precibus divinum auxilium implorans, ſuum cum illo ſocii cingulum unit, puteoque immittit; ſicque puerum vivum ſanumque, omnibus admirantibus, extrahit.

DE PETRI VIRTUTIBUS.

CCLVIII. Omittentes cætera mirabilia, eo præſertim, quod clarorum hominum ſanctitas non tam ſignis atque miraculis, quam caritate in Deum & vitæ innocentia continetur, præcipua de ipſius factis, dictis ac moribus narrabimus, & quidem quo magis in promtu ſint, per ſpecies exequemur. Ac primum Fides illa, ſine qua placere Deo nemo poteſt, adeo firmiter in corde Petri fixa erat, ut ejus veritates cunctis rebus quæ oculis cernuntur certiores haberet. Quaſcumque exſtaſes aut revelationes, quas a divina ex- Ejus Fides.

periebatur benignitate, nunquam ab illis ſibi perſuaderi quicquam permiſit, quin prius ad ejuſdem Catholicæ veritatis trutinam non appendiſſet: ideoque nullam ab his tentationem paſſus fuit, nec offendiculum. Dicere propterea conſuevit, *tunc Fidei myſteria certiora haberi, quum eis minora intellectus humanus præſtat experimenta. Solus enim Dei ſapientia noſtræ confundit capacitatis angustias, & ſublevat obſequii humilitatem; quum ignorantiæ tenebras illuminat his, quæ præter ipſum nemo aut capere aut explicare poteſt.* Profunde de Fidei myſteriis ad populos loquebatur & differebat, hortans, ut frequenter illa memoria repeterent. In campeſtribus paſtores quærebat, in vicis & pagis pauperes & parvulos homineſque, quos doctrinæ chriſtianæ articulos edoceret. His ne victus quærendi tempus ſubtraheret; dum ad portam eleemoſynæ aceipiendæ eauſa confluebant, prius ſpiritalem ſuſtentationem ſumma cum patientia ae caritate ſingulis pro cujuſque modulo miniſtrabat, ſæpe eadem iiſdem ineuleando.

CCLIX. Ardentiſſimo propagandæ in barbarorum ac infidelium regionibus Fidei ſtudio, quod ipſi non permittebatur, per alios procurabat, ut nimirum ejus Inſtituti Religioſi ad infidelium terras evangelizandi eauſa tranſirent. Quamobrem ingenti angebatur dolore, quod Lutherana hæreſis ſua ætate graſſaretur. Super omnia obedientiam capiti Eccleſiæ Pontifici Romano debitam inculcabat, præcipue vero Fratribus ſuis ſollicite perſuadebat, ut in his quæ ad Reformationis negocium pertinebant, ad nutum Vicarii Jeſu Chriſti euncta intenderent.

CCLX. Saeras litteras quaſi ſemper præ manibus habebat, ita ut earum familiari uſu majori fere ex parte memoria teneret; ad quodcumque verbum quod proferri ex Evangelio audiebat, aſſurgere atque profunde ſe inclinare ſolitus. Dum Fidei myſteria explicabat, extra ſenſus rapi & lumine ſuperno a Domino illuſtrari videbatur. Quadam die monendo religioſos Fratres de veneratione, quæ Fidei dogmatibus debetur, ajebat. *Cum Evangelium legitis, attendite, ut cunctis manibus, & modeſta corporis compoſitione atque attentione percipiatis ea, quæ continet, nimirum quomodo Deus incarnatus eſt.* Sicque vehementia ſpiritus raptus altiori ſubinde voce verba repetebat, donec altiſſima contemplatione abreptus, ad illa verba, *Deus aſſumſit carnem humanam*; tonitrus inſtar vocem edens, ad cellam magno impetu currebat; illic anima divino ardore repleta eum in ſuaviſſima exſtaſi ultra tres horas continuas detinebat.

CCLXI. Quidam Conſodalis ex Italia redux Petrum in cella decumbentem inviſit, ſpirituale gaudium inter cætera enarrans, quod in ſacra Lauretana Æde expertus fuerat, dum ſacra Incarnationis pignora, quæ ibi aſſervantur, adoraſſet; tam defixe Petri mentem hujus myſterii memoria penetravit, ut ſolito ingentem clamorem exprimeret. Religioſus vero conſueti affectus ignarus auſugiens, Dei Servum in altiſſima myſterii contemplatione raptum reliquit; quouſque cæteri ex Conventu opportunius accurrentes in eadem perjunantem atque defixum deprehendiſſent.

CCLXII. Evangelii verba, *In principio* &c. aliquando audiens in horto, genua & caput inflectit, implexuſque tamquam rota, volatu celerrimo ad portam Cœnobii, indeque per alias portas ſine ulla læſione fertur, ultra cubitum a terra ſublatus, donec coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento in Eccleſia altiſſima exſtaſi raptus ſubſtiterit. Neque profecto mirum; tanta ſiquidem ſemper, etiam ab incunabulis erga diviniſſimum myſterium Petrus devotione ferebatur, ut hebdomadam integram, vel pro eodem reverenter ſuſcipiendo, vel pro gratiis agendis ſanctis meditationibus intentus percur-

re-

reret, omnia pietatis opera ad illius venerationem dirigendo. Interdum inventus fuit coram altari, ubi ſervatur idem Sacramentum, tanta devotione ac reverentia immobilis perſeverare, perinde ac Salvatoris Chriſti humanitatem defixis oculis præſentem intueretur.

CCLXIII. Poſtquam Sacerdotio initiatus, tanta devotione hoc Sacrum peregiſſe aſſeritur ab hominibus præcipua fide dignis, qui viderant & experti fuerunt, ut ſe magis ad pietatem ipſius celebrantis exemplo, quam aliorum ſermonibus commotos profiterentur. Quare ſæpe quamplurimi ad ejus Miſſam concurrere, atque ſolo ejus adſpectu ad altare magnopere commovebantur; mox, finito Sacro, ad ejus pedes procumbebant, & per pœnitentiæ Sacramentum ſe Deo reconcilare feſtinabant. Dum ſe ſacris veſtibus induebat, adeo ſervido affectu ſacra paſſionis myſteria meditabatur, ut ſingulis actibus unumquodque illorum exprimeret, quæ Chriſto contigerunt; ſicque velut totius Mundi hoſtia ad altare ſacrificaturus devote procedebat. Sæpe ad illa Evangelii verba, *Dixit Jeſus*, tanta teneritudine afficiebatur, ut lacrymas continere non poſſet, vocemque in ſuſpiria mutaret; ad Canonem autem adeo accendebantur intima cordis, ut in facie quoque ejus quædam velut flamma coruſcaret, donec ad conſecrationem perveniſſet; in qua tota ejus mens myſterio abſorta, vix reliquas Miſſæ cæremonias perficere valebat. Conſecratione peracta, interdum extra ſe raptus, aliquandiu etiam in aere ſuſpenſus videbatur; unde ad ſe reverſus cætera proſequebatur, & poſt communionem rurſus exſtaſim patiebatur. Quæ quidem omnia ſecundum loca & tempora varie contingebant; quamvis in locis remotis frequentius atque diutius, quam in publicis, ubi celebrando ſingularibus favoribus decoratus, omnium affectus ad devotionem provocabat; peracto Sacro, tanquam celeri volatu ad cellam properabat, ut conceptum favorem ſecreto tegeret, & divinis amplexibus liberius inhæreret; qui affectus humilitate celati, ſuſpiriis tamen ac vocibus ſubinde Religioſos latere non poterant. Audiebatur etiam ſtrepitus, qui malignorum ſpirituum colluctationes indicabant, a quibus graviter quandoque verberatus, tamen immobilis in oratione perſiſtebat, & ut animoſius reſiſteret, cito curſu ad ſanctiſſimam Euchariſtiam confugiebat; ibidem illis inſultans velut victor glorioſius exprobrabat; idem ſibi præſidium erat, quoties negotium aliquod magni ponderis tractandum erat, ideoque in Cœnobio Pedroſi anguſtum quendam locum ſibi elegit, ex quo vicinior Eccleſiæ, in conſpectu vitalis hoſtiæ jugiter aſſiſteret. Quum apud Principes viros & Magnates verſabatur, ſtatim poſt Miſſæ celebrationem in remotiora loca ſecedere, atque interdum aliquot dies ſolitarius cum Deo verſari conſuevit, ſicque in omni loco Deo fruens, ejus frequentiæ, quam in altiſſimo myſterio Euchariſtico fideles agnoſcunt, humillimo affectu ac ſingulari reverentia inſerviebat.

CCLXIV. Hanc devotionem ſummopere ſovebat meditatione Dominicæ Paſſionis, cujus affectu variis corporis cruciatibus Salvatorem imitari ſtudebat. Ad hoc ubique locorum, ac præſertim in eminentioribus, cruces erigi curabat; quarum aſpectu piorum memoria ad myſterii contemplationem evocaretur. Hinc & in Cœnobio Pedroſi Calvarii quandam figuram congeſſerat, ad quam greſſus dirigens deſtinatis paſſibus patientis Chriſti cruciatibus exprimebat, donec ad locum accedens, ibi coram cruce ita animæ affectu inflammabatur, ut ſe totum vivum Redemtori ſacrificium offerret; inibi brachiis expanſis orans totus in eum transformabatur, cui concrucifigi ardentiſſime cupiebat. Inde ſæpe a tranſeuntibus viſus eſt ſublimis in aere, eoque corporis ſtatu omnibus ſtuporem incutiebat; interdum vero, quum ab exſtaſi rediret,

quasi volando ad Cœnobium remeabat, ut hominum laudes & honores effugeret. Frequentius in horto Dominicæ Passionis meditatione exardescens solvebatur in lacrymas ac devota suspiria, quibus aliquando tormentis aliquam imitationem adjungebat, videlicet stagno frigido se nudum immergens, ibi per multum temporis crucis passionem in corpore suo velut describebat. Nil ipsi toto vitæ tempore hujus comparatione molestum amarumque videbatur, quinimo omnis cruciatus amaritudo dulcescebat. Hinc etiam per longum temporis spatium orare in crucis modum consuevit, quod sine singulari ope divina diu servare extenuati corporis debilitas non permittebat. Denique prædicatione ferventi eandem recordationem omnibus inculcabat: nec tam verbis quam factis mirabiliter persuadebat, se voluntarie pro Christo mala omnia pati paratum esse. His beatissimæ Virginis devotionem sedulo adjungebat, cujus venerationem summa pietate & precibus variis excolebat, eam suæ puritatis custodem elegit, cui illam, ut holocaustum consecravit. In Cœnobio sanctæ Mariæ Angelorum, ubi Guardianus morabatur, coram ipsius imagine in orationis fervore sæpe visus fuit facie splendescere; aliquando largiori spatio extra seipsum rapi, ejusque cœlesti præsentia diutissime ac jucundissime frui. Quemadmodum in Cœnobio sancti Joannis Baptistæ Vicioſæ sub vitæ exitum præcipue contigisse liquet; ab eadem siquidem beatissima Virgine cum Angelorum cœtu visitatum fuisse alibi latius retulimus. In eodem loco Incarnationis ac privilegiorum beatissimæ Virginis Matris Dei contemplationi intentus, in affectus ferventissimos erumpere auditus fuit. *Ob Maria Maria Virgo sanctissima, Mater Dei, Regina Cœli, Domina Mundi, Sacrarium Spiritus sancti, Lilium puritatis, Rosa patientiæ, Paradisus deliciarum, Speculum castitatis, perspicuum exemplum innocentiæ ora pro me paupere, misero ac peregrino, & ipsi largire abundantiam charitatis vestræ.*

CCLXV. Festa ejusdem Deiparæ præcipuis meditationibus sacris & severissimis corporis mortificationibus, præter solitas celebrabat, aliorumque tum Fratrum, tum etiam sæcularium hominum pietatem mirifice accendebat. Quum aliquando ex Lusitania rediens apud Episcopum Olivetiæ divertisset, piam quandam imaginem Virginis, quam ab eodem dono acceperat, ad Cœnobium de Valverde transtulit. Hanc solemni processione ac concursu populi in Ecclesia collocavit, atque Cœnobium in honorem ejus dedicans, animi sui affectum erga eandem Patronam benefieentissimam singulariter expressit; ea constantia, qua semper curabat, ejusdem patrocinio Reformationis suæ initia præmunire; qua de causa in Cœnobiis ejusdem nomini dicatis libentius habitare consuevit.

CCLXVI. Post pium atque affectum erga Deiparam Virginem animum, aliorum quoque Sanctorum memoriam excolebat: singulariter vero Apostoli sancti Joannis, sancti Josephi, sancti Francisci ac sancti Antonii Patavini, quorum se precibus ac patrocinio magna pietate commendabat, & ad eorum dies festos religiosius recolendos variis piis exercitationibus disponebatur.

Fiducia. CCLXVII. De Fide autem, quæ cum fiducia confunditur, testimonia fuere tot hue usque de Petro mira enarrata; sæpe namque siccis pedibus rapidissimos transivit fluvios, crebro in maximis necessitatibus præsentem habuit divinam opem, tam sibi quam suis miraculose faventem. Hinc etiam quam frequenter devotis hortationibus Religiosos suos ad hanc virtutem divinæ providentiæ immensa benignitate extimulabat; ut quos fides docuerat, nullo humano subsidio inniti, eosdem fiducia certiores redderet, confidentes, in Deo cuncta obtinere se posse.

Spes. CCLXVIII. Non dissimilem fiduciæ sociam Petrus alebat spem, quæ illum

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 355.
1562.	anno 3.	anno 5.	

lum a teneris annis cœlesti lumine induit, in toto autem vitæ curriculo instar solidæ columnæ sustinuit. Hæc magistra, adhuc obsessus humanis illecebris, ipsarum laqueos evadere, solam spem ad superna bona dirigere, cætera pro nihilo habere constantissime didicit; imo cum jam maturus annis corpus maximis cruciatibus & afflictationibus subegisset, suadentibus, ut eidem quietem aliquam, & refrigerium indulgeret, respondere solebat. *Non hic locus solatii est; omnem enim quietem in superna Patria expecto, quo iturum me spero.*

CCLXIX. Pro rerum successu, maxime futurarum, quæ tempore matureſcunt, oculos attollebat in Cœlum, quo cordis affectum præmiserat, dicens eum Regio Propheta: *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Adeo vero longe aberat a spe in principibus sæculi, aut quocumque homine collocanda, ut Magnatibus pluribus Hispaniæ favorem sibi pro negociis offerentibus vel rarissime acceptabat, vel si aliquando uteretur, eosdem tantum tamquam instrumenta divinæ providentiæ caute respicere; eamdem virtutem omnibus suis devotis in quacumque tribulatione aut occasione inculcabat, dicendo; *Sperate in Deo, qui omnibus mederi potens est, figite in eo spem vestram, ipse omnia ad desideratum finem perducit per media opportuna.* Cujus quidem virtutis in ipso Viro sancto egregie emicantis fidem faciunt tot superatæ contradictiones, tot victæ difficultates: eum quibus omnibus feliciter colluctatus primarium majoris Dei gloriæ intentum glorioſe assequutus fuit.

CCLXX. Aliud spei genus divina ei liberalitas conceſſerat, dum gratiæ gradus augendo humanis viribus, easdem mirabiliter corroboraret. Nam corpore, atque complexione debilis, variis etiam morbis infirmabatur; ita ut licite ac necessario eisdem indulgere aliquando cogeretur. Nec tamen ille receptas humanæ prudentiæ regulas admisit; neque mysticorum consilia sequi, qui proprias vires metiri non inutiliter suadent, neglexit: sic enim ipse sanctus Petrus edisserit. *Inveniuntur aliqui, qui nec tempus, nec discretionem ſervant in ſuis exercitiis cum a Deo favores reciplunt, & his ipſum proſperitatem interdum periculi cauſam eſſe exiſtimo; multi enim ſunt, quibus videtur gratia ſibi pleno ſinu effundi; ideoque propter tam ſuavem Dei converſationem toti in ea occupantur frequentando ſtudia orationis, vigiliarum, & macerationum corporis, ita quod natura impar tantis oneribus tandem ſuccumbere cogatur. Unde fit ut multi ſtomachum debilitent, & caput, ſic quod non ſolum inutiles reddantur pro laboribus corporalibus, ſed etiam pro his iiſdem exercitiis orationis: itaque in his rebus magna diſcretione utendum eſt, in principiis maxime, quando fervores conſolationeſque majores ſunt, & experientia & diſcretio minores; ut ſic paſſus in hac via contemperemus, ne in medio deficiant.* Sed his prudenter servatis regulis, non naturam sua virtute, sed ea, quam a Deo acipere poterat felicius metiebatur. Unde quum de aliis hominibus Sanctis, Spiritu Sancto eos movente, mirabilia multa narrentur, quæ temeritatis speciem habere videntur, tam in cruciatibus subeundis, quam in divina providentia experienda: de Petro nostro adeo stupenda scribi possunt, ut humanam etiam fatigare considerationem valeant, dum omnia quæ sperabat, consequutum fuisse animadvertitur: fixa namque in corde suo seraphici spiritus verba habebat, quum ex S. Bonaventura interdum diceret. *O ſpes cœleſtis, quæ quantum ſperat tantum impetras!*

In Tract. de Oratione parte 2. cap. 4. num 5.

CCLXXI. Hinc multa quoque contra proprium corpus tormentorum genera adhibebat, quorum quodlibet idipsum suapte natura destruere potuisset, nisi spes divini auxilii præsidia apprehendens, animum & vigorem addidisset. Enimvero in quodam difficili itinere a pio homine invitatus, ut ali-

aliquid ſecum viatici deferret, plane recuſavit dicens: *nihil refert: Deus nobis providebit*. Idemque ne reciperet, ſocio imperavit. Hic autem ne devoti affectus pignora recuſaſſe videretur, fruſta quædam panis, paucoſque fructus petere non neglexit; quod noſcens Petrus, nequaquam admiſit; ſed eum benigne corripiens: *Nonne*, inquit, *ſemper tibi dixi, ut in Deo ſperes, & in miſericordiis ejus? Confide firmiter in ipſo, quia ſolus in majoribus neceſſitatibus opportuna auxilia præſtat*. Ea namque ſæpe numero tam in itineribus, quam in ſuis Cœnobiis mirabiliter expertum, hiſtoria Vitæ ejus variis exemplis comprobat.

Caritas in Deum.

CCLXXII. Caritate in Deum fuit quanta pars eſt eum eſſe qui, ipſius Dei gratia rebus humanis nuntium ſponte remiſerit. Hinc quocumque judicio, vel argumento de ſummo bono ſibi occurrenti, tam vehementer accendebatur, ut intra ſe contineri nequiret. Ignitis autem ſuſpiriis, altiſſimiſque clamoribus ex imo corde foras erumpentibus, aut audientes deterrebat, aut ad pietatem ſtimulabant. Hujus affectus praxim idem Petrus in ſuis exercitiis ſic appoſite deſcripſit. *Sunt aliqui adeo Dei amore inflammati, ut vix memoriæ occurrat quæcumque ejus imago, quin amore ipſius viſcera eorum colliqueſcant, & hi diſcurſu, aut conſiderationibus his non indigent magis ad excitandum hunc amorem, quam aut Mater, aut Sponſa, ut gaudeant, cum de filio, aut Sponſo ſermo inciderit. Alii quoque, qui non ſolum in orationis exercitio, ſed etiam extra illud ita in Deo abſorti ſunt, ut propter eum omnium rerum, imo ſui ipſius obliviſci videantur; nam ſi hoc quandoque fieri poſſe in amore ſenſuali experimur, quanto magis id amorem infinitæ, ac increatæ illius pulchritudinis efficere poſſe credendum eſt, dum longe potentior gratia ſit quam natura, vel culpa.*

Parte 1. cap. 12. monit. 8.

CCLXXIII. Aliquando adverſa valetudine decumbens, ſenſit adeo vehementer cor ſuum divini hujus amoris jaculo transfigi, ut in vocem tonitrus inſtar prorumpens, valetudinarii cuſtodem excitaret. Hic ægrotanti aliquem novum caſum ſupervenîſſe ſuſpicatus celeriter accurrens, eum mortuo perſimilem invenit; cujus cauſam, non morbi, ſed pii affectus violentiæ adſcribendam, ipſe poſtea Petrus Confeſſario aperuit. Sola divini amoris mentio ita eum commovebat, ut quodcumque etiam arduum, ac perdifficile, ejus gratia libenter petenti concederet. Unde ſæpe numero pœnitentes ejus aliqui pii homines multa quibus alias quam maxime adverſabatur, petendo *propter amorem Dei* promptiſſime extorquebant. Interdum hoc ſuavi incendio exardeſcens, nec cellæ anguſtiis retineri, nec cordis jactationem, & motum pati ſufficiens, in campos evolabat, ut ſic eam partem incendii, qua corpus æſtuabat, aeris refrigerio temperaret. Quod mirum nequaquam videri poteſt, quum ipſas etiam nives interdum ſuper eum cadentes fuiſſe liquefactas, alibi adnotaverimus, quod etiam ex ſequenti caſu confirmabitur.

CCLXXIV. Interdum a divini hujus incendii flamma eorpus correptum ſentiens, procurrebat in hortum, ibique ſe totum uſque ad collum in congelatum ſtagnum immerſit; tanto vero temporis ſpatio in eodem permanſit, quanto cuicunque alteri ad extinguendum omnem calorem naturalem, ipſamque etiam vitam certo ſuffeciſſet: miro tamen divinæ caritatis prodigio viſum eſt gelu reſolvi, ſtagnumque inſtar ſerventis ollæ ebullire. Neque ille hoc facto tribus pueris Babylonicis inferior exiſtimandus eſt, dum illi fornacem egreſſi, cœleſti rore ignem extinguentem illæſi ſervantur; hic gelidas aquas ſuo eorpore velut fornacem accendens, nec gelu perimitur, nec aquæ fervore comburitur.

CCLXXV. Verba inſuper & colloquia, quæ de hoc divino habere conſue-

ſuevit amore, quam ignita forent, varii eventus in ejus geſtis indicati comprobant. His tamen ea veniunt addenda, quibus creaturas omnes cœli & terræ ad benedicendum Dominum provocabat: *Venite, & juvate me*, clamabat ſæpiſſime, *o vos cœli & terra, & Angeli ſancti ad collaudandum Dominum, & ad vices reddendas tot favoribus, quibus nos immenſa ejus benignitas cumulavit; nimiam excedunt menſuram obligationes meæ; ideoque melias vos defectibus meis ſuccarrite. Vos Seraphini inflammati, qui optime amoris naturam, ac vim cognoſcitis, opem mihi ferte dum amoris telo vulneratum me ſentio, & redamandi debitum agnoſco; tormenti tamen remedium ac levamen non invenio. Tu qui labia Iſaiæ ignito forcipe mundaſti, hanc animam meam ardentiſſimo amore tuo accende, ut nihil præter Dominum meum diligam, in ipſo ſolo requieſcam, & vivam in ſæculorum ſæcula.*

CCLXXVI. Hæc ſimiliaque quam ſæpiſſime pronuncians, corporis geſtibus decorem quodammodo videbatur amittere. Quamobrem de eo Tereſia inter cætera adnotavit. *Ego cognovi quendam F. Petrum de Alcantara, quem Sanctum exiſtimo, ſecundum ea, quæ in vita demonſtrabat; interdum ab his, qui eum audiebant, habitam fuiſſe pro mente capto; & vere talis erat, ſi Sanctam illam amentiam reſpiciamus, atque ebrietatem, qua ſanctus ille Prophetа redundans omnes creaturas cœleſtes ac terreſtres in Pſalmo illo* Benedicite, *ad collaudandum Deum ferventer provocabat. O felix amentia, Fratres, ſi tam nobis Dominus concederet. O infelicia tempora, o vita miſerabilis, in qua adeo obſcura & ignota eſt talis ſtultitia. Felices hi quibus talem gratiam Deus conceſſerit ut participes reddantur huiuſmodi ſtultitiæ, & ſeipſos juvent aliorum exemplo. Excitemus ergo nos ipſos ad divinas laudes, & adjuvent nos omnes creaturæ per ſæcula ſæculorum Amen.* Cognoſco, ſubdit præterea Tereſia, *nominatum Petrum, quem exiſtimo Sanctum eſſe, propter modum vitæ ejus, quod idem agebat; & qui aliquando eum audierunt ſtultum reputabant. O Sorores quam bona ſtultitia! Utinam Deus eam nobis concederet!* Dum de Incarnationis myſterio e Placentiæ ſuggeſtu diſſereret, diuturne coram obſtupeſcente multitudine extra ſenſus abripitur. *Manſione 6. c. 6.*

CCLXXVII. Ex hoc tam incenſo in Deum amore egregia ingenſque illa caritas in homines redundabat; quapropter aliorum malis tamquam propriis compatiens, omni ſtudio ac diligentia ſatagebat, ut quam promtiſſime miſeris & indigentibus ſuccurreret. Difficillima interdum ſuſcipiebat itinera; nimirum ut Civium, aliarumque perſonarum, familiarumque animos invicem conciliaret, aliorumque periclitantium ſuccurreret, & pœnitentes, alioſque devotos in gravi aliqua tribulatione conſolaretur. Omnes ad ſolam ejus præſentiam exhilarati, animi triſtitiam deponebant, ut ſicut ſole glaciem liquefieri videmus, ita quaſcumque animarum languoreſque, pravaſque affectiones ad caritatis Petri calorem ſuiſſe depulſas accepimus. Ob id ſæpe numero ſolitudinem intermittebat ac converſationem, qua Deo in oratione fruebatur, quotieſcumque eum aut e Cœnobio egredi, aut ad ſe accedentes patienter auſcultare neceſſitas cogebat. Nec verborum tantum ſuavitate hæc caritatis officia præſtare conſuevit, verum etiam voluntariis afflictationibus corporis divinum auxilium implorare, donec petentium neceſſitati ſubventum cognoviſſet. Id vero maxime pro peccatorum converſione, atque converſorum perſeverantia ſtudioſius præſtabat. De alienis factis nunquam ſiniſtre judicandum, aut cenſorem agendum monebat: idemque diverſis documentis ſuis Fratribus inculcabat: *Filii*, aiebat, *evidens ſignum eſt, quod Deus alicui animæ aſſiſtit quando hæc in malo bonum invenit; quemadmodum alii præſumunt in bono malum quærere. Nam unuſquiſque ore profert ea, quibus* De Caritate in proximos.

bus cor ejus redundat. Sic enim anima invidiæ plena, aut malitiæ, eadem lingua enunciare non desinit, sed quæ caritatem possidet, cogitat & loquitur, de omnibus bene, judicant, omnes Deo perfectius servire quam se.

CCLXXVIII. Mirum in modum hanc ipsam virtutem Petrus ostendebat illatas ferendo mansueto animo injurias: nam sicut cujuscumque beneficii tenax, vices rependere, vel orationis præmio nunquam negligebat, ita offensarum immemor potius easdem beneficii loco habere, quam vel minimum indignari solebat: quum sibi contradici, aut calumniari se magis gauderet. Idipsum suis commendabat sodalibus, monens, ut quæ secreto aliquo Dei judicio contigissent, ea in humanis contradictionibus ex caritatis officio libenter excusarent.

CCLXXIX. Eandem virtutem quantum religiosa paupertas permitteret, etiam externo opere, nec uno beneficentiæ genere proximis præstabat, itaut omnium pauperrimus, alienam tamen necessitatem divitum eleemosynis subveniret. Hinc etiam affluenter in propriis Cœnobiis mendicis ad portam primus ministrabat, caput & membra sordida abluebat, indumenta sarciebat, ac lavabat, omniaque illis pietatis officia exhibebat, quæ misericordiæ viscera concipere abundantius poterant. Alios quibus nuditas verecundiam ingerebat, ad amicos spirituales induendos mittebat, sicque omnes quos inopia aut necessitas filios offerebat Petri caritas paterno affectu amplectebatur & fovebat.

CCLXXX. Ægrotis singularem sollicitudinem assiduis humilitatis officiis impendebat; hinc ab aliis Fratribus huic curæ destinatis sæpe admonitus, ut parceret suæ debilitati, & ipsis pensum solvendum relinqueret, respondebat: *Filii meum in primis hoc est officium, in quo si defectus, aut negligentia aliqua occurrerit, magis a me quam a vobis rationem ejus exquisiturum Deum sciatis.* Extra Cœnobium Nosocomia frequentabat, atque privatorum domos, quibus præcipue in necessitate publica privatim laborantibus, ea industria atque diligentia succurrebat, qua & ab egestate liberari, & a divinæ offensæ periculo eripi opportune atque celeriter poterant.

CCLXXXI. Quadam die, æstu fervente, iter faciebat versus oppidum *Torrejonzillo*, proficiscens solis ardor, viæque asperitas eum viribus & siti languentem coegit opem petere a duabus mulieribus, quas sors obtulerat. Ille vero propriæ necessitatis significatione, sanctum Virum ad sui commiserationem converterunt, ita ut opem, quam ipse poscebat, tam siti quam fame laborantibus opportunius exhiberet. Mira sane pietatis commutatio! Enim vero Petrus sui oblitus ad cœlum oculos attollens, inde pro eis auxilium obtinuit; unde sibi ipsi vix petere præsumebat. Tum ad mulieres conversus. *Accedite*, inquit, *sub umbra illius genistæ, & ibi necessitatis vestræ remedium invenietis.* Obedientes illæ, in loco quem indicarat medium panem invenerunt; cujus sapor & albedo cœlestem manum & virtutem arguens, sitim exstinxit & famem: at ipsa huic miraculo caritas Petri pretium abstulit apud nonnullos minus scite divina cogitantes; hæc siquidem tanquam ordinis negligens, alienam necessitatem proprio periculo postponere nota fuit nec sibi vel in minimo subvenire.

CCLXXXII. Alio in itinere aderat Petro religiosus quidam Tyro genere nobilis socius, qui ex sæculo ad Minores transiens nondum domesticas delicias, aut naturæ mollitiem deponere, neque Franciscanæ asperitati satis assuescere didicerat, licet fervore spiritus multa etiam difficilia superasset. Hic pro Fratrum auxilio nudis pedibus, longa via inter prærupta saxa incedens, sanguine cruentatus, & præ lassitudine deficiens, nitebatur vestigia præcedentis

Pa-

Patris incaſſum tamen pro viribus aſſequi; itaut ſæpe invitatus, tandem ſuavi verborum violentia coactus ſit tergo Patris ſe imponere; atque ita longo ſpatio deportari, idemque diverſis etiam in locis aliis, ubi difficilior tranſitus occurrebat, repetere. Mirum ſane pietatis ſpectaculum! Petrus affectus teneritudine motus, incurvatum ætate, atque continuis macerationibus dorſum juniori ſubmiſit, atque duplicato onere ipſa ſaxa, quæ pedibus cruentabat, velut emolliebat quodamodo; & niſi ſuperna virtute vires hauſiſſet, oneri impar gravi labori, & laſſitudini dubio procul ſuccubuiſſet.

CCLXXXIII. Nec præſens tantum quæcumque caritatis officia præſtare Petrus promtiſſime ſolebat, ſed quum longe etiam abeſſet, divinæ virtutis impulſu eadem devotis egentibus remedia mirabiliter afferre. Erat in oppido Arenas vir honeſtus Balthaſſar de Frias, de Petro, ejuſque Familia optime meritus, cujus filio ſexenni, Patrique percaro, vis morbi per quatuor ingentes ſuppurationes, atque acutam inflammationem mortem minabatur. Hac ex Medicorum judicio intellecta, Pater ut cordis amaritudinem lacrymarum effuſione temperaret, a filii conſpectu receſſit; augebat dolorem abſentiæ Petri cogitatio, cujus præſentiæ merito non dubitabat, ſe a Deo filii ſalutem impetrare poſſe: at non ideo ſpem depoſuit Vir pius, enim vero vel abſentis Petri opem magna cum fiducia imploravit, nec vana illi ceſſit ſupplicatio. Nam divina benignitas Petro rogantis neceſſitatem manifeſtans, voluit, ut licet longiſſime diſtaret, de filii ſalute lætum nuncium oretenus miſit. Ille vero ad præſentis dictum obſtupeſcens, eoque mox evaneſcente, ad ægroti filii cubiculum advolavit, ut licet adhuc periculo teneri cerneret, nequaquam tamen dubitavit, quin ſalvus evaderet; hinc rei ſucceſſum adſtantibus enarrans, & cum ipſis Dei mirabilia, & Servi ſui caritatem extulit, donec, ſtupentibus etiam Medicis, ægrotum brevi integre convaluiſſe noſcentes, univerſi Petri meritis beneficium adſcripſerunt, & miraculum.

Patientia, et Constantia ejusdem

CCLXXXIV. Qui nihil niſi a Deo moveri conſtanter ſibi perſuadebat, ejuſdem amori adverſus ea quæ videntur acerba animo fuit ſemper ita præſenti, ut nunquam vel a ſtatu naturæ, vel a Religioſi dignitate diſcederet. Quamobrem ſuis temporibus ſi aliquis juſta ſe indignatione commoveri ſentiret, *Patientia F. Petri opus eſſe*, pronuntiatum ſeu dictum invaluit.

CCLXXXV. In Reformationis negocio multas graviſſimaſque difficultates invicta conſtantia ſuperavit; moleſtiſſimas calumnias, reprehenſiones, atque acerbas mortificationes ita patienter ſuſtulit, ut nec ægri animi ſignum aliquod proderet. Sæpe non verbis tantum, ſed & verberibus impetitus, oculos in cœlum attollebat, & pro perſecutoribus orabat; ſic quum virtute Diplomatis Pontificii quemcunque ad ſuum Inſtitutum recipere facultatem obtinuiſſet, Chriſtophorum Bravo, de quo ſuperius non ſemel, antequam religioſæ Familiæ nomen daret, ut ſua pauperibus diſtribueret induxit. Hic conſilio obſequens, ægenis omnia ſua largitus eſt; præclarum, piumque factum æmulis authoritatem ejuſdem inviſam reddidit, validaſque contra eum perſecutiones innocenter concitavit; a quibus propterea tam atrocia atque indigna S. Vir perpeſſus fuit, ut jurati teſtes in canonizationis proceſſu ea vix deſcribi poſſe ſignificaverint. Illum vero innata frontis ſerenitate, & animi imperturbabili tranquillitate omnes inſultus ſuſtinuit; ipſos etiam Religioſos ſuarum injuriarum impatientes, de impatientia interdum perhibetur coarguiſſe, atque ad Deum converſum, ſæpe ita loquutum eſſe: *Gloria tibi ſit Deus meus. Nunc vere cognitum me lætor pro eo, qualis vere ſum, & ſic me recte tractant, prout mereor.*

CCLXXXVI. In quodam itinere Cœnobium Religioſorum hoſpitii cauſa in-

greſſus, inhumaniter ſuit exceptus, eo quod Diplomatis Pontificii nuper accepti cauſa novitatis accuſaretur; hinc injuriis atque conviciis laceſſitus, habitu ſpoliari, atque pro more Religionis tanquam apoſtata flagris cœdi jubetur. Quæ ille humiliter perferre paratus, quum corpus cinctum ciliciis, inedia extenuatum, atque aſſiduis verberationibus ſulcatum oſtendiſſet, tantum ſuis adverſariis pudorem incuſſit, ut pio confuſi ſpectaculo omnes recedere potius, quam intueri ipſum, aut attingere eligerent; itaque ipſe ab accuſatoribus relictus in medio, veſte ſua rurſus indutus humiles Deo pro hoc pane tribulationis gratias egit. Mox e Cœnobio exire, & pro comparanda ſocii refectione eleemoſynam per domos petere coactus eſt, & ſic iter alacrius proſequi non dubitavit; non aliter quum alios ſui Inſtituti Religioſos homines iter agentes in quibuſdam locis male habitos fuiſſe intelligebat, gaudendi occaſionem ſumere atque adverſarios excuſare ſolebat, monereque ſuos, ne conqueri præſumerent, & apud alios, etiam ſæculares pietatis affectu obtegerent.

CCLXXXVII. Decumbebat graviter Petrus in Cœnobio Arenarum, quum divina inſpiratione Abulam eundum ſibi Fratribus ſignificaret, ut Tereſiæ in Diplomatis Pontificii exſequutione auxilium præſtaret; nec quibuſcumque præcibus a propoſito, quin gravatus morbo e lecto ſurgeret, & jumento quodam vectus, iter ſuſciperet retineri potuit. Pervenerat ad tabernam *de Puerto del Pico*, ubi quieſcendi neceſſitate in terram projectus, caput ſuper petram cui ſocius mantellum ſuperpoſuit inclinavit. Interea jumentum hortum ſorte propinquum ingreſſum, olera quædam & herbas corroſerat. Quod quum Cauponis Uxor vidiſſet, iracundia accenſa jumentum pro damno includit, & in rabiem verſa contra Petrum & Socium convicia & probra effundit. Ipſos autem quum manſuetiores ad omnia animadvertiſſet & patientes, inſolentior facta, duplicat injurias, & pro pignore pallium capiti recumbentis violenter ſubripit; qua vi ægrotus ſenex colliſo ad lapidem capite, ſanguinem ſundit, atque vix genibus ſuſtioeri validus, mulierem pro culpa humiliter deprecatur, obteſtaturque ut iracundiam depònat. Pergebat inſolenter debaccari inſana fœmina, quaſi infernalibus agitata furiis, quæ Petri conſtantiam proſternerent; interea vero mœſtus Socius ſecum cogitabat, quomodo ſibi pro afflicto Patre reficiendo, atque curando eundum eſſet; tunc Servo ſuo Deus opportuni remedii, atque egregiæ patientiæ publicande occaſionem præſtitit; nam tranſiens illac verſus Arenas Franciſcus de Guzman Æques illuſtris, ac Petri filius ſpiritualis, ut eum inviſeret, quum ſanctum Virum ita in terra jacentem animadvertiſſet, ſanguine conſperſum, ſtupore primo perculſus caſum aliquem adverſum in via accidiſſe putabat; mox autem quum ex mulieris clamoribus ſucceſſum indagaſſet, in furorem verſus aggreditur tabernam igni ſuccendere, atque mulierem occidere; ſed Petrus quem præ nimia debilitate ſola caritas erigere poterat, furentem inſequutus, a facinore revocat; ac miræ pietatis & manſuetudinis exceſſu ruinam avertit; enim vero ipſius voce tamquam angelica flexus, & victus iratus vindex, manus continuit, diſtrictum ferrum cohibuit; atque cui mortem intentabat, ad preces Petri pecuniam pro prætio illati damni liberaliter exſolvit. Sic effrænis mulier lenitate correcta, ad Petri pedes culpam & injuriam dolens veniam præcabatur; at ipſe ſuavibus monitis eandem corripiens & meliorem reddidit, & ſingulare patientiæ exemplum omnibus ſimul præſtitit.

CCLXXXVIII. Ejus conſtantia in tolerandis morborum incommodis etiam admirabilis fuit; iiſdem ſiquidem fere aſſidue vexatus, acerbiores dolores pati optabat; nec remedia, quæ afferri poterant niſi coactus admittebat. Sic in itineribus, aliave occaſione accepta vulnera negligebat, ſic toto quaſi vitæ tem-

tempore nullo ſe dolore vacuum in corpore vel animo liberum ſenſit. Et quum a Fratribus, ut a Deo levamen in oratione peteret, peramanter monebatur, reſpondebat: *Filii, pro Chriſto ſummo noſtro bono dolores, afflictiones, & adverſa pati via eſt breviſſima, æque ac certa & ſecura ad perfectionem, quæ licet anguſta ſit & difficilis, ſine dubio tamen recta ad portum cœli perducit.*

Ejusdem animi submiſsio.

CCLXXXIX. Dei beneficia per ſoccordiam, ignaviamque corrumpere ſæpe vel imprimis accuſare conſuevit, atque ita de ſuis rebus demiſſe, humiliterque tam ſentiebat, adeout tam in proſperis, quam in adverſis eundem ſenſum gerens, ſæpe dicere ſoleret. *Servus inutilis ſum & ſine fructu in domo Dei. Quid habes, quod a Deo non accepiſti? Quid reddam ego Deo pro omnibus gratiis, quas mihi tribuit? Offero tibi Deus meus, exigua illa, quæ habeo & valeo offerre.* Ita quoque ſanctitatis ſuæ fama ſummopere illum affligebat, eamque vel vulgari ignorantiæ, vel magnatum adulationi adſcribere ſtudebat; interdum ut applauſus populares declinaret, noctu Oppida Urbeſque ingrediebatur; dum autem negotii occaſio ad hominum frequentiam cogerent, paulatim profuſis illis obſequiis tamquam cruciatibus aſſueſcere didicit; quum ad ſingula reverentiæ argumenta in corde jacula excipere videntur, tunc potiſſime, quando ab Epiſcopis, aut Principibus hoſpitio exceptus, ſummo amoris, ac exiſtimationis affectu benedictionis gratiam ipſis impartiri rogabatur. Humilitatis hujus fovendæ cauſa, ita ſemetipſum redarguere non ſemel auditus eſt: *Nonne tu Mundo defunctus es? permitte itaque, te tamquam mortuum tractari, qui nullo aut laudum, aut incenſationis ſenſu ſtimulatus ullam internam, aut externam patitur immutationem.*

CCXC. Eo in Oppida ingrediente, quum obviam univerſi honoris cauſa irent, ipſe ut contemtum potius provocaret, relictis nobilioribus, pueris ſe immiſcebat; ita ad ludrica converſus, oblatos honores declinabat. Interdum in viis publicis ſtudioſe ea peragebat, quæ nauſeam magis & riſum, quam admirationem aut reverentiam poſſent afferre. Interea verſicolores panniculos hinc inde in ſportam collectos, tunicæ aſſuebat, ut ſtolidus, ac ineptus haberetur. Alias inter opifices bajulum agens, vilibus miniſteriis occupabatur, ut deſpectui omnibus eſſet; idem in Noſocomiis publicis circa ægrotos diligenter præſtabat, quum infimis miniſteriis addictus, ingenioſa humilitate faſtum, & plauſum publicum eludebat. In Aulis domibuſque Procerum, ubi maximi honores illi deferebantur, ſæpe ita ſe gerebat, ut feria etiam in riſum converteret, quo vilipendi mereretur.

CCXCI. Urgentiſſimis vocatus litteris Joannæ Auſtriacæ filiæ Imperatoris Caroli V. & ſororis Regis Catholici Philippi II. Aulam adüt, ubi ab eadem Principe fœmina a ſuis Confeſſionibus electus, conſtanti humilitate, ac inſufficientiæ obtentu ſolitudinem repetere difficillime obtinuit. Idem cum ipſomet Auguſtiſſimo Imperatore contigit, a quo hac conditione diſcedendi facultatem obtinuit; *placeat Majeſtati Veſtræ, ut in hoc negocio voluntas Dei fiat; & ideo ſi ego non revertar, certo ſibi perſuadeat, voluntatem Dei eſſe, ut in hoc Majeſtati Veſtræ non aſſentiar.* Domino autem ſibi inſpirante, ſe non ad quærendos honores ad Ordinem vocatum, ſed ut pœnitentiæ rigores in ſolitudine amplecteretur; quare ad Imperatorem reverti ex animo recuſavit.

CCXCII. Pedroſo Verracum pedibus cum hyemali tempore iter haberet, eumque nive coopertus cum ſociis, in quodam diverſorio noctem tranſigere cogeretur, inhumana hoſpes nullum ex pauperibus lucrum expectans, excuſabat ſe, quod lectos non haberet, qua repulſa lætus Vir Dei, quod ſe indignum judicaſſet, ſociorum tamen neceſſitati compatiens, mulierem allo-

quitur: *Soror mea audi nos, pauperculi ſumus, quibus nec lecti conveniunt, nec iis indigemus, ſi propter amorem Dei ita tibi placuerit, hic prope ignem in terra decumbentes habitus noſtros deſiccabimus; aut ſi hoc diſplicet, conducat nos ſaltem ad ſtabulum, & nobis ſufficiet.* Quod eum blandienti ſimilis, & voce & habitu ſubmiſſo protuliſſet, confuſa pudore mulier, perhumaniter euoi eum ſociis excepit, & proximo mane erroris culpam deprecata illorum ſe orationibus pie commendavit. Poſtea vero ipſamet aliis humile hoc Petri reſponſum memorans, tantam omnibus virtutis ejus exiſtimationem ingeſſit, ut quoties illac impoſterum Petrus tranſiret eooglobatim omnes ei occurrerent, ipſumque, aut Religioſos ſui Inſtituti hoſpitio recipere ſtudioſe certarent.

CCXCIII. Neque minori ſtudio apud Fratres ſuos vilis ſe haberi Petrus ſatagebat, dum abjecta miniſteria obiens proprium arbitrium alieno ſemper ſubmitteret, etiam in rebus gravioribus, quæ reformationis regimen attingebant; in quovis opere, inſtrumenta ineptiora & difficiliorem partem ſibi eligere; adire ſylvam lignaque cædere, & propriis humeris ad Cœnobium ferre ſolebat.

CCXCIV. Nobilis quidam Didacus de Loaiſa ex Comitibus del Arco fama Petri excitus, ad Cœnobium Pedroſi accedens, invenit illum effodiendæ, atque aſportandæ terræ pro Cœnobii fabrica anxie occupatum. Ad cujus aſpectum, quod Virum in Hiſpaniis percelebrem, totique Imperatoris Aulæ venerabilem ad ſervilia demiſſum videret, cooſuſione plenus, præ devotione in lacrymas diffluens, ad ejus ſe pedes linguis proſtravit. At Petrus virum magno eum pietatis affectu ſuſcipiens, primum ſpirituali colloquio, mox pœnitentiæ Sacramento ita conſolatum remiſit, ut ſæpe poſtea confiteretur, ſe ex humilitatis S. Patris recordatione, maximum culpas ſuas deflendi ſtimulum habuiſſe.

CCXCV. Dum Provincialis, aut Commiſſarii munere fungebatur, viliora Conventus officia obire non dedignabatur, ſed & reliquos in omnibus vilioribus quibuſque miniſteriis præveniens, ad ſe tamquam omnium Miniſtrum ea pertinere aſſerebat. Honoribus ſibi a Fratribus delatis profundiori humilitate adverſabatur, perſuadebatque ſingulis majoris meriti eſſe, eum quis dignum ſe honore cognoſceret, eundem cooſuſionis loco admittere.

CCXCVI. Aliquando adverſa valetudine graviſſime laborans, jumento vehebatur, ſocius autem, qui pedes ſequebatur poſt longam laborioſamque viam ad aſcenſum cujuſdam ardui montis de ſua laſſitudine, ac Patris commoditate tacite murmurabat; at Petrus ſecreta ſocii divina revelatione cognoſcens, e jumento ſtatim deſcendit, eique dulciſſimis verbis ad conſcendendum impulit. At vero erubeſcens ille, culpam ſuſurri ſui deprecatus, poſt longum humilitatis certamen, amoris Dei obteſtatione æquitare compellitur, ſequente, non ſine graviſſimo labore, Petro cui licet morbus & ætas corpori affecto pondus & moleſtiam augerent, humilitatis tamen ſpiritus vires animi videbatur addere. Demum, ita de ſuis rebus demiſſe ſentiebat & humiliter, ut ſe mortalium omnium infimum, & opus divinum maxime egentem putaret.

Paupertas ejus et Caſtimonia.

CCXCVII. Inſtitutum præcipuum, quod ſibi rigidiſſime ſervandum Petrus monte præfixerat, ſanctæ paupertatis obſervantia erat, quam primus religioſæ Minorum Familiæ fundator ſanctus Franciſcus in Ordinem ſuum arctiſſimum inveverat. Unde ſæpe Fratribus ſuis dicere conſuevit: *Paupertatem Fratris Minoris ita egentem eſſe debere, ut etiam aliquid relinquat ex neceſſario.* Eandem non ſuis modo Religioſis pro hæreditate ſacratius commendavit; cum fabricas Cœnobiorum ad ſtrictiorem formam ædificari, eorumque claves Patro-

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 355.
1562.	anno 3.	anno 5.	

tronis quotannis referri præcepit; verum etiam Teresiæ in suo Carmelitano Instituto adeo fideliter persuasit, ut etiam post mortem eidem apparens, priora monita de Providentiæ divinæ fiducia repetendo, tanquam negligenti exprobraret.

CCXCVIII. Cella, quam Petrus incolebat, eadem Teresia describente, quæ usque hodie apud Pedrosum invisitur, longitudinem pedum habet quatuor, & medii latitudinem, trium altitudinem; quæ erectum non admittat, nec hominem capit extensum, huic supellectilis mirum in modum arcta & pauperrima; petra sedile & stratum præstabat. Crucis imago ornamentum; lignum parieti immissum cervical; Breviarium antiquum bibliothecam. Religiosis suis nulla prorsus curiosa nec sacra quidem permisit, præter crucem ligneam & librum spiritualem, quibus pro Confessoribus Summam, pro Prædicatoribus divina Bibli a adjungebat. Et ut huic nuditatis exercitio perfectius assuesceret, repetebat sæpissime Evangelicam sententiam: *Ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit*. Monebat etiam quam sepissime, ut sibi non solum a cujuscumque rei terrenæ possessione, sed & desiderio diligenter custodirent, quoniam eadem infectus, facile alios posset corrumpere.

CCXCIX. Tunica, qua induebatur, omnium vilissima erat, adeo ut morti proximus deteriorem, quam petebat, invenire non posset; novam nunquam gestavit, sed laceram aut pluries sartam, quæ nuditati obtegendæ sufficeret, cum rudi func pro cingulo, mantello brevi ac femoralibus. Calceamenta nec infirmus gestabat, nisi aliquo casu pes offensus curandus esset; dicere solitus, tale sibi solatium, dum male haberet, convenire, cætera paupertati adversari, quando necessitati non serviunt. Ex his, quæ vitæ sustentandæ necessaria erant, deteriora semper capiebat tam quantitate, quam qualitate parcissima: & pro his tamquam mendicus ad portam Fratribus gratias humillimas referebat; egere se interdum necessariis quoque summopere lætabatur, dicere solitus, *minime pauperem appellari posse, cui etiam necessaria aliquando non desunt*.

CCC. Dum officio Commissarii Generalis fungeretur, accidit, eum a quodam Patre conspicuo ex Prædicatorum Ordine in Cœnobio Pedrosi visitari. Erat autem, illo accedente, in remotiori horti parte Petrus, tunicam, quam solam gestare consueverat, abluens; ideoque, dum siccaretur, nudus expectabat saxo insidens. Ita eum Dominicanus repertum, ignotum sibi hominem pereontatur. *Pater quomodo sic nudus hic stas?* Cui ille: *Et Christus quomodo stat in Cruce?* Mox ubi esset Pater Petrus interrogatus, seipsum esse demonstravit. Ad hæc obstupescens hospes, & velut illius vilipendium indigne ferens addit: *Pater quomodo possibile est, quod Vir tantæ autboritatis ita spoliatus maneat?* ad quod Petrus manu tunica ex arbore pendentem indicans, respondit: *Pater, si quicquam in hoc culpæ est, eam potius Evangelio adscribe, quod nos unica tunica contentos esse præscripsit*. Quibus verbis commotus Religiosus, majori admiratione correptus, lacrymas continere nequibat, quum tunicam adhuc madidam induere vidisset; negotio proinde, cujus causa venerat, pertractato, tale semper judicium de Petro proferebat: *se neminem unquam invenisse, qui Evangelium ad literam melius quam ipse servaret*. Eamdem paupertatem etiam in cæterarum rerum usu ad extremum usque constantissime coluit, Sodales ita monere solitus: *Filii, cavete vobis a quacumque re possidenda, imo desideranda, quia amore destru't, qui soli Deo debetur, eique soli convenit, & integer redditur. Qui minus cupit, minimisque contentus est, Deo se similem facit, qui nullius eget, & omnia in seipso continet; solliciti estote, sociam habete necessitatem, quæ paupertatem simplicem declarat, quæ necessariis etiam sponte renuntiat*.

CCCI.

De ejus Puritate virginali.

CCCI. Ex quo die Petrus eſt uſum rationis adeptus, pro caſtitatis cuſtodia divinum auxilium implorabat Reginæ Virginum, atque dilecti Diſcipuli opem etiam efflagitans. His adjungebat vini abſtinentiam, jejunia corporiſque macerationes, quæ carnis ſtimulum comprimerent, & præter mulierum fugam, oculorum mortificationem admirandam.

CCCII. Eadem exin religioſæ adſcriptus Familiæ majori diligentia repetebat, adeout fœdiſſimis incitationibus a Dæmonio ſæpe tentatus, Deo ſic permittente, virtutem ejus probari, poſt longum certamen carnis & ſpiritus, tandem victor glorioſus evaſerit. Hinc quadam die, quum acrius ſe carnis ſtimulis ſœdiſque cogitationibus vexari ſentiret, coram Domini noſtri Jeſu Chriſti Crucifixi imagine ſtratus, tales ſibi tentationes auferri lacrymando precabatur; inter orandum vero hæc etiam proferre audiebatur. *Quomodo Deus meus, corpus tuum virginale tot cruciatuum doloribus angitur, & ego in meo voluptates & oblectamenta permittam? quomodo fieri poteſt, ut eum offendam, qui ſuum mihi amorem dedit, & ſuæ puritatis reddidit participem? O Dæmon nequaquam hoc erit, nimis me video a Deo meo amatum, qui pluris mihi erit, quam omnia fœlatia aut delectabilia mundi.* Ad quæ verba ex cordis intimo ſingulari pietatis affectu prolata, evaneſcere cogitationes obſcœnas, animam priſtinæ ſerenitati reddi, & inimicum recedere ſenſit: placato gaudens corde & mente tranquilla.

CCCIII. Alias cellæ incluſus, vehementi carnis tyrannidem ſentiens, licet animoſe prius orando reſtitiſſet, tamen pertinaci moleſtiæ majus injicere frænum generoſe ſtatuit. Itaque tunica ſpoliatus, flagris ſæviſſimis corpus affligit, & cum ſanguinem copioſe elicuiſſet, orabat Redemtorem, ut ſui memor phantaſmata importuna depelleret. Sed qui Servo ſuo glorioſiores præparabat triumphos, permiſit, vehementius libidinis incendium membra ejus urgere, donec pro illo extinguendo Petrus rigidiſſimæ hyemis frigori ſe exponere, mox ſtagno propinquo totum ſe immergere, tanquam expeditiſſimum remedium conſtituiſſet; ſæpe hoc modo aliiſque ab antiquioribus Viris ſanctis uſitatis, petulantiam carnis ſollicite refrænabat, licet ex quarundam violentia vehementes illos ſtomachi dolores, quos ſenectute provectiori patiebatur, Petrum contraxiſſe complures cenſuerint.

CCCIV. Nunquam etiam charitatis aut neceſſitatis, quacumque objecta occaſione, mulieres alloquebatur, nec in alicujus faciem oculos figebat. Hinc Abulæ illuſtri cuidam mulieri de adverſa ſua valetudine conquerenti, ſincere Petrus reſpondit: *O Domina, nunquam vos in meliori ſanitatis ſtatu vidi, quam nunc.* Ex quo ipſa intelligere facile potuit, nunquam ab illo fuiſſe ſpectatam, quamvis ſæpiſſime fuiſſet alloquutus. Eandem cautelam Fratribus ſuis ſtudioſe inculcabat: juniores licentius oculos attollentes, etiam in publico libere corripiebat, ſeniores ſeria admonitione modeſte arguebat; omnes denique ſequenti inſtruebat doctrina. *Non confidat quiſquam ſibimetipſi dicendo ſufficere cor bene cuſtod'tum habere; quia tam ingenioſa eſt carnis petulantia ad nos decipiendum, ut contra quancumque virtutem, qua quis polleat, ipſa audentior inſurgat ad tollendum eum, qui magis ſe prudentem ac ſpiritualem eſſe præſumit, niſi intus vigilet, & foris ſe cuſtodiat.*

CCCV. Morti proximus, quum habitu, ut dicebamus, ſpoliari, & ultimum agonem inire nudus voluiſſet, quidam ex Fratribus veſtem exhibens, & ut eadem ſe operiri permitteret, admonens, ad illum Petrus; *recede fili, ne me operias: adhuc enim in periculo verſor.* Prudenti hoc monito indicans, etiam in ultimo vitæ certamine a carnis illecebris timendum eſſe, quanto magis, dum illa adhuc vegetior, integras contra nos vires explicare tentat, & bellum inſert.

CCCVI.

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 355.
1562.	anno 3.	anno 5.	

peccados merecieſſe andar engañada, haya dexado tantas oraciones de tan buenos, como dos años hà ſe hacen, que yo no hago otra coſa ſino rogarlo à todos, para que el Señor me dè à conocer ſi es eſto ſu gloria, ò me lleve por otro camino. No creo permitiera ſu Divina Mageſtad, que ſiempre ſueſſen adelante eſtas coſas, ſino fueran ſuyas. Eſtas coſas, y razones de tantos Santos, me esfuerzan quando traygo eſtos temores de ſi no es Dios, ſiendo yo tan ruin. Mas quando eſtoy en oracion, y los dias que ando quieta, y el penſamiento en Dios, aunque ſe junten quantos Letrados, y Santos hay en el mundo, y me dieſſen todos los tormentos imaginables, y yo quiſieſſe creerlo, no me podrian hacer creer que eſto es Demonio, porque no puedo. Y quando me quiſieron poner en que lo creyeſſe, temia viendo quien lo decia, y penſaba, que ellos debian de decir verdad; y que yo ſiendo la que era, debia eſtàr engañada. Mas à la primera palabra, ò recogimiento, ò viſion, era deshecho todo lo que me havian dicho; yo no podia mas, y creìa que era Dios.

Aunque puedo penſar, que podia mezclarſe alguna vez Demonio, y eſto es aſſi, como lo he digo, y viſto, mas trahe diferentes efectos; y quien tiene experiencia, no le engañarà à mi parecer.

Con todo eſto digo, que aunque creo que es Dios ciertamente, yo no haria coſa alguna, ſino le pareciеſſe à quien tiene cargo de mi, que es mas ſervicio à Nueſtro Señor por ninguna coſa. Y nunca he entendido ſino que obedezca, y que no calle nada, que eſto me conviene. Soy muy ordinario reprehendida de mis faltas, y de mane-

tem puto; neque de Deo hoc credere unquam potero, quod, quamvis meruerim propter mea peccata ſeduci, nullo loco habuerit tot tam devotorum preces, qui a duobus jam annis pro me orant; nunquam enim ceſſo rogare omnes, ut mihi a Deo impetrent lumen ad diſcernendum, utrum hoc ex ejus gloria ſit, vel ut alia me via dignetur deducere. Simile vero mihi non eſt futurum fuiſſe, ut Divina Majeſtas permitteret iſta in dies augeri, niſi ex eo eſſent. Rationes iſtæ tot Sanctorum hominum me confirmant, quando timoribus angor, ne forte non a Deo ſint, cum ego tam mala ſim; cæterum dum orationi vaco, & iis præcipue diebus, quibus quieta ſum, & mea mens in Deo eſt, quamvis ſimul convenirent quotquot litterati, & ſancti homines in Mundo ſunt, & me omni, quod fingi poteſt, tormentorum genere diſcruciarent, ut ego vellem aſſentiri, non poſſent me adducere, ut crederem iſta ex Diabolo eſſe, non enim poſſum. Et quando voluerunt extorquere ex me, ut ita crederem, timebam quidem conſiderans a quibus diceretur, & putabam oportere, ut pro illis ſtaret veritas, ego vero, cum eſſem, qualem me eſſe cognoſcebam, deciperer. Attamen primo interiori verbo, & mentis exceſſu, vel viſione, quidquid mihi dictum fuerat, evaneſcebat, nec aliter poteram, quam credere quod Dei opus eſſet. Quamvis autem non dubitem poſſe aliquando malum Dæmonem ſeſe iis immiſcere, & ita revera ſit quemadmodum dixi, & perſpexi; nihilominus admodum differentes effectus ſunt, ut, mea quidem ſententia, experto imponere non poſſit.

Utut vero res ita ſe habeat, dico quod licet certo credam hæc ex Deo eſſe, nullo tamen pacto aliquid facerem, niſi illi probaretur, cujus me curæ commiſi; hoc enim majus Dei ſervitium eſt; & nunquam edocta ſum, niſi ut obediam, nec quidquam ſilentio premam, eoquod ita mihi expediat. Admodum frequenter de meis defectibus incre-

nera, que llega à las entrañas; y aviſos quando hay, ò puede haver algun peligro en coſa que trato, que me han hecho harto provecho, trayendome los pecados paſſados à la memoria muchas vezes, que me laſtima harto.

Mucho me he alargado, mas es aſsi cierto, que en los bienes que me veo quando ſalgo de oracion, me parece quedo corta; deſpues con muchas imperfecciones, y ſin provecho, y harto ruin. Y por ventura las coſas buenas no las entiendo, mas que me engaño; empero la deferencia de mi vida es notoria, y me lo hace penſar. En todo lo dicho digo lo que me parece, que es verdad haver ſentido. Eſtas ſon las perfecciones, que ſiento haver el Señor obrado en mi tan ruin, è imperfecta. Todo lo remito al juicio de V. md. pues ſabe toda mi alma.

crepata ſum, idque tam ſevere, ut viſcera ipſa pervadat, & admonita, ſi quando eſt, aut eſſe potuit aliquid periculi, in iis quæ præ manibus haberem; atque his multum profeciſſe me ſentio; coquod ſæpe me coegerint præterita crimina ad memoriam revocare, non ſine gravi animi cruciatu.

Prolixius ſum ioquuta, ſed certum etiam eſt, quod ioquens de his bonis, quæ in me poſt orationem experior, verborum inops mihi videor; præter multas imperfectiones, nullum profectum, & multam malitiam. Et fortaſſe ea, quæ bona ſunt, non intelligo, & in errore ſum. Verumtamen vitæ meæ mutatio manifeſta eſt, & cogit ita me credere. In prædictis omnibus dico, quæ mihi videntur, & ut vere mihi videor ſenſiſſe. Hæc perfecta ſunt opera, quæ experior Dominum perfeciſſe in me tam vili, & imperfecta. Horum omnium judicium eſto Paternitatis Veſtræ, quæ totius animæ meæ conſcia eſt.

CCCXX. Uſque huc Tereſia ad Petrum, qui continuo, & prompte ſequens dedit reſponſum, non quidem uni Tereſiæ, ſed omnibus, qui de veritate ejuſdem ſpiritus erant ancipites directum, ut ita Virginis ſanctitas magis magiſque ab illis comprobaretur.

PUnto primero. El fin de Dios es llegar una Alma à sì, y el del Demonio, apartarla de Dios. Nueſtro Señor nunca pone medios, que aparte à uno de sì, ni el Demonio, que lleguen à Dios. Todas las viſiones, y las demàs coſas, que paſſan por ella, la llegan mas à Dios, y la hacen mas humilde, y obediente.

El ſegundo: Doctrina es de Santo Thomàs, que en la paz, y quietud del Alma, que dexa el Angel de luz, ſe conoce. Nunca tiene eſtas coſas, que no quede con gran paz, y contento; tanto, que todos los placeres de la tierra juntos, no ſon como el menor.

El tercero: Ninguna falta tiene, ni imperfeccion, de que no ſea reprehendida de el que le habla interiormente.

I. *Finis Dei eſt animam ad ſe conducere, Sathanæ vero eam a Deo abſtrahere: Deus nunquam timores incutit, qui aliquem a ſe repellunt, nec Sathanas eos, qui ad Deum compellunt; omnes viſiones, aliæque res, quæ animæ contingunt, magis ad Deum conducunt, cum efficiunt magis humiliem, obedientem, &c.*

II. *Doctrina eſt D. Thomæ, aliorumque Sanctorum, Angelum lucis agnoſci ex pace & quiete, quam in anima relinquit. Unde neque ipſa ſentiebat tales favores, niſi in ſumma pace atque lætitia, quæ omnes ſimul terrenas, vel in puncto ſuperat, atque excedit.*

III. *Nullum defectum, aut imperfectionem committebat, de quibus non reprehenderetur ab illo, qui interius ei loquebatur.*

El IV.

El quarto: Jamàs pidiò, ni deſeò eſtas coſas, ſino cumplir en todo la voluntad de Dios Nueſtro Señor.

El quinto: Todas las coſas, que dice, vàn conforme à la Eſcritura, y à lo que la Igleſia enſeña, y ſon muy verdaderas en todo rigor Eſcholaſtico.

El ſexto: Tiene muy gran puridad de alma, gran limpieza, deſeos fervoroſiſſimos de agradar à Dios, y à trueque de eſto, atropella con quanto hay en la tierra.

El ſeptimo: Hanle dicho, que todas las coſas, que pidiere à Dios, ſiendo juſto, ſe le daràn; muchas ha pedido, y coſas, que no ſon para Carta, por ſer largas, y todas ſe las ha concedido Nueſtro Señor.

El octavo: Quando eſtas coſas ſon de Dios, ſiempre ſon ordenadas para bien proprio, comun, ò de alguno; de ſu aprovechamiento tiene experiencia, y de el de otras muchas perſonas.

El noveno: Ninguno la trata, ſi no lleva prava diſpoſicion, que ſus coſas no le muevan à devocion, aunque ella no las diee.

El decimo: Cada dia và creciendo en la perfeccion de las virtudes, y ſiempre le enſeñan coſas de mayor perfeccion; y aſsi en todo ſu diſcurſo de tiempo, eu las miſmas viſiones, ha ido creciendo de la manera, que diee Santo Thomàs.

El undecimo: Nunca le dicen novedades, ſino coſas de edificacion, ni le dicen coſas impertinentes.

El duodecimo: De algunos le han dicho, que eſtàn llenos de Demonios; pero para que entienda qual eſtà un Alma, quando mortalmente ha ofendido à Dios.

El terciodecimo: Eſtylo es del Demonio, quando pretende engañar, aviſar que callen lo que les dice; mas à ella, que lo comunique con Letrados, y Siervos del Señor, y que quando callare, por ventura, la engañarà el Demonio.

IV. *Nunquam petiit, aut deſideravit tales res, ſed tantum operam dabat voluntati Dei in omnibus placere.*

V. *Quidquid ipſi Dominus dicebat, conforme erat ſacris Scriptaris, & doctrinæ Eccleſiæ, nec ulli rigori, etiam Scholaſtico contrarium.*

VI. *Habet maximam animæ paritatem, ſinceritatem, & ferventiſſima deſideria placendi Deo, nec propterea quidquam terreni curat, aut in pretio habet.*

VII. *Dictum ipſi erat, concedendam fore quidquid a Deo peteret, dummodo juſtum eſſet: quorum autem effectum & experientiam obtinuit. Nimis longum foret hic catalogum inſerere, aut deſcribere.*

VIII. *Quando ſimiles res a Deo ſunt ordinatæ, ſunt & in utilitatem, vel propriam, vel aliorum: & ſic de ſuo profectu habebat experientiam, nec minus etiam de aliorum.*

IX. *Cum nemine communicabat, quem res ejus non commoveret, licet de eis non loqueretur.*

X. *Quotidie creſcebat in profectu virtutis inſtructa ſemper de majori perfectione, & hac ratione ſecundum modum a D. Thoma obſervatum, toto tempore ſuarum viſionum augebatur ei earumdem rerum claritas.*

XI. *Nunquam ad ipſam facetiæ, aut res frivolæ referebantur, ſed quæ ad ædificationem tantum pertinebant.*

XII. *De quibuſdam dictum ei erat, quod a malis ſpiritibus obſidebantur: ipſa tamen cognoſcebat, quomodo ſe haberet anima, quæ Deum lethali peccato offendit.*

XIII. *Mos eſt diaboli decipientis monere, ut taceatur quidquid ille ſuggeſſerit; ſed ipſa ſemper ſua cum viris doctis ac timoratis omnia conferebat; & alias decipi ſe poſſe a maligno valde timebat.*

El XIV.

El quartodecimo: Es grande el aprovechamiento de ſu Alma con eſtas coſas, y la buena edificacion, que dà con ſu exemplo, que mas de quarenta Monjas tratan en ſu Caſa de recogimiento.

El quintodecimo: Eſtas coſas ordinariamente le vienen deſpues de larga oracion, y de eſtàr muy pueſta en Dios, y abraſada en amor, ò comulgando.

El decimoſexto: Eſtas coſas le ponen grandiſſimo deſeo de acertar, y que el Demonio non la engañe.

El decimoſeptimo: Cauſan en ella profundiſſima humildad: conoce, lo que recibe, ſer de la mano del Señor, y lo poco que tiene de sì.

El decimo octavo: Quando eſtà ſin aquellas coſas, ſuelenla dàr pena, y trabajo coſas que ſe le ofrecen; en viniendo aquello, no hay memoria de nada, ſino gran deſeo de padecer; de eſto guſta tanto, que ſe eſpanta.

El decimo nono: Cauſanle holgarſe, y conſolarſe con los trabajos, y murmuraciones contra sì, y enfermedades; y aſſi las tiene terribles de corazon, y vomitos, y otros muchos dolores; los quales, quando tiene las viſiones, todos ſe le quitan.

El vigeſimo: Hace muy gran penitencia con todo eſto, ayunos, diſciplinas, y mortificaciones.

El viente y uno: Las coſas, que en la tierra le pueden dàr contento alguno, y los trabajos, que ha padecido, todos los ſufre con igualdad de ànimo, ſin perder la paz, y quietud de ſu Alma.

El viente y dos: Tiene tan firme propoſito de no ofender al Señor, que tiene hecho voto de ninguna coſa que entendiere, que es mas perfeccion, ò que ſe la diga quien la entiende, que no la haga; y con tener por Santos à los de la Compañia, y parecerla, que por ſu medio la ha hecho el Señor tantas mercedes, me ha dicho à mi, que ſi el no tratarlos, ſupieſſe, es mas perfeccion, que para ſiem-

XIV. *Adeo anima ſua in omnibus his proficiebat, ut ædificatione quoque aliis ad imitationem compelleret, dum in Monaſterio (ubi degebat) ultra quadraginta Monachæ ejus Recollectionem imitarentur.*

XV. *Res vero iſtæ inſolitæ contingebant ei poſt diuturnam orationem, & mentis in Deum elevationem; quia ejus amore accenſa ſanctiſſimam Communionem ſuſcipiebat.*

XVI. *Accendebant quoque deſiderium perfectionis, & ne a Satbana decipi poſſet impediunt.*

XVII. *Efficiebant in ipſa profundiſſimam humilitatem, & cognitionem ſui ipſius; qua nihil ſe poſſe intelligebat, nec niſi a divina largitate omnia provenire.*

XVIII. *Quando his rebus carebat, omnia alia, quæ offerebantur, ei moleſta erant; quando vero illis habebat, nulla ei aliarum rerum memoria occurrebat, præter ſummum deſiderium patiendi, quo adeo delectabatur, ut explicare non valeret.*

XIX. *Solebat quoque lætari de ſuis tribulationibus, atque murmurationibus, & in his ſe ipſam conſolari. Infirmitates patiebatur graviſſimas, ut cordis, vomitus, dolorumque variorum, quibus (cum viſiones habebat) liberari ſe ſentiebat.*

XX. *Studebat nihilominus pœnitentiæ exercitiis, jejuniis, diſciplinæ, atque mortificationis.*

XXI. *Res, tam proſperas, quam adverſas, æquo ſemper animo ac pacifica mente ſine interiori turbatione ulla ferebat.*

XXII. *Propoſitum adeo firmum habebat non offendendi Deum, ut verbo ſe obſtrinxerit, non negligendi, aut omittendi quamcunque rem, quam ſciverit, aut audierit eſſe de majori perfectione; ita ut mihi dixerit, licet pro perfectis haberet Patres Societatis, quorum doctrina in via hac ſpirituali profeciſſe ſe fatebatur, atque ad illum gradum gratiarum perveniſſe: tamen ſi certius cognoſceret majorem perfectionem*

ſiempre no les hablaria, ni veria, con ſer ellos los que la han quietado, y encaminado en eſtas coſas.

El veinte y tres: Los guſtos, que ordinariamente tiene, y ſentimientos de Dios, y de derretirſe en ſu amor, es cierto, que eſpanta, y con ellos ſe ſuele eſtàr todo el dia arrobada.

El veinte y quatro: En oyendo hablar de Dios con devocion, y fuerza, ſe ſuele arrebatar muchas vezes, y con procurar reſiſtir, no puede, y queda entonces tal à los que la vèn, que pone grandiſſima devocion.

El veinte y cinco: No puede ſufrir à quien la trata, que no diga ſus faltas, y no la reprehenda, lo qual recibe con grande humildad.

El veinte y ſeis: Con eſtas coſas no puede ſufrir à los que eſtàn en eſtado de perfeccion, que no la procuren tener en ſu Inſtituto.

El veinte y ſiete: Eſtà deſpegadiſſimá de paſſiones, de querer tratar con las Gentes, amiga de ſoledad: tiene gran devocion con los Santos, y en ſus Fieſtas, y Myſterios, que la Igleſia repreſenta, tiene grandiſsimo ſentimiento de Nueſtro Señor.

El veinte y ocho: Si todos los de la Compañia, y Siervos de Dios, que hay en la tierra, la dicen que es Demonio, ò lo dixeron, teme, y tiembla antes de las viſiones; pero eſtando en oracion, y recogimiento, aunque la hagan mil pedazos, no ſe perſuadirà, ſino que es Dios, el que la trata, y habla.

El veinte y nueve: Hale dado Dios un tan fuerte, y valeroſo ànimo, que eſpanta: ſolia ſer temeroſa; ahora atropella todos los Demonios, es muy fuera de melindres, y niñerias de mugeres, muy ſin eſcrùpulo, muy rectiſsima.

El treinta: Con eſto la ha dado el Señor el dòn de làgrimas ſuaviſsimas, grande compaſsion de los Proximos, conocimiento de ſus faltas, tener en mucho à los buenos, abatirſe

ſtionem fore cum illis non communicare, id promptiſſime ſe facturam, nec amplius eos viſuram, quibus mentis quietem debebat.

XXIII. *Guſtus, atque affectiones ejus de Deo explicari non poſſunt, adeo ut in ejus amore quaſi liquefacta integros dies immobilis permaneret.*

XXIV. *Cum de Deo cum pietate ac efficacia loqui intelligebat, ſæpius in extaſim rapiebatur, nec id impedire poterat excitando hac ratione plurimos ad devotionem.*

XXV. *Ægre fert quoſcumque ſibi familiares, qui ſibi defectus ſuos non manifeſtant, aut non reprehendunt. Correctiones vero ſumma cum humilitate amplectitur.*

XXVI. *Valde quoque ei diſplicet, quod unuſquiſque ſecundum gradum ſui inſtituti non ſtudeat ſummopere ejuſdem perfectioni.*

XXVII. *Supra modum affinium, aliorumve ſæcularium conſuetudinem fugit amica ſolitudinis. Magnam erga Sanctos venerationem habet, eorumque feſta, & cætera myſteria (quæ Eccleſia repræſentat) devotiſſime celebrat, præter altiſſimos de Deo conceptus, quibus illuſtratur.*

XXVIII. *Quando aut Patres Societatis, aut alii quicumque Servi Dei dicebant ipſi ante viſiones, quod a dæmonio illuſa eſſet, tota contremiſcebat, atque timebat; at poſtquam in oratione, & mentis quiete Deo fruitur, alium, quam eum loqui, perſuadere ſibi non poteſt, etiam ſi in fruſta ipſam diſcerpant.*

XXIX. *Conceſſit ei Deus animi conſtantiam, atque fortitudinem indicibilem; unde prius timida, nunc dæmonis terrori eſt: longe abeſt a quibuſvis muliebribus, nec ſcrupuloſa nimis, ſed rectiſſima.*

XXX. *Ad hæc dedit ei Deus ſuaviſſimum lacrymarum donum, ſummam proximi compaſſionem, cognitionem integram ſuorum defectuum, & ſui ipſius contemptum. Et dico pro veritate*

 mul-

à sì misma: y digo cierto, que ha hecho provecho à hartas personas, y Yo soy una.

El treinta y uno: Trahe ordinaria memoria de Dios, y sentimiento de su presencia: ninguna cosa la han dicho jamàs, que no haya sido assi, y no se haya cumplido, y este es grandissimo argumento.

El treinta y dos: Estas cosas causan en ella una claridad de entendimiento, y una luz en las cosas de Dios admirable.

El treinta y tres: Que la dixeron, que mirassen las criaturas, y que no se hallaria, que jamàs alma, que deseasse agradar à Dios, huviesse estado engañada tanto tiempo.

multos ipsam juvisse, inter quos & ego sum.

XXXI. *Semper in memoria Deum habebat, & ejus præsentiæ cognitionem; neque unquam ipsa dicere quidquam audita fuit, quod effectu comprobatum non extiterit, id quod pro magno argumento habendum videtur.*

XXXII. *Omnia ista efficiebant in ipsa magnam intellectus claritatem, in rebus divinis lucem admirabilem.*

XXXIII. *Dictum ei fuit, ut moneret contradicentes sibi: scrutentur Scripturas, in quibus non invenient aliquam animam Deo consecratam, atque servitutis ejus avidam, quæ unquam tam longo temporis spatio fuerit decepta.*

CCCXXI. Quamvis tamen sapientia Petri satis superque ex hujusmodi approbatione innotesceret, vir quidam non defuit doctrina celebris in Placentina urbe, qui sapientiam hujusmodi parvipenderet. Arrepta itaque occasione, in quadam Ecclesia Petrum pœnitentiæ Sacramenti causa confidenter adiens, non culpas suas pro more accusare, sed subtilium quarundam difficultatum solutionem petere præsumpsit. Quibus quum expedite, plenissimeque Petrus satisfeciset, non solum animum Viri scientiæ divinitus sibi donatæ certitudine confirmavit, sed etiam pietatis affectum suorum verborum vi ita commovit, ut dubitationis culpam ultro accusans, cæterorum peccatorum integram confessionem Viro sancto magna cum cordis contritione perfecerit; ac tandem melioris vitæ perfectam rationem inierit. Cujus gratia, quum se amicorum frequentiæ subtraxisset, iisdem siniſtri alicujus casus suspicionem ingessit, ad quam tollendam ipse facti, atque congressus cum beato Patre seriem enarrans, facile omnibus persuasit, se ad meliorem frugem ejusdem efficacibus monitis fuisse conversum.

CCCXXII. Factum non dissimile in eadem urbe evenit cum insigni Didaco Banezio egregio S. Ordinis Prædicatorum in Theologia Magistro. Hic difficile sibi Petri donum scientiæ persuadens, eam popularibus potius prædicationibus, quam probatæ rei testimoniis consuevit adscribere. At quadam die, dum in cœtu Religiosorum hominum prope Chorum sermones miscereț, ingredientem in Ecclesiam Petrum accurate conspexit; ideoque Fratrum confabulationi aures ultro non præbuit, sed ad Virum Deijin Ecclesia accessit, illumque ad secretum colloquium importune ad Claustrum venerabundus attraxit. Inde ambo in remotum cubiculum secedentes, Didacus ad pedes Petri procidens, cordis compunctionem profusis lacrymis, ac singultibus aperuit; quam etiam post longum colloquium adstantes viri Religiosi attentius agnoverunt; Itaque soluto congressu instabant ipsi, ut sibi transactarum rerum cum Petro seriem enarraret, ut improvisæ mutationis causam agnoscerent. Quibus ille facile morem gerens, convocatis prius ad concionem omnibus, tale sanctitatis, ac scientiæ Petri testimonium concepto sermone edidit: *Patres charissimi, notam vobis fuisse non ignoro incredulitatem meam, quam variis testimoniis vestris de servo Dei Petro de Alcanta-*

ra

ra fidem dare obſtinatius recuſavi. Hanc vero ſolum ad ejus aſpectum in Eccleſia ita in me mutatam ſenſi, ut compulſus fuerim ad ejus pedes ſecreta animæ meæ liberius pandere: ſciatis proinde, quod Deus mihi oculos aperire dignatus fuit, dum P. Petrus in Eccleſia ambulabat, ut mirabilia intueri mererer, ex quibus ſervum ſuum Dominus tunc condecorabat. Conſpiciebam nimirum piurimos Angelos eum circumdantes, atque in manibus quaſi geſtantes, ſingulari quodam modo ei blandiri. Unde reverentia perculſus ad pedes ejus advolavi, ut culparum mearum confeſſione quam citiſſime edita, divinæ miſericordiæ veniam impetrarem, quam tunc concepto dolore ardenter poſcebam. Videbatur enim mihi neminem inveniri poſſe, qui Cœli Civis feliciori ſorte deſtinatus fuerat: Conveni itaque illum cum feſtinatione, & poſt confeſſionem varia dubia ſuper difficillimas materias eidem propoſui, & vere vobis in fide Sacerdotis indigni (ut ſum) profiteor me a nullo Viro docto talia unquam intellexiſſe, qualia Vir ipſe ſanctus brevi illo temporis intervallo mihi exacte declaravit. Eſt enim ille præditus ſuperno lumine interiora cognoſcendi, mirabili ſuavitate & efficacia in perſuadendo, ſicut, & obſcura dubiorum elucidandi ſcientia divina; Quæ omnia ſibi ab eodem ſpiritu infuſa dignoſcuntur. O ſcientia humana! quantis ignorantiæ tenebris offunderis, niſi divini luminis radiis illuſtreris? Ita ſermonem claudens, apud omnes Petri ſanctitate, atque ſcientia graviſſimo argumento comprobata, impoſterum famæ ejus, ac virtutis præco effectus eſt ſingularis. Alii quoque plurimi, qui pro Scripturarum difficultatibus enodandis ad Petrum crebro acceſſerant, mirificæ ipſius facilitatis in earumdem explicatione edenda admirationem non vulgarem concipiebant.

CCCXXIII. Ex hac inſuper dote admirabilem prædicationis ejus efficaciam proveniſſe facile evincitur, quum ſerventiſſimo ejus zelo conjunctæ tot peccatorum converſiones, animarumque lucra feliciter parta omnibus fuerint explorata, atque comperta. His accedebat exterior corporis habitus, qui macie, ac auſteritate palleſcens, interioris luminis divini in vultum redundantia, terrorem incutiebat & reverentiam, quæ verborum lenociniis auribus, oculiſque peccatorum minime blandiebatur: Propterea ſolitus erat eligere argumenta ſermonum aſpera, atque pro culpis reprehendendis vehementiora, quibus opportune ex redemptionis noſtræ memoria lenimenta ſuaviora prudenter addebat. Hinc frequenter etiam in exclamationes quaſdam erumpebat: *Deus incarnatus eſt, Deus paſſus eſt, Deus mihi vitam concedit, & hoc non agnoſco?* Ita ut aliquando in his defixus, in extaſim raptus maneret, vel hæreret immobilis. Mirum hoc erat, quod dum Viris doctis varias Scripturarum difficultates explanabat, aut alia ad nobiliores documenta dirigebat, eodem tempore etiam a rudioribus probe intellectus, eos ad compunctionem atque converſionem perducebat, ita ut linguarum donum, ſeu intelligentiæ Apoſtolis conceſſæ Petro tributum tali argumento facile judicaretur. Ejus enim doctrina ab omnibus percipiebatur, atque diſtinctius intelligebatur, non ſine magna admiratione doctorum virorum, & ſapientium. Erant itaque audiendi eum cupidi adeo homines, ut quum templa populi multitudinem non admitterent, in aperto campo munere ſuo fungi quam ſepiſſime cogeretur; ipſe autem tanto fervore in illud incumbebat, ut terras & loca diſtantia percurrens, occaſionem piis præbuerit cum ſuæ ſalutis admonendi, quam ipſe ſe libentiſſime pro animarum beneficio impertire reſpondebat; nec quicquam gratius habere, quam Regnum Chriſti peccatorum converſionibus, & vera pœnitentia augere. Varia hujuſmodi converſionum exempla in hac narratione memoravimus, quorum non minus illuſtre additamentum illud erit Roderici a Chaves viri inter Placentinos nobiliſſimi muta-

tio admiranda: Hic enim ætate ac opibus florens, luxu ac vanitate diffluebat; tum ſecreta duntaxat curioſitate ad prædicationem Petri accedens, divinæ gratiæ ſuperno munere repente, & quo minus ipſe cogitabat tempore, adeo ejus dicendi vi ſe commotum ſenſit, ut nulla præſentis multitudinis habita ratione, ad Petri pedes demiſſe procumberet, ejuſque ſe conſiliis pro novæ vitæ ratione ineunda non ſit veritus committere. Eum tamen Petrus amplectens, ſalutaribus monitis inſtructum, atque in Cœnobium ad ſe mox reverſurum pro diſponenda generali peccatorum Confeſſione, domum remiſit. At Uxor tam repentina Mariti mutatione perculſa, Petrum adiit cauſam exploratura, a quo quum variis ſpiritualibus documentis erudita ſpiritum & ipſa Chriſtianæ pietatis concepiſſet, adeo in ejuſdem pium affectum exarſit, ut Mariti viam probare, ejuſque etiam conſortium relinquere, ac Monaſterium ingredi decreverit. At B. Pater utriuſque pietatem temperando, eos ad Tertii Ordinis Inſtitutum admiſit; in quo egregiis virtutum exercitationibus æmula pietate dantes operam, Parentum, & Amicorum contradictiones & probra conſtanti deſpectu, ac perfecta humilitatis profeſſione feliciter ſuperarunt. Hic locum *Palancar* pro fundando Cœnobio Pedroſi liberaliter, ac religioſiſſime Petro obtulit, ut ſuperius innuimus.

Tom. 2. in Exod. in Indic. ad PP. lit. P.

CCCXXIV. Huic demum Petrus illud inſcripſit opuſculum, quod vere aureum Joannes de la *Haye* affirmat, quodque in cujuſcunque Europæ regionis idiomate tranſlatum fuiſſe ſatis ſuperque liquet: In duas partes diviſum illud habemus præ manibus: In prima agit de oratione & meditatione, in ſecunda de devotione. De eo Joanne a S. Antonio teſte, Chriſtina Svecorum Regina ſic quoſdam Cardinales alloquitur: *Etſi volumen cæteris, quæ mihi dederunt, exiguum; nullum tamen magis animum meum exſperta ſum inflammaſſe, atque in Catholica veritate confirmaſſe. Nemo propterea inficiari poteſt ſpiritum S. Auctoris calamum direxiſſe. Enim vero in ejuſdem quacunque dictione ſolidam veritatem reperio, quam ita efficaciter integra etiam cæterorum auctorum ingentia volumina perſuadere non poſſunt. Hanc ob cauſam opuſculum habeo veluti pretioſiſſimam gemmam cariſſimum. &c.*

Supplem. Biblioth. Franc. lit. P.

CCCXXV. Pater Ludovicus Granatenſis ea ætate celebris, hujus tractatus æſtimatione mire illectus, ſe unice ſancti Viri orationibus commendandi cauſa, litteras eidem plenas obſequii præſcripſit. De eodem ſanctæ Tereſiæ teſtimonium cap. 30. ejus vitæ hoc habetur. *Auctor eſt* (ſanctus Petrus) *quorundam tractatuum de Oratione, qui magno nunc loco habentur, quia a probo, experto pleni fructus, & perfectionis ſpiritualis compoſiti fuerunt.* Cujus ſanctæ atteſtationi quæcunque aliæ cedunt propter eminentem ejuſdem in hoc ſtudii genere doctrinam, atque experientiam ipſi Petro optime perſpectam. Nec tamen ſuperfluum etiam videbitur ſancti illius Antiſtitis Franciſci de Sales teſtimonium indicare, quo ad quandam mulierem devotam ipſe prædictos tractatus commendat, eamque ad eorumdem lectionem ſerio cohortatur. Teſtimonium demum ſummi Romani Pontificis Gregorii XV. accedit, qui attente, ac perattente per ſemetipſum celebris opuſculi doctrina diſcuſſa, dicere conſuevit, ipſum eſſe lumen efficaciſſimum ad dirigendas animas, quia Spiritus ſanctus Petri calamum reipſa direxit, utque idem ſanctiſſimus Spiritus propterea in ſui dorſo depingeretur columbæ ſpecie permiſit, eumdem Doctoris, atque Magiſtri Myſticæ Theologiæ decoraſſe fertur. Sub criterio item celebre opus extitit Purpuratorum PP. Congregationis Sacrorum Rituum, ſuitque poſt Urbani VIII. Decretum, omnium primum illorum, quæ deinceps ab Apoſtolica Sede in Servorum Dei cauſis diſcutiendis approbata ſunt.

In Epiſt. Spiritual. part. 2. lib. 3. ep. 4.

CCCXXVI.

CCCXXVI. Rodericus de Chaves, cujus modo meminimus, lectioni celeberrimi voluminis perpetuo operam dabat, atque orandi regulas, quas alias ab ipso dictatas audierat, in scriptis deposcebat, ut pro multorum profectu publici juris facere impensis propriis licentiam haberet. Idem quoque ab aliis devotis, & Religiosis familiaribus petitum diu; sicut erat humillimus sui ipsius æstimator Petrus, prius se excusavit, dein post longas in oratione cum Deo consultationes, ingenti omnium bono egregie concessit, nam compositum a se tractatum præfato Roderico cum humili excusatione transmittens ipsi plenam benevolentiæ epistolam scripsit, quam (quia Authoris sui sanctitatem redolet) hic integram apponere duximus, non futurum ingratum.

Magnifico admodum, & devoto Domino Roderico a Chaves Civitatis Roderici Civi: Plurimum magnifice, & devote Domine. Nunquam ad scribendum istum brevem tractatum me induxissem, nec illum prælo dari consensissem, nisi tu me multoties orasses, ut aliquid breviter, compendiose, & diluciae, & ad omnium utilitatem de oratione scriberem: cum enim parvo volumine contineatur, maximum pauperibus commodum afferes, quibus non fuerit satis ampla facultas libros magno pretio emendi. Cumque videatur mihi non minoris futuram meriti in hoc tam piam, & sanctam rem postulanti exhibitam obedientiam, quam fructus ipsos (qui ex ea colligi possunt) Deo, cogitationem tam sanctam executioni mandare volui, pro certo habens, quantum ad me attinet, fieri non posse, quin tenuis iste labor utilis evadat, nisi forte benevolentia mea in te, & in Dominam Franciscam conjugem tuam (non minori tibi vinculo charitatis, & Jesu Christi boni nostri amore, quam Matrimonii nexu conjunctam) aliquid mihi de merito isto subtraxerit. Revera enim si de omnibus bonis a Fratribus nostris perpetratis, nos Christiani congaudemus, & eorum invicem participes sumus, quamquam in meritum particulare facientis præcipue cedant; dicere sane potero, me vestrarum orationum, & bonorum operum, velut cum bonis filiis partem habere; sic enim vos appellare juvat, quoniam a vobis Pater existimor, nec unquam defuit meæ doctrinæ inopia, & sublimium cogitationum divitias adjuvare. Faxit Deus, ut pro cujusque voto quærentibus prosit, ad quod tantum effectum optarem, ut & vobis ex ipso fructus spiritualis vestri boni desiderii, mihi autem meæ benevolentiæ in vos redundet. Totum autem in honorem, & gloriam unici boni nostri, a quo omne bonum nostrum emanat originaliter. Frater Petrus de Alcantara.

CCCXXVII. Ita ergo in lucem sæpissime prodiit, nec in latinum dumtaxat, sed in omnes fere Europæ linguas conversus. Hispanas editiones Ulyssiponensem an. MDXX. & forte MDXXII. Salamantinam MDXXIII. Pincianam MDCXX. apud Hieronymum Murillo in 16. Cæsarauguſtanam apud Petrum Gal MDCXXI. notas habemus, quibus adde Burgensem apud Junctas MDLXXIX. latina interpretatio Antonii Dulkenii Carthusiani est, quam edidit Joannes Chrithius Coloniæ MDCVII.

CCCXXVIII. Tam ardenti, & assiduo conversionis animarum studio, non domos modo privatas, & loca publica, sed oratoria, ac societates etiam quamplurimas replebat: in quibus congregatis nobilibus præcipuis, viam virtutis ac pietatis christianæ Apostolico spiritu, & admirabili effectu edocebat; ita ut quidam ad veram pœnitentiam, alii ad virtutum studium, alii ad devotionis servorem, complures ad heroicum sui & Mundi contemptum, universi denique ad bene compositæ vitæ propositum accenderentur.

De dono Prophetiæ S. Petro de Alcantara concesso.

CCCXXIX. Porro animam Petri Deus illustravit Prophetiæ quoque dono, cujus effectus ex pluribus singulari memoria dignos, aliquot dumtaxat justæ servandæ brevitatis causa hoc loco recensebimus. Placentiæ Nobilis quæ-

quædam fœmina de Mariti ſui ſalute anxia, quod apud Indos vita, & bello periclitaretur, beatum Patrem adiit illum rogans ut orationum ſubſidio ſtudioſe illi ſuccurreret: Quam bene ſperare jubens Petrus, ſimul monuit ne amplius turbaretur: quinimo pro prælii feliciter jam tranſacti victoria Deo gratias redderet, cujus cauſa Maritum ſuum incolumem brevi eſſet receptura. Hanc veritatem poſt aliquot menſes nuncius confirmavit, qui de rei ſucceſſu literas attulit, omnibuſque perſuaſit, id ſine divina revelatione prius noſci minime potuiſſe.

CCCXXX. Alius vir Nobilis devotione erga Petrum ab infantia affectus, dum ejuſdem quoque familiaritate gauderet, literas quaſdam ex Abula accepit, quibus a Viro Dei ſignificabatur hæreditatem opulentam ex morte cujuſdam ſui conſanguinei obtigiſſe. Quo nuncio exultans vir Nobilis ſine mora per diſpoſitos equos iter facere velle ad capiendam illius poſſeſſionem cogitabat. Cui Petrus a Deo illuminatus id tunc diſſuaſit. Urgenti autem, atque perſiſtenti in ſua opinione, tandem in ſecreto quodam cubiculo hæc ait: *Valde te exultantem video ſuper hac hæreditate, quum potius futura prævidere deberes; quæ præter id, quod modo vobis in mentem venit, aliter ſuccedet; recordare igitur, Fili, eorum, quæ tanto ſtudio a me didiciſti, & haud minore fervore amplexus es, ita ut te etiam paratum obtuleris, quemcunque cruciatum etiam uſque ad ſanguinem pro Chriſto pati velle.* Ad quæ Nobilis: *Eamdem, Pater, adhuc voluntatem ſervo, atque omni tempore, & occaſione ſervabo, nec unquam obliviſcar eorum, quæ Deo meo me debere cogno ſco.* Petrus, qui divina revelatione futurorum conſcius erat, conjectis in eum oculis hæc divino ac vehementi correptus ſpiritu adjunxit: *At, fili, ſi hæreditatem, ad quam anhelas, ab alio præoccupatam intellexeris, patienter ne propter Deum id feres?* Cui ille: *Certe, quod ſic, quum omnes res terrenas pro Cælo amittere ex corde paratus ſim: ſed ſi præter bona;* inſtat Petrus, *etiam honoris jacturam feceris, id ne propter eundem Dei amorem pari patentia ſuſtineres? Quidni*, inquit Juvenis, *pro eo, qui pro me paſſus eſt, libenter tales injurias tolerarem? Et ſi ulterius omnes amici tui*, reſpondit ſanctus Petrus, *in te inſurrexerint, ita ut etiam vitæ inſidientur, ſi permiſſum fuerit?* Ad hæc turbatus aliquantulum Nobilis: *Pater mi, dummodo animam non tetigerint, cætera quæcunque externa lubens tolerabo.* Tunc beatus Pater edito profundo ſuſpirio, ac lacrymantibus oculis, ita prædixit: *heu Fili, ſi ſuper prædicta omnia, Deo inimica facta fuerit, ac infidelis anima tua, ita ut propterea etiam carcerem merearis, & publicæ infamiæ ſententiam?* Ad quæ velut ſemimortuus Vir nobilis animum rurſus ſumens reſpondit: *Deus mihi propitius ſit, ut nunquam eum offendam*: Tunc Petrus: *Eja ergo vade in pace, & ad omnia, quæ tibi evenire poſſunt patientiam tuam præpara.* Sic recedens juvenis animo turbato, ſe orationibus Petri inſtantiſſime commendavit, ſequenti die iter, quo deſtinarat, ingreſſus, in ſocium incidit Virum famoſum ac doctum, ſecreta tamen hæreſi infectum. Hujus argumentis ſenſim illaqueatus, atque deceptus Vir nobilis ejuſdem hæreſim facile imbibit, immemor ſalutarium admonitionum, quas a Viro Dei prius hauſerat: Exinde omnia illi prædicta ſucceſſere, donec in quemdam locum ſecedens, ut pœnitentiam ageret, ibi errores ſuos amare deflevit. Nec majus interea ibi ſolatium habere contigit, quam quod a Patribus Diſcalceatis crebro viſitaretur; quibus prædictiones Petri enarrare, ejuſque propheticum ſpiritum altiſſimo præconio celebrare nunquam ceſſabat. Præ cæteris autem dictus eques id totum multis in lacrymis narravit duobus Minoritis Joanni Baptiſtæ Moles, & Michaeli de Laque: aliiſque gravibus

Pro-

Provinciæ ſancti Gabrielis Religioſis viris, quum ipſum die 11. Julii anni MDLXIX. non longe ab urbe Matrito, quo a ſanctæ Inquiſitionis officio relegatus fuerat, inviſiſſent.

CCCXXXI. Catarinæ Manriqueziæ mulieri nobili, quæ Joanni de Vargas Mariam filiam matrimonio jungere cogitabat, Petrus iterato affirmat illam ſponſam futuram non iſtius, ſed D. Gundiſalvi de Caravajal: erat autem hic affinitate conjunctus Comiti de Torrejore jam vita functo, & tunc conjux D. Agnetis de Vargas, & Camargo: quare Petri præditio eo difficilius Comitiſſæ videbatur, quia uxorem ille adhuc ſuperſtitem, & ætate florentem habebat. At Petrus, *poteſt ipſa*, inquit, *mori, & ſic matrimonium contrahi, quod ego ſic affirmo, & quidem certum erit*. Ad quod reſponſum hærens Comitiſſa, ulterius de filiæ nuptiis tractare non curabat, oraculo Viri Dei cuncta cedens, licet primum matrimonium, tum nobilis Virginis ætati, tum cæteris conditionibus magis contraere judicaſſet; at mortua eodem anno uxore, brevi poſt tempore a beato Patre prænuntiato, de matrimonio Gundiſalvi, atque filiæ Comitiſſæ prædictio comprobata fuit, quemadmodum ipſa mater ad majorem Servi Dei gloriam publica fide teſtari voluit.

CCCXXXII. Tres Virgines honeſtæ ex civitate Placentiæ Petri diſcipulæ, eidem ingrediendi Monaſterium deſiderium communicarunt; at beatus Pater id ipſum improbando illis reſpondit: *modo non convenit, ut in aliquo Cœnobio Religionem ingredi tentetis*. Contra quod nitenti virgini natu majori, & argumenta varia, quæ propoſito ſuo favere poſſent, memoranti reſpondit Petrus: *Vitam ſanctæ inſtituite, ut Dei præſentiam jugiter ſervetis; & confido in Domino, quod gratia ſua vobis propitius erit: ideoque non turbemini, quod modo deſideriis veſtris, non aſſentior, quia certas vos facio, quod omnes tres religioſæ eritis, quamvis id poſt mortem meam continget; interea Tertii Ordinis habitum vobis concedam, quo ſecundum Dei voluntatem, nunc ei hac ratione liberius ſerviatis*. Suffecit hæc oratio ad animos Virginum flectendos, licet futuri cupiditate Monaſterium ſibi indicari poſcerent, ubi aliquando Religionem ſuſcepturæ forent. At Petrus importunitati, atque conſolationi ipſarum indulgens: *Poſt mortem*, inquit, *meam in hac civitate Monaſterium fundabitur Diſcalceatarum primæ Regulæ ſanctæ Clarę, in quod vos ingrediemini, atque uſque ad mortem perſeverabitis*; atque ita eis ſilentium impoſuit. Toto autem tempore, quo vixit Petrus, nulla unquam de tali Monaſterio fundando mentio facta fuit, ſed aliquantum poſt ejus mortem eodem conſtructo, illud ingreſſæ, vaticinium Petri, etiamque ſanctitatis vitæ fama laudabiliter confirmarunt, ac publicarunt.

CCCXXXIII. In patrio oppido Alcantaræ Petrus cum quibuſdam Nobilibus de quarumdam Virginum votis diſſerens, quæ ſe clariſsimæ perfectionis ſtudio Religioni dicare optabant, ſi Monaſterii commoditas adfuiſſet. Ille futuram aliquando talem occaſionem prædicens in Monaſterio Diſcalceatarum ſui Inſtituti; quod poſt mortem ſuam ſucceſsit, plenuſque eventus prænuntiatæ rei veritatem comprobavit.

CCCXXXIV. Illuſtris quædam Placentiæ fœmina non virtutibus minus, quam ſanguine, poſt integerrimam multorum annorum vitam, conſcientiæ ſcrupulis vexari cœperat, quibus de medio auferendis nulla variorum Doctorum conſilia, aut remedia proderant. Scripſit itaque ad Petrum, ut quantocitius ad ſe accederet, quo animæ ſuæ opportunius ſuccurreret: ſed ille aliquandiu moram trahens, poſt aliquot dies eo proficiſcitur, ac inquietam valde & afflictam reperit: ad ingreſſum ejus mulier ſubſtitit, ac ſtatim ad pedes provoluta animi moleſtias explicare incipiebat. At ipſe præveniens:

Filia,

Filia, inquit, *sufficit: jam mihi integer conscientiæ tuæ status notus est, & quia satis infirma est causa trepidationis tuæ, ideo pro auxilio venire hactenus distuli: Nunc vero tibi dico, quod imposterum nihil amplius tibi tale continget, nec amplius his molestiis turbaberis.* Ad quæ pia mulier non magis attonita, quod interna animi nemini manifestata ille noviſſet, quam quod in ſeipſa altiſsimam tranquillitatem, ac ſerenitatem mentis ſentiebat, cui temporis tractu firmitatem attulit.

CCCXXXV. Nec minor Petri cum pluribus aliis, quæ ipſum conſulebant, fiducia atque certitudo extitit, ita ut Tereſiæ ad primum congreſſum animæ ſuæ moleſtias ex eo indicarit, quod Virorum doctorum contradictiones paſſa, nec a proprio Confeſſario ſpiritum ſuum capi potuiſſe declaravit. Aliis inſuper Virginibus, quæ inſtitutum ejus amplexuræ erant, confidenter id prædixit.

CCCXXXVI. Eodem lumine intima conſcientiarum ſcrutari, & quæ aliis abſcondita erant, perſpicue & integre videre ſolebat. Habitabat Placentiæ mulier, quæ externa virtute magnam ſanctitatis famam acquiſierat. De qua loquens Petrus, quaſdam filias ſuas ſpirituales, ut ſe ab illius familiaritate abſtinerent, admonuit; ipſæ autem admiratæ cauſam a beato Viro diligentius inquirunt, dum ſe non parum proficere tali conſuetudine aſſerrerent. Ad quas Petrus, *ſpiritus iſtius mulieris ex Deo non eſt, quemadmodum exitus monſtrabit.* Sic non multo poſt, illa in graviſſimos errores lapſa, & fictæ virtutis fallaciam, & ſancti Viri prædictionem manifeſtam reddidit.

De laudabili sancti Petri conversatione, quæ omnium ad eum venerationem trahebat.

CCCXXXVII. Etſi Petrus in ſemetipſum aſperitate, atque ſeveritate profecto ſingulariſſimum, aliis tamen comem facilemque ſe præbuit: eo tamen pacto, ut neque facilitas de auctoritate, neque ſeveritas quidquam de ſuavitate detraheret. Erant quippe ſermones ſine ambiguitate cujuſque conſulentis neceſſitati convenientes, non ſuperflui, non vani, neque leves.

CCCXXXVIII. Nunquam ſiniſtre de quoquam judicare paſſus, etſi actiones non bene viſæ forent, quibus excuſandis cauſas prudenter conquirebat. Affirmarunt ſocii, toto vitæ decurſu eum nunquam convicium in aliquem protuliſſe: ſed potius mali quidquam ſuſpicari ignoraſſe. De omnibus religioſis familiis per quam obſequioſe loquebatur, tanquam de cœleſti Hierarchia; & de his, a quibus in ſua reformatione plurima paſſus fuerat, nunquam queruli quidquam proferre auditus fuit, judicans ſingulis bonum finem propoſitum fuiſſe; ideoque dicere conſueverat: *Patres ignoſcite zelo meo, & ſi Deus ſic permiſerit, impedite illum.* Hinc nemo, eo præſente, de quoquam perperam loqui præſumebat, ejuſque repræhenſionibus quiſque obmuteſcebat: aliorum ſiquidem obtrectationibus cor ſuum velut acutis telis transfigi ſentiebat, nec intimum dolorem, cordiſque pœnam ſimulabat.

CCCXXXIX. Comiti Oropeſæ colloquenti ſecum de pravis illius ætatis moribus, quibus divina provocabatur ultio, & de remedio inſtanti, Petrus reſpondit: *Facili ego remedium invenio, modo dominatio veſtra, & ego tales ſimus, quales eſſe debemus; & tunc tantum apud Deum valebimus, ut remedium tantorum malorum ab ipſo impetremus: & quando hoc fuerit, ex parte noſtra Mundo proviſum erit, aut minus emendandum reſtabit. Ac certiſſimum quidem eſt, quod ſi unicuique hoc cordi eſſet, nullum efficacius remedium tanto malo inveniri poſſet, ideoque malum omne ex eo provenit, quod nemo ſeipſum, alios unuſquiſque emendare ſtudet, ſicque totus Mundus ſine remedio remanet.*

CCCXL. Cæterorum errores admonens ſemper læniter, & opportuno tempore animis tranquillitatem dare potiſſime ſtuduit. Sinceritatem etiam ſummopere dilexit. Vana autem, & ludrica veluti religioſis Viris obnoxia deteſtabatur.

CCCXLI.

CCCXLI. Adeo pacis, ac concordiæ erat amicus, ut inde *Angeli pacis* nomen ſit adeptus, dum non familias modo integras, ſed & loca ac Oppida ſuavitate ſua, atque prudentia ſæpiſſime componeret. Eamdem in ſubjectorum correctione obſervabat, ſeveritatem ſic manſuetudine enntemperans, ut nullum corrigendo exaſperaret: a licitis relaxationibus animi ſic abſtinebat, ut vultu hilari, non aliis cnn vicium facere, ſed ad aliam converſationem avocare videretur, ubi eo frui poſſet, cujus deliciæ ſunt eſſe eum filiis hominum. Verſando autem cum aliis ea verborum ſuavitate utebatur, ut, teſtante viro gravi Hieronymo Loaviſa, multi ſe ab eo adeo devinctos & tractos affirmarint, ut nihil quamvis ſuæ voluntati repugnans, aut arduum ejus ſuaſionibus negare poſſent: qui vero ejus præſentia frui non poterant, per litteras ad eum accurrere ſolebant, & quum occaſio ferebat, ſumma cum reverentia eum convenire ſtudebant.

CCCXLII. Ad hos tam inſignium, ac multiplicium virtutum ſplendores omnium in ſe venerationem conciliabat, ita ut quamvis in locis ſolitariis, atque remotis habitaret, e longinquo populi ad eum catervatim confluerent: ex quibus alii ab ipſo benedictionem petere, alii orationum ſuffragia, alii conſilia in negociis difficillimis exquirere, alii gratias obtinere ſolebant. Omnes, ut conſcientiis expurgatis melioris vitæ rationem diſcerent curabat. Sæpius autem, etiam priuſquam ejus præſentiæ ſiſterentur, ipſos parietes, ubi habitabat, proſtrati venerabantur, tantam ſanctitatis ejus opinionem conceperant: unde etiam quum per urbes, aut oppida Petrus tranſiret, concurrebant undique incolæ ad eum conſpiciendum, & ægrotos ei benedicendos afferebant. Quum aliter eo frui non liceret, ad ejus Miſſam frequentior, ac devotior concurſus fiebat, qui poſtea, eo recedente, auctus, ſæpe humero loca ipſa ſine habitatoribus relinquebat, Servum Dei longo ſpatio ſequi non faſtidientes populi; neque id tantum a vulgo Petro fiebat, ſed a nobilioribus quoque, qui animarum ſuarum curam ei libentiſſime committebant. Ideo frequenter eum in Cœnobiis interpellabant, & quum apud ipſos tranſiret, de illo recipiendo pie contendebant, ut colloquiis ejus, ac ſancta converſatione inſtructi beneficia potiora, & gratiora reciperent. Plurimi Proceres hoſpitio eum excepiſſe gaudentes, certatim propriis illi manibus inſervire gaudebant & gloriabantur; alii Cœnobia ipſi a fundamentis conſtruere, aut prope ea Palatia conducere curabant, ut commodius ejus familiaritate uti, atque conſiliis & doctrina, in ſpiritus, ac morum via tute dirigi poſſent.

CCCXLIII. Inter eos, qui frequentius Petrum conveniebant, erant Comes de Oropeſa, Nieba, & Torrejon, qui interdum per integras hebdomadas apud ipſum commorabantur. Quum autem aliter frui ejus præſentia non poterant, audiendo ejus Miſſam, eumque in Choro, aliiſque communibus actibus publicis conſpicere magnopere gaudebant. Commoti ſanctitatis ejus fama Ferdinandus Henriquezius Patruus Architalaſſi Caſtellæ, & alter vir illuſtris Didacus Suarezius Matrito Pedroſum venerunt, ut Viri Dei monitis cœleſtibus erudirentur, etiamque una ſecum morarentur. At Petro minime permittente, prope locum habitationem conducere, quotidie Conventum accedere, ac B. Patris oracula tanquam angelica excipere ſumma diligentia curaverunt. Ipſe Comes de Oropeſa eodem tempore, quo Cœnobium Roſarii conſtruebatur, Palatium proximum ædificari curavit: ubi aliquandiu commorando, communem cum Petro ſodalibuſque vitam ducere non dedignatus eſt. Horum exemplo illuſtres quoque fœminæ, aut Petri præſentiam adibant, aut per litteras de rebus gravioribus conſultabant, aut pro earundem neceſſitatibus eum importunis precibus ad ſe vocabant.

CCCXLIV. Nullum pene negocium occurrebat præcipue pro litibus inter Civitates, ac familias componendis ſuſceptum, cui Petrus authoritatem ſuam interponere rogatus non libentiſſime adhibuiſſet; optata vero tam fœlici ſucceſſu ab ipſo perfici conſueverunt, ut partes rationibus, ac reverentia ejus perſuaſi, cedere ſæpiſſime illi ſolebant, quod magnæ præſtantiæ Viris, non ſine magna admiratione negaverant. Hinc a pleriſque Civitatibus etiam remotioribus vocatus, Placentia, Toleto, Civitate Rodoriei, aliiſque omnibus tanquam Apoſtolus e cœlo miſſus excipiebatur, & habebatur.

Etiam Viri Principes Petrum venerabantur.

CCCXLV. Apud Reges vero in magna item erat exiſtimatione & a Carolo V. præcipue quam frequenter vocabatur: cui, poſtquam varia negocia contuliſſet, talem ſui opinionem impreſſit, ut aliquando ſuis familiaribus Imperator diceret: *Certe hic religioſus non eſt homo ex hoc Mundo, ſemper enim abſortus ſpiritu cum Deo ac ſpiritibus, beatus in cœlo converſatur.* Sæpe etiam a Rege Luſitaniæ Ulliſyponam invitatus in Palatio habitare cogebatur: unde viri Principes D. Maria, & D. Ludovicus tanto doctrinæ ejus amore capiebantur, ut niſi ipſe beatus Vir impediviſſet, tam humilem ejus Inſtituti formam ſponte amplexati fuiſſent.

CCCXLVI. Nec minori veneratione Servum Dei Iſabella Luſitaniæ infans proſequebatur, frequenter eum ad ſe vocans, ut tam animæ ſuæ, quam ſtatus rationem redderet. Maxime vero poſt obitum conjugis Eduardi filii Regis Emmanuelis, quem mors in ipſo ætatis flore annum ſcilicet XXV. ætatis agentem, importune oppreſſit. Tunc præcipue opem ejus implorare, multa ei denaria pro Eccleſiæ cultu, ac Fratrum veſtitu pannum tranſmittere conſuevit: adeout ejus beneficiis obſtrictus Petrus, magna fiducia de Provinciarum ſuarum ſtatu ſubinde ſcribere ad eandem non dubitavit. Exemplum cujuſdam Epiſtolæ ſequens eſt.

Jesus.

Pax Chriſti habitet in anima Celſitudinis Veſtræ. Quamvis abſens ſum ex illo Regno, quia talem fuiſſe voluntatem Dei exiſtimo propter optimum rerum ſucceſſum iſtius ſanctæ Cuſtodiæ, ad quam cum fratre Joanne ab Aquila felicius acceſſeram; nunc vero intelligo, ſic ab eodem res proſpere dirigi, ut mihi videatur perfectionis apicem attigiſſe, & Deum ſpecialiſſimam hujus Cuſtodiæ curam gerere tanquam de particulari quadam ſua hæreditate; dum vivendi hujus ratio tam ſit pacifica, atque in tam exiguo numero tot habeat ſuos ſervos; at meum reditum ad has partes, ſpero eidem Domino noſtro acceptum fore, eo quod ab ipſo cuncta dirigantur, & tam clare hæc demonſtret, ut ultra dicere, quicquam nequeam. Noſtra Provincia in multis melior facta eſt, quam unquam fuit, unde Deum glorificare poſſum: idque Celſitudini Veſtræ dico, eo quod norim ejus zelum pro Dei gloria maxime optare, ut in his ſuis Provinciis Pietatis, ac ſancti Gabrielis, & Cuſtodia Arabidæ ſummopere augeatur: & ad hanc ego ſingulari affectu trahor, quia ſcio, quid in illa boni ſit, & propter magnam pietatem Principum iſtius Regni Portugalliæ, quam inter illos in Celſitudine Veſtra Deus ſingulariter eminere facit, & quam a ſuis Progenitoribus traxit, ita ut optima indole dotata eam juvet bonis ſuis operationibus, ac animi quiete, qua ſe Regnorum temporalium curis ſubtraxit. Hoc ſentio ſemper, & dico ubicunque, quemadmodum & omnes, qui Celſitudinem Veſtram aut viderunt aut audierunt. Et propterea ſpero, quod unica illa cura filiorum, quæ Celſitudinis veſtræ remanet, a Deo ſublevanda erit; quemadmodum ego divinam ejus benignitatem inceſſanter precor: Et ut principale remedium D. Mariæ videat Celſitudo Veſtra, priuſquam eam Dominus

ad

ad cœleſtia Regna evocet. Amen. Harum lator fidelis eſt perſona, ſi placuerit Celſitudini Veſtræ reſcribere.

Celſitudinis Veſtræ.

Servus & Orator Indignus
Frater Petrus de Alcantara.

CCCXLVII. Ad Aulam quoque Matritenſem ſancto Viro pertranſire neceſſarium fuit, dum a Principe Joanna Caroli V. ſorore vocatus, ſingulari reverentiæ obſequio ab eadem habitus fuit. Eodem quoque a variis religioſis hominibus diverſorum Ordinum, qui in graviſſimis conſultationibus ejus ſententiæ ſumma cum exiſtimatione acquieſcebant. Quod in propria ejus religioſa familia, non adeo mirum videbatur, cumquotidie Reformationis ejus difficultates cœleſti favore & ſingulari conſtantia ſuperatas incrementa majora & aſſidua caperent. Apud Prælatos inſigniores totius Hiſpaniæ ita gratus habebatur, ut ſæpe ab eis invitatus, tam animarum converſiones, quam multorum abuſuum emendationes lubens pro Dei gloria ſuſciperet.

CCCXLVIII. Tandem omnes, qui illa ætate aliqua ſanctitatis fama clari habebantur, prout majori lumine cœleſti pollebant, tanto diligentius ſe ſancti Viri orationibus commendabant, virtuteſque ejus ſingulares in pretio habebant & celebrabant. Inter hos Ludovicus a Granata non ſemel memoratus varias ad Dei Servum epiſtolas ſcripſit, magnæ ſuæ erga illum venerationis teſtes ſingulares. Frequentia etiam inter eos fuere commercia, quibus utriuſque animos coaluiſſe judicari facile quiſque poteſt. Magiſter Joannes de Avila vir non vulgaris ſanctitatis, nihil magis cordi habebat, quam Petri conſuetudine & amicitia frui.

CCCXLIX. Tot ergo virtutibus miraculiſque permotus Gregorius XV. ſummus Pontifex, Catholicis Regibus Philippo III & IV. inſtantibus, Beatorum numero Petrum Alcantarenſem anno MDCXXII. aſcripſit, & in ejus honorem Miſſam de Confeſſore non Pontifice celebrari pro ſui obitus die benigne indulſit, edito ſequenti diplomate.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Sede Principis Apoſtolorum, nullis licet noſtris ſuffragantibus meritis, a Domino conſtituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in Servis ſuis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Cum itaque inſtantibus, non ſolum claræ memoriæ Philippo III., & cariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo IV. Hiſpaniarum Regibus Catholicis, ſed etiam fere omnibus Hiſpaniæ Regnis, Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales ſacris Ritibus Præpoſiti, de mandato noſtro cauſam Servi Dei Petri de Alcantara, Ordinis Minorum ſtrictioris Obſervantiæ Diſcalceatorum nuncupatorum, ac Provinciæ ſancti Joſephi ejuſdem Ordinis Fundatoris, juxta ſeriem relationis trium Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorum, ad effectum Canonizationis pluries examinaverint, ac multis deſuper habitis ſeſſionibus, referente dilecto filio noſtro Marco Antonio tituli ſancti Euſebii Presbytero Cardinale Gozzadino nuncupato, pleniſſime conſtare de validitate proceſſuum, fama ſanctitatis, fidei puritate cæteriſque virtutibus, non in genere ſolum, ſed etiam in ſpecie, reliquiarum ac ſepulchri veneratione, plurimiſque tandem miraculis pronunciaverint, cenſuerintque poſſe Nos, quandocumque voluerimus,

eumdem Dei Servum, juxta Catholicæ Eccleſiæ ritum, Sanctum atque in Cœlis regnantem declarare, omnibuſque fidelibus ſolemni Canonizatione proponere venerandum: Prædictus vero Philippus IV. Rex, & dilecti filii Miniſter Generalis, & Fratres Ordinis prædicti Nobis humiliter ſupplicari fecerint, ut donec ad Canonizationem dicti Petri deveniatur, idem Petrus Beatus nuncupari, ac de eo tanquam de Confeſſore non Pontifice Miſſam ac Officium, ut infra, celebrari & recitari reſpective poſſit, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, de eorumdem Cardinalium conſilio; ut idem Dei Servus Petrus de Alcantara impoſterum Beatus nuncupari, atque de eo tanquam de Confeſſore non Pontifice die XIX. *Octobris, qua ipſius obitus memoria celebrabitur, ubique terrarum ab univerſa Religione Minorum Obſervantium utriuſque ſexus reſpective, Miſſa celebrari atque Officium recitari poſſit: In oppido vero de Alcantara illius diœceſis, ubi natus; atque in altero de Arenas Abulenſis diœceſis, ubi corpus ejuſdem requieſcere accepimus, omnibus tam regularibus quam ſæcularibus Clericis, ſub ritu tamen ſemiduplici idem omnino liceat; ac demum in Provincia prædicti ſancti Joſephi, cujus auctor exſtitit, ab ipſis dicti Ordinis Diſcalceatorum Fratribus etiam cum octava (veluti de Patrono) Officium pariter ac Miſſa, juxta Breviarii ac Miſſalis Romani rubricas celebrari poſſint, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo concedimus & indulgemus, non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam imprèſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* XVIII. *Aprilis* MDCXXII. *Pontificatus noſtri anno* II.

De his, quæ Beatificationem ſancti Petri conſecuta ſunt.

CCCL. Ita ergo Petri meritis non humano dumtaxat, ſed & infallibili Pontificis oraculo cum cœlitibus declarata converſatione, aucta eſt adeo continua populorum devotio ut non ſolum in celebranda feſtivitatum ejuſdem ſolemnitate, ſed & propter percepta a Beato quotidiana non minus quam notabiliora beneficia, fervore ſingulari accenderentur ad promovendam ejuſdem ſolemnem Canonizationem. Hinc in primis Epiſcoporum, Principum Civitatumque totius Hiſpaniæ iteratæ ſupplicationes ab Apoſtolica Sede proceſſus formationem elicuerunt ſuper his, quæ poſt Sancti Beatificationem publico teſtimonio contigiſſe vulgabantur; ita quod ſuper Proceſſu quodam Matriti, ac Arenis compilato anno MDCXLVII. Romæ a ſacra Rituum Congregatione, prævio ſolito examine, ad Papam Innocentium X. relatum fuerit, conſtare de quibuſdam miraculis, quorum fides Decreto etiam coram Sanctiſſimo die VIII. Martii MDCL. ſtabilita fuit.

CCCLI. Interea coruſcantibus in dies Petri meritis novo prodigiorum ſucceſſu, inſtantius apud Innocentii ſucceſſorem Alexandrum VII. de totius Cauſæ determinatione repetitæ ſupplicationes perſeverarunt: propter quas reſumptis iterum omnibus, ac mature expenſis pro gravitate negotii, ac fidelium pietate, deliberatum fuit, ut annuente præfato ſummo Pontifice Alexandro, ab eadem ſacra Rituum Congregatione aliud Decretum emanaret die XII. Aprilis anno MDCLX. In hoc videlicet declaratum unanimi plurimorum Theologorum & Juriſperitorum ejuſdem ſacræ Congregationis Conſultorum; ſubinde vero Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium ſuffragio: *Quod nedum inoffenſo pede procedi poſſet ad ſolemnem beati Petri Canonizationem; immo in Domino plurimum expedire, ut diuturnæ mortificationis aſſiduus labor plane ad prodigii genus aſcendens,*

deni, argumentum insigne perfectissimæ charitatis in Deum cum salubri animarum profectu sane admirabili, Christifidelibus colendus & imitandus omnino proponatur.

CCCLII. At intercedente insperato præfati Pontificis Alexandri VII. ex hac vita transitu, suspensoque Canonizationis actu, felicius ad Clementem IX. Petri gloria celebranda transivit. Igitur repetitis prioribus diligentiis, & accedentibus novis Principum Catholicorum instantiis, maxime Regis Catholici Caroli II. præfatus Pontifex in Consistorio secreto habito die XVIII. Martii anno MDCLXIX., referente Cardinali Ginnetto statum Causæ beati Petri, omnium Cardinalium vota pro Canonizationis effectu experiri voluit: quibus sub verbo *Placet* sufficienter declaratis, die XXI. Martii in Consistorio publico ab eodem Sanctissimo sancitum fuit, quod orationibus ac jejuniis publice indictis, divinæ voluntatis beneplacitum, ac inspiratio devote sollicitari deberet; veluti statim concessam pro hoc fidelibus in fulgentiam edicto publicari jussit. Inde die VIII. Aprilis habito Consistorio semipublico, Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum per scripta suffragia, Canonizationis solemnitati, approbante summo Pontifice, diem Dominicum in Albis unanimiter indixerunt, quo omnia rite pro festivitatis decore disponi possent ac deberent.

CCCLIII. Tandem in dicta die, instructa magnifico ac pretioso cultu Basilica Principis Apostolorum, summus Pontifex Clemens IX. Cardinalium, ac Prælatorum, totiusque Cleri corona stipatus, cum ingenti tum Principum, tum Nobilium, ac universi Populi applausu, inter Missarum solemnia beatum Petrum de Alcantara virtutibus heroicis ac miraculis quamplurimis illustrem, Sanctorum Albo inscribens, Hispaniæ totiusque Orbis Fidelibus venerandum imitandumque proposuit: Bullæ autem Canonizationis a Clemente X. editæ hoc est exemplar.

CLEMENS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei,
Ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum gesta Pontificum (præsertim majorem Dei gloriam, ac Sanctorum ejus laudes, & honorem concernentia) super quibus illorum superveniente obitu, literæ Apostolicæ confectæ non fuerunt, recenseri justum reputamus, & rationi consonum, ut illa universis Christifidelibus innotescant. Dudum siquidem fel. rec. Clemens Papa IX. prædecessor noster devotæ considerationis indagine perscrutans, quod inter cælestes heroes, quorum eximia vitæ sanctitas rite comprobata, promeretur singuiarem Christianæ Reipublicæ cultum, illis præcipue Sancti nominis immortalitatem Apostolica Sedes decernere consuevit, quorum honor cum eximia sit populorum utilitate conjunctus. Hinc illi, qui peculiari alicui vitæ instituto ideam sanctitatis exhibuerunt, & sacrorum præsertim Ordinum Fundatores insigni virtute, ac prodigiis illustres, libentissime ad aras accipiuntur, quibus jnnguntur ii, qui religiosas Familias jam virtute florentes ad severiorem disciplinam revocarunt, & ad sanctioris instituti studium ab excelsa virtute commendati invitarunt: quorum merita exigunt, ut Sanctorum albo adscribantur. Magna siquidem haud dubium est, in sacrum eorum militiam, atque in universam Ecclesiam commoda profectura, quam egregio exemplo ad sanctitatem ardentius provocabunt. Quamobrem cum sanctissimus, Deoque gratissimus vir Petrus

trus de Alcantara optime meritus ſit de Chriſtiana Republica, eo quod inculpatam religione, & doctrina ſancti Franciſci familiam fœtu novæ prolis adauxerit, eamque jam per Hiſpaniæ, & Indiarum Regna dilatatam, per ſemitas ſtrictiſſimæ paupertatis ambulare docuerit, & omnibus Chriſtifidelibus prebuerit exemplar incredibilis pœnitentiæ cum ſumma innocentia conjunctæ, deeſſe illi non debeat Sancti nominis gloria, & populo Chriſtiano inſigne ab hoc novo Petri cultu ad virtutum incitamentum. Gratias igitur agebat omnipotenti Deo idem Clemens prædeceſſor, qui ſibi hanc mentem inſpiraſſet decernendi ſupremos honores huic viro admirabili, quem præcipuo cultu venerabatur, & a quo ſalutarem opem in maximis hiſce infelicium temporum diſcriminibus, præſertim contra ſuperbiam, & ferociam Turcarum, implorabat. Ut autem celeberrima Petri ſanctitas teſtimonio etiam ſuo comprobaretur, & ejus eximias virtutes univerſis Chriſtifidelibus imitandas exhiberet, ac illius in terris admiratione dignam, & laudabiliter tranſactam vitam explicaret, ſic proponere decreverat. Exortus in lucem erat ſanctiſſimus hic vir Norbæ Cæſareæ vulgo Alcantaræ, in Beturia Hiſpaniarum Regione, anno reparatæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono ex parentibus genere, ac pietate nobilibus, Petro Gorabito, & Maria Villella, idemque Petri nomen, quod in ſacra Familia perpetuum illi fuit, ſacro e fonte ſuſceperat. Ab ineunte ætate ambulans in innocentia, vitans lubrica, & voluptatibus obnoxia, & hominum commercium fugiens, contemplandis rebus divinis ita vacabat, ut amore cœleſtium incenſus, aliquando extra ſe raperetur; ideoque ſapientia creſcens, & gratia, menſuram ætatis moribus ſenilibus excedebat. Studium literarum ingreſſus, acri ingenio ingentem ſpem ſuis parentibus, & Magiſtro indidit. Quia vero noverat ſapientem futurum, qui cum ſapientibus graditur, religioſorum virorum conſortio delectabatur, ac divinæ præſertim inhians ſapientiæ, ſacros avidiſſime quærebat libros, a prophanis abhorrens. Et quoniam ab infantia ſecum creverat miſericordia, omnibus ſe caritatis operibus aſſidue dabat. Infirmos proinde, in carcere poſitos, & egenos quantum poterat, ſublevabat. Cum autem in alios pius eſſet, & miſericors, ſibi tamen ex tunc incipiebat eſſe auſterus. Nam non ſolum ſingulari abſtinentia ſenſuales appetitus frænare, ſed, & leviſſimos quoſcunque defectus flagellis aſperis conſueverat expiare. Licet autem etiam dum in ſæculo verſaretur, animo Cœlum recoleret, magis tamen, ac magis abundans in ſcientia, & in omni ſenſu probavit potiora, & annum ætatis ſextum decimum ingreſſus, in Cuſtodia S. Evangelii, ſeu Extremaduræ (quæ nunc S. Gabrielis Provincia dicitur) Fratrum Minorum diſcalceatorum habitum, & Evangelicam vivendi formam ſuſcepit. Quod conſilium inſigni prodigio approbavit Deus. Cum enim feſtinanti ad religioſi Ordinis portum moram objiceret fluvius Tietar, qui tunc forte imbribus intumuerat, neque ulla navigii facultas eſſet, effuſus in preces, in altera ſe ripa divinitus conſtitutum ex templo reperit Petrus. In Cœnobio tam magnos in virtute ſtatim progreſſus fecit, ut initio tirocinii emeritis Chriſti militibus emineret; ad omnium tamen pedes mirabili demiſſione proſternens ſe. Præcinxit illum Deus virtute, & poſuit immaculatam viam ejus. Paupertate, religioſæ diſciplinæ rigore, rara oculorum modeſtia, incredibili ſiti cruciatus magnam in omnibus excitavit admirationem ſui. Solemnem profeſſionem, expleto tirocinii anno, emiſit, & ſeſe elevans ſupra ſe, humana omnia tranſcendens, & anhelans ad cœleſtia, oculis tamen in terram ſemper dejectis, ignorabat, an chorus Eccleſiæ (quem perpetuo adibat) fornice obductus eſſet, an laqueari, an cellula ſuæ ex lapidibus, an ex lignis conſtaret. Et exactis in quodam ſui Ordinis

dinis Cœnobio tribus annis, Fratres non ex vultu, ſed ex ſolo vocis cognoſcebat auditu. Silentii quoque rigore linguam reprimere ſtudens, per triennium quoſdam in ore lapillos detulit, ut vel ſic loquendi pruritum coerceret. Senili prudentia juventutem ſupergreſſus, vigeſimo ætatis anno præter ſacri Ordinis morem, Cuſtos Cœnobii S. Mariæ Angelorum renunciatus eſt, ubi tot chariſmatum dona cœlitus illi collata ſunt, ut ex eo jam tempore prodigiis coruſcaret. Cum enim annona omnis defeciſſet, ac Fratres egredi ad petendam eleemoſynam prohiberentur (altiſſima nive Conventum obſidente) conqueri de Petro cœperunt, qui etiam rigente hyeme ipſos cogitare de craſtino vetuiſſet, quicquid menſæ ſupererat, quotidie in pauperes diſtribuere conſuetus. At ille certo ſciens enutriendos eſſe, qui jactant cogitatum ſuum in Domino, juſſit ad oſtium puerulos pergere, ubi ſuper acervum nivis poſtibus herentem, prægrande caniſtrum refertum panibus invenerunt, tam importuno tempore, & itinere alta nive obſito, nonniſi ab Angelis eo delatum: quam divinæ providentiæ curam aliis quoque vicibus eſt expertus. Sed mirabilior erat Petri vita, quæ ut viva lex perfectionis alumnos provocabat ad ſanctitatem. Pro quovis præconio ſufficeret referre illa, quæ de hoc viro ſanctiſſimo dixit ſanctiſſima pariter Virgo Tereſia Carmelitarum Reformatorum parens; videlicet ne momento quidem diei, ac noctis Petrum ab oratione ceſſaſſe, & ne ſomnus oranti obreperet, flexis genibus, cum quieti tandem indulgere cogebatur, ad ligni ſtipitem parieti infixum caput admoveret. Illius cella, eadem Tereſia teſte, pedum quatuor longitudinem cum dimidio non excedebat; adeoque depreſſa erat, ut flexis genibus, & curvis ſemper humeris in illa hærere cogeretur. Per quadraginta annorum decurſum ſeſquihoram tantum ſomno conceſſit, jejunium amavit adeo, ut ad triduum ordinarie, & ad octo aliquando dies inediam protraxerit: aſperrimo præterea cilicio armatus, bracteæ ferreæ per viginti annos præfixis aculeis corpus dilaniant, bis in die flagellis in ſe crudeliſſime animadvertens, itinera quamvis longiſſima, atque aſperrima capite ſemper detecto, nudiſque pedibus peræſtus, & frigora ſuſcipiens, ita ut cum nudum caput imbribus, & nivi exponeret, interdum capilli gelu concreti deciderent, & æſtate præfervida, exurentibus ſolis radiis capite vehementiſſime cruciaretur, reſpondere ſolitus interrogantibus, cur detecto capite ſemper incederet; nefas eſſe coram Deo tecto capite ambulare. Cum vetuſtum, ac vilem ſaccum abluebat, madidum corpori aptabat, quin etiam in gelidam aquam rigente hyeme ſeſe plerumque injiciebat. Præter hæc, familiare illi erat hyeme ſumma, urgente nivis frigore, depoſito pallio feneſtram, & januam cellæ reſerare, ut frigidiſſimo excepto aere, & gelu acriùs torqueretur caro mox eximenda diris cruciatibus, cum feneſtram, & januam clauſiſſet; eo devenit hac ſeva maceratione membrorum, ut ex narratione ſanctæ Tereſiæ arido & exangui corpore, radicum arboris ſpeciem exhibuerit: oculis autem in caveam recedentibus, & ſulcatis perpetuo lacrymarum imbre genis, mirabile pœnitentiæ ſimulacrum videretur. Ex hac eximia vitæ ſanctitate vires hauſit ad egregia quævis præſtanda in honorem divinitatis, eoque prodigioſo morum ſuorum exemplo aſſequi potuit. Latere ille quidem præoptaſſet, & paternam ſancti Franciſci humilitatem ſecutus regale Sacerdotium formidaſſet accipere, niſi ad illud ſuſcipiendum Superiorum imperio coactus fuiſſet. Itaque non ſumens ſibi honorem, ſed vocatus a Deo, tanquam Aron, Sacrum quotidie peragebat tam uberes in fletus effuſus, ut exitus aquarum deducentes oculi ejus, viderentur fons hortorum, & puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. Juſſus etiam eſt ſuggeſtum aſcendere, ac verbi divini panem ex tempore populis eſurientibus frangere: cumque de ore

ejus

ejus erumperent quaſi ſagittæ potentis acutæ, innumeros feliciſſime ſauciatos eruit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filii Dei. Præterea confluebant ad illum privatim erudiendi non modo infimi & populares, ſed etiam nobiles ac principes Viri, quos mira ſuavitate & efficacia verborum ad ſalutarem pœnitentiam invitabat. Confeſſarii tamen munus apud Carolum V. Cæſarem declinavit, captus amore ſolitudinis & demiſſionis, ac metu diſcriminum Aulæ regalis. Plura Cœnobia ſui Ordinis ſanctiſſime temperavit, videlicet illud ſancti Honuphrii in provincia ſancti Gabrielis, ſancti Michaelis Placentiæ, aliaque. Subinde Provinciæ Definitor & Cuſtos, ac deinde omnium ſuffragiis in Provincialem electus eſt provinciæ ſancti Gabrielis, cujus regimini ſedulo incumbens, exemplis & verbis quaſdam edidit Conſtitutiones, quibus ſtrictioris Obſervantiæ nitor in ea reſloreret. In Luſitaniam quoque perrexit, ut naſcentem Arabidorum Provinciam juvaret & promoveret. Cum autem arctiorem ſui Ordinis diſciplinam vigere deſideraret, & longius extendi, ſuperntis graviſſimis difficultatibus, divino nunitus præſidio, & Apoſtolica fretus auctoritate, primum novæ Reformationis Cœnobium anguſtiſſimum & pauperrimum, ſub Immaculatæ Conceptionis titulo, prope Pedroſum, Caurienſis diœceſis in Beturia, vulgo Extremadura oppidum conſtruxit; ubi cum paucis ſociis Apoſtolicam ſui Patris Franciſci vitam renovavit. Hinc a Paulo IV. ſummo Pontifice ejuſdem Clementis, ac noſtro Prædeceſſore Commiſſarius Generalis novæ Reformationis inſtitutus, alios ædificavit Conventus; ex quibus & quibuſdam aliis ejus ſe regimini ultro ſubdentibus, provinciam ſancti Joſephi fundavit. Mox deſtinatis ad regnum Valentiæ ſociis, provinciæ ſancti Joannis Baptiſtæ fundamenta jecit. Ac tandem illud ſtrictiſſimum vitæ genus in varias Hiſpaniæ provincias ad Indias & Japonium uſque feliciter dilatatum eſt, ubi ex ipſa Reformatione multi martyrio coronati ſunt. Sanctam quoque Virginem Tereſiam in ſtabilienda Carmelitarum Reformatione indefeſſus adjuvit, ita ut ipſamet teſtante, recentis illius propaginis ſit præcipuus promotor exiſtimandus. Et revera multas pro re tanta peregrinationes ſuſcepit, & labores tulit. Imo & abſenti opem & conſilium laturus aliquando miraculoſe apparuit. Quam gratum acciderit Deo ſtudium hoc Obſervantiæ ſtrictioris, & quanto haberi vellet in pretio Seraphicum zelum hujus Viri, Deus ipſe prodigiis ingentibus comprobavit, cum non ſolum rapidiſſimas Tagi, & alterius fluminis aquas ſiccis ipſe pedibus aliquando tranſivit, ſed & puer, qui aſello inſidens, caniſtrum panibus refertum ad illum & Fratres deferebat, Petri de Alcantara nomine invocato, jumentum impulit in flumen, quod ſolidum ac tutum ſupra ſuas aquas ingreſſum eidem præbuit. Cum Joannes de Neira Petri in itinere ſocius, inedia & ſiti confectus pene decideret, in loco, ubi ad orandum ſanctus hic Vir ſe compoſuerat, fons illico erupit, & panis cum piſce ad eſum paratus apparuit. Infixus ab eo terræ aridus baculus in viridem ficulneam exerevit, cujus fructus etiam nunc ægris ſalutem redonant. Atrocem pertinacis mulieris injuriam non modo patientiſſime toleravit, verum etiam flexis coram ea genibus pro culpa, quam non patrarat, humillime deprecatus eſt. Semel Crucem in horto Pedroſi devotis oculis contemplans ſurſum ferri, & in aere coram ipſa ſuſpendi, & lucidiſſimos quoque ex oculis radios in eamdem Crucem emittere viſus eſt, candidaque nube caput ejus circumdari. Quemdam adoleſcentem benedictionem ſuam enixe eſflagitantem, cum ab urbe quamprimum recedere decreviſſet, de gravi diſcrimine, quod illi imminebat in hæreticam quandam opinionem incidendi, præmonuit. Scholarem alium reſpiciens, mundo quamprimum renunciaturum, ſæcumque Religionis habitum ſuſcepturum, divinitus agnovit. In magna ſiccitate precibus ſuis copioſum a Deo imbrem obtinuit. Ac-

cen-

cenſum ignem in quodam Conventu per flammas ipſas innoxius incedens, ſine mora extinxit. Demerſum in puteo Infantem; corda, qua cingebarur, in eum locum demiſſa, mirabiliter extraxit. Mulieris oculos luce orbatos leviter tangens, data ei benedictione, protinus illuminavit. Fœminam quamdam a Dæmone per multum temporis deceptam de prava illa conſuetudine, quam cum maligno tentatore habuerat, commonefecit & liberavit. In reditu ad Conventum de Arenas a civitate Abulæ obrutus fuiſſet nivibus, quarum vis ingens e Cœlo devolvebatur; niſi ejus precibus coercitæ in aere pendulæ conſtitiſſent, & prodigioſum tabernaculi genus artificioſo fornice compoſuiſſent, quo incluſus Petrus ab aliarum læſione nivium prohibebatur. Imbres quoque copioſiſſimi eum madefaecre non ſunt auſi, quod etiam, dum auguſtum Miſſæ Sacrificium offerret, ipſi, & circumſtantibus ſemel evenit. Corporaliter videndum ſe præbuit plurimis procul diſtantibus. Prophetico lumine remotiſſima locorum & temporum ſpatio prædixit. Demum uſque adeo fuit in deliciis divinitati, ut omnium vota, quando Petrus interceſſorem exhiberet ſe, impienda eſſe profeſſus fuerit ſanctæ Virgini Tereſiæ, ut ipſamet ſibi ſemper accidiſſe fatetur. Et illius quidem preces adeo incenſæ erant igne divino, ut inter orandum brachiis in modum Crucis expanſis in altum ſæpiſſime ferretur; ac dum Sacrum faceret elevari in ſublime coram populo aliquoties conſpectus fuerit. Imo tanta ejus erat aſſiduitas orationis, ut nunquam ab ea ceſſaret, & intuentibus ipſum, homo alterius ſæculi videretur. Edoctus ergo etiam, dum in terris agebat, ad Cœlum evolare, tandem meritis plenus, ætatis anno ſexageſimo tertio infebrim, ac dolores moleſtiſſimos incidit. Augebatur ſimul cum ægritudine hilaritas Petri, probibentis religioſam ſuam Familiam a lacrymis, in quas ob amittendum amantiſſimum parentem agebatur. Eccleſiæ Sacramentis rite ſuſceptis, ac prædicta mortis hora, non jacens, ſed bini erectus in genua, in altiſſimam extaſim raptus, ac deinde ſenſibus reſtitutus: Lætatus ſum, inquit, in his, quæ dicta ſunt mihi. In domum Domini ibimus. Et manu Fratribus benedicens, ita illos eſt alloquutus: Non intuemini, Fratres mei, ſanctiſſimam Trinitatem, & Dominam meam glorioſiſſimam Virginem Mariam, & ſanctum Joannem Evangeliſtam? *Quibus dictis, adhuc excepto genibus corpore migravit animo in Cœlum, & ſancta Tereſia procul diſtans ab oppido de Arenas, in quo Petrus deceſſerat, illum vidit recto & lucido tramite delatum ad ſempiternam felicitatem; ac ſæpe poſtea eidem oranti apparuit plenus immenſa gloria, & puriſſimæ lucis radiis circumfuſus. Corpus vero pulcherrimum, cæleſti quodam colore perfuſum, oculis apertis, & miro ſplendore radiantibus, ſuaviſſimo de membris odore manante intuentes replebat admiratione, utque fidelium adventantium devotioni ſatisfieret, in eminentiori extra portam loco expoſitum fuit, ad cujus conſpectum populus ſuſpiriis ac vocibus* Sanctum *intus clamabat, auxilium ab eo petebat, & vel minimam habitus particulam proſummo quilibet bono reputabat. Inde proceſſum eſt ad funus, numeroſo populo, cum facibus ac candelis accenſis ſacrum depoſitum comitante. Contigit autem inter cætera notabilia, quod Cœlum imbre ac vento furens delato in medium corpore, ſubito placaretur, dum in circuitu omnia ſtreperent & inundarent, itaut a Valetudinario, in quo deceſſerat, uſque ad Conventum, duobus milliaribus diſtantem, quieto Cœlo omnes immadefacti proceſſerint, & ceram pro funere honorando accenſam in tanto ſpatio nihil imminutam repererint. Ejus Corpus in Eccleſia Fratrum Minorum Diſcalceatorum depoſitum, ſingulari populorum veneratione viſitur. Exceſſit anno ſalutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo decima octava die Octobris. Plurimis etiam poſt mortem miraculis coruſcavit. Alphonſus Sanchez faber lignarius fracti cruris inte-*

grandi mortalem omnem ſpem projecerat; ſed ad ſepulchrum Petri momento temporis convaluit: Laborantem exitiali morbo Mariam da Paramo, & a Medicis deſperatam, hauſtus aquæ, Reliquiarum Petri contactu ſacræ, dicto citius integræ ſanitati reſtituit. Sacramento extremæ Unctionis munita jam erat Maria Velaſquez, quæ Petri opem expoſcent, illico ſurrexit incolumis. Franciſcus Ramirez ſexennis puer cruribus contractis; oleo lampadis ante Petri ſepulchrum lucentis inunctus repente ſanatur. Balthaſſari Rodriquez ſexenni puero, fracto utroque latere, ac defluentibus inteſtinis pene confecto, effuſæ ante Petri ſepulcrum preces ſaluti fuerunt. Franciſca Martinez triennio claudicans, quæ deſperata fracti pedis ſalute, genibus & manibus reptaverat ad Petri ſepulcrum, incolumis, & ſolido pede innixa, regreſſa eſt domum. Utraque aure ſurdus Bartholomæus Garzia, contactu aquæ, cui fuerant admotæ Petri Reliquiæ, recuperavit auditum: & eodem contactu viſum momento recepit Iſabella Gonzalez a tribus menſibus cæca: & fœdo apoſtemate laborans in dextero genu Joannes Puer bimus repente convaluit. Jacuit autem Petri Corpus per multos annos in humili loco, in quo primo reconditum fuerat, ſed cum undique ad illud ex tota confluereturHiſpania, Epiſcopi Abulenſis auctoritate in locum decentiorem a Religioſis Conventus de Arenas translatum eſt, & oleo ſimilem liquorem diſtillans repertum, candidis velis fuit involutum, retenta quadam Reliquiæ particula, & in Arca prope Altare majus iteram muro incluſum. Gratias igitur immortales agebat omnipotenti Deo idem Clemens prædeceſſor, & in illo cor ſuum exultabat, quod nullis ejus ſuffragantibus meritis, ſed altitudine divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ hanc ſervi ſui Petri de Alcantara Canonizationis ſolemnitatem per ejus humilitatis miniſterium ad ſui nominis gloriam, & catholicæ fidei exemplum voluerit celebrari. Cum enim præter eximia prodigia, quibus Petri vita effulſit, poſt mortem etiam quamplurimis aliis miraculis ejus ſanctitatem teſtaretur Deus, aditus aperiebatur ad ſacros honores Petro deferendos. Propterea crebreſcente fama ejus ſanctitatis, venerationis & miraculorum, editi ſuper his fuere proceſſus auctoritate Apoſtolica & ordinaria: Et accedentibus precibus claræ mem. Philippi III. & IV. Catholicorum Hiſpaniarum Regum, nec non fere omnium Hiſpaniæ Regnorum, cæteriſque de more peractis, ſacrorum Rituum Congregatio, cui ſupradictorum proceſſuum reviſionem injunxerat Gregorius Papa XV. etiam prædeceſſor noſter, tunc ſuus, reſpondit, referente bon. mem. Marco Antonio tituli ſancti Euſebii Presbytero Cardinali Gozadino, juxta ſeriem relationis trium cauſarum Palatii Apoſtolici Auditorum pluries examinatam fuiſſe cauſam ſervi Dei Petri de Alcantara, ac pleniſſime conſtare de validitate proceſſuum, fama ſanctitatis, fidei puritate, cæterarum virtutum excellentia, reliquiarum ac ſepulcri veneratione, & plurimis tandem miraculis, ac propterea poſſe, ſi ſummo Pontifici placuiſſet, eundem Petrum Sanctum, ac in Cœlis regnantem, omnibus fidelibus ſolemni Canonizatione proponere venerandum; dum interim Epiſcopus Abulenſis in cappellam quandam novam a ſe dedicatam, ſacrum ejus Corpus, odorem ſuaviſſimum ſpirans ſolemniter tranſtuliſſet, præſentibus nonnullis Hiſpaniæ Magnatibus, qui ferendis Reliquiis nobiles humeros ſubmiſerunt. Quapropter idem Gregorius XV. fel. record. prædeceſſor noſter, tunc ſuus, annuit precibus ejuſdem Philippi IV. Regis, & Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum; atque Petrum Beati titulo inſignivit die decima octava Aprilis anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo; ac de eo tanquam de Confeſſore non Pontifice die decima nona Octobris, qua ipſius memoriam celebrandam eſſe ſtatuit ubique terrarum ab univerſo Ordine Minorum Obſervantium utriuſque ſexus; in oppido vero de Alcantara, ubi natus eſt, atque

que in altero de Arenas, ubi Corpus ejus requieſcere acceperat, ab omnibus tam regularibus, quam ſæcularibus Clericis recitari Officium poſſe, & Miſſam celebrari, datis deſuper literis in forma Brevis, conceſſit. In Provincia vero ſancti Joſephi, cujus auctor extitit Petrus a Fratribus Diſcalceatis de illo, veluti de Patrono, etiam cum octava Officium, ac Miſſam celebrari poſſe. Deinde vero novus proceſſus conditus eſt ob nova decreta ab Urbano VIII. edita, & fama ſanctitatis præſervans, & creſcens fidelium veneratio reperta eſt. Alia deinde miracula a fel. rec. Innocentio X. prædeceſſore noſtro, tunc ſuo, comprobata ſunt die octava Martii milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi, cum proceſſus novi ſuper his, quæ poſt Petri Beatificationem acciderant, formati fuiſſent, inſtantibus inprimis iteratis ſupplicationibus Epiſcoporum, Principum ac Civitatum totius Hiſpaniæ. Repetito voto ſacrorum Rituum Congregatio die XII. *Aprilis anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo cenſuit, poſſe tuto deveniri ad ſolemnem Petri Canonizationem, ac in Domino plurimum expedire, ut diuturnæ mortificationis aſſiduus labor plane ad prodigii genus accedens, argumentum inſigne perfectiſſimæ caritatis in Deum cum ſalubri animarum profectu, ſane admirabili, Chriſtifidelibus colendus & imitandus omnino proponeretur, ſed interim ſuccedente interitu fel. rec. Alexandri VII. prædeceſſoris noſtri, tunc ſui, quo annuente decretum ſupradictum emanaverat, ab eadem ſacrorum Rituum Congregatione, & eodem Clemente ad ſancti Petri Cathedram evecto, priores diligentiæ fuerunt inſtauratæ, & accedentibus novis Principum Catholicorum inſtantiis, præſertim vero Regis Catholici Caroli II., ſecretum Conſiſtorium fuit habitum die decima octava Martii anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono, in quo per venerabilem Fratrem noſtrum, tunc ſuum, Martium Epiſcopum Portuenſem S. R. E. Cardinalem Ginettum ſtatus cauſæ beati Petri relatus fuit; & omnium Cardinalium, qui adfuerunt, ſuffragia dixerunt, placere eis, ut idem Clemens ad ſolemnem Canonizationem deveniret. Quapropter ſequente publico Conſiſtorio, in quo de Canonizatione dicti beati Petri verba fecit dilectus etiam filius Alexander Caprara, noſtræ, tunc ſuæ; Conſiſtorialis Aulæ Advocatus, & nomine præfati Caroli Regis, necnon Regnorum prædictorum, ac Miniſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Minorum, eidem Clementi prædeceſſori fuit humiliter ſupplicatum. Idem Clemens prædeceſſor noſter, in tam gravi cauſa orationibus, & jejuniis publice indictis, & conceſſa pro hoc fidelibus indulgentia divinæ voluntatis beneplacitum explorare ſategit. In ſemipleno poſtmodum Conſiſtorio Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum (de quorum numero tunc eramus) ſcripta ſuffragia, Canonizationis ſolemnitatem approbantium, eidem Clementi prædeceſſori diem Dominicum in Albis unanimiter innuerunt. Tandem cum nihil aliud deſideraretur eorum, quæ ex ſanctorum Patrum auctoritate, ſacrorum Canonum decretis S. R. E. antiqua conſuetudine, ac novorum decretorum præſcripto agenda & obſervanda erant, dicta die Dominica in Albis, quæ erat quarto Kalendas Maii anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono, Pontificatus ſui anno ſecundo, in ſacroſancta beati Petri Apoſtolorum Principis Baſilica, in qua ſolemni ritu cum ejuſdem S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis Romanæ Curiæ Prælatis officialibus, & familiaribus ſuis, Clero ſæculari & regulari, ac maxima populi frequentia mane convenimus, poſt repetitas pro Canonizationis decreto petitiones, nomine ejuſdem Caroli Regis a dilecto etiam filio noſtro, tunc ſuo, Jacobo tituli ſancti Xiſti Presbytero Cardinali, Roſpigliloſo nuncupato, poſt ſacros hymnos, litanias, aliaſque preces Spiritus ſancti gratiam rite imploratam; Ad honorem ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei*

Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, authoritate D. N. Jeſu Chriſti, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac ejus matura deliberatione præhabita, & divina ope ſæpius implorata, ac de venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, beatum Petrum de Alcantara Sanctum eſſe decrevit & definivit, ac Sanctorum catalogo adſcripſit, ſtatuens ab univerſali Eccleſia quolibet anno, die decima octava Octobris, illius obitus die, memoriam ejus inter ſanctos Confeſſores non Pontifices pia devotione recoli debere in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

Poſtea idem Clemens prædeceſſor noſter ejuſdem Sancti feſtum die decima nona Octobris celebrari quotannis decrevit, in qua die omnibus Chriſtifidelibus, qui aliquam ex Eccleſiis univerſi Ordinis ſancti Franciſci tam Fratrum, quam Monialium, tam hactenus erectis, quam impoſterum erigendis, & ubicumque locorum exiſtentibus viſitaverint indulgentiam plenariam perpetuam conceſſit. Deo igitur Optimo Maximo, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, gratias agere eundem Clementem prædeceſſorem decebat: qui benedixit hunc Servum ſuum in omni benedictione ſpirituali, ut eſſet Sanctus & immaculatus coram ipſo, & curreret in via mandatorum divinorum dilatato corde ab eximia caritate; cumque illum divina pietas huic noſtro ſæculo induſerit, qui antiquæ prodigia ſanctitatis inſtauraret, eundem ſingulari cultu proſequeretur, ejuſque auxilium in hiſce Chriſtianæ Reipublicæ neceſſitatibus enixius implorarct. Ne autem de decreto, definitione, adſcriptione, ſtatuto, conceſſione, aliiſque præmiſſis, pro eo, quod ipſius Clementis prædeceſſoris literæ ejus ſuperveniente obitu, confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæſitari, volumus, & Apoſtolica authoritate decernimus, quod decretum, definitio, adſcriptio, ſtatutum, conceſſio, aliaque præmiſſa a dicta die quarto Kalendas Maii ſuum conſequantur effectum, ac ſi ſuper illis ipſius Clementis prædeceſſoris literæ ſub data ejuſdem diei confectæ fuiſſent, prout ſuperius enarratur; quodque præſentes literæ ad probandum plene decretum, definitionem, adſcriptionem, ſtatutum, conceſſionem, & alia præmiſſa, ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Cæterum quia difficile foret, præſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum exemplis etiam impreſſis, manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides adhibeatur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum voluntatum, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentatum præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo, quinto Idus Maii, Pontificatus noſtri anno primo.

✠ *Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.*

✠ *Ego Franciſcus Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Barberinus S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego Franciſcus Maria Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Brancatius.*

✠

✠ *Ego Uldericus Epiſcopus Albanenſis Card. Carpineus.*

✠

✠ *Ego Virginius tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Card. Urſinus.*

✠

✠ *Ego*

Anno Christi 1562.	Pii IV. anno 3.	Ferdinandi I. Imp. anno 5.	Religionis Minorum anno 355.

Ego Cæſar tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Facchenettus.

Ego Alderanus tituli S. Praxedis Presbyter Cardinalis Cybo.
Ego Fridericus tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Sforția.
Ego Benedictus tituli S. Honuphrii Presbyter Cardinalis Odeſtalchus.

Ego Aloyſius tituli S. Alexii Presbyter Cardinalis Homodeus.
Ego Petrus tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Ottobonus.
Ego Laurentius tituli S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis Imperialis.

Ego Marcellus tituli S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis Santacrucius.
Ego Joannes Baptiſta tituli S. Marcelli Presbyter Cardinalis Spada.
Ego Franciſcus tituli SS. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis Albitius.
Ego Octavius tituli S. Ceciliæ Presbyter Cardinalis de Aquaviva, & Aragonia.
Ego Carolus tituli S. Priſcæ Presbyter Cardinalis Pius.
Ego Carolus tituli S. Euſebii Presbyter Cardinalis Gualterius.
Ego Flavius tituli S. Mariæ de Populo Presbyter Cardinalis Chiſius.

Ego Jacobus tituli S. Pancratii Presbyter Cardinalis Franzonus.

Ego Petrus tituli S. Calixti Presbyter Cardinalis Vidonus.

Ego Nerius tituli SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Corſinus.
Ego Carolus tituli S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Bonellus.

Ego Carolus tituli S. Suſannæ Presbyter Cardinalis Caraffa.
Ego Palutius Baſilicæ SS. Duodecim Apoſtolorum Presbyter Cardinalis de Alteriis.
Ego Cæſar tituli S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Raſponus.

Ego Carolus tituli S. Mariæ de Ara-cœli Presbyter Cardinalis Robertus.

Ego Jacobus tituli S. Xyſti Presbyter Cardinalis Roſpillioſus.

Ego

✠ *Ego Fridericus S. Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis de Haſſia.*
✠ *Ego Carolus S. Cæſarei Diaconus Cardinalis Barberinus.*
✠ *Ego Decius S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Agolinus.*
✠ *Ego Franciſcus Maria SS. Viti, & Modeſti Diaconus Card. Mancinus.*
✠ *Ego Paulus S. Georgii Diaconus Cardinalis Sabellus.*
✠ *Ego Sigiſmundus S. Mariæ in Domnica Diaconus Cardinalis Chiſius.*

Quædam mira poſt ejuſdem Canonizationem recenſentur.

CCCLIV. Ita ergo ſolemni ritu Petro in Sanctorum album aſcripto, contigit proceſſu temporis, quod quum Panormi in Sicilia anno MDCXXXIII. feſtum ejus cum maxima pompa per octo dies a pro Rege, & a Regni Proceribus celebraretur, in quo præter apparatum, & eleemoſynarum magnificentiam, quas ſinguli magnis ſumtibus largiebantur, ſancti Petri quoque virtus, divina operante gratia, illuxit, multa enim beneficia tunc præſtitiſſe piis Chriſtifidelibus ejus opem implorantibus conſtat: ex quibus pauca memoraſſe cum ii, qui acta Petri ſcripſere ſufficiat, præteritis ſilentio cæteris, ne plus æquo prolixa lectoribus accidat noſtra narratio.

» CCCLV. In primis quidam Eccleſiam adornans ſcalæ gradu ſub pondere infracto, ab alto in terram præcipitabatur; at miraculoſe alteri gradui adhærens invocata ſancti Petri ope mirifice in eo ſtatu manſit in aere uſque dum ipſi ſuccurri poſſet ab aliis.

» CCCLVI. Infra octavam diei feſti ejuſdem cæcus quidam egenus diligenter ſacra frequentans, & ſancto Petro ſe commendans, eum omnium ſtupore viſum recepit.

» CCCLVII. Puerulus forte a curru conculcatus mirabiliter ab omni periculo ſoſpes evaſit.

» CCCLVIII. Filius Secretarii Antonii de Herrera graviter ægrotans, omni humano remedio deſtitutus a Matre devotiſſime ſancto Petro commendatus eſt. Deinde ejus reliquiis puerum tangens, & aquam intinctam propinans, brevi ad optimam valetudinem ex imminenti morte revocatum vidit.

» CCCLIX. In Aula Matritenſi quotannis dies ſancti Petri ſolemni item pompa per octiduum celebrari ſolitus, totius Nobilitatis concurſu, ipſarumque Regiarum Majeſtatum præſentia auguſtior reddebatur. Ibi enim in Conventu Regali ſancti Ægidii Diſcalceatorum ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento publicæ Chriſtifidelium veneratiōni expoſito, muſica, ac panegyricis inſignium Oratorum ſermonibus ſancti Petri virtutes, & laudes magnifice enarrabantur; Deo interdum etiam propter Servi ſui merita beneficia ſingularia devotis largiente.

» CCCLX. Eundem quoque ſolemnem cultum ſancto Petro die mortis quotannis exhibere conſuevit præclara Civitas Catalajud, ubi Clerus, ac populus cum Regiis Miniſtris publica proceſſione ad Cœnobium Fratrum

Ob-

„ Obſervantium ſancti Franciſci ejuſdem Civitatis ſummâ eum celebritate, „ atque frequentia convenire ſolet. Tum in ſacello ſancti Petri a Doctore „ Auguſtino Navarro Burena Equite ſancti Jacobi libenter dotato ejuſdem „ Sancti feſtum ſumptuoſe peragitur in memoriam perpetuam cujuſdam be„ neficii eidem fundatori collati cujus mentionem ſuo loco fecimus.

Qui Petri acta ſcripſerunt.

CCCLXI. Acta beatiſſimi Petri retulit non unus dumtaxat Auctor, inter quos vel imprimis ſancta Tereſia de Jeſu, cujus etſi aliquales adnotaverimus in Petri laudem ſententias, aliquas tamen alias non piget hic adjungere ad majorem ſancti Viri gloriam. Scribit ergo: *Quando ergo meliori modo quo potui, declarabam ipſi orationis meæ ſtudium; tunc ſanctus Vir magnam mihi lucem dedit in omnibus, præcipue quæ ad viſiones pertinebant, quas (cum non eſſent imaginariæ) intelligere non poteram, quomodo animæ imprimerentur ſine ulla corporei ſenſus operatione, quam ſolam noveram; quamvis non haberem. De omnibus autem diſtincte me inſtruxit, aſſiverando nullam in his illuſionem interveniſſe, monendo utique; ut Deum laudarem, ejuſque gratiæ reſpondens de certitudine earum fidem ſecuram, ac indubitatam haberem. Ipſe porro ſatis a me ſolatii accipere videbatur, cum me variis favoribus oneratam, ſuorum quoque negociorum participem faciebat; eo magis, quod valde applauderet meorum deſideriorum fervori, quo ipſe jam longa experientia exercitatus fruebatur. Non enim major conſolatio ſpiritui cupienti magna accidere poteſt, quam communicare poſſe cum alio, qui eodem illuſtratus lumine mutuam quandam rerum cœleſtium reddere poteſt intelligentiam; quamvis mihi videbatur me nondum tam ſublimium rerum principia attigiſſe, per quæ tamen ſervari mihi a divina pietate humiliter ſupplico: Summe autem mihi compatiebatur ſuper eo quod diceret nihil potuiſſe contingere laborioſius, quam illas contradictiones optimorum pati, a quibus multum adhuc ferendum reſtabat; & quod non erat in Civitate, qui me intelligeret; ideoque locuturum recepit cum meo Confeſſario, alteroque illo nobili conjugato, qui mihi maximas moleſtias afferebat; eo quod me ſtudioſius coleret, & Deo tota mente adhereſceret. Quod etiam præſtitit Vir ſanctus, utrique rationibus perſuadens efficacioribus, ut omne dubium deponendo, amplius mihi moleſti non fierent. Quamvis autem Confeſſario id facilius perſuaderet; a nobili tamen illo difficilius obtinuit, ne mihi tantos metus objiciendo, puſillanimem redderet.* Exin de ſuorum reformatione diſſerens: *Ille fuit, qui omnia operatus eſt; & niſi in tali occaſione adveniſſet, non poſſum intelligere, quomodo fieri hæc potuiſſent; quia parum temporis hic manſit Vir ſanctus, nec exiſtimo, quod ultra octo dies, quamvis infirmus; & paulo poſt, cum ad ſe Dominus vocavit. Et videtur ad hoc tantum a divina benignitate fuiſſe ſervatus, ut negocio finem imponeret, quia a longo tempore, ideſt ut exiſtimo, a duobus annis male habebat.* Dixit mihi Dominus (verba ſunt S. Tereſiæ in fine cap. 37. ejus vitæ) *quod nihil in nomine ſuo quiſquam peteret, quod divina miſericordia non exaudiret: quemadmodum ego propria experientia atteſtari poſſum.*

Cap. 30. Vita S. Tereſiæ.

Ibidem cap. 36.

Ibidem cap. 37.

CCCLXII. His addendum Franciſci de ſancta Maria Carmelitæ Diſcalceati, & ſui Ordinis Generalis Chronologi teſtimonium: ille igitur relatis ſuprascriptis ſanctæ Tereſiæ verbis, hæc ſubdit: *Bene juxta iſtud debet noſtra reformatio multa in fundatione ſua partem tribuere iſti magno ſanctæ pauperatis amatori, iſti novo Paulo in pœnitentia, iſti renata Antonio in oratione, & iſti Eliæ in ſuperandis difficultatibus: multum glorietur eum habere inſignis noſtræ Matris coadjutorem, illum plena voce nominat Patrem propter favorem, quem in occaſionibus præteritis, & in iſta præſente dedit Sanctæ, & pro-*

Franc. de S. Maria Tom. 1 lib. 1. cap. 43. n. 4.

propter conſilia, quibus eam etiam mortuus adjuvabat. Deinde ſemper mea Religio recordetur, quod iſte S. Pater totum fecit, juxta quod dicit noſtra S. Mater; & majorem difficultatem fundandi abſque redditu ſuperavit, cui omnes fere alii adverſabantur: ille ſententias multorum reduxit, ille Sanctam animavit, ut firma in intento ſuo permaneret, ille Epiſcopum vicit, ut Breve admitteret, & ſe paupertatis abſque redditu Protectorem efficeret, & cum omnia perfeciſſet, Avila egreſſus eſt, & Brevi poſt fundationem tempore mortuus eſt XVIII. *Octobris illius anni, & a corpore ſeparatus, Sanctam viſitavit, & illa vidit cum ingredientem in Cœlum, abſque quod per Purgatorium tranſiviſſet.*

CCCLXIII. Tertium tantæ veritatis teſtem Riberam Societatis Jeſu, doctiſſimum & piiſſimum Virum omittere nequeo. Ille itaque Tereſiæ coævus maximas ejus difficultates in fundando Abulæ Monaſterio recenſens, ſic lib. 1. cap. 17. loquitur: *Qui magis in hoc fecit, fuit ſanctus frater Petrus de Alcantara, ſua magna authoritate illud approbans, & propter tantam familiaritatem & poteſtatem, quam apud Epiſcopum & alios, qui adjuvaverunt, ſibi comparaverat; quod ſi ille nunc temporis ibi non adfuiſſet, forte iſtud non fuiſſet factum: Non manſit autem pluſquam octo diebus, & per eos multum infirmus, & parum abinde Dominus ſuſtulit eum, ad retribuendum ei coronam ſanctorum ejus laborum, & magnæ amplæque pœnitentiæ & mortificationis. Videtur quod non propter aliam rem eum in Mundo detinebat, quam ad juvandam & terminandam rem iſtam; dein eum ad ſe vocandum.*

S. Franciſci Saleſii par. 1. lib. 2. Ep. 1. & lib. 3. ep. 4. Fontanin. in Rubr. Canoniz. Sanctorum.

CCCLXIV. Sancti Franciſci Saleſii demum perpendantur epiſtolæ, in quibus Sanctum laudare comperies. Porro ejus acta ex Proceſſu recenſent Franciſcus Marcheſius Congregationis Oratorii, italice, Laurentius de ſancto Paulo ex noſtra Obſervantium familia Provinciæ Luſitaniæ, latine, & Joannes de ſancto Bernardo Tertiarius Provinciæ Bæticæ, hiſpanice; Ejuſdemque meminere Tiburtius Navarrus Recollectus Provinciæ Conceptionis, Poſſevinus in Apparatu ſacro. Gonzaga 3. part. ſup. in Provincia Arabidorum, item in Provincia ſancti Joſephi, & in Conventu 2. 5. 6. 11. 23. ejuſdem Provinciæ R. P. Alexander Pocquelinus, & Friardus in vita ejus. Hilarion in Coſta Hiſtor. Catholic. lib. 2. pag. 321. Barezzus ſupra lib. 4. cap. 29. Daça ibidem lib. 3. cap. 52. 53. 54. & 55. Joannes a ſancta Maria par. 1. Chronic. Provinciæ ſancti Joſephi cap. 4. 8. 9. & 12. lib. 1. Papinæus in Hiſtor. general. Origin. Recollector. decad. 8. par. 1. §. 10. 11. 15. Franciſcus Ribera & alii in vita ſanctæ Tereſiæ Virgin. Fundatricis Carmelitarum. Cornelius a Lapide cap. 1. Commentar. in Eccleſiaſtic. verſ. 13. Thielmans, tom 1. vitar. Sanctorum Seraph. Ord. Sylveſter Lavellenſ. de juſtis Magnitudinibus Eccleſ. Roman. lib. 3. cap. 12. §. 6. Galterius in Tabula Chronol. ſæcul. 16. in ſanctis & illuſtribus Viris. Algezira in Arbore Epilogica totius Ordinis Franciſcan. Polyreus tract. 3. tripl Coron. Virg. cap. 13. §. 3. num. 6. Marianus lib. 4. cap. 1. uſque 17. Chronic. Reformat. Gravina in voce *Turturis* par. 2. cap. 13. & 24. Ferrarius in Martyrologio hac die. Victonus Tractat. de antiquo ac moderno uſu Canonizationis Sanctorum cap. 28. ex Luca Caſtellino in Elucidario Theologic. de certitudine gloriæ Sanctorum canonizatorum. Balinghem. in Calendario Virg. Mariæ 18. Aprilis, & 18. Octobris. Elias tom. 1. Legation. Eccleſ. Triumphant. lib. 2. cap. 27. §. 41. Aliique non pauci. Hæc humili, nou tamen brevi, ſtylo cum Laurentio de ſancto Paulo Sveco, Ordinis noſtri alumno, de Petro Alcantarenſi narrare nobis conceſſum eſt. Ab eodem Auctore non tam nitide ſcriptam hiſtoriam, paucis dumtaxat hinc inde variatis verbis, multis tamen locupletatam additamentis exſcribere non ſumus veriti.

riti. Nam vel a Voluminis hujus initio ipſi ſuppendimus, & Waddingi methodum perſecuturos, & diligentem operam hiſtoricæ veritati, & grammaticalibus regulis nos fore daturos.

CCCLXV. Eo ferme tempore, quo Corpus ſancti Petri a piis Catholicis in Hiſpania tanto cum honore terræ demandatur; in Gallia illud ſancti Bonaventuræ ab impiis hetherodoxis ſummo cum dedecore (divina ſic diſponente providentia) exhumatum, combuſtum, & in alveum projectum leginus. Gonzaga his verbis infauſtam narrat hiſtoriam: *Sub anno Domini* MDLXI. *tempore tumulatum a Calviniſtis hæreticis in Gallia excitatis, omnino fere combuſtus fuit: mobilibus interim tum ſacris, tum uſualibus, & antiquitatum documentis, vel ſacrilego latrocinio ablatis vel exuſtis. Corpus præterea beati Patris Bonaventuræ, quod argentea capſa affabre elaborata recondebatur, ſacro interim auro atque argento reſervatis, ab iiſdem nefariis hominibus in Rhodanum flumen ſceleratè projectum exſtitit; ejus tamen caput, divino favore atque laudabili quorumdam Fratrum diligentia, ſanguinarias eorum manus evaſit, & hoc in ipſo loco impræſentiarum uſque ſummo honore a Fidelibus colitur: Nec tamen per hujuſmodi nebulonum diligentiam ſtetit, quin in eorum poteſtatem veniret. Nam V. P., atque de Catholica fide optimè meritum fratrem Joannem Gajettum loci Guardianum, cujus agonem hic ſubjicere libuit, diris cruciatibus divexarunt, ut tantum pignus ſimul cum corpore perdendum detegeret. Sed fruſtra, eligente præfato Patre potius mori, quam margaritas ante porcos, in inferno torrendos ponere. Hic denique Conventus, qui & a triginta Fratribus commodè ſatis inhabitatur, Patrum diligentia atque Fidelium pietate ſuperioribus annis inſtauratus exſtitit.* Inde ſtatim neſcio, qua ratione ductus, eandem hiſtoriam iterato ſcribit his aliis ſequentibus verbis: *Capta civitate Lugduno anno Domini* MCDLX. *omnibuſque Eccleſiis a ſacrilegis Hæreticorum turmis paſſim expoliatis, tandem ad ſacrum beati Bonaventuræ pignus ipſi Sathanæ Miniſtri, exetrabili quadam auri cupiditate & ſiti æſtuantes, in hunc Fratrum Minorum Conventum ſe contulerunt: ipſumque ſancti Viri Corpus, ſacellum illius aggreſſi ex argentea capſa, in qua honorificentiſſimè repoſitum erat, extraxere; atque auro argentoque reſervatis, in flumen Rhodanum projecere. Atque inſuper eodem inſatiabilis avaritiæ ſtimulo acti, ipſius ſancti Patris caput (quod ſciebant gemmis margaritiſque pretioſis affabre diſpoſitum atque ornatum) reperire ſatagunt. Illud autem opportunè fuerat a Fratribus abſconditum, ingruente ſcilicet Hæreticorum perſecutione. Unde ii ſpe inquiſitionis fruſtrati P. Fr. Joannem Gajettum præfati Cœnobii Guardianum impetunt, rapiunt, probris & verberibus afficiunt, atque in torturam diſtendunt, quærentes ab eo, ut ſancti Viri caput revelare, Fideique Catholicæ renunciare velit. Idque cum acrioris ſuppitii comminatione, tum maximis pollicitationibus obnixe perquirebant. Quorum ſane conatus invalidos reddidit præfati Patris, divino favore interceſſioneque beati Bonaventuræ confirmata in tormentis conſtantia. Cumque ii ſeſe a Viro Dei deluſos vident, eum ſub ferrea crate, ſub qua ſanctum Corpus jam ſervabatur, arctarunt fame, ſiti, ſqualore ac pedore torquendum. Quo in loco, licet quædam mulieres devotæ pauxillo panis & aquæ, per cratis foramina illum aliquandiu furtim ab initio ſuſtentaſſent, attamen plurimis tranſactis diebus, pedore atque inedia conſumptus fortis Chriſti athleta, rerumque ſacrarum ac Religionis Catholicæ fideliſſimus cuſtos, fide, amore & conſtantia inſignis obdormivit in Domino: quare cum is tantus Pater pro lege Dei ſui ad mortem uſque certaverit, ab ipſa gloria & honore (ut pie credere poſſumus) coronatus in Cælo exſtitit.*

Corpus S. Bonaventuræ ab Hæreticis combuſtũ, & in flumen projectum.

Act. SS. Tom. 30 Julii die 14. fol. mihi 821. Et Tom. 5. fol. 341.

Gonz. in Prov. S. Bonav. Con. 1. Wadd. ad ann. 1400. n. 18. Davil. lib. 3. ad hunc ann.

Gonz. cit.

CCCLXVI. Certum tamen eſt non anno 1460. ſive 1560. (mendum ſane in notis Amanuenſis, non auctoris) putamus recenſitum commiſſum flagitium. Num autem contigerit hoc anno, ut Davila, Piequetus Sedulius, aliique rem ex profeſſo narrantes ſcribunt, ſive anno 1561., ut cæteri fatentur, libet hic eam adſcribere animadverſionem, quam faciunt Patres Societatis, Solerius, Pinius & Cuperus in ſua celebri de Sanctorum Actorum Continuatione, ut ſequitur: *Quo anno a furentibus Calviniſtis facta ſit reliquiarum Lugdunenſium ſacrilega diſperſio; aliis annum 1561., aliis 1562. ſignantibus. Pendet ſolutio a menſe, quo ſacrilegium peractum eſt, & a modo annos inchoandi more Romano vel Gallicano, de quo alibi non ſemel egimus. Determinatum menſem ſeu diem nec dum reperi, at ſi res contigerit ante Paſcha anni Romani ſeu hodierni 1562., facile conciliantur Scriptores in ſpeciem oppoſiti; nam eo anno Romano 1562., quo maxime Calviniana rabies in Galliam Lugdunenſem, aliaſque partes ſeſe diffudit, adhuc obtinebat modus ordiendi a Paſchate tum in Gallia, tum in Belgio, ſub Carolo IX. cum Romano paulo poſt compoſitum; adeout ſi ante Paſcha acciderit iconomachia Lugdunenſis, adhuc flueret Gallis, & nobis annus 1561., anno 1562. in Paſchate primum inchoando. Hæc indicare viſum eſt, ne quid uſpiam Lectorem remoretur.*

Acta SS. ad.

CCCLXVII. Luculentius tamen, etiamque puto verius laudatus Piequetus his verbis deplorabilem eamdem hiſtoriam ſcribit: *Hanc noviſſimam (Eccleſiam videlicet Conventus Lugdunenſis ſecundo edificatam) milites hæreſeos labe correpti anno Domini* MDLXII. *nimirum in priori ſua perſecutione, in quâ furore turcico acti ſacra Altaria ſubverterunt, ſculptas Sanctorum Imagines, ac ſingulari artificio tabulas eorum agones, actuſque, & vitas referentes confregerunt, flammiſque aſſumpſerunt..... Inſuper iiſdem veſtigiis inſiſtentes ſacrum beati Bonaventuræ corpus e pretioſa capſa effrenate detraxerunt: ſervatiſque ſibi auro & argento, illud primo igni tradentes, cineres in rapidiſſimum amnem projecerunt. Verum juſtiſſimus omnis impietatis ultor Deus, hujus ſacrilegii ac ſceleris poſt decennium meritas ab eis exegit pœnas: cum ex ipſomet loco multorum exanimata corpora, furore populari in proſluentem dejecta ſunt. Licet autem in favillas redactum fuerit tantæ ſanctitatis, & doctrinæ viri ſacrum pignus: attamen favente numine, a pio & ſedulo Patre ac fratre Jacobo Aſteri ſic fuit venerandum illius caput occultum, ut illud reperire ſacrilega manus nequiverit. Cum enim illud humo operuiſſet, illico Lugduno egreſſus, Dolam petiit: nec prius reverſus eſt, quam reddita fuerit aliquantula quies. Hoc ſcilicet fuit divinæ clementiæ & bonitatis evidentiſſimum argumentum, ut ea pars intacta ſervaretur, quæ Dei honorem totis viribus promovere ſtuduerat. Dum vero homines illi efferati priores Cœnobii portas effringerent, Reverendus quidam Stephanus Bouevallis Sacriſta, propere oleum ſacrum in ignem injecit, ne illud prophanaret hæretica rabies: Hoſtias vero ſacras manica tegens in valetudinarium (quo juſſi erant omnes Religioſi ſeſe cogere, donec eos alloqueretur impiæ illius vaterva Dux) detulit, ſicque facta prius quoad licuit confeſſione, omnibus etiam per R. P. Guardianum ad fortitudinem & conſtantiam animatis, ſacrum illud Viaticum quiſque ſuſcepit, & magno animo rei eventum expectavit. Illis igitur poſtmodum alloquutis, per Novatorum Præfectos, & reliquis abire juſſis, venerandum Patrem Guardianum Fr. Joannem Gayet Conventus Gabillonenſis alumnum, de quo etiam Waddingus, concluſum aſſervarunt: poſtularuntque primo blande theſaurum illum potiorem ſacri capitis beati Bonaventuræ ſibi detegi: ubi prima nihil obtinent, vehementiora ſuccedunt, jubentque ſub mortis interminatione, quatenus non modo, quod perquirunt revelet, ſed etiam Eccleſiæ Catholicæ valedicat. Utroque*

Piquet. in hiſt. Provin. S. Bon. in Caſt. & Conv. Lugdun. fol. 6.

Stephanus Bonevallis.

Joannes Gayet Martyr. Waddo ad ann. 1252. n. 25.

que animo forte illis denegato, cum in cella ferro cancellata incluſum (ubi priùs ſancti Corpus reconditum erat) fame, ſiti, ſqualore, opprobriis, verberibus & equleo torquendum ſtatuunt. Cumque ibidem per pias quaſdam mulierculas furtim pauxillo panis & aquæ ſublevatus fuiſſet, aſtute fingentes eundem ſe ad Roana ergaſtula ducturos vinctis manibus & pedibus, fœminecem cum Centurione quodam fortiſs. Ducis Guiſii, in Ararim dejecerunt: & ita felici agone duos inſignes Athletas, regno Cœlorum beandos præmiſerunt. Sed cum id agente Pſeudominiſtro, nomine Angelo accidiſſet, juſto Deo vindice, illemet anno Domini MDLXXII. *in clade Bartholomeana, ibidem pugionibus confoſſus, & in amnem injectus occubuit. Sic nimirum Perillus proprio invento periit. Quamvis autem iſtud Cœnobium fuerit ab eiſdem direptum & conſpurcatum, nihilominus eximia Lugdunenſium civium liberalitate, ac ſeduia Præfectorum vigilantia, jam fere priſtino nitori reſtitutum eſt.*

Conv. alter Lugdunenſis. *Picquetus in hiſt. Prov. S. Bonav. & Cuſt. Lugdun. fol. mihi 25.*

CCCLXVIII. Similiter etiam irruunt in aliud Cœnobium, quod Carolus VIII. Francorum Rex pro Obſervantibus ſecus Lugdunum anno MCDXCIII. ædificavit, dum in Neapolitanum Regnum pararat expeditionem. Cujus Cœnobii cum Waddingo ad eundem annum vel minimam habeat memoriam, libet hic occaſione arrepta ex Claudio Picqueto, qui Provinciæ ſancti Bonaventuræ hiſtoriam contexuit, illam Domus ejuſdem narrare: *Dum Carolus VIII., ait Picquetus, Francorum Rex Chriſtianiſſimus pararet expeditionem in Reguum Neapolitanum, priuſquam ſeſe cum exercitu itineri accingeret, hujus Cœnobii ſuburbani cum caſtiſſima Conjuge jecit fundamenta. Hinc in fundamentali lapide talis eſt ſuperſcriptio, ut patet ex Archivis:* Jeſus Maria = Carolus VIII. fundator hujus Eccleſiæ Dominæ Noſtræ de Angelis, & Anna Regina MCDXCIII. *Quo certe monimento facile dignoſci poteſt, quanto & quali animo hoc opus ſuſceptum fuerit a potentiſſimo, & in bellis fortunatiſſimo Monarcha: quamque pius fuerit ille Princeps ſempiterna laude dignus. Situs ejus late patet in vico duorum Amantium: ſic denominato, ut aliqui opinantur, ab Herode, & inceſtuoſa Herodiade, qui ibidem exilio relegati, in ſumma ægeſtate, pœnas occiſi Præcurſoris Domini, & Chriſti irriſi luerunt. Ita enim de eiſdem loquitur Joſephus.* „Ipſum (*Herodem ſcilicet*) æterno condemnavit exilio „ (*nempe Cajus*) habitaculum illi conſtituens in Lugdunenſium Galliæ Civitate. „ Cognoſcens vero Herodiadem Agrippæ eſſe ſororem, opes & alia, quæcunque „ propria eſſe probarentur, ei reſtituit; arbitrans in conſilio Viri conſciam non „ fuiſſe: putabatur enim etiam eam, quod ſororem Agrippæ cognoverat. At illa, „ tu quidem, inquit Imperator, magnifice ſatis, ſicut dignitatem tuam decebat, „ hæc mihi largiris: verum ego tuo non poſſum uti beneficio, tuiſque muneri- „ bus propter dilectionem, qua marito meo conſtringor, cui ſocia in proſperitati- „ bus exiſtens, juſtum non exiſtimo, ut eum in hac fortuna derelinquam. Tum „ ille magnitudinem animi ejus, indigne ſuſcipiens, ſimul eam cum Herode miſit „ in exilium: ejuſque ſubſtantiam Agrippæ contribuit. Et Herodiadi quidem pro „ invidia, quam circa fratrem gerebat, & Herodi ob id, quod muliebres horta- „ tiones & vanitates advertit, tale judicium ex providentia divinitatis, illatum „ eſt„. *Hæc ille. In eo igitur vico Amantium exſtructus fuit hic noſter Conventus, quem poſtmodum voracibus flammis tradiderunt inceudiarii, & totius orbis peſtes hæretici an. Domini* MDLXII. *Quia tamen Eccleſia eſt undique concamerata, & clauſtrum firmiſſima teſtudine ſuffultum, facilius fuit priſtino nitori reſtituere, quam ſi flamma omnia abſumpſiſſet. Hodie tum Præfectorum vigilantia, eum civium liberalitate fiunt Chori ſedilia, quibus effectis, erit meo judicio comptior ſacra ædes, quam ante excidium. E regione Chori viſitur ſacellum Lucanorum, in quo quatuor columnas marmoreas mirandæ altitudinis & craſſitiei (cum fiut dempta*

dempta baſi, ex continuo & integro lapide) cernere licet: ac præterea pictam tabulam Altaris ejuſdem ædiculæ, datam a nobis D. Bonviſe, quæ ipſum Appellem afficeret admiratione. In hac Eccleſia quondam corpuſculum beati Patris Fr. Joannis Burgenſis, tubæ noviſſimæ præſtolabatur ſonitum: ſed e feretro detractum in Araris profluentem, homines illi religionis prætextu larvati, injecerunt; nam cum mortuis (ajebat Numatius Plancus) nonniſi larvæ luctantur. Nunc etiam illic quieſcit V. P. F. Joannes Tiſſeranus, qui anno Domini MCDXCIV. *pœnitentium Mulierum Lutetiæ Pariſiorum Ordinem, ex proſtitutis inſtituit. Cæterum locus ille prægrandis eſt, & verſus Orientem clivoſus: illi namque imminet collis fruticifer, & herbidus, ex quo decurrunt fonticuli aquarum viventium. Situs autem commodiſſimus eſt; utpote quia ad famoſiſſimi amnis fluenta. Etenim cum navigio ex Æduis, & Sebuſianis huc uſque vinum, frumentum, ferrum, ligna &c. deducantur, tolerabili ſatis pretio illud eoemi poteſt, quod humanis uſibus utile & neceſſarium putatur.*

Joannis Burgenſis corpus.

Joannes Tiſſeranus.

CCCLXIX. Neque ſolum hi Lugdunenſes Conventus, verum & aliæ Minoritarum Domus, quæ Seraphici Doctoris Provinciam conſtituunt hoc eodem anno ab iiſdem Hæreticis direptæ ſunt, illamque inprimis hoc anno, non ſequenti, ut Gonzaga ſcribit, ad ſolum evertunt, ubi Joannes Gibboſus Guardianus pro Chriſti vera fide glorioſum Martyrium ſubiit. Cum ſiquidem hilari vultu ad Cœnobii januam occurriſſet militibus, illique eumdem cæteris præeſſe didiciſſent, injecto in collum laqueo, ludibriis ſaturarunt. Deinde per ignem raptatum, amputatis, naſo, auribus, virilibus membris, atque manuum extremitatibus, in Saonæ fluentem, univerſa urbe inſpectante, conjecerunt. Sed cum in arenam flumine adverſo impulſus extremum duceret ſpiritum, ex Sicariis quidam ſimulata pietate quaſi oblanguentis miſereretur, eum neci tradidit. At juſto Deo vindice, in rabiem ille verſus, occurrentes canino more dilanians, miſere interiit. Apud Montem Briſonem autem in Secuſſiano, ſive Farcorſi agro, die etenim XIV. Julii ſancto Bonaventuræ ſacra a Barone des Adrets, aliiſque Hæreticorum Præfectis Urbs vi occupata, non modo ſuarum fortunarum direptionem, ſed & fortiſſimorum militum, ac pientiſſimorum Chriſtifidelium utriuſque ſexus, incredibilem cædem perpeſſa eſt. Illic undecim vel Sacerdotes, vel ingenuæ nobilitatis Viri ex altiſſima turri præcipites dati ſunt. Septingenti vero quinque, in ipſa urbis oppugnatione, vel qui timore perciti, aut fortiter dimicantes, victori tamen cedendo ſe abdiderant, jam quieto Marte incolumes, aut ſaucii forſitan reperti necati ſuerunt. Inter hos quatuor admirandæ fortitudinis & conſtantiæ religioſi hujus noſtri Inſtituti, videlicet fratres Joannes Baſſon, Franciſcus Bourgoin, Antonius Malin, & Stephanus Cortant, variis plagis affecti, tandem crudeli hoſtis mucrone pro Chriſto ſanguinem ſuderunt. Horum corpora, poſtquam in plateis & compitis diu jacuiſſent inhumata, Cœli volatilibus, atque canibus dilanianda, tradita ſunt, ſicque exciſa urbis facies ac venuſtas, ut ne quidem veſpilones, qui necatorum corpora ſepelirent, invenirentur: adeo metu atque horrore plena erant omnia. His igitur peremptis reliqui fuga vitam redemerunt. Cœnobium autem noſtrum expilatum fuit omnino: ab incendio tamen temperatum eſt: ſive quia nec dum hoc ſcelus excogitarant Hæretici, qui idiotis nihil tunc moliri videbantur, præter Idolatrarum & idololatriæ excidium (illis enim execrandis nominibus Catholicos, & Eccleſiam Chriſti dilectam ſponſam denotabant) ſive etiam quod arbitrarentur, ſacrum hunc locum ſuis blaſphemis concionibus & cantilenis eſſe aptiſſimum; ſperarentque templum Dei vel Baal conſecrare, vel in impiam ſinagogam convertere.

Gonz. in Provin. S. Bonav. Conv. Wadd. ad ann. 1460. n. 29. MSS. authentic. Provinc. eiusd.

Joannes Gibboſus Martyr.

Conv. Montis Brilloni. *Wadd. ad ann. 1570 n. 17. Piquet. hiſtor. Provin. S. Bonaven. in Gall. Lugdun. fol. mihi 20.*

Joannes Baſſonius Franciſcus bourgoin. Antonius Malin, Stephanus Cortant. MM. *Piquet. cit.*

CCCLXX.

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Mino-
1562.	anno 3.	anno 5.	rum anno 355.

CCCLXX. Alteram domum Cabillonis antiquiſſimæ ac nobiliſſimæ Burgundiorum urbis Divionenſis Cuſtodiæ dum ejuſdem Nebulones invadunt, a ſanguine, atque ab incendio abſtinent; de cætero Aras evertunt, ſacra convertunt ſuppellectilia in prophanum uſum, cæteraque committunt, quæ alibi comiſere flagitia. Immaniores tamen ſe produnt in Cœnobium Inſularum ejuſdem Cuſtodiæ, quod ſub Monte Regali in Mandutiis agris ſitum eſt. *Noudum enim*, ait Picquetus citatus, *tranſactum erat omnino ſeculum ab ejus exordio, cum hæretica malitia in Cœnobium Cœnobitaſque Fratres ſævit. Siquidem anno Domini* MDLXII. *Pii Fratres Franciſcus Parrodi, & Claudius Mocardet* (*apud Gonzagam Franciſcus Paredius, Claudius Moncarctus*) *per pagos circumvicinos, hoſtiatim ſecundum Regulam, vitæ neceſſaria depoſcentes, ab Hæreticis intercepti, poſt varia tormenta, uarium, aurium, manuumque detruncationem, tandem capitibus, & cervicibus ad ſpinam uſque biſidis, atque diſſectis, ovantes hanc vitam in meliorem commutarunt: conventus vero in tumultibus hæreticorum ultimis* XV. *Februarii expilatus, & exuſtus fuit: ac ſexennio integro deſertus*. Menſe autem Octobris in eadem Divionenſi Cuſtodia a Portiano, & Andelotio Calviniſtis Conventus Caſtrivillani, & iterum an. MDLXVII. a Principe Condæo, & Coligneo hæreticis totus exſpilatus, deinde in cinerem redactus eſt, ſola ipſa Eccleſia flammas mirabiliter evadente. In qua tamen, perfractis cum Altaribus, tum prædictorum fundatorum præclaris monumentis; ut ne vel fruſtum lapidis ex ipſis remanſerit; impietatis ſuæ veſtigia reliquerunt. Hoc in loco non vere Gonzaga, & Gallemant referunt, hoc anno Paulum Tonnellier Guardianum, Tuſſanum, ſive Toſſantum Fortin, alioſque paſſos fuiſſe, verius tamen hæc; anno MDLXVII. contigiſſe Picquetus ex Monumentis MSS. authenticis hujus Provinciæ penes nos exiſtentibus eruit. Cum iis etiam in eadem Cuſtodia numerandi Conventus Tanlai, Vallisardenſis, & Bibractenſis, cujus tamen poſtremi, neque Waddingus, neque Gonzaga, vel minimam faciunt mentionem.

Con. Cabillonis. *Picquet. hiſt. Prov. in. S. Bon. in Cuſt. Divion. fol. 59.*

Con. Inſulæ. *Picq. cit. fol. 62.*

Franc. Parrodi, & Claudius Mocardet MM. *Picquet. cit. fol. 63. Gonz. in Prov. S. Bonav. Con. 15.*

Con. Caſtrivillani. *Picquet. cit. fol. 53. Galemant hiſt. Prov. S. Dionyſii in hoc Con. §. 1.*

Paulus Tonnellier, & Tuſſanus Fortin MM. *Picq. cit.*

Con. Tanlai. Conv. Vallis Ardenis. Con. Bibractenſis. *Picq. cit. in eadem Cuſt.*

CCCLXXI. In Cuſtodia porro Viennenſi, præter Viennæ Cœnobium, illud etiam Romonis ſive de Romanis celebris Urbis die XXVII. Aprilis a Calviniſtis dirutum fuiſſe legitur. Brutali namque furore acti ex ſacra æde Sanctorum Icones dejecerunt: imo & ex altiſſimo campanili crucem ſuperpoſitam demoliti ſunt. Sed cum eorum aliquis, ut ex alto deturbaret, funes alligare conaretur, e pinnaculo collapſus mala morte periiſſe dicitur; tandem die VII. Maji ejuſdem anni juſſu Hæreticorum Præfecti Antonius Tachy Guardianus cum ſuis Fratribus circa Veſperam urbe pulſus fuit: Cœnobiumque Pſeudominiſtro *la Combe* (in quo ſua commenta denotaret) traditum. Sicque abominatio deſolationis in loco ſancto ſtetit uſque ad an. MDLXIV. quo Caroli IX. Regis Chriſtianiſſ. atque optimi Principis mandato, hæc domus omnino devenuſtata, contaminata & direpta, noſtris fuit reſtituta. Anno autem MDLXVII. quo novis tumultibus Gallia jactata fuit, hoc Cœnobium pœnitus igni die V. Octobris tradidere. Die autem XXVIII. Menſis ejuſdem ec. dumtaxat hæreticorum eorundem cohors Valentia Turnonem venit, & quicquid Deo Sacrum erat diripuit, in uſuſque proprios convertit; ea præſertim, quæ ad Conventum Obſervantiæ pertinere noſcebantur. Unde eodem anno XXV. Julii, & 1. Auguſti, contigit publico Conſiſtorii hæretici decreto, ac mandato XXXIX. albas, vel ſuperpeliceos, III. Pluvialia, VII. Caſulas, VIII. Dalmaticas, cum ſtolis, & manipulis, X. Altarium tapeta, IV. ſyndones, XX. mappas, aliaque nonnulla maximi pretii, præconis voci ſubjici: & XXV. aureis nummis, ac XXXII. aſſibus: & denariis ſex venundari; ſicque ſoluto pretio ea dederunt; quæ vix trecentis aureis ſolatis redimi poterant. Cætera Cœnobii perpulchri bo-

Antonius Tachy. *Picq. cit. fol. 142.*

Con. Romonis. *Picq. cit. in Cuſt. Vienn. fol. 142.*

Con. Turnonis. *Picq. cit. fol. 54.*

bona mobilia, ſic ſuere ab iiſdem direpta, atque devaſtata, ut ſoli nunc ſupersint parietes fluvio rapidiſſimo exſpoſiti. Religioſi vero omnes cum ſuo Guardiano Quintino Vanar exacti fuerunt propriis ſedibus.

Quintinus Vanar.

Con. Mon. Calv. Romanis. *Wadd. ad ann. 1519. n. 31. Picq. cit. fol. 160.*

CCCLXXII. Extra eandem Romanorum, ſive Romanenſium urbem Conventus alter Montis Calvariæ, cui anno hujus ſæculi decimo nono apud Waddingum, verius tamen apud Picquetum XVII. ad inſtar illius ſacroſancti Montis, in qun Chriſtus pro omnium ſalute pependit, datum fuerat initium, a Fundatnribus tamen die II. Januarii anno MDXX. noſtris traditus cuſtodiendus, in acervum lapidum redactus eſt, quemadmodum illi Coſtæ ſancti Andreæ contigit, & Bibratenſi etiam, de quo poſtremo tamen nil penitus nec apud Gonzagam, neque Waddingum legitur. Demum Cœnobium Burgi ſancti Andeoli in Vivarienſi ejuſdem Viennenſis Cuſtodiæ Agro, ita flammis abſumtum eſt, ut ſoli parietes, & Clauſtri Furni, ac Cellævinariæ teſtudines ſuperfuerint; antequam vero id fieret, S. Baſilica diruta fuit, ſacrum Altare prophanatum, & quicquid in Cœnobin erat, longe lateque vaſtatum, ut etiam nec ipſis languentibus pepercerit eorum rabies. Etenim cum Cœnobitæ ſani aufugiſſent, ſolum Laicum fratrem ægrotum Martinum nomine in valetudinario offenderunt: quem cum ſtrato in pomarium petulanter raptantes ſubjecto igne jam ſemimortuum, ſævi lemures concremaverunt. Hoc vero ſacinus ipſomet anno XIII. Novembris ultus eſt Deus. Intercepto namque a Sigiſmundo Pinchenier, aliiſque Catholicis oppido, ſceleris auctor hæreticorum Præfectus Victor de Combas cum filio pœnam tantæ ſevitiæ, ac crudelitatis ſuo ſanguine luit. Nihilominus poſt dies XIV. rurſus expugnata a Novatoribus urbecula, Duce primarin *de Beaudiſne*, Catholicus ſanguis effuſus eſt.

Con. Coſtæ S. Andreæ. Con. Bibractenſis. *Picq. cit. fol. 156.* Con. Burgi S. Andeoli. *Picq. it. fol. 145.*

CCCLXXIII. Nemauſium inſuper Volcariſium, & Arcomentium omnium primum oppidum Petrus Viretus hæreſiarcha e latibulis Gebbennenſibus venit, noſtram Eccleſiam præ cæteris polluit, inibique conventus frequentiſſimos promiſcue faciens, Fratribus aliis expulſis, necatis aliis, ſacriſque contemtis, etiam ex mulieribus Virginibus Matronas facit: ſimilia in Provincia eadem ſancti Ludovici in Conventus Lunelli refertur contigiſſe, ubi plures ſodales Martyris coronati ſunt.

Con. Nemauſii. *MSS. auth. ex Archiv. S. Ifid. Arm. 3. num. 34. fol. 458.* Con. Lunelli. *Wadd. in Catal. M M. & ad ann. 1219. n. 19.* Con. Aurelian. *Fleury ad hunc ann. Tom. 32. lib. 151. §. 51. Thuan. lib. 29. in Epithom. Davil. lib. 3. ad hunc ann. Genc. in Prov. Turon. Con. 1.* Anonymi MM. *Wadd. in Catal. M M.*

CCCLXXIV. Hnc item anno ſequenti, ut Gonzaga ſcribit, Condeus claſſiſque Galliarum Præfectus animum ita ſemper convertentes, ut majores, ac magis ſibi commodas Regni urbes in ſuam poteſtatem adducerent, Civitatem Aurelianenſem Provinciæ noſtræ Turoniæ die II. Aprilis, vel in primis invadunt, ubi ad conflandam monetam majorem, quæ colligi poterat argenti, ac auri copiam e ſacris ædibus ereptam congerebant (antiqua enim Gallorum pietas undique, & SS. Reliquias, Templaque magnifici, ac ſumtuoſis muneribus ditaverat, exornaveratque) ibique iis condendis Cœnobium noſtrum tunc ad Turoniæ Provinciam, nunc vero ad illam ſanctæ Mariæ Magdalenæ PP Recollectorum pertinens ab anno MDC. quo illis auctoritate Clementis VIII. conceſſum fuerat eligunt, ubi ſex ſodales includi juſſerant, multiſque diebus, fame afflictis, poſtmodum intoxicato pane extincti ſunt.

Con. Cenoman. *Wadd. ad ann. 1227. n. 21.* Andegavi. Bleſis. Engoliſmæ. Cognacu. Xantoni. Rupellæ. Oleronis. Angerii. Barbezilii. Michael Deſmans. Jo. de Malay, & Ivo Boyer MM. *Wadd. ad ann. 1275. §. 15.*

CCCLXXV. Non diſſimilia narranda de cæteris ejuſdem Provinciæ Cœnobiis, Cenomanorum videlicet, Andegavi, Bleſis, Engoliſmæ, Cognacu, Xantoni, Rupellæ, Oleronis, Angerii, Barbezilii, aliorumque locorum, & apud Juliodunum, ſive Loſdunum, præcipue ubi dies III. Januarii martyrio coronantur Michael Deſmans, Joannes de Malay, & Ivo Boyer.

CCCLXXVI. Iis addendi, ait ex Gonzaga Wadding. Conventus Hiortii (non Niortii) ubi pro fide Catholica invictus pugil P. Ruellon S. Theologiæ Magiſter, & Pictaviæ Cuſtos ab hæreticis paſſus eſt, de quo etiam Au-

ctores Bollandianæ Hiſtoriæ memoriam faciunt ſicut etiam meminerunt ſancti Maxentii, Partiniaci, Caſtri, Herardi, & Thovarci, quorum hic nomina ſaltim recenſere placuit, dum ex hæreticorum furia monumenta omnia periere, ex quibus origines, vel res clariores erant percipiendæ.

CCCLXXVII. In Provincia autem Turoniæ Pictavienſis Conventus Mirabellenſis omnium primus, ab iiſdem hæreticis bis ſuccenſus eſt, qui, & ſimul cum illo conflagrarunt omnia monimenta; Reliquiæ etiam univerſæ conculcatæ, & omnino incendio traditæ; ac deperditæ ſunt cæteræ res ſacræ. Neque tanta immanitas ſatis fuit ad hæreticorum placandos animos, ſed eo inſaniæ proceſſit, evaſit, atque prorupit, ut infinitis tormentis, atque preſſuris excruciatos ſodales noſtros interfecerint. Inter quos duo imprimis Religioſi, & Sacerdotes digni ſunt, quos memoriæ commendemus, Nicolaus Clementeau, & Joannes Thorigni, qui mortem viriliter ſuſtinere potius, quam Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum abjurare elegerunt; ſicque tandem crudeliter necati, illuſtræ fidei teſtimonium Chriſto dederunt. Idem Conventus nunc tandem devotione Ludovici a Borbonio Ducis a Montepenſerio denuo ædificatus fuit, anno Domini MDLXXVII.

CCCLXXVIII. Item in Conventu ſancti Martini ejuſdem Provinciæ, ſed in Brittania Minori Nanctenſis diœceſis, virtutibus, ac doctrina conſpicuus Franciſcus Drovadeyne ſive Durdanius (Gonzaga illum, falſo Franciſci nomine, Drovadeyne vocat) una cum Franciſco Butault Laico ardentiſſimos in carbones injectus eſt: exinde Joannes Tiſſerius Guardianus violento plumbo necatus, cujus corpus in putei profundum projicitur.

CCCLXXIX. In eadem Provincia Conventus etiam Magduni oppidi combuſtus eſt, itaut remanſerit pauper rebus, pauperior Reliquiis, pauperrimus jocalibus, ſed quod magis lugendum eſt, eo tempore Franciſcani, qui hac in miſerrima conditione degebant, in eo ingentes injurias, & calamitates ab ipſorum hæreticorum tyrannide paſſi ſunt, itaut fugæ ſe tradere coacti ſint: inter quos primus occurrit Joannes Teudriqui, qui cum eſſet Prædicator eximius, & ſæpe hoc in oppido Magduni verbum divinum populo fideliter annunciaſſet, idcireo ab hæreticis deprehenſus, & tandem miris tormentis afflictus, pro fide, ac religione catholica hoc anno non autem MDLXXI. ut ſcribit Arturus conſtantiſſimo animo Martyrium ſuſtinuit. Hoc in eodem Mugduni Conventu, & ab iiſdem ſimilia ſortitus eſt Rodulphus Giamet, ſeu Hiagiamet Sacerdotali dignitate decoratus. Sequuntur etiam in eadem Provincia deſolationes Cœnobiorum Cliſii, Fontiniaci, & Cholleti Maleacenſis diœceſis oppiduli, ubi duo Fratres, ait Gonzaga, magna fide, & incredibili conſtantia pro confeſſione Chriſtianæ, Apoſtolicæ, & Romanæ religionis crudeliſſimum, ſed tamen glorioſiſſimum finem ſuſtinuerunt. Horum primus, Aymericus appellabatur, qui cum ſocio anonymo, ut dicebamus, illuſtre fidei teſtimonium martyrio præbuit. Similiter Conventu Fulgeriarum combuſto, ibidem Joannem Gividrium, ſeu Guibiderium occiſum, una cum Joanne a Luſia venerabilem ſenem jugulatum Hilarius a Coſta ſcribit, quamvis de iiſdem Gonzaga in deſcriptione hujus Cœnobii nullam faciat mentionem; ſcribit tamen in ſuo, quem texit, Catalogo Martyrum, Joannem recenſitum, in hoc Cœnobio fuiſſe paſſum. Conventus demum Caſtri Rodulphi, quem Gonzaga ſimilia paſſum fuiſſe ad ann. MDLX. minus probabiliter narrat, ubi, ait idem Gonzaga, ſacris direptis, *multa ſupplicia horrenda perpeſſi ſunt Fratres, quorum plerique pro fide Chriſti martyrio occubuerunt. Inter quos P. F. Petrus Odon, tunc lector ejuſdem Conventus in quodam Caſtello Bun nocturno exceptus hoſpitio, ab hæreticis inſidioſe trucidatus eſt. Nec poſt mul-*

Gonz. in Provin. Turon. Conv. 23. ſeq.
Acta SS. Tom. 2. Julii ubi ſcribit Servorum Dei ſolus mihi 3.
Gonz. in Prov. Turon.
Thuan. lib. 30. ad hunc ann.
Baret. lib. 4. cap. 24.
Arturus ad 3. Januar.
Con. Mirabelli.
Nicolaus Clementeau, & Joannes Thorigni Martyr.
Ludovicus de Borbonio Cœnobium iterum ædificat.
Conv. S. Martini.
Franciſcus Drovadeyne, & Franciſcus Butault laicus MM.
Gonz. in Prov. Turon. Piſt. Con. 21.
Baret. lib. 3. cap. 40.
Joannes Tiſſerius M.
Baret. lib. 5. cap. 40.
Conv. Magduni.
Gonz. in Prov. Turon. Piſt. Con. 13.
Joannes Teudriqui M.
Gonz. in Provin. Turon. Piſt. Con. 13.
Arturus 2. Sept.
Rodulphus Giamet M.
Davil. ad hunc annum.
Arturus ad 24. Martii.
Conv. Cliſii, Fontiniaci, & Cholleti.
Gonz. in Prov. Turon. Piſtav. Conv. 6.
Aymericus M.
Wald. in Catal. MM.
Conv. Fulgeriarum.
Jo. Gividrius M.
Jo. a Luſia M.
Arturus ad diem 12. Jan.
Conv. Cl[illegible] d. Iſle
Turo. Pro[illegible] 3.

Petrus Odeu M. Guido Germanus Martyr.

multo V. P. F. Guido Germanus ejuſdem Conventus tunc Guardianus in Oppidulo ſancti Gonulphi a Caſtro Rodulpho diſtante ſeptem leucis, ab iiſdem Virii ſanguinum & doloſis truculenter interfectus eſt.

Con. Toloſanus. *Thuan. p. 1. lib. 32. Spond. ad hunc ann. n. 12.*

CCCLXXX. Inito cum Condæo ab Hunaldo Landa nobili Toloſano de ſua patria tradenda conſilio, ait Thuanus, indictaque ad diem Pentecoſtes cœnæ Dominicæ celebrationi, opera Joannis cujuſdam Cormerii antea Franciſcani, qui tunc Barella dicebatur hominis turbulenti ferociſque ingenii urbem Toloſam hoc anno non vero præterito, ut Gonzaga ſcribit, proteſtantes occupant, & exin Conventum noſtrum ad Provinciam Aquitaniæ antiquioris ſpectantem cum cæteris in eorum poteſtatem redigere procurant; incaſſum tamen, opera Blaſii Monlucii catholici, ſtrenuique Ducis Fratribus tamen poſt opprobriorum, atque injuriarum ſaturationem, hinc inde diſperſis exin auxilio Dei, ad propriam ſedem reſtitutis. Ad Caſtrenſem urbem inde perveniunt, & in vinculis pleroſque Franciſcanos detinent, inter quos illum qui ſanctimonialibus a ſpiritualibus erat conſiliis Joannem Trenquerium nomine, qui ob vitæ innocentiam, crebriſque prædicationibus illis erat maxime infenſus. Quamobrem cæteris dimiſſis, ipſe ſolus extra Caſtrenſem præfatam Civitatem actus ibidem ſub iiſdem in fidei confeſſione Martyr evaſit. Atqui Deus ultionum Dominus hujuſmodi flagitium inultum non reliquit; nam immiſſa graviſſima peſte adeo Civitatem ipſam Caſtrenſem ab Hæreticis tyrannice poſſeſſam, atque occupatam deformavit, ut nihil aliud præter mortis imaginem in ea per multum temporis apparuerit: ita ut vix vigeſima ejus Incolarum pars ſuperſuerit. Monaſterium etiam ſanctæ Claræ hujus oppidi die IV. Januarii invadunt, illoque ſolo æquato, Sorores quæ quadrageſimum numerum attigerant, poſt plurima ab iiſdem perpeſſa ludibria, ſalva tamen pudicitia, in duas turmas diviſæ Toloſam, atque Albiam, cum ejuſdem Inſtituti Monialibus vitam ducturæ ſe contulerunt. Noſtrarum rerum Scriptores anno MDLXI. affirmant hæc accidiſſe; Thuanus tamen, Spondanus ſuperius citati cum cæteris, quibus adhærere minime formidandum ad præſentem annum referunt luctuoſam hiſtoriam.

Conv. Caſtrenſis. *Gonz. in Prov. Aquit. antiq. Con. 4.*

Jo. Trenquerius M. *Wadd. in Catal. MM. Gonz. in Prov. Aquitan. Recent. Con. 4.*

Mon. S. Claræ Caſtren. *MSS. auth. ex Archiv. S. Ifid. Arm. 3. num. 11. fol. 66. Pinquet. in Catal. Vir. illuſt. Franciſc. Wadd. ad ann. 1291. §. 29.*

CCCLXXXI. Montis Martiani, Montis Albani ſancti Macarii aliaque plura hujus regionis oppida, Symphoriano Durſortio Duraſſenſi, ſive Duracienſi, Domino Rebellium copias ducente, atque cum cæteris ſacris locis Domos etiam noſtras hoc anno, non vero ſequenti ut minus vere ex Gonzaga apud Waddingum, atque Arturum legimus, penitus devaſtante, quum per id tempus Burdigalenſis etherodoxus Senatus quoſdam igni tradidiſſet hæreticorum Miniſtros, tanquam par pari Duracienſis redditurus, apud laudatum ſancti Macarii oppidum tres Minoritas, videlicet *Bernardum* a Turga, *Boerinum*, & *Dalencum* Presbyteros ſuſpendi, & in Garumnem flumen projici juſſit, reliquis conſodalibus interim carceribus mancipatis. Poſt triduum autem per catholicos erepta cadavera, in fluminis margine tumulata ſunt. Exinde a Fratribus conquiſita, honeſtiori loco recondenda nullo pacto conceſſum eſt invenire. Anno autem MDLXVII. Civitate per Dominum Monlucium recepta, fugatiſque hæreticis, e carceribus Fratres prodierunt, ruinaſque Cœnobii paulatim reſtaurarunt. Hæc fere ad verbum ex Waddingo mutuati ſumus animadvertentes, ipſum hæc eadem ex Gonzaga ita mutuatum eſſe. Verumtamen non anno hujus ſæculi LXVII. ſed LXVIII. a Monlucio Aquitaniæ loca, & præcipue Macarii Fanum redemtum Thuanus teſtatur. Tribus iiſdem Martyribus quartum, Bernardum Geneſium nimirum Laicum prnfeſſione, Arturus addit, etiamque affirmat, horum corpora *deinde translata & in ſacro loco condita in magna veneratione a cunctis Fidelibus ha-*

Thuan. lib. 33.

Bernardus de Turga M. Boelmus, & Dalencus MM.

Gonz. in Prov. Aquitan. antiq. Con. 18. Wad. ad ann. 1565. n. 17.

Bernardus Geneſius M. *Artur. ad 28. Sept. Baret. lib. 7. cap. 5.*

beri,

beri, & operari miracula. Baretius hæc eadem narrans Bernardi Boerini non meminit. Villæ Francæ exinde una cum oppido Minoriticum Cœnobium invadunt, quod quum Joannes Guillottus a ſacra concione e vicino quodam pago reverſus repetere, ab iiſdem interceptus, poſt plurima ludibria atque opprobria patientiſſime perpeſſa, ab altero eorum plumbea glande trajicitur, animamque agens ad prothomartyris Stephani inſtar, ne id peccato illis ſtatueret, Deum Optimum Maximum exorabat: ſicque ſpiritum ſuo reddidit Creatori. Eadem ferme contigiſſe legimus die xx. Martii Antonio de Turno, ſive de Furno minoris Conventus Toloſani Præfecto, & Gerardo Boneto ſocio prope Rapiſtanum in via interceptis, dum pro Catholica fide occiſi ſunt.

Conv. Villæ Francæ. Jo. Guillottus M.

Antonius de Furno, & Gerardus Bonetus Martyres. *Wadd. in Catal. Martyrum.*

CCCLXXXII. Extra Cœnobium etiam Valoniarum Provinciæ Franciæ Pariſienſis Guillelmus Servaſerius die xviii. Junii necatus eſt. Hic in diœceſi Conſtantienſi Congervillæ Parecia natus, Ordinemque Minorum profeſſus, quum Vicarii ejuſdem Conventus Concionatoriſque munere fungeretur, in vitia, & præcipue in hæreſim declamare non deſtitit, donec a Calviniſtis comprehenſus, verberibuſque laceſſitus, ſpiritu exultans & benedicens Deum, anno ſuæ converſionis ad Ordinem xiii. ætatis vero ſuæ xxxv. animam cœlo dedit. Mendum habemus in notis apud Waddingum in ſuo Catalogo MM. ubi pro anno MDLXII. legitur MDLX. quo non adhuc Provinciam Franciæ Pariſienſis armis hæretica rabies invaſerat: verius propterea hoc anno Gonzaga MS. Provinciæ ejuſdem authenticis penes nos exiſtentibus adhærens tale Martyrium eveniſſe recenſet. Cœnobium etiam de Pietate Malarum Herbarum hujus Provinciæ, ſed Aurelianenſis diœceſis invadunt, ubi Nicolaum Trietum, de quo Gonzaga ſilet, bellici tormenti laxata rota interimunt.

Conv. Valoniarum. Guillelmus Servaſerius Martyr. *MSS. authen. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. num. 34. fol. 416. Wadd. in Catal. MM. lit. G.*

Conv. Malarum Herbarum. Nicolaus Trietus M. *Baretti. lib. 4. cap. 27.*

CCCLXXXIII. Præter hos Gentianus Cordier gladiis transfigitur, Ægidius Gotterrau in flumen mergitur, & Guillelmus Bourgougne, Gratianus Moyſant, & Clemens Galloys variis mortis generibus interimuntur. Hæc die xxv. Martii in Conventu Belliacò accidiſſe cum Gonzaga, Waddingus, Arturus, & quidam alii ſcribunt, Conventus tamen Bellicenſis apud Allobrogos, & Provinciæ ſancti Bonaventuræ iidem Gonzaga, & Waddingus, quibus addendi Picquetus, & alii rerum Franciſcanarum hiſtorici mentionem facientes, ne verbum quidem de Cœnobii ſubverſione habent. Paſſos ergo alibi fuiſſe in eadem Provincia arbitrandum, quemadmodum cæteri fere innumeri in Chriſtianiſſimo Regno paſſi ſunt.

Gentianus Cordier. Ægidius Gotterrau. Guillelmus Bourgougne. Gratianus Moyſant. Clemens Galloys. *Wadd. in Catal. MM.*

CCCLXXXIV. Quorum præcipua memoria dignus Andreas Montanus, de quo recenſitus Gonzaga ab Arturo cæteriſque relatus ita ſcribit: *Beatus P. Andreas Montanus*, lv. *annos natus, in Bajocenſi Provincia ob Chriſti fidem ab hæreticis occiſus eſt. Beatus Frater Petrus* xxv. *annorum, ab hæreticis, plumbeis glandibus ictus, martyrio ibidem coronatus fuit.* Et alibi: *Nec ſilentio præterire licet, duos piiſſimos ejuſdem Conventus Patres, qui pro fide Catholicæ aſſertione ab hæreticis Hugnoſticis trucidati, fortiſſimo martyrio, & Ordinem, & Patriam, & Eccleſiam, primum illuſtrarunt; alter Andreas de Monte, alter Petrus Beroot, vocabatur. Joannes Bourges, alter a Joanne Burgenſi ſuperius relato octogenarius in Parecia ſancti Petri de Riparia Ducatus Normanniæ, diœceſiſque Lexovienſis, die* xviii. *Martii ferulis trajectus moritur, cujus corpus in Cœnobio Sagienſi Provinciæ ſancti Ludovici tumulatus eſt.*

Conv. Bellicenſis. Andreas Montanus M. *Wadd. in Catal. MM. Artur. ad 4 Januar.* Petrus Beroot M.

Joannes Bourgus M. *Baretti. lib. 4. cap. 27. MSS. auth. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. num. 34. fol. 414.*

CCCLXXXV. Verum tot clades cernere præcipue in Chriſtianiſſimo Regno, ſine magno horrore ſupremus Eccleſiæ Hierarcha non ſuſtinens, ad hujuſmodi Schiſmata hæreſeſque tollenda, ut ipſe idem fatetur, Tridentinæ Synodi anno MDLX. citatæ continuationem hoc anno reſumere pro ſui vigi-

Concilium Trid. reſumitur.

Raynal. ad hunc ann. n. 3. Labb. ad hunc ann. ſect. 17.

lantia non deſtitit. Die ergo quintadecima Januarii ut Raynaldus, atque Spondanus ſcibunt, ſive decima octava, ut Philippus Labbæus, Patrum Congregationi Tridenti feliciter dat initia, ubi non paucos ex Minorum Ordine interfuiſſe Epiſcopos, atque Theologos hiſtorici omnes conveniunt. Eos præter, quos aliis Concilii ſeſſionibus interfuiſſe ſuo loco narrat in Tomo XVIII. horum Annalium Continuator, etiam interfuere ſequentes.

Octavianus Præconus. Wadd. de Script. Ord. In. O. Breve Pauli III. Apoſtolatus officium.

CCCLXXXVI. Octavianus Præconius, (non ut idem Continuator *Præcopius*) a Caſtro Regali, ſiculus ex PP. Conventualium Familia qui haud a Paulo IV. ut ſcribit Wadd., ſed a Paulo III. ut ex Vaticani ſecretiori Tabulario liquet, anno MOXLVI. Monopolitanus creatus eſt Epiſcopus, inde Arianenſis, poſtmodum Cephaludenſis, tandem ad Archiepiſcopalem Panormitanam Eccleſiam evectus, non die XIV. ut apud Labbæum notatur, ſed XVIII. Maii hujus anni, ut habent Conſiſtorialia acta. Hunc a Philippo II. Rege Hiſpaniarum ad Concilium miſſum, neſcio quo fundamento nixus, laudatus Waddingus ſcribat, quum in ſerie Oratorum, quos Philippus II. ad Concilium miſerat, Octavianus noſter deſideretur. Interfuit ergo Concilio, ut Archiepiſcopus Panormitanus. Hunc eumdem Archiepiſcopi Anxanenſis de communione Laicis danda ſub utraque ſpecie ſententiæ adhæſiſſe, eamque uno, vel altero confirmaſſe exemplo, Abbas de Fleury in ſua Eccleſiaſtica hiſtoria recenſet. Tanta fuit, ait Waddingus, in homine majeſtas, ut ſingulæ ejus ſententiæ irrefragabilia viderentur teſtimonia, & tanta in dicendo eloquentia, & vis oratoria tanta, ut ſrigus omne incenſo interius igne ſpiritus depelleret. Scripſit *Summam de Sacramentis*, Expoſitionem perlucidam in orationem illam obſcuram, ſeu offertorium myſterioſum, quod in miſſa defunctorum pio ritu canitur: *Domine Jeſu Chriſte*, *Rex Gloriæ* &c. *Tractatum de Paſſione Domini*, vernaculo ſermone. Obiit Panormi anno MOLXVIII. die XVIII. Julii, ſepultus in æde majori ad levam aræ maximæ, addito hoc epitaphio:

Lab. Tom. 10. in Catal. Archiep. Pii IV. Fleury lib. 160. §. 95. Wadd. cit.

Fleury Hiſt. Eccl. Tom. 22. lib. 166. §. 28. Wadd. cit.

FRATER OCTAVIANUS PRÆCONIUS
ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM
SICULUS A CASTRO REGALI
ARCHIEPISCOPUS PANORMITANUS,
PIETATE INSIGNIS, ERUDITIONE CLARUS
POST MULTOS CURÆ PASTORALIS
QUATUOR ECCLESIARUM
MONOPOLITAN. ARIANENS. CEPHALUDEN., ET PANORMITAN.
EXANTLATOS LABORES, QUIETURUS TANDEM,
OBIIT DIE XVIII. SUÆ ÆTATIS AN. LXVI.
CHRISTI VERO NATI MDLXVIII.

Octavianus Præconius fuit ex Fratre nepos, & Epiſcopus Cephaluden. Prioratus Sancti Andreæ Civitatis Placiæ, deflorescentis patriæ jactura mæſtus floreſcentis nominis gloria lætus, tantum virum, & honeſtavit, & tumulavit.

Labbæus tom. 10. in ſerie Archiep. qui Trid. Conc. interfuerunt fol. mihi 100. Antonius de ſancto Michaele Ep. Julius Magnanus Ep. Fallav. hiſt. Concil. Trid. part. 1. fol. 106. 108.

Ex recenſito epitaphio liquet, minus vere, laudatum Labbæum notaſſe præclari viri obitum ad ann. MDLXXVIII. contigiſſe.

CCCLXXXVII. Antonius de ſancto Michaele Hiſpanus ex obſervantibus, ad Eccleſiam Montis Marani evectus die XIV. Decembris MDLII. cujus tamen horum Annalium Continuator, non meminit. Julius Magnanus Placentinus, quem non ſemel, & nos memoravimus inclytum virum quondam PP. Conventualium Generalem Magiſtrum, ad Calvenſem Epiſcopatum menſe Julii MDLX. promotum. Adfuit etiam Concilio ſub Paulo III. an. MOXLVI. quum

quum adhuc inter ſuos vir egregius verſaretur, dixitque ſententiam in Theologorum conſeſſu, qui de gratiæ divinæ certitudine, deque juſtitia imputativa diſſeruerunt. Georgius Ziffeonid Hungarus ex Obſervantibus Signienſis Epiſcopus die III. Junii hujus anni creatus, cujus nomen tamen in Regeſtis Vaticanis, non invenire licuit. Franciſcus Raguſinus ex Obſervantibus Epiſcopus Marcanenſis. Dionyſius autem Græcus Zanectinus ex Obſervantibus, qui ab Eccleſiis Fulminen.; & Zanen. unitis in Archipelago, ad quas fuerat die XVIII. Februarii an. MDXXIX. promotus, ad Milipotanenſem, & Chironenſem unitas ſub Archiepiſcopo Cretenſi tranſlatus eſt. Hic ſententiam protulit quartum ex XII. articulis die XI. Martii feria IV. a Legatis propoſitis, quod nimirum: *Ordinantes nihil omnino percipiant pro collatione quorumcumque Ordinum neque etiam eorum Miniſtri, aut Notarii*, dum menſe Aprilis iſthæc diſcutiebatur materies. Etiam primis ſeſſionibus interfuit venerabilis Senex, de qua re horum Annalium Continuator conſulendus.

Georgius Ziffeonid Ep. *Labb. Tom. 20. fol. mihi 206.* Franciſcus Raguſinus Ep. Dionyſius Zanectinus Ep. *Fleury ad hunc annum Tom. 32. lib. 51. §. 76.*

CCCLXXXVIII. Ex Theologis autem, vel imprimis a Carolo IX. Galliarum Chriſtianiſſimo Rege Jacobus Hugonis Delphinas facultatis Pariſienſis Theologus miſſus eſt, qui etiam procurator Epiſcopi Trecorenſis extitit. Eidem Carolo, ſed antea Henrico ſecundo, atque Franciſco ſecundo deceſſoribus fuit a ſacris Conſiliis; eſtque perfunctus ad Philippum II. Catholicum Regem honorifica legatione. A nemine tamen horum induci potuit, ut oblatos admitteret Epiſcopatus. Carolus eum in deliciis habuit, valdeque familiarem, & abſque comitatu frequenter inviſebat; cubicula illi conſtruxit, annuamque dabat penſionem, quam ille, obtenta facultate Apoſtolica, in Fratrum uſus convertebat, maxime in ornatum, & cultum divinum, conflatis quæ adhuc extant in ſacrario Pariſienſi vaſis argenteis deauratis, pondo ferme centum marcarum. Obiit anno MDLXXIV. die XIX. Novembris Lutetiæ, ſepultuſque eſt in magno Conventu ante altare ſupremum in eodem ſepulcro cum Petro a Cornibus ſuo Præceptore. Henricus III. dum regnum gubernaret Poloniæ, ubi eum deceſſiſſe audivit, valde contriſtatus eſt, & ſolemnibus ei parentavit exequiis. In lucem edidit obſervationes politicas, theologicas, hiſtoricas, & morales in hujus Concilii acta.

Jacobus Hugonis. *Labb. cit. Fleury cit. lib. 160. §. 22.*

Petrus a Cornibus.

CCCLXXXIX. Præcipue tamen Minoritarum opere eſt uſus ad maximam hujuſmodi ſuſcipiendam Provinciam Philippus II. Rex Hiſpaniarum. Miſit namque Joannem Ramiretium Hiſpanum Provinciæ ſancti Jacobi Miniſtrum, hujuſque ſocium Joannem Lobera ſimiliter Hiſpanum ſacræ Theologiæ Salamantinum lectorem, Alphonſum Contreram Provinciæ Conceptionis Theologum, & Ducis Albani Belgarum Gubernatoris Confeſſarium, qui vir extitit ſingularis modeſtiæ, multa quoque rerum experientia probatus; cum jam res, genioſque Belgarum penitus cognoſcere cæpiſſet multorum judicio ſupervivere ſi potuiſſet, non adeo inclinaſſent. In eum jam defunctum Vigilius Conſilii ſecretioris Præſes, adſtantibus Minoribus hoc dixit elogium: *Cecidit corona capitis veſtri*. Habuit ad Patres Dominica ſecunda Quadrageſimæ anni ſequentis orationem de reformatione Eccleſiæ, ut ſuo loco dicemus. Obiit Alphonſus noſter Bruxellis anno MDLXIX. die VII. Decembris tumulatuſque in choro ſui Cœnobii ante Presbyterium. Hunc minus vere laudatus Labbæus Commiſſarium Ordinis in Curia Regis Hiſpaniæ facit.

Joannes Ramiretius. Joannes Lobera. Alphonſus Contrera.

CCCXC. Michael inſuper de Medina Provinciæ Caſtellæ Regularis Obſervantiæ Alumnus humanioribus, & divinis, Græcis, Hæbraiciſque literis egregie inſtructus ab eodem Philippo ſelectus eſt. Multa graviter, & docte ſcripſit ſtilo profecto cultiori, & preſſiori, quam uti ſoleant ſcholaſtici.

Michael de Medina.

De ſua dicendi ratione, ita ipſe in præfatione ad librum *de continentia Sacrorum hominum* profitetur. *Illud vero orationis genus in dicendo uſurpamus, quod neque verborum ampullis, & ſeſquipedalibus verbis turgeat, neque ſordido ſermone lectoris animum avertat; ſed quod Theologum, & Philoſophum potius rerum, quam verborum amatorem ducat.* Scripſit autem *Chriſtianæ Paræneſis*, ſive *de recta in Deum fide libros ſeptem*, in quibus Orthodoxæ fidei origines, & cauſæ proponuntur; ac ſimul ejus excolendæ, nutriendæ, & propagandæ ratio, quamaptiſſima traditur: atque univerſa, quæ eam perrentare ſolent infidelium, aut hæreticorum, noſtræ præſertim memoriæ argumenta, & rationes proteruntur. Prodiit Venetiis ex officina Jordani Zileti anno MDLXJV. in fol. Opus hoc ſummopere extollit, & præmiſſa ad nobiliſſimum virum Aloyſium Contarenum præfatione digne commendat Hieronymus Magius Anglorenſis, atque ad marginem adhibuit Scholia, ſinguliſque libris periochas præfixit. Simile opus ſub eodem titulo Ambroſius ad Gratianum Imperatorem dedit, & Cyrillus Alexandrinus ad Theodoſium. *Diſputationem de Indulgentiis adverſus noſtræ tempeſtatis hæreticos* ad PP. ſacri Concilii Tridentini librum unum, in quo Eccleſiæ, Romanique Pontificis ad eas conferendas antiquitatis antiquiſſimus uſus, cum ſanctorum veterumque Patrum monumentis, tum apertis ſcripturarum teſtimoniis aſſeritur, & hæreticæ omnes in hac parte calumniæ refelluntur, atque exploduntur; ibidem eodem anno in 4. *Expoſitiones in quartum Symboli Apoſtolici articulum* (perperam alii quatuor articulos, & Poſſevinus XIV. explicaſſe commemorant) ibidem eodem anno in 4. *De Sacrorum hominum continentia lib. 5., in quibus ſacri, & Eccleſiaſtici cælibatus origo, progreſſus, & conſumatio, & ſacra ſcriptura ſanctorumque Patrum ſcriptis proponitur, ſtatuitur, & ab hæreticorum noſtri temporis calumniis propugnatur, & defenditur.* Ibidem anno MDLXIX. in fol. Refert autem in præfatione, ſe hoc opus aggreſſum imperio Franciſci Guſmani viri doctiſſimi, & nobiliſſimi Commiſſarii Generalis Minoritarum Ultramontanæ Familiæ, & perſuaſionibus multorum Epiſcoporum, qui Synodo Toletanæ tunc intererant, quando in Concilio Tridentino obtundebatur, a quibuſdam expedire, ut permitteretur Germanis ad concordiam, & pacem ſuperinducendam permittere ex more Græcorum uxoribus, ante ſacros ordines acceptis uti, & cohabitare. *Tractatum doctum de igne Purgatorio* ibidem, *De ſalutari Pœnitentia*. Salamanticæ MDL. *De vera, & Chriſtiana humilitate Tomos duos*. Toleti an. MDLIX. in VIII., & an. MDLXX. *De Reſtitutione* Compluti apud Joannem Brocarium MDXLVI. in fol. *Apologeticum locorum quorundam* Joannis feri *Moguntini Eccleſiaſtes in Matthæi, & Joannis Evangelium contra Dominicum Sotum Segobienſem, in quo ſexaginta ſeptem fere loca reſtituuntur*. Compluti MDLXVII. ſecundo Moguntiæ anno MDLXXII. & tertio Compluti anno MDLXXVIII. in fol.

Franciſcus Zamora ad PP orationem habet. *Natal. alexan. Tom. ſæc. XVI. fol. mihi 203. Labb. Tom. 20. fol. 540. Spond. ad hunc ann. n. 17. Fleury ad hunc annum Tom. 32. lib. 158 n. 16. Idem Fleury lib. 160. n. 14. Raynal. ad hunc annum. n. 97.*

CCCXCI. Eadem autem Dominica ſecunda Quadrageſimæ hujus anni orationem ad Patres hortatoriam habuit Franciſcus Zamorenſis totius Ordinis Generalis Miniſter, incipientem: *Vereor, Illuſtriſſimi, ac Revendiſſimi &c.* quam ex Labbæo exſcribere piget. Is a Legatis Apoſtolicis delectus eſt, ut indici librorum proſcriptorum conficiendo vacaret una cum Georgio Draſcovitio quinque Eccleſiarum Antiſtite, & Cæſareo oratore pro Hungariæ Regno: Joanne Treviſiano Veneto Patriarcha quatuor Archiepiſcopis, novemque Epiſcopis, & uno Caſinenſi Abbate. Jacobi Giberti de Noguera Epiſcopi Aliphani, circa numerum Patrum in decidendis articulis fidei ſententiæ arriſit: Et dum Patres hanc agitarunt quæſtionem: *Num Chriſtus in ultima cœna ſe Deo Patri in ſacrificium obtulerit*, dixit, Sacramenta omnia ex Sanguine la-

lateris Christi vim sumsisse suam, tumque Christum in statu merendi non fuisse sed præcedenti ejus voluntate, qua passioni se subjecerat profluxisse. Edidit vir eximius Homilias in singulos versus psalmi quinquagesimi, & opuscula Seraphici Bonaventuræ correxit. *Pallav. hist. Concil. Trid. par. 3. fol. 106, 108. Raynal. ad hunc ann. n. 97.*

CCCXCII. Concionatus est item ad Synodum hoc anno Kalendis Novembris non vero anno præterito, ut Natalis Alexander innuit, Franciscus Orantius, sive Orantes Hispanus ex observantium Familia sacræ Theologiæ Vallisoletanus lector, & Palatini Episcopi ad eandem Synodum Vicarius substitutus: ut apud eumdem Labbæum legitur: *Sacerdotes tui Domine* &c. Baretius male narrat, Franciscum nostrum anno MDLXI. obiisse, quum anno MDLXXXIV. naturæ cessisse satis superque constat, quo anno propterea integram ejusdem narrabimus historiam. Franciscus Orantius. *Marat. Alexand. hist. Eccl. seculi 16. cap. 5. Labb. cit. fol. 701.*

CCCXCIII. Eodem mense Novembri die XXII. quæ fuit Dominica XXIV. post Pentecosten concionem similiter habuit de duplici Mysterio abominationis uno, desolationis altero, Franciscus Vicedominus Ferrariensis ex PP. Conventualium familia Theologus, cujus acta ad annum MDLXXIII. quo decessit, narrabimus; exemplar autem Orationis est cum cæteris apud Labbæum, & incipit: *In tali Statu* &c. Franciscus Vicedominus. *Labb. Tom. 20. ab. ferias Orat. fol. mihi 718.*

CCCXCIV. Bartholomæus Baphius Lucinianensis Theologus ex Observantibus, qui anno MDLXXVII. obdormivit in Domino, & de quo propterea ad eundem annum iterum sermo redibit, Dominica secunda Adventus e sugestu super Evangelium diei *Cum audisset* &c. Patribus hanc orationem proposuit: *Si sacrosancta Religio* &c. Ex Labbæo citato. Bartholomæus Baphius. *Lab. cit. fol. 718.*

CCCXCV. Demum Antonius Paganus Venetus ejusdem Observantium sodalitii, de Ecclesiæ Reformatione ad Patres sermonem habuit: Annus, vero & dies apud historicos desiderantur: Oratio autem ea exstitit: *Licet Patres amplissimi*, quam laudatus Labbæus refert. Antonius Paganus. *Labb. fol. 1216.*

CCCXCVI. Hos preter interfuere Aloysius de Burgonovo Italus, Bononiensis, lector Theologus Commissarius Generalis, exin totius Ordinis Generalis Minister, qui tamen Commissarii Generalis titulo, ut præfatus Labbæus supponere videtur paucis mensibus potuit Concilio interesse, quum in profesto Pentecosten anni MDLXIII. hujusmodi fuerit in monte Alverniæ dignitatem adeptus, & Concilium eodem anno quarta die Decembris fuerit absolutum. Probabilius ergo existimo eundem non tamquam Commissarium Generalem, sed tamquam dumtaxat Theologum Concilio interfuisse. Aloysius de Burgonovo.

Thomas de Soliano Italus Minister Provinciæ Bononiæ. Thomas de Soliano.
Antonius de Padua Lusitanus Secretarius Ordinis. Antonius de Padua.
Bonifacius Ragusæus, Apostolicus Prædicator Terræ Sanctæ Gubernator, postea Episcopus de Stagno in Dalmatia. Bonifacius Ragusinus.
Angelus de Petriolo Italus, Provinciæ Marchiæ Alumnus, & Perusiæ sacræ Theologiæ lector. Angelus de Petriolo.
Angelus Justinianus Italus, lector S. Theologiæ Genuæ. Angelus Justinianus.
Vincentius de Messana, Italus, sacræ Theologiæ lector Neapoli. Vincentius de Messana.
Julius Passiranus Urceanus, Italus, sacræ Theologiæ lector Bergomi. Julius Passiranus.
Jacobus Alani Gallus, Theologus, cum Reverendissimo Episcopo Venetensi. Jacobus Alanus.

Hi omnes erant ex Observantium Familia.

CCCXCVII. Ex illa autem Patrum Conventualium fuere sequentes:
Marcus Antonius Gambaronus. a Lugo, sive Lugio, focius Religionis. Marcus Antonius Gambaronus.
Bartholomæus Golphus de Pergula Prædicator illustris. Bartholomæus Golphus.
Joannes Tertius Bergomensis lector Theologiæ in Gym. Papiensi. Joannes Tertius.

Cle-

Clemens Thomaſſinus. Clemens Thomaſſinus, de Florentia Regens in Conv. S. Crucis Florentiæ.

Auguſtinus Balbus. Auguſtinus Balbus a Lugo.

Joannes Baptiſta Ghiſulphus. Joannes Baptiſta Ghiſulphus, Ordinis ſcriba.

Antonius de Grignano. Antonius de Grignano Regens ſancti Antonii de Patavio.

Lucius Anguſiola. Lucius Anguſiola Placentinus Regens ſancti Franciſci Bononiæ.

Maximianus Benianus. Maximianus Benianus Cremenſis, Orator pro Religione, & Inquiſitor Paduæ, poſtea Epiſcopus Clodienſis.

Octavianus Charus. Octavianus Charus de Neapoli Regens ſancti Laurentii de Neapoli.

Antonius Poſius. Antonius Poſius de Monte Ilcino, Regens in Conventu XII. Apoſtolorum Romæ. Obiit Montilcini MDLXXX.

Bonaventura Meldulenſis. Bonaventura Meldulenſis Regens in Conventu Parmæ.

Martialis Peregrinus. Martialis Peregrinus Calaber, Regens in Conv. Ferrariæ.

Antonius a Cubalo. Antonius a Cubalo, Feltrenſis.

Andreas Schynopius. Andreas Schynopius de Amandula, cum Reverendiſſimo D. Cathanzario.

Balthaſſar Criſpus. Balthaſſar Criſpus, Neapolitanus cum Reverendiſſimo D. Tropienſi.

Boverii mendum propositur. CCCXCVIII. Hos Minoritas Concilio adſuiſſe ex Labbæi catalogo eruitur, in quo tamen non licuit invenire notatos, quos ſui Inſtituti Pater Boverius ſcribit, a Thoma Typhernate Generali ad Concilium miſſos ſolo MSS. Matthiæ Salodienſis ſui ejuſdem ſodalitii viri nixus fundamento (ſi tamen ejus citationi credendum): Ait ſiquidem: *Thomas Typhernas Generalis, ne Religionis viſitationem, quam ſuperiori anno inchoaverat, infectam deſereret: F. Evangeliſtam a Canobio, qui tunc Mediolanenſem Provinciam moderabatur, & cum eo Franciſcum Mediolanenſem, virum doctiſſimum ad Concilium deſtinat. Poſt hos autem, & Hieronymum a Piſtorio, qui in Concilio ad Patres ſermonem habuit, & alterum Hieronymum a Monteflorum viros prudentia, ac doctrina illuſtres mittit. Hos demum, & ipſe poſtremus ſecutus eſt, qui cum inter Concilii Patres, de bonis immobilibus omnibus Religioſorum Ordinibus concedendis, agi intelligeret; protinus in Concilio ſurgens: quorumcunque tam mobilium, quam immobilium bonorum poſſeſſioni aperte renuncians ſancti Franciſci Regulam, quæ bonorum omnium poſſeſſionem prohibet, ſe cum toto Ordine, pure, & ſecundum Regulam, ac beati Franciſci mentem obſervare velle publica proteſtatione declarat. Hac Thomæ proteſtatione permotus Generalis Minorum Obſervantium, his quoque bonis omnibus immobilibus ſui Ordinis nomine renunciat.* Verum eſt utique quod Carolus de Arembergh Capuccinus Evangeliſtam de Cannobio Concilio adfuiſſe, licet non vere, ſcribit; hoc tamen de cæteris haud legitur, quamvis idem Carolus non ſtrictiori calamo illorum etiam acta recenſeat. Neque in collectione Orationum ad Patres, & præcipue in Lovanienſi illam Hieronymi a Piſtorio miſſionem legere non potuimus, neque ad Concilium ſuos Conſodales mittendi Ordinum Generalibus facultatem factam invenimus.

Et refellitur.

CCCXCIX. Quantum autem ad deſcriptam bonorum renunciationem, in qua dum Boverius Generalem Zamorenſem ſolis *immobilibus* renunciaſſe de more callide narrat hiſtoriam, aliter penes Rodericum rem eveniſſe legimus. *Fuit etenim mens Concilii*, ait laudatus Auctor, *quod omnia Monaſteria tam Virorum, quam Mulierum poſſint habere poſſeſſiones, etiamſi eorum regula id prohiberet, mihi affirmavit Illuſtriſſimus Dominus Georgius de Tayde Epiſcopus Vicenſis Capellanus major ſuæ Majeſtatis, qui præfato Concilio interfuit, & manu propria præfatum tertium decretum ſcripſit, qui me certiorem fecit particulariter propter Moniales primæ Regulæ ſanctæ Claræ fuiſſe editam, & quoddam myſterium tamquam teſtis oculatus indicavit mihi ejuſdem decreti, in quo primo loco excipiuntur Monaſteria Capuccinorum, rum,*

rum, beati Patris noſtri Franciſci. Deinde ſecundo loco Monaſteria de Obſervantia Fratrum cum primo loco Monaſteria Obſervantiæ, quia antiquiora, quam Monaſteria Capuccinorum eſſent excipienda, quod ideo evenit, quia poſtquam præfatum decretum fuit factum aberat. P. frater Franciſcus a Zamora, tunc Generalis Obſervantiæ, & ideo non petiit a Concilio, ut Monaſteriorum de Obſervantia fieret exceptio, aderat autem P. frater Thomas Civitatis de Caſtello Generalis Capuccinorum, ad cujus aures pervenit hoc generale decretum, & ideo primo de Monaſteriis Capuccinorum petiit fieri exceptionem prout facta eſt, quod ſcientes Patres graves Obſervantiæ in Concilio exiſtentes, ſcilicet P. Frater Joannes Ramitez Hiſpanus Miniſter Provincialis Provinciæ ſancti Jacobi, & P. F. Michael de Medina Hiſpanus ſacræ Theologiæ doctor, & P. F. Franciſcus Orantes lector Valliſoleti pro Reverendiſſimo Epiſcopo Valentino, qui poſtea fuit Epiſcopus Ovetenſis, & P. F. Joannes Lobera Lector Theologiæ Salmanticæ, miſſi in Societatem Provincialis Provinciæ D. Jacobi ſuperius memorati, qui ut audierunt recurſum generalis Capuccinorum, ſtatim zelo Obſervantiæ id ipſum a Patribus Concilii, petierunt, & de facto, ut Monaſteriorum Fratrum de Obſervantia fieret ſimiliter exceptio conſecuti ſunt, & hac ratione, licet Congregatio Obſervantiæ antiquior eſſet, quam Congregatio Capuccinorum primo facta eſt exceptio Monaſteriorum Capuccinorum, cum in præfata ſupplicatione Patres Obſervantiæ prævenirent. Et profecto eſt penitus inveriſimile, ſic Thomas de Riddere ratiocionatur, *Ordinem Obſervantium, tam parvo tempore, quod ab unione uſque ad exordium Capuccinorum efflux't, in tantum degeneraſſe, ut redditus annuos proprie dictos, vel legata perpetua admitteret; contra eſſentiam Obſervantiæ regularis: ſi enim hoc feciſſent Obſervantes, proculdubio contra eos acrius inſurrexiſſent Reverendi Patres Conventuales, prætendiſſentque majori jure, ſe non debere illis cedere, quoad primatum Ordinis, & alias prærogativas, qui non minus quam ipſi Conventuales a Regulæ puritate & Obſervantia deflexiſſent. Quandoquidem Profeſſores altiſſimæ paupertatis, & Ordo incapax omnis omnino proprietatis, non magis poſſint redditus & legata perpetua, quam fundos & prædia poſſidere: conſtat propterea ſane, Ordinem Obſervantium, nec tunc, nec antea voluiſſe aliquam proprietatem rerum immobilium vel mobilium, adeoque nec redditus proprie dictos admittere. Præſertim cum ſuper proteſtationibus iſtis emanaverit decretum Concilii Tridentini ſeſſ. 25. cap. 3. de Regularibus, qua ad conceſſionem omnibus Monaſteriis & domibus, tam Virorum, quam Mulierum etiam Mendicantium facta, ut deinceps bona etiam immobilia eis poſſidere liceat, excipiuntur domus Fratrum ſancti Franciſci Capuccinorum, & eorum, qui de Obſervantia vocantur.*

CCCC. Ex quo fabuloſum eſſe etiam convincitur, quod antea narraverat idem Boverius ad annum MDXLV. (quo vix erat inchoatum Concilium Tridentinum) num. 30. altercatos fuiſſe in eo Concilio de primatu Ordinis, & ſigillo Conventualium & Obſervantium Generales; Hoc vi conceſſionis Leonis X. prætendente, illo jure antiquitatis: & tandem ad propoſitionem Generalis Conventualium, dicentis, nec ſuos, nec Obſervantes Regulam obſervare, ſed ſolos Capuccinos; inclinatos fuiſſe Patres Concilii ad ſigillum Ordinis Capuccinis adjudicandum, idque apparenter facturos fuiſſe, niſi Reverendus Pater Bernardinus Aſtenſis, qui ex commiſſione Generalis Capuccinorum aderat Concilio, præ humilitate recuſaſſet. *Hoc inquam,* laudatus Thomas proſequitur, *præterquam quod nec ex actis Concilii, nec ex ullo indifferente auctore conſtet, vel inde falſitatis convincitur, quod tam clare ſapius oſtenſum fuerit tunc in Ordine Obſervantium pluribus ſaltem in locis Regularem*

Ob-

Obſervantiam floruiſſe: & quod Generalis illius omni poſſeſſioni renuntiaverit, tanquam Regulæ noſtræ contrariæ; neque ullum poſt Ordinis unionem privilegium conceſſum eſſe reperiatur, minus acceptatum, quod altiſſimæ paupertati præjudicaret. Quomodo ergo poterat Generalis Conventualium ſuos in hoc Obſervantibus comparare? Et qua ratione tam leviter Concilii Patres ad uniuſ viri dictum, qui pars erat, poterant inclinari, ut Ordinem Obſervantium jure a Leone X. conceſſo, & tam diuturna poſſeſſione firmato privarent? Quod confirmatur, quia, Boverio referente, diverſis adhuc vicibus, poſtea egerunt Obſervantes apud Pontifices, ut Capuccinos ſibi ſubjicerent, & in illo ipſo Concilio Generalis Obſervantium Minores Conventuales ſibi ſubjicere tentavit.

Continuat. ad ann. 1545. n. 3. & ad ann. 1546. n. 31.

CCCCI. At de hujuſmodi re diſſerentem Continuator conſulendus, qui non minus ſolide quam eleganter in Boverium invehitur. Merito propterea ſacra Congregatio Indicis librorum præpoſita in generali Boverii correctione anno MDCLI. (ut habetur in folio de mandato ejuſdem ſacræ Congregationis impreſſo anno MDCLII.) univerſam hujuſmodi narrativam delendam eſſe præcepit, ut ex folio ad calcem Boverianæ hiſtoriæ addito colligere licet.

Alia ejuſdé Commentia.

CCCCII. Sed longe pluribus commentis bonus Auctor ad hunc annum in ſequenti numero ſuam hiſtoriam illuſtrat, dum ſcribit: *In hoc Concilio, cum Generalis Minorum Obſervantium Miniſter, Minores Conventuales ſibi ſubjicere tentaret; obſtitit viriliter Thomas, ea præſertim ratione: quod hujuſmodi ſubjectio Capuccinorum Congregationis, quæ Minorum Conventualium Ordini, velut antiquiori innititur; prorſus exitialis eſſet, ac interitum minaretur. Quapropter nihil in ea re a Cancilii Patribus innovatum fuit. Poſt hæc idem Obſervantium Generalis, miſſis ad Thomam Generalem gravibus quibuſdam Viris ex Reformatorum numero, eidem perſuadere conatur; ut Capuccinorum Ordinem cum Obſervantium familia uniat, quibus ille reſpondet, Capuccinorum Ordinem præſentium rerum ſtatu ita contentum eſſe, ut in meliorem non quærat. Cum verò ii eo præſertim argumento fortius urgerent, quod Generalis Minorum Obſrrvantium Miniſter, ex Leonis X. Pont. Bulla, ſupremum totius Religionis Minorum caput eſſet: ab iis Thomas percuntatur; num Generalis ex Reformatorum numero, vel a Reformatis electus eſſet. Cui cum ii reſpondiſſent, cum neque ex Reformatorum grege, neque a Reformatis electum fuiſſe; protinus Thomas Leonis Bullam e facculo hauſtam illis legendam offert: in qua Pontifex decernit: ut qui ſupremus totius Ordinis Generalis futurus eſt ex Reformatis aſſumatur: atque a Reformatis eligatur. Jamvero (ait Thomas) ſi non ex Reformatis aſſumtus, neque a Reformatis electus eſt Generalis veſter: qua ratione ſe ſupremum Ordinis Generaliſſimum jactat? Id cum Obſervantium Generali renunciatum eſſet; veritus ille ne quicquam hac de cauſa in Concilio adverſus eum ageretur ſtatim a Concilio abſcedens in Hiſpaniam præficiſcitur.* Quod etenim Miniſter Generalis Zamorenſis PP. Conventuales ſibi ſubjicere, aut ſuæ familiæ Capuccinorum familiam unire in hujuſmodi circumſtantiis tentaverit nemo eſt, præter unum Boverium, qui aſſerat. Quod autem Thyphernas Capuccinorum Præfectus Patribus, quos ab eodem Zamorenſi ad eum ſuiſſe miſſos prætendit Boverius *Leonis Bullam e facculo hauſtam legendam obtulerit, dixeritque: ſi non ex Reformatis aſſumptus eſt, neque a Reformatis electus eſt Generalis veſter, qua ratione ſe ſupremum Ordinis Generaliſſimum jactat?* idem eſt, ac aſſerere, Typhernatem, neque ſuis e liminibus rerum Seraphicarum etiam ſuorum temporum ſalutaſſe hiſtoriam: de Reformatis etenim, ſive de iis, qui Strictioris Obſervantiæ nomen audiunt, de quibus tamen intendit Boverius, non potuiſſe loqui Leonem, quia nondum ſua ætate fuerant a Stephano Molina inſtituti, nemo eſt, qui non videat. Dum ergo

hoc-

hocce commento Obſervantium Familiæ de more honori detrahere noſter Hiſtoricus ſtudet, hallucinatus, ſui Generalis Præfecti viri cæteroquin doctiſſimi turpiter honori detrahit. *Falſum eſt inſuper, quod Generalis Miniſter Obſervantium veritus ne quicquam in Concilio adverſus eum ageretur, ſtatim a Concilio abſceſſerit, ſicque in Hiſpaniam profectus*: in Italia etenim eundem permanſiſſe uſque ad Minorum Generalia Comitia, quibus ipſe præſedit, quæque anno ſequenti apud Alverniæ Montem in pervigilio Pentecoſten celebrata ſunt ex Ordinis actis docemur.

CCCCIII. Ea inſuper, quæ idem Boverius numero tertio ſubdit de forma ſui habitus *diligentius* a Concilii Patribus perquiſita, quum riſum potius moveant, quam fidem Prudentum concilient, non eſt cur in vanis hujuſmodi diſceptationibus immoremur. Non ſibi ſatis feciſſe Boverius viſus eſt, de hujuſmodi neniis ſpecialem Tractatum componere, iiſque etiam univerſam ſuam hiſtoriam conſpergere, verum, & nititur illorum ſollicitudinem circa tam inutilia fingere, qui de rebus maximis, ad fidem, moreſque univerſæ Eccleſiæ ſpectantibus cogebantur totum hominem occupare.

CCCCIV. Deſideratur item in recenſito Labæi Catalogo nomen Joannis Conſilii, ſive Concilii Galli, quum varia opuſcula ex diſputationibus in Concilio habitis concinaſſe, & ad Patres orationem de Triumpho Chriſti habuiſſe, die ſolemni Aſcenſionis Waddingus teſtatur: nos autem eadem die anni MDLI. Petrum Fragum Doctorem Theologum, & hoc anno Thadæum Peruſinum Auguſtinenſem e ſuggeſtu dumtaxat loquutos eſſe invenimus. *Ex Collect. Labæi Tom. 20.*

CCCCV. Dum autem pro tuenda fide, moribuſque reformandis ita ſtrenue Tridenti Patres Concilii laborant, alii beati Viri Ordinis noſtri non deſunt, qui ſuo obitu cæteras Italiæ regiones illuſtrant, inter quos eſt, vel imprimis adnumerandus Andreas Camarinus Siculus, qui in Cœnobio ſanctæ Mariæ de Jeſu Camari tumulatus eſt. Vir fuit omni virtutum genere ornatus, qui, & ſui obitus diem, ac rupis, ſub qua pauperculi quidam foſſores incaute laborabant, inſtantem ruinam, certiſſime prædixit, miſeriſque illis hominibus tanti periculi vitandi cauſa extitit. Andreas Camarinus Siculus. *Wadd. ad ann. 1428. n. 7. Arturus ad 25. Mart. Baret. lib. 4. cap. 26. MSS. authen. S. Iſid. Arm. 6. n. 8. fol. 557.*

CCCCVI. Joannes de Ripa, qui Provinciæ ſancti Gabrielis alumnus Sextum tenuit locum inter illos XII. Patres, qui primi Indos ſacro regenerarunt lavacro, Guardianus apud Mexicum, & Quauhnaoacum, extitit; ac Definitor Provinciæ ſancti Evangelii. Obſervantiſſimus præterea religionis & paupertatis, ac Regularis Obſervaſitiæ cum eſſet, quoties de rebus Ordinis agebatur, miro ſpiritus fervore exæſtuabat. Poſtquam igitur plurimos labores tum pro conſervando Regulæ nitore, tum in Indorum converſione exantlaſſet, nihilque eorum, quæ ad perfectum, zelotemque religioſum requiruntur, prætermiſiſſet, Mexicana lingua edidit *Cathechiſmum ad rudes illos Neophytos erudiendos = Sermones Dominicales totius anni = Dialogum, quo perfecti Chriſtiani mores exprimuntur = Vitas Sanctorum Patrum e Latino in Mexicanum traduxit = Vitas Patrum, & ſuorum ſociorum, qui præceſſerunt, ac quorum ſtudio, & prædicationibus lux Chriſtiana primum Mexicanis illuxit.* Tetzcucano in Conventu, curvatis prope lectum genibus, animam Creatori conceſſit, crucem præ manibus tenens: cujus corpus ibidem condigno honore humatum eſt. Joannes de Ripa. *MSS. authen. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. n. 2. fol. 260. Wadd. de Script. Ord. Baret. lib. 4. cap. 25.*

CCCCVII. Clemens de Radimno Provinciæ Poloniæ tunc nondum diviſæ alumnus, de quo ita in hujus Provinciæ MSS. authenticis legitur: *Fuit a religioſitate commendatus, clarus ſcientia, honorum dignitates, quas in Univerſitate Cracovienſi ob dotes ingenii conſecutus eſt nihil ducens, Collegio Chriſti, & Franciſci aſſociatus Prædicator exſtitit zeloſus, cui contulit Dominus* Clemens de Radimno. *MSS. authen. ex Arch. S. Iſid. Armar. 3. n. 4. fol. 181.*

veram eloquentiam in opus Evangelii, & completis in laude Dei promovenda laboribus, Samboriæ extinctus eſt. Bibliothecam Samborienſem bonis libris locupletavit potiſſimum ex beneficentia nobilis Heroinæ Annæ Maciejovia Caſtellanæ Sandomirien. quod etiam aliis in locis fecit; ultra xxx. *annos mane, & poſt prandium e ſuggeſto populo, ſalutaria verba miniſtravit, confluente undique multitudine. Ob vitam exemplarem in magna apud omnes reverentia fuit. Dum totus canitie conſperſus in octava ſancti Joannis Evangeliſtæ P. Bonifacio Præſidenti Conventus, confitetur Sacramentaliter, apoplexia corripitur; ac ſimul a peccatis, & vita abſolvitur, mortali æternæ ſociatus.*

Alexander de Arbukel. *MSS. auth. ex Archiv. S. Iſid. Arm.* 5. *n.* 145. *fol.* 187. *In hoc Tom. ad ann.* 1559. *num.* xxx.

CCCCVIII. Alexander item de Arbukel Provinciæ Scotiæ in Domino hoc anno obdormivit, cujus acta cum ſuperius in Epiſtola Joannis de l'Haye producta, ſtricto licet calamo narrata ſint, non eſt propterea cur hic eorumdem repetamus hiſtoriam. Demum, ex Monumentis authenticis MSS. docemur, hoc eodem anno Apollonium quemdam de Fabriano Picenum ultimam obiiſſe diem.

Apollonius de Fabriano. *MSS. ex Archiv. S. Iſid. Arm.* 4. *n.* 27. *fol.* 143.

CCCCIX. Plures etiam decedunt ex inclyta Capuccinorum familia, quorum unius, aut alterius acta, jure, meritoque ex Boverio, & Carolo de Aremberg Bruxellenſi recenſere debemus, horum primus in ordine eſt Bartholomæus Hyſpellas, qui adoleſcens ab Obſervantibus ad Capuccinos tranſiens, Fulginatis Cœnobii, exin ſecundus Guardianus inſtituitur. Seraphicæ paupertatis zelantiſſimus, inter aſperrima hyemis tempora, viliſſimus illi tantum habitus, abſque tunica, ſufficit. Plurima in victu temperantia elucet: qua non ſolum a gemina in die comeſtione, verumetiam a ſaturitate ſibi perpetuo cavet: atque ut omnem guſtus ſenſum a ſe longius expellat, pulmenta, ſi quando iis veſcitur, aqua ſuperinfuſa inſipida reddit. Perpetuam linguæ cuſtodiam Virum Dei ad arctiſſima ſilentia compellentem perpetuo ſolitudinis cultu, atque hominum fuga, fovet. Plurima quoque illi inſidet humilitas, quæ aſſiduum, atque nunquam intermiſſum orationis ſtudium illi in animo generat, ita quod merito inter illuſtriores Regulæ cultores, qui eo potiſſimum ævo florebant, locum ſibi vendicet. Divina caritate æſtuantem, martyrïque pro Chriſto ſubeundi ſumma cupiditate flagrantem, ſæpius petita facultate, ac denegata, ingens ſaxum, ſemel ex alto ruens, Dei Servum ſere ſuo pondere opprimit, totque corporis ipſius oſſa confringit, ut cum pleroſque in maximis doloribus dies duxiſſet, in quibus mira ipſius patientia enituit, ab iis tandem conſumtus, velut domeſtico martyrio ſublatus in Domino obdormierit.

Bartholomæus Hyſpellas Capuccin. *Bover. ad hunc ann. num.* 31.

Joannes de Corleone Capucc. *Flor. Seraph. Tom.* 2. *fol.* 163. *Bover. ad hunc ann. n.* 39.

Joannis de Corleone ſanctimoniæ præclarum teſtimonium fecit, quod cum in Gibelmannæ Conventu, ubi is Guardiani munere fungebatur, ante quadrageſimale jejunium ex antiquo Patrum uſu, animi remiſſiones celebrabantur, Joannes in Eccleſiam ad brandum feceſſiſſet, ei Dominus in oratione apparens, quænam honeſtæ atque a Deo probatæ animi recreationes cenſendæ ſint, revelavit.

Franciſcus Novarienſis Capucc. *Flor. Seraph. Tom.* 2. *fol.* 188. *Bov. ad hunc ann. n.* 22.

CCCCX. Franciſcus Novarienſis, Torniellorum familia ortus, divinis benedictionibus præventus, præclara, ab ineunte ætate futuræ virtutis præludia edit. Puer enim a Parentibus, optimis moribus imbutus, inditam quandam a Deo ad divina propenſionem ſortitur, qua a puerilibus abſtinens, ſenilia tantum animo verſat. Hinc ſacris delectari, puerorum vitia fugere, & cum adolevit, devotos libros revoluere, ſæpe ad Sacramenta accedere, honeſtatem, ac modeſtiam in omnibus præferre videtur. Vix ſextum decimum annum attigit, quum ſæculo, cum ſuis deliciis calcato, Mundo major, Deo ſe in Ordine Minorum Obſervantium maturius conſecrat, atque adeo ſe in ſummis religioſæ vitæ virtutibus exercet; ut graviſſimus inter Obſervantes

Vir

Vir habeatur. Cum aliis vero plurimis ad Capuccinorum Religionem evolat. Vir ad omnem virtutem compoſitus exiſtit, nihil in ipſius moribus, aut actibus, niſi grave, niſi honeſtum, niſi virtute dignum eluceat. Humilitate, abſtinentia, vitæ auſteritate, corporis maceratione, ſilentio, linguæ cuſtodia, oratione, ac præterea gravitate, & prudentia, tantopere inter Capuccinos enitet, ut cum totius Regularis diſciplinæ norma eſſet, Novitiorum ut plurimum ei cura, ac educatio committatur: quo in munere, plurimis, ac præclaris religioſæ vitæ præceptis, Tyrones ad perfectam ſpiritualis vitæ formam efformat. Oratio illi tam familiaris, ac lacrymoſa erat, ut cum præter ſtatuta orationis tempora ſurſum animum ubique in Deum ageret, lumina ſemper fletibus madida circumferret, quibus adeo in diviniſſima præſertim ſacrificii incruenti oblatione affluebat, ut ab ea nonnunquam ad effugiendum ſpectantium oculos abſtineret. Novariam miſſus ut Capuccinorum familiæ in ea urbe locum pararet, quo ſe mortuis mortuum oſtenderet, Vir humilis nunquam apud Propinquos, in ea urbe potentes, hoſpitari voluit, ſed in veteri quadam æde, hoſpitio ſibi delecto, in ea velut in Monaſterio, ac pauperum domicilio, diverſatur. Itaque cum per aliquod tempus ibi tam religioſe converſatus eſſet, ut bono virtutum odore, ac præclarioribus vitæ exemplis, patriam urbem illuſtraſſet, tandem in morbum incidit; quo cum diutius detineretur, tot in eo languore, qui illi ſupremus fuit, Vir ſanctus, ſui ipſius contemtus, patientiæ, ac cæterarum virtutum exempla exhibet; ut facile omnibus exploratum eſſet, ſolida illum, & abundantiora mentis bona poſſidere, infirmitatemque non tam ad mortis occaſum, quam ad virtutum exercitationem, ei datam eſſe. Porro, ingraveſcente morbo, cum ſe ad ultimam rerum lineam properantem cerneret, ubi ſe divinorum Sacramentorum armis adverſus hoſtem communivit, in nuda humo ſe collocari curat, ut ſe fortem Chriſti athletam eſſe oſtenderet, qui in arenam adverſus humani generis hoſtem deſcenderet: verumque ſe B. P. Franciſci imitatorem demonſtraret, qui extremum cum morte conflictum in pulvere, ac ſumma rerum paupertate confecit: ac demum, ut nihil ſe cum Mundo, & humanis rebus commune habere, declararet. Hoc pacto, ab omnibus liber, ac ſolutus, Franciſcus ad Dominum celerius migrat. At, qui vitam tot virtutum ſanctimonia inſignem duxerat, ac divini nominis gloriam inter vivos omni ſtudio proſequutus fuerat, haud debita ſibi in morte gloria carere debuit. Quapropter vix Franciſcus ex hominum conſortio ſublatus erat, quum D. O. M. Servi ſui ſanctitatem præclaraque ipſius apud eum merita, miraculis illuſtrare cæpit. Quidam enim Cathedralis ejuſdem urbis Canonicus, Carolus nomine, qui tam gravi dolore diu laboraverat, ut a ſacro Myſterio celebrando, ob languoris gravitatem abſtineret; ſtatim ac ea, qua defuncti Franciſci corpus oblutum erat, aqua, caput ſibi lavit, ab omni capitis dolore tam libere evadit, ut eo deinceps nunquam prægravatus fuerit. Id cum quidam Calceolarius, qui crura tuberibus, ac puſtulis plena geſtaverat, factum reſciviſſet eandem ſibi aquam adhibet, crura lavat, conſeſtimque ea velut pueri ſana recipit. Necdum beati Viri corpus tumulatum fuerat cum miraculorum fama per Urbem diffuſa, Lis inter Cathedralis Eccleſiæ Canonicos Minores Conventuales, & Obſervantes, de illius ſepultura exoritur. Cum enim necdum ibi Capuccinorum Conventus exſtructus eſſet, Canonici velut peregrinum in privatis ſæcularium ædibus defunctum, ſibi deberi aſſerebant. Contra Obſervantes, cum eum olim ex eorum familia extitiſſe contenderent, inde ut ſuum repetebant. Tertio quoque Minores Conventuales, ratione, Capuccinorum Religionem (tunc temporis) quodam

jure ſubjectionis, ac dependentiæ Ordine, ſibi connexam affirmabant, ex quo Franciſci ſibi corpus vendicarent. Lis hæc ſuborta, funus uſque ad tertium uſque diem diſtulit, quo tempore tota Urbs ad beati Viri corpus venerandum confluit, & quam plurimi, qui, vel ipſius Reliquias contingebant, vel ipſius merita invocabant, a variis corporis morbis convaleſcunt. Lite tandem a Novarienſi Epiſcopo dirempta, tumulus quidem in Minorum Conventualium Eccleſia, corpori adjudicatur, feretrum vero ſacra illa corporis ſarcina onuſtum, Capuccinis, qui aderant Obſervantibus, & Conventualibus deferendum traditur: Clero, Regularibus, ac tota Urbe ad funus confluentibus. Dum vero beato Viro funera perſolvuntur, Damianus quidam Calceolarius, qui cum unius oculi luce prorſus careret, alterius vix uſu fruebatur, ac inſuper gravi capitis morbo afflictabatur; Franciſci merita apud Deum ſibi propitia invocat, ac repente capitis dolore effugato, clarum utriuſque oculi viſum recipit, quo deinceps ad ultimum ætatis ſenium abſque ulla ipſius diminutione integre potitur.

Franciſcus Novarienſis alter. *Waddin. Script. Ord. Bover. ad hunc ann. n. 22.*

CCCCXI. Hujus nominis hujuſque Patriæ alter Vir Dei Ordinem illuſtravit in Obſervantium familia anno MCCCCLX. qui cum egregius eſſet Concionator, & juris utriuſque peritus, ſummam de Caſibus conſcientiæ emiſit.

Ludovicus de Stronconio Capucc. *Flor. Seraph. Tom. 2. fol. 275. Bover. ad hunc ann. n. 34.*

CCCCXII. Ludovicus a Stronconio inter primos Capuccinorum Patres merito connumerandus; cum primum ex Obſervantibus huic familiæ nomina dedit a Ludovico Foroſemproniano obtinet, ut in Hoſpitali incurabilium domo, in qua & alii Capuccini Fratres Romæ tunc operam navabant, ægrotorum miniſterio deſtinetur; quo in munere tanta ſui abjectione elucere cæpit, ut viliſſima quæque officia præſtare generoſa quadam mentis nobilitate contenderet, tantoque caritatis ſtudio ægrotis inſervire viſus, ut amantiſſimæ parentis erga filios officium æmularetur: non tempus, non intempeſta nox, non ſomnus, non labor, non ulcerum fœtor, non aliud denique moleſtum, a maximo illo caritatis æſtu illum retraheret. Tam denique in ea cura præclare ſe geſſit, ut Romana Urbs optimo ipſius, ac cæterorum Fratrum, qui in eo Xenodochio inſerviebant, odore repleta, illam domum, quæ ære alieno oppreſſa, atque exhauſta videbatur, copioſiſſimis eleemoſynis inſtauraret. In ea porro ægrotorum cura, cum jam duodecim annos exegiſſet, quietis aliquando, ac ſolitudinis cupidus, in Umbriæ Provinciam ſecedit: ubi dum orationi, ac rerum divinarum contemplationi poſt Marthæ negotium cum Magdalena vacat; en iterum ad Marthæ labores, ac ſollicitudinem vocatur. Nam qui Hoſpitali ſancti Jacobi, incurabilium domui præerant cum Ludovici abſentia, domus illius res plurimum minui, ac dilabi conſpicerent; eum ſummo ſtudio revocandum curant. Id cum Viro Dei, Generalis Vicarii literis innotuiſſet: eamus, inquit, quid moramur? Pauperes Dei ſumus, & cum Dei pauperibus nobis hinc abeundum. Romam igitur rediens, a Domus illius Præfectis, velut Angelus Dei excipitur: ſed cum, ſenio jam prægravatus eſſet vix ad biennium uſque pervenit, cum maximo domus illius, ac totius Urbis luctu, ob ſingularem, quæ de illo apud omnes percrebuerat ſanctitatis opinionem, corporis exuvio depoſito, meritis dives, fœlix ad eum pergit, qui laborantibus mercedem largitur.

Benedictus Mutinenſis Capuc. *Flor. Seraphic. tom. 2. fol. 367. Bover. ad hunc ann. num. 38.*

CCCCXIII. Benedictus Mutinenſis laicus, cum vitam optimo regularis Obſervantiæ, atque omnium virtutum odore reſperſam, cum morte commutaſſet, poſt multos ab ipſius obitu annos illius caput omni ex parte integrum, barba capillisque cuti fixe inhærentibus, atque oculis necdum corruptis reperitur. At præter hæc, illud mirabile, quo ſane Deus ſpiritus apud ſe viventis ſanctitatem, luculentiori teſtimonio declarare voluit, eo tempore aſpectatum fuit.

ſuit. Cum cœmeterii humo ligone effoſſa, ut alterius fratris defuncti corpus ſepeliretur; qui terram effodiebat, cum ipſius caput imprudenter vulneraſſet; protinus recens ex vulnere ſanguis effluxit, quo illius apud homines, poſt mortem vita ac gloria commendata fuit.

Stephanus Mediolanenſis Cap. *Flor. Seraphic Tom. 2. fol. 367. Bover. ad hunc ann. num. 36.*

CCCCXIV. Stephanus Mediolanenſis laicus, virtute ac ſanctitate clarus, orationeque apud Deum potens, de quo illud inter alia in monumentis reſertur, quod, cum in Viglevani Conventu, qui ab Urbe mille circiter paſſus diſtat, Guardiani munus gereret: Hyemali tempore accidit, ut tota regione tam alta nive obſeſſa, Fratres ad vitæ neceſſaria emendicanda, Urbem adire non poſſent: ii cum ſumma in egeſtate verſarentur, Stephanus, cui gregis alendi cura commiſſa fuerat, cum eum jam jam fame conficiendum metueret, ſolus in Eccleſiam ſecedens ad Deum profugit: tamque ardentes pro ſuorum neceſſitate Domino preces offert, ut necdum oratione abſoluta, Conventus tintinnabulum pulſatum fuerit: neque ullo præ foribus apparente, aut ullis hominum veſtigiis in nive conſpectis, ſaccus pane ad os uſque refertus, ante fores deprehenſus fuerit: quo cum univerſa Familia, poſt actas Deo liberaliſſimo largitori gratias, tot dierum ſpatio refecta eſſet, ut is facile exhauriri potuiſſet; haud tamen panis unquam in ſacco imminutus fuit, donec ad mendicationem aditus pateſieret. Hic cum in ſanctitate & juſtitia plurimos Deo annos famulatus eſſet; ut Deo acceptus probaretur, paulo ante vitæ occaſum, horribili a Deo tentatione examinatur: verum triduo expleto, terribilis hæc ab eo tentatio ſublata fuit, & pax mentis reddita: quo tempore luctu in citharam mutato, nihil præter Dei laudes decantabat: Fratribus vero ab eo inquirentibus, unde illi prior illa apprehenſio animo incidiſſet: optima, inquit ille, Dei in me clementia fuit, ut hic, ea veluti purgatoriam mihi pœnam exhiberet. Poſtremo, cum ii extremum ſibi diem imminere Fratribus prædixiſſet; tanquam aurum igne examinatum ac probatum, Mediolani melioris vitæ coronam adipiſcitur.

Joannes Baptiſta Faventinus Cap. *Flor. Seraphic. Tom. 2. fol. 370. Bover. ad hunc annum n. 2.*

CCCCXV. Joannes Baptiſta Faventinus laicus, cum vitam diu plurimis ac turpiſſimis ſceleribus contaminatam duxiſſet, eo tandem ſcelerum devenit; ut proſcriptorum ac ſacinoroſorum omnium caput conſtitutus, tot prioribus ſceleribus crimina adderet; ut velut immaniſſimum ac fœtidiſſimum improbitatis monſtrum, cunctis ſe flagitiis ingurgitaret. Demum quæcumque in homine neſario vitia deprehendi, publiciſque legibus damnari poſſunt, ea univerſa in hoc redundare videbantur. Vir procera magnitudine, ac tam robuſtis viribus a natura donatus erat; ut medium hominum arreptum, diu manu in aera ſuſpenſum teneret. Dextrum brachium ita lævo protenſius a nativitate acceperat, ut cum enſem dextera diſtringeret, tam longe in altum protenderet, ut haſtam manu gerere videretur. Vultus furorem, oculi ferocitatem, ſermo atrocitatem præſeferebat. Animus illi erat ad omne ſacinus audax: quo ſactum ſuit; ut cum primum Anconitana urbs a Pontifice expugnaretur, is primus Papæ vexillum, ipſius mœnibus inſerret. Cumque prius ſub Urbinatum Duce, Magiſtri militiæ onus ſuſtinuiſſet, deinde ſub Clemente VIII. Pontifice, & Paulo III. Dux Cohortis creatus, plurimam in bello laudem conſecutus ſuiſſet, niſi optima ipſa naturæ dona, ad vitiorum ſomenta tranſtuliſſet. Cum vero placuit ei, qui facit *de tenebris lucem ſplendeſcere*, ut qui prius blaſphemus erat, Deum ſua pœnitentia glorificaret: dum Baptiſta aliquas in Florentina urbe moras trahit, fraterque Bernardinus Senenſis tunc in ea urbe, ſummo omnium applauſu, quadrageſimali tempore verbum Dei diſſeminat; tam acutis divinæ virtutis ſtimulis agitari, tantoque repente cœleſtis lucis ſulgore illuſtrari cœpit, ut ſecum deliberatione inita, Capuccinorum

rum vitam, velut ad pœnitentiam, ac priorum ſcelerum expiationem, Deo potiſſimum vocante, aptam ſibi delegit, ad Bernardinum accedit, ab eoque ſummis precibus, Religionis habitu donari poſtulat. At Bernardinus, non ignorans, diuturnum vitiorum uſum vix aboleri, aſſiduamque conſuetudinem pro natura inoleſcere, illum ſibi probandum & examinandum ſtatuit. Abſolutis igitur jejunii quadrageſimalis ſermonibus, cum iterum per Deum immortalem obteſtaretur, ne diutius ſpem ejus removeret, ſed eum quamprimum ad Capuccinorum gremium reciperet: Bernardinus, librorum ſacculo illi oblato: *Tolle igitur*, ait, *tibi in humeros ſaccalum, & ſimul Faventiam pergamus*. Nihil cunctatur Baptiſta, ſaccalum humero inponit, atque, ut erat holoſericis veſtibus indutus, pedeſter ac inermis Bernardinum ſequitur. Viam ſibi Bernardinus elegerat, qua haud ignobilia oppida illi pertranſeunda erant, in quibus cum Baptiſta pleraſque cædes patraſſet, in his quamplurimos capitali odio ſibi inſenſos comparaverat. Neque id Baptiſta ignorabat: at intrepidus, ſaccalo onuſtus incedit. Stupent Oppidani, ſeque mutuo interrogant, num is Baptiſta eſſet? Baptiſta vero tacitus ſecum reſpondebat: Hic certe ſceleſtus ille Baptiſtonus eſt (hoc enim nomine appellari ſolebat) omni ſupplicio dignus. Faventiam igitur prætergreſſus, ad Conventum tandem cum Bernardino pervenit. Poſtridie Baptiſta Bernardinum pro Religionis habitu interpellat, quem cum Bernardinus adhuc aſperiori probationis genere aggredi vellet: *Tot*, inquit, *o Baptiſta hominum ſanguinem in hac urbe effudiſti, ex quo graviſſimas atque innumeras tibi inimicitias conciliaſti; plane haud æquum eſt, ut ad pacificum ordinem, tot hominum odiis onuſtus accedas; quapropter id primum curandum eſt, ut ante Ordinis ingreſſum, veniam humiliter ac ſune e collo pendente, ab inimicis tuis impetres*. Promptum ſe Baptiſta exhibet, ſunem ſibi collo alligat, ad urbem pergit, primamque Viduæ cujuſdam domum ac præſentiam adit, cujus conjugem dudum interfecerat, tum ante illam proſtratus: *En*, inquit *o mulier nefarium Baptiſtonem, impium mariti tui interfectorem, jam ſceleris pœnitentiam ago, ac humilis veniam poſtulo, ſin vindictam quæris, quas volet, nunc de me pœnas exige*. Eo aſpectu ac verbis illa tam animo commota fuit; ut veniam ſtatim cum lacrymis dederit. Hoc pacto cæteros quoque, quos ſuis ſceleribus læſerat, cum hac humilitate ſuperatos ſibi benevolos reddidiſſet, ad Bernardinum redit, qui ut ſtabile hominis propoſitum extrema tentatione probaret; *Houd*, inquit, *hæc ſatis ſunt: tot enim in hac urbe ſcelera patraſti; ut ſcandala, quæ inde emerſere, in Cœlum clament: en ergo tibi in quantum potes abſtergenda ſunt*, quare (illi æneum cacabum indigitans) *hunc*, inquit, *cacabum in humeros tolle, ac per totam urbem incedens, præteritorum ſcandalorum tibi publice indulgentiam poſce*. Res plane mira ac nova erat hominem tot antea hominum cæde reſperſum, tot titulis ſuperbum, ſanguinarium, ac toti urbi tremendum, hunc cacabum nidore opertum in humeros geſtantem atque inclamantem: *Audi te o Cives! o Cives! quæſo parcite impio, ignoſcite contumelioſo, ac ſceleſto divinam clementiam exorate*. Mirabantur, compungebantur, collacrymabantur cuncti, admirandam hominis methamorphoſim aſpectantes, eamque dexteræ Altiſſimi mutationem eſſe palam fatebantur. Hoc pacto, probata hominis patientia, Novitiorum tandem habitu donatur. Quamquam vero Baptiſta in literarum ſtudiis verſatus eſſet; ea tamen illius mentis humilitas fuit; ut cum Clericorum ordine ſe indignum judicaret, inter Laicos adſcribi voluerit. Quadrageſimum Baptiſta jam annum attigerat, cum in Novitiorum album adſcriptus, ſeipſum ad pœnitentiam provocare incipit, ſeque in omni virtutum, præſertim humilitatis, ac ſui ipſius deſpicientiæ palæſtra exercere cœpit. Fuit

illi

illi toto Novitiatus tempore magiſter ſeverus, qui tamen cum mitius cum eo agere videretur, eum Baptiſta, ut cum eo ſeverius ageret, adhortatur; mirumque erat, quanta animi alacritate grave quodcunique pœnitentiæ opus ſibi injunctum perficeret, ac vilia quæque obſequia exerceret, quamque præclara obedientiæ, humilitatis, patientiæ, ac cæterarum virtutum exempla præberet. Inter hos ſpiritus æſtus, cum probationis annum exegiſſet; ſolemnia profeſſiouis vota tanta lacrymarum copia emittit; ut adſtantes quoque Fratres ad fletum compelleret. Tam alte hujus viri animo præteritorum criminum memoria ac gravitas inſculpta erat; ut nullus eum unquam in quacumque letitiæ cauſa ridentem viderit. Inter profeſſos conſcriptus, tantam mox vitæ auſteritatem inſtituit: ut reliquos in admirationem raperet: neque enim tunica uti unquam voluit: aſperum cilicium gerens, nudiſque pedibus incedens, quo per crucis viam expeditior curreret, ſandalia abjecit, panis & aquæ jejunia illi frequentiſſima erant, prolixiores in oratione vigiliæ, poſt quas, cum neceſſarius ſomnus urgeret, nudæ illi tabulæ ſtratum præbere conſueverant. Inter hæc, tam diris corpus flagellis cædere exorſus eſt, ut perinde ac ſi ligneum ac marmoreum, non carneum illud ſibi eſſe perſuaderet; ita in illud ardentiori ſpiritus æſtu concitatus deſæviret. Humilitatem ac ſui ipſius contemptum, quem ab exordio ſibi amplectendum inſtituit, toto vitæ ſuæ curriculo tanto ſtudio excoluit; ut licet ætate provectior, neminem tamen niſi flexis genibus, perinde ac ſi Novitius eſſet, alloqueretur. Cumque viliſſima quæque obſequia præſtaret, quaſi ea præſtare indignus eſſet, ſæpe ſeipſum redarguens, hæc ſecum dicebat: *Age Baptiſta cuncta molire, & quantumcumque potes, enitere, nunquam id aſſequi poteris, ut dignus ſis tot Dei famulis inſervire*: cumque ſe ſæcularibus ignotum eſſe perſpiceret, in ſeipſum infinitas pene maledicentias congerebat. Ægrotos ſumma charitate curabat, eorumque ſibi dolores deberi ajebat, qui toties ac tam graviter Dominum offenderat. Denique tam perfecta hujus viri converſio ſuit, tantaque apud ſæculares homines ex ea tum admiratio tum ædificatio percrebuit; ut eum omnes velut miraculum ſuſpicerent. Cæterum cum tam fera ac terribili natura præditus eſſet, ut eam nonniſi ſumma vi ac violentia ad virtutem cogeret, eo factum ſuit, ut ſemel in Refectorio, quod Capuccinis Capituli loco cedit, dura reprehenſione a Superiore exciperetur, qua cum graviter ipſius natura, ad dura impatiens, commoveretur, eam tanta vi ſibi illata repreſſit; ut venam ſibi pectoris aperuerit; quare cum deinde ſolus in Eccleſia ante altare proſtratus oraret, Dominoque pectoris ſanguinem offerens, confidenter diceret: *En Domine Jeſu qualia pro tui amore patior*. Repente Dominus ex lignea Crucifixi imagine, dextera manu revulſa, lateriſque illi vulnus oſtendens, reſpondet: *Vide Baptiſta qualia & ego pro te in Cruce ſuſtinui*. Qua Domini voce, Baptiſta animo liquefactus, ac lacrymis obrutus, alacrior deinceps ad propoſitum certamen, per patientiam cucurrit; illum ſedulo animo recogitans, qui talem ſuſtinuit adverſus ſemetipſum pro peccatoribus contradictionem. Cum aliquando hoſtes, qui ob trucidatum Patrem, in ipſius necem conſpiraverant, ad Conventum armati acceſſiſſent, iſque per rimulas eos eſſe animadvertiſſet; Guardiano timenti, ne quid illi ſiniſtre accideret, ait: *Nihil vereare, Pater, Deus nobis illos amicos præſtabit, ſine tantum ut ad eos accedam*. Annuente Guardiano, cum repente fores aperuiſſet, eodem temporis momento ad eorum pedes proſtratus: *En*, ait, *nefarius ille proditor, en impius ac ſceleſtus Baptiſta, parentis veſtri interfector, jam dignas de eo pœnas ſumite, occidite, mactate, diſcerpite, hæc enim & graviora ejus ſcelera merentur*. Ii vero cum proſtrati hominis humilitatem conſpexiſſent, voceſque lacrymarum plenas percepiſſent; omni animi ferocitate depoſita,

odio-

odioque in amorem commutato, in ipſius amplexus ruunt, ac exinde perpetuo ſe illi neceſſitudinis vinculo conjungunt. Admirabilem hanc humilitatem pia quædam ac præcordialis in Deum effuſio fovebat, quam aſſidua oratione ſibi familiarem adſciverat: ea vero tunc ardentius in Deum ferebatur, cum ad ſacrum Domini Corpus, bis in hebdomada accederet: eo namque tempore cum diutius orationi incumberet, gemitus ac ſuſpiria, velut ignita quædam jacula ex ima cordis pharetra hauſta in Cœlum vibrabat. Orationi quoque poſt matutinas horas tam diuturnam corporis flagellationem copulare ſolitus erat; ut ab ea nunquam niſi defeſſus, ac pene viribus exhauſtus ceſſaret. In ea vero non pſalmos aut hymnos, ut aliis mos eſt, recitabat; ſed perennis ejus vox erat: *Deus propitius eſto proditori Baptiſtæ*. Maximus huic viro inerat pro Chriſto patiendi ardor, quo etiam fiebat, ut martyrii cupiditate flagrans, ad infidelium terras pergere ſummopere optaret. At Deus Optimus Maximus, cui illud martyrii ſtudium haud injucundum erat, infidelium quidem illi cruciatum denegavit, ſed diutinum illi ac familiare cujuſdam languoris martyrium extremis ſuæ ætatis annis, contulit. Poſtremo tandem morbo ac ſenectute confectus, cum obitum ſuum longe antea cuidam familiari ſuo prædixiſſet, ſupremum ſe Deo ſpiritum redditurum, cum ſe Eccleſiæ ſacramentis, ac pia lacrymarum effuſione ad Domini occurſum omni pietate paraſſet; Faventiæ placide ad Dominum evolat. Poſt mortem facies ejus tam venuſta, ac corpus tam molle apparuit, ut teneri pueri caro eſſe videretur: quæ cœleſtis gloriæ, quam apud Deum jam adeptus fuerat, argumenta fuere. Scripſit Vir Dei ad Concives ſuos Faventinos (Dionyſius Genuenſis in ſua Biblio theca Fratrum Capuccinorum proſequitur, & ex eo noſter Joannes de ſancto Antonio in ſua Bibliotheca Franciſcana) epiſtolam, in qua ingenti ſpiritus fervore illos invitat ad D. N. J. C. recolendam Paſſionem: Mutinæ apud Bartholomæum Solianum 1648 & antea Faventiæ & Bononiæ 1603. & 1608.

CCCCXVI. Omnium horum venerabilium Virorum notitias a recenſito Carolo de Aremberg in ſuo opere, cujus titulus *Flores Seraphici* &c. non ſum veritus ad verbum mutuari, quas ipſum ad verbum a Boverio mutuatum eſſe comperii. In Conventu Conchenſi Provinciæ Carthaginenſis in Hiſpania, de quo non ſemel Waddingus, Sodalium tumulo aperto, & cum quemdam Michaelem Toril ſepelirent, corpus Julii de Villa Majore ibidem viginti ante annos tumulatum, integrum atque incorruptum inveniunt. Is vivens Franciſcani Inſtituti obſervantiſſimus, virtutibuſque præclarus, mortuus hoc etiam ſpeciali dono meruit a Deo decorari.

Julius de Villa Majore. *Wadd. ad ann. 1213. n. 19. & alibi. MSS. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. n. 2. fol. 171.*

CCCCXVII. De his omnibus Mundo valedicentibus terrenam militiam celebris Alphonſus Aſcalonenſis, de quo ſupra proſequitur. Franciſcus namque de Buſtamante Hiſpaniæ recens acquiſitæ Commiſſarius Generalis eundem cum duobus Religioſis ſociis Guatemalæ Provinciam mittit, quum hæc nondum eſſet in Ordinem redacta. Accingit ſe profectioni piiſſimus ſenex nudis pedibus, ut ſolebat, ſine tunica, galero, baculo, aut ulla alia commoditate aliarum rerum, quæ ab indigenis propter Deum præbebantur, iter conficiens. Cumque ejus Provinciæ lingua diverſa ſit a Mexicana, ut eſſet omnibus utilis, ætatis anno LXXII. eam didicit, Indorumque peccata audiebat. Sex ibi annos commoratus, multiſque operibus in propagatione Fidei impenſis, ſancti Evangelii Provinciam repetiit: tum quia Epiſcopus prohibebat, ne infidelium converſio a Religioſis tractaretur: tum ob facultatem revertendi a Generali ſibi Miniſtro conceſſam, a religioſo autem viro fratre Didaco de Olarte Generali novæ Hiſpaniæ Commiſſario procuratam: in itinere, cum ad locum aliquando perdifficilem & ſaxoſum perveniſſet, conſpicatus eum quidam, ad-

Alphonſus de Aſcalona. *Ad ann. 1554. n. 8. Gonz. in Provin. S. Evang. Cent.*

admiratuſque paupertatem & conſtantiam ſenis; nunc, inquit, perſpicio, quod cogitatione vix poſſem aſſequi, ut tam difficile & confragoſum iter ſenex unus ſine galero aut baculo conficiat. Ingreſſus eſt ſancti Evangelii Provinciam anno MDLXVIII. cum eaſdem omnes difficultates laboreſque, quos in profectione ſubierat, imo vero majores ob quadrageſimæ tempus, & pluviarum magnitudinem pertuliſſet, ut ſuo loco dicemus. Ita de præclaro Viro narrat alter vir præclariſſimus Franciſcus Gonzaga, qui relicto Annibalis nomine, quem in Complutenſi ſanctæ Mariæ de Jeſu Cœnobio hoc anno ſui tyrocinii tranſegiſſe incunabula, quum die 16. Maii Minoriticum habitum induiſſet, mirabili humilitatis ſenſu, paucis verbis de ſemetipſo narrat. Ea quæ ad tanti Præſulis de Seraphico Ordine optime meriti hiſtoriam pertinent, ad annum ſui obitus, Deo favente, narrabimus.

Franciſcus Gonzaga dat nomen Minoritis. *Gonz. in Provin. Caſtella Con. 2.*

CCCCXVIII. Præter Octavianum Præconium ex Conventualibus, quem hoc anno a vinculo, quo tenebatur Arianenſis Eccleſiæ, ad Eccleſiam Panormitanam fuiſſe translatum die XVIII. Martii ſuperius ex Vaticano Tabulario innuimus, per obitum Franciſci Droſchi, qui erat ejuſdem Panormitanæ Metropolis Antiſtes: Ex Obſervantibus ad Eccleſiam Conchenſem (Urbs eſt in Caſtella nova Hiſpaniarum, olim Valeria) vacantem, per obitum bon. mem. Petri de Caſtro, Bernardus de Freſnedo Philippi II. a Confeſſionibus, de quo ſuperius non ſemel, die IV. Maii promotus eſt. Jacobus autem de Melphi celebrem Capuccinum Raguſinæ Archiepiſcopali Sedi ſibi a Pontifice atque Senatu oblatæ, religioſa humilitate ductum, renunciaſſe jam ſuperius dicebamus.

Octavianus Præconius Archiepiſc. Panormitanus. *Ex Archiv. Vat. in lib. Conſiſtor. ad hunc ann.*

Bernardus de Freſnedo Epiſcop. Conchen. *Ex Vat. in lib. Conſiſtor.*

Jacobus de Melphi Archiepiſcop. Raguſin. renunciat.

CCCCXIX. Ex Viris doctrina præditis ultimam hoc eodem anno diem obiere Antonius Magotius Provinciæ ſancti Bonaventuræ Alumnus, qui Mundo valedixit die XII. Decembris; & Thaddæus de Thaddæis ex Patribus Conventualibus ſacræ Theologiæ eximius Doctor, Epiſcopi Montis Phiſchonis Vicarius Generalis, inde in Urbe Pœnitentiarius, moritur tandem Urbini. Præter autem illos, quos Concilio interfuiſſe ſuperius dicebamus, in ſancti Patris Franciſci Provincia floruit Lucas Balionus, qui hoc anno opuſculum, cui titulus *Ars prædicandi* publici juris fecit.

Antonius Magotius. *Pinquet. in Cuſt. Sabaud. fol. 192.*

Thaddæus de Thaddæis. *MSS. auth. Arch. S. Iſid. arm. 3. n. 46. & 47. fol. 215.*

Lucas Balionus. *Waad. de Script. Ord. lit. L.*

CCCCXX. Contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores fuiſſe hoc anno inſtitutos ex Patribus Conventualibus in Dominio Veneto pro Patavina Urbe Magiſtrum Maximilianum Beniamum Cremenſem, exin ad Eccleſiam Cluſinam promotum; & pro urbe Tarviſina Magiſtrum Aloyſium ejuſdem civitatis, Antonius Maria de Venetiis in Seraphico Viridario teſtatur. Proviſio hujuſmodi fortaſſe contigit in Generalibus Comitiis, quæ ab iiſdem Patribus Mediolani celebrata ſunt, dum in Generalem Magiſtrum Antonius de Sapientibus Auguſtanus electus eſt. *In fine celebrationis*, ait Rodulphus, *grando tam ingens viſa eſt, ut pene civitatem & ambitum devaſtaverit*; de eodem autem Antonio ſubdit, *quod nihil negligebat, minima quæque curabat, ut diligentiſſimus œconomus; ſed tanta dexteritate, ut cum omnia faceret, nihil tamen anxie facere videretur. In Concilio Tridentino floruit ..... Porro hic Generalis, & re & cognomine ſapiens, ab Epiſcopis Hiſpaniæ magno habitus fuit in pretio, qui paratus adire in Hiſpaniam cauſa viſitandi partes illas, Mediolani in morbam incidit; ubi poſtquam errata ſuæ vitæ expiavit, vocatoque Conventu, omnibus Sacramentis præmunitus, veniam ab omnibus incredibili humilitate poſtulavit, ſi quem vel minima offenſa unquam affeciſſet; omnibuſque bene ſua benedictione precatus, ad extremum gratulabundus carnis nexibus eſt ſolutus; rexit annos ſex, plus minuſve: obiit vero Mediolani anno* MDLXVI. *die* VI. *Januarii*. Quæ quum ita ſint, corrigendum eſt Rodulphi men-

Maximilianus Beniamus Inquiſ. Aloyſius Tarviſinus Inquiſ. *Cap. Gen. Conventual. Mediolani.*

Rodulph. lib. 2. ubi ſupra et Capite Gener.

Antonius de Sapientibus Generalis. *Rodulph. cit. ubi ſupra Generalium.*

Rodulphi mendum.

Rodulph. cit. Felix Peretius. * Legendum 1556.

mendum in notis, dum de Felice Peretto ita ſcribit: *Felix Peretius de Montealto, primum huic loco fuerat deſtinatus, quod a Pio V. electus fuit Vicarius Apoſtolicus anno* 1564. * *die* 15. *Januarii, uſque ad Capitulum Generale Romæ celebratum*. Enimvero Pium V. ad Pontificatus apicem aſcendiſſe initio anni MDLXVI. nemo eſt, qui non ſciat; Antonium vero de Sapientibus hoc anno electum, ſex annis ſuam gubernaſſe Familiam, idem Rodulphus fatetur: non igitur, hac temporis intercapedine, Perettum Vicarii Generalis munere functum eſſe, dicendum.

Franciſcus Arretinus Commiſſarius Generalis.

CCCCXXI. Noſtrorum autem Generalium Comitiorum pro Ciſmontanis, quæ minora, ſeu Congregatio Generalis nuncupari ſolent, quæque hoc anno apud Montem Alverniæ in Tuſcia, ad legum noſtrarum præſcriptum, convocari debuerant, Miniſtro Generali a negotiis Synodi Tridentinæ præpedito, ad ſequentem annum protrahi, eodem Generali poſtulante, Pontifici viſum eſt. Verumtamen, quum Avetſanus Commiſſarius Generalis ſui muneris expleviſſet curriculum, *ne ob longæ vacationis dicti officii incommodum Ordo vel aliqua detrimenta ſuſtineat, Commiſſarius Generalis Ciſmontanorum*, per litteras in forma Brevis, quas dabimus in Regeſto: *Cum ſicut* &c. *ſub dat. Romæ die* XII. *Junii*, Franciſcus Arretinus declaratur. Etiam circa hunc annum, ait Dominicus de Gubernatis, & ex eo Continuator horum Annalium, Pontifex Conſtitutionem Julii III. *Exponi nobis nuper fecerunt* &c. *Dat. Romæ apud ſanctum Petrum die* XIV. *Martii* MDL., qua Congregatio Hieronymi Lanzæ confirmata fuerat, revocans, eamdemque Congregationem penitus diſſipans, illius profeſſores a particularibus, quibus obſtricti erant, præceptis abſolvit, & ad aliquem ex approbatis Regularium Ordinibus tranſmeare coegit.

Regeſt.

Orb. Ser. Tom. 1. lib. 5. cap. 5. §. 20. Continuat. ad an. 1550. n. 16.

Conv. Cadafalſi. Chron. Prov. S. Joſeph Marci Compluten. lib. 4. cap. 18. Gonz. par. 3. in Prov. S. Joſeph. Con. 7.

CCCCXXII. Præter ea Cœnobia, quæ in Provincia ſancti Joſephi Diſcalceatorum ædificata fuiſſe, ſuperius innuimus, exſtructum etiam hoc anno Conventum Cadafalſi, Marcus Complutenſis in Chronica ejuſdem Provinciæ ſcribit, de quo ita Gonzaga: *Cum indytus quidam Villencius Marchio ex inclyta Joanna a Toleto legitima uxore prolem, quæ ſibi hæreditario jure in Marchionatu ſuccederet, ſuſcipere minime poſſet, ex præfatæ uxoris conſilio, voto ſe beato Joſepho aſtrinxit, ut ſi eam ejus interceſſione aſſequeretur, Conventum ad Fratrum hujus Provinciæ habitationem, propriis ſumptibus ædificaturus eſſet. Quo emiſſo ſtatim voti compos effectus eſt, itaut intra breviſſimi temporis ſpatium quinque maſculinas proles, & unam fœminam obtinuerit, quemadmodum ſummi altaris pictura, ac teſtimoniales literæ Archivii commendatæ facilline commonſtrant. Ne igitur piiſſimus heros ingratitudinis argueretur, hoc Monaſteriolum, prope oppidum Cadafalſum (biſpanice vero Cadahalſo) ſuæ ditioni ſubditum, juxta Provinciæ normam, intra videlicet conſuetæ paupertatis limites a fundamentis ad vertiem uſque conſtrui curavit, Fratribuſque inhabitandum pientiſſime contulit. Quod tandem admiſſum Pater Fr. Franciſcus ab Oliva, provinciæ ſancti Gabrielis alumnus, ac iſtius tunc Provincialis Miniſter duodecim Fratribus inſtruxit, ſanctiſſimæque Dominæ Noſtræ de Angelis, juxta Fundatoris votum dicavit, atque in eo vitæ mortalis debitum, ex protoplaſtorum culpa contractum Altiſſimo exſolvit, hunc ſequutus eſt eximiæ ſimplicitatis Religioſus, atque ſuæ ſervandæ regulæ zelantiſſimus fr. Franciſcus a Magdalena, cujus tanta fuit humilitas, tantaque ſui ipſius cognitio, ut licet competenter literatus eſſet, tonſuramque de ſacerdotali more, Novitiatus tempore, invite tunc admiſerit, nullo pacto ſub ea profiteri voluit, ſed in laicorum Fratrum conſortium tranſire maluit: ajens ſe quidem ad tantum munus obeundum indignum omnino, imo potius aptiorem ad utenſi-*

Chron. Provinc. S. Joſeph. Marci de Alcala lib. 4. cap. 18.

Franciſcus de Oliva.

Franciſcus a Magdalena.

lia

lia abluenda, ceteraque humilitatis officia exercenda, obiit venerandus hic Frater anno Dominicæ Incarnationis MDLXVII., *ejuſque corpus* XIII. *an. a die tranſitus, cum ſibi aliud cujuſdam defuncti Fratris adjungendum foret, imputre penitus, incorruptum atque integrum inventum eſt, licet ſarcophagum maderet aqua, facilemque corruptionis materiam miniſtraret.* Verumtamen quum hoc eodem anno, Provinciæ miniſterium penes Chriſtophorum Bravum, vel ut placet Mario apud Bartholomæum de ſancta Anna, cogimur propterea aſſerere, Cœnobium Cadafalſi, aut non hoc anno, aut non ſub Franciſci Olivæ regimine ædificatum eſſe. His accedit, quod Pontifex in ſua Conſtitutione *Militantis* &c. ad annum ſequentem producenda, dum cætera hujus Provinciæ numerat, de hujuſmodi Cœnobio nullam prorſus facit mentionem.

Ex Archivo ſancti Iſidor. MSS. antiq. Provin. S. Joſeph Arm. 3. n. 2. fol. 83.

CCCCXXIII. De tempore autem, quo Conventus Almanſæ Provinciæ ſancti Joannis Baptiſtæ eorumdem Patrum Diſcalceatorum exſtructus eſt, non idem ambigendi fundamentum ſe offert; quapropter cum eodem Gonzaga hoc anno ædificatum dicemus: Ait namque: *Cum hujus Provinciæ Fratrum fama ad Murcianum uſque Regnum penetraſſet, ejus oppidi, quod Almanſa biſpanice nuncupatur, atque in ſpiritualibus Carthaginenſium Epiſcopo, in temporalibus vero Villenico Marchioni paret, Majores natu illis apud ſe Conventum ædificandum ſtatuere. Quamobrem Apoſtolica authoritate impetrata, hanc Domum ſancto Jacobo Apoſtolo, non longe a præfati Oppidi vallo, anno Domini* MDLXII. *exſtruendam curarunt. Cui denique devotus quidam oppidanus nomine Joannes Merinus Monaſterium, duodecim continendis Fratribus aptiſſimum, privatis ſuis ſumptibus annexuit, atque ſe ſuoſque ſucceſſores & hæredes ejus reparationi atque reædificationi, quoties opus fuerit, ex lege & ex pacto aſtrinxit. Duos itaque ſui authores, nempe oppidi Proceres, ſive Senatum, & præfatum Joannem Merinum agnoſcit hic locus: qua etiam de cauſa, & iſti princeps ſacellum, & illis, quod reliquum eſt Eccleſiæ patronatus jure deferuit.*

CCCCXXIV. Apud eoſdem Hiſpanos, quum Cœnobium Minoritis in oppido Fraxineti, ſive *de Frexenal* Incolæ ædificare unanimi conſenſu decernerent, non idem ſermo erat inter ſeſe cuinam ex illis duobus Archangelorum Provinciis, num videlicet ſancti Gabrielis, an ſancti Michaelis aſſignari deberet. Quamobrem, & iſtis atque illis de domo proviſum eſt: illis ſiquidem de ædicula beato Antonio de Padua dicata: iſtis vero de Martyrum eremitorio. Nec prius hujuſmodi lis deciſa eſt, quam Franciſci a Zamora totius Ordinis Generalis Miniſtri definitiva acceſſerit ſententia. Quo denique in præſentis Provinciæ, quod oppidum Fraxinetum ejus limitibus circumſcriberetur, favorem pronuntiante, & Provinciæ ſancti Gabrielis Patres, relicta hujuſmodi ædicula, in proprium remearunt locum, & præfati oppidi incolæ unanimiter atque communibus ſumtibus Conventum, beato Patri Franciſco ſacrum erigendum curarunt. In ejuſdem ſancti Franciſci honorem Serenenſes in Chilenſi Indiarum Regione aliud Cœnobium, ait Gonzaga, intra Serenæ, ſive Quoquimbi, communis Civitatis mœnia conſtruxere in gratiam cujuſdam Minoritæ Franciſci de Turingia, qui hoc anno pro quadrageſimalibus diebus in oppido verbum Dei diſſeminavit. Apud Canarienſes vero in Cœnobio ſancti Antonii Galdaris, quum die XXVI. Januarii hujus anni, quotquot erant in loco ſodales, turbine horribili oborto, in templo ad orandum coram venerabili Euchariſtiæ Sacramento conveniſſent, fulmen e Cœlo rupit campanam, duas in partes diviſit, ac Sacrarium, intacto Corpore Dominico, Fratribuſque omnino illæſis (quod præter miraculum evenire non potuit) combuſſit. Id, ut

Conv. Fraxineti. Monum. authen. MSS. ex Arch. S. Iſid. Arm. 5. n. 141. fol. 396. Gonz. in Provinc. S. Mich. Conv. 20.

Conv. Serenæ in Indiis. MSS. auth. Archiv. S. Iſidor. Arm. I. n. 28. fol. 390. Gonz. in Provinc. SS. Trin. Conv. 4.

Conv Galdaris. Boret. lib. 4 cap. 17.

ut primum ſæcularibus innotuit, in cauſa exſtitit, ut ii locum, & ejus Incolas majori impoſterum veneratione, devotione, atque animi affectu proſequerentur. At in actibus authenticis hujus Provinciæ ad nos recens miſſis de hoc præclaro prodigio nihil.

Conv. S. Mariæ Magdalenæ. Gonz. par. 3. Provinc. Franc. Con. 27. Barez. lib. 4. cap. 24.

CCCCXXV. Cœnobium S. Mariæ Magdalenæ Falezii, Provinciæ Franciæ quod ad mox elapſum annum ab Hæreticis dirutum fuiſſe notavimus, hoc anno iiſdem Hæreticis profligatis, beneficio edicti regii, Fratres ſuæ profeſſionis nedum memores, ſed ardentiſſimi zelatores, omni depoſito metu, reverſi ſunt in locum Conventus, ubi protinus cum maximo divini cultus amore & ardore manus appoſuerunt, nullum non moventes lapidem, quo tantarum demolitionum inſudarent reſtaurationi. Hos multum juvit ſerventiſſima devotio optimi Patris fratris Thomæ Colnii Concionatoris egregii.

Conv. Arcis Imperialis. Gonz. in Prov. Baſilic. Con. 21.

CCCCXXVI. In Italia vero pro erectione Cœnobii ſanctæ Mariæ de Gratiis Arcis Imperialis Oppidi, quod Anglonenſium Metropolis eſt, & ad Provinciam Baſilicatæ pertinet, Raynutius Cardinalis tituli ſancti Angeli, ac ſupremus Pœnitentiarius ſequens expedivit Diploma:

Reg. Ciſm. fol. 218.

Raynutius miſeratione Divina tituli ſancti Angeli Presbyter Cardinalis. Dilectis in Chriſto Fratribus Minorum de Obſervantia Provinciæ Baſilicatæ ſalutem in Domino. Injunctum nobis ab Apoſtolica Sede ſervitutis officium, nos admouet, & inducit, deſenſque, & debitum fore arbitramur, ut ea, quæ ad divini cultus augmentum ſedere, conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter præſtemus aſſenſum. Exhibitæ ſiquidem nobis pro parte veſtra petitionis ſeries, continebat, quod vos, ut aliquos fructus in Eccleſia Dei afferre valeatis, cupitis unum Monaſterium, ſeu Conventum pro veſtra habitatione in Terra Rocchæ Imperialis Anglouen. diœceſ. ſub invocatione beatæ Mariæ Gratiarum cum Refectorio, dormitorio, campana, campanili, officinis, & aliis ad id neceſſariis, & opportunis conſtruere, & ædificare. Id tamen vobis licere dubitatis, inconſulta deſuper Apoſtolica Sede, ſupplicare feciſtis humiliter vobis ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto; vobis, ut unum Monaſterium pro veſtra habitatione ſub dicta invocatione, cum Dormitorio, Refectorio, officinis, campana, campanili, aliiſque ad id neceſſariis, & opportunis in dicta Terra Rocchæ Imperialis loco ad id congruo, & opportuno ſine alicujus præjudicio conſtruere, & ædificare, omnibuſque, & ſingulis gratiis, conceſſionibus, immunitatibus, favoribus, & indultis, quibus alia dicti Ordinis Monaſteria, de jure, uſu, conſuetudine, aut alias utuntur, potiuntur, & gaudent, aut uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum uti, potiri, & gaudere libere, & licite poſſitis tenore præſentium indulgemus, ac licentiam, & liberam concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo Officii Pœnitentiariæ v. Kal. Julii, Pontificatus Domini Pii Papæ IV. anno III. Ex hujuſmodi litteris eruitur, non ex *quadam Bulla Pii IV.* neque *circa annum* MDLX. ut Gonzaga refert, Domum hanc numeris omnibus abſolutam fuiſſe.

Gonz. p. 2. in Provin. Baſilic. Con. 23.

Conv. Burgentil. Gonz. in Provin. Baſilic. Con. 20.

CCCCXXVII. Idem Raynutius eadem die, atque pro eadem Provincia, ut ad alium locum Cœnobium Annunciationis Burgentii, vulgo Brienza Marſican. diœceſis transferretur; edidit ſequens Diploma:

Regeſt. Ciſm. 218.

Raynutius miſeratione Divina tituli ſancti Angeli Presbyter Cardinalis. Dilectis in Chriſto Provinciali Fratrum Minorum de Obſervantia Provinciæ Ba-

Baſilicatæ, ac Guardiano, & Conventui Monaſterii ſub invocatione Annunciationis beatæ Mariæ Virginis Terræ Bronzæ diœceſis Marſici = novi ſalutem in Domino. Injunctum nobis ab Apoſtolica Sede ſervitutis officium nos admonet, & inducit decenſque, & debitum fore arbitramur, ut ea quæ ad divini cultus augumentum debita conſideratione circumſpicien. ſingulorum Chriſtifidelium vocatis, quæ in ejuſdem divini cultus augamentum cedere conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter præſtemus aſſenſum. Exhibitæ ſiquidem nobis pro parte veſtra petitionis ſeries continebat, quod vos propter mali aeris intemperiem qui in loco, in quo dictum Monaſterium conſtructum eſt, viget, cupitis Monaſterium ipſum ex dicto loco, & latere Terræ, in quo ſitum eſt, deſtruere, & ad alium locum in alio latere dictæ Terræ, in quo melior aer exiſtit transferre, & ibi aliud Monaſterium ſub eadem invocatione ædificare. Id tamen vobis licere dubitatis iuconſulta deſuper Apoſtolica Sede ſupplicari feciſtis humiliter vobis ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis, ut Monaſterium præfatum deſtruere, & aliud ſub eadem invocatione in alio latere dictæ Terræ cum omnibus juribus, & pertinentiis, quæ deſtruen. Monaſterium de præſenti habet, ac Dormitorio, Refectorio, officinis, horto, campana, campanili, & aliis neceſſariis, & opportunis ſine alicujus præjudicio conſtruere, & ædificare, modernumque Monaſterium transferre, libere, & licite poſſitis, & valeatis tenore præſentium indulgemus, ac licentiam, ac liberam concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque, contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo Officii Pœnitentiariæ, quinto Kal. Julii, Pontificatus Domini Pii Papæ IV. anno III.

Conv. Pirani.

CCCCXXVIII. Demum ut Cœnobium ſancti Bernardini extra Piranum in Hiſtria Oppidi mœniis circumſcribatur Epiſcopo Juſtinopolitano Guido Aſcanius Sfortia Camerarius hujus tenoris mittit Epiſtolas:

Regeſt. Ciſm. fol. 222.

Guido Aſcanius Sfortia miſeratione divina ſanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis de S. Flora S. R. E. Camerarius R. P. D. Epiſcopo capitis Hiſtriæ, ſeu ejus in ſpiritualibus Vicario Generali, & Archidiacono ejuſdem Eccleſiæ ſalutem in Domino. Expoſitum fuit nuper nobis in Camera Apoſtolica pro parte Guardiani, ſeu Prioris, & Fratrum Monaſterii ſancti Bernardini extra Piranum, qualiter ipſi cuperent dicti eorum Monaſterii meliorem conditionem efficere, & ſi unam domunculam relictam cuidam Cappellæ ſupradicti eorum Monaſterii juxta ſuos fines, quos hic haberi volumus pro expreſſis annui redditus ſummam trium ducatorum auri de Camera non exceden. cum quadam alia domuncula ſita in Terra Pirani, & contigua Hoſpitio dicti Monaſterii, & cum Canonicis, & Capitulo Eccleſiæ ſancti Georgii dictæ Terræ Pirani, ſimilis, vel majoris redditus permutaretur, id profecto in evidentem dicti Monaſterii, & Eccleſiæ utilitatem cederet, & reſultaret: Ea propter tam exponentes, quam Canonici præfati ſcientes præmiſſa abſque Sedis Apoſtolicæ licentia fieri non poſſe, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis in præmiſſis de opportuno remedio providere, ac licentiam præfatam concedere dignaremur. Nos qui ex noſtri Officii debito ad ea libenter intendimus per quæ Eccleſiarum, & piorum locorum utilitati, & commodo recte conſuli poſſit hujuſmodi ſupplicationibus inclinati de mandato SS. D. noſtri Papæ vivæ vocis oraculo ſuper hoc nobis facto, & auctoritate noſtri Camerariatus officii, vobis harum ſerie committimus, & mandamus, ut vos conjunctim procedentes diligentem de præmiſſis informationem capiatis, & ſi ex eadem informatione per vos ſervatis ſervan-

vandis haben. conſtiterit vobis permutationem faciendam hujuſmodi in evidentem dicti Monaſterii, & Eccleſiæ utilitatem cedere, ſuper quo conſcientias veſtras oneramus eiſdem exponen. prædictam permutationem cum dictis Canonicis, ut præfertur faciendam omnimodam licentiam, & facultatem authoritate noſtra, imo verius Apoſtolica concedatis. Et poſtquam facta fuerit illam, & inſtrumenta deſuper conficienda, quæcumque tamen licita, & honeſta, noſtro, & Cameræ Apoſtolicæ nomine confirmetis, & approbetis, ac perpetuæ, & inconcuſſæ firmitatis vim, robur, & decretum obtinere decernatis, prout, & nos ex nunc, prout ex tunc, & e contra concedimus, confirmamus, & interponimus, ſupplentes omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & præſertim fel. rec. Pauli Papæ II. de rebus Eccleſiaſticis male alienatis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ in Camera Apoſtolica die XVII. *Auguſti* MDLXII. *Pontificatus Sui in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pii, Divina Providentia Papæ IV. anno* III. Cum autem ad hanc uſque diem uno a Civitate lapide Conventus perſeveret, ad deſignatam translationem minime ventum eſſe neceſſe eſt afferre.

Conv. Meldulæ.

CCCCXXIX. In Æmilia, Conventum ſancti Rocchi, oppidi Meldulæ, Piorum olim ditionis, & Provinciæ Bononienſis hoc anno exſtructum fuiſſe ex monumentis authenticis MSS. Provinciæ ejuſdem ſatis ſuperque eruimus. De hac religioſa Domo ita Gonzaga ſcribit: *Decreverat Illuſtriſſimus Leonellus Pius, hujus nominis ſecundus, cujus ad Franciſcanos affectus incredibilis fuit, integrum Conventum, ſimul atque Eccleſiam divo Rocco ſacram, quem ſibi peculiarem Patronum elegerat, ex domeſticis facultatibus, non longe a Meldula Umbriæ oppido, ſibique ſubjecto, ut ſimul, & ſubditorum ſaluti proſpicerent, atque itinerantibus Fratribus de opportuno hoſpitio provideret, ædificare. Sed ne id pro voto efficeret, immatura ejus mors impedimento fuit. Cum igitur alterum, nempe Eccleſiam, a qua opus, anno Incarnationis Dominicæ* MDXXI. *exorditus fuerat, præſtitiſſe; alterum, ideſt Conventum, ex hac vita decedens Fratribus, ex eleemoſynis non abſque immenſo labore acquiſitis, abſolvendum reliquit*: Sodalibus igitur a pientiſſima Familia hoc in loco anno MDLVIII. vocatis, hoc anno eis Cœnobium exſtructum eſt primum, ſolemni ritu, die IX. Martii, Alberto viro eximio ex eadem inclyta ſtirpe, pluribus cum numiſmatibus ponente lapidem. Oppidi Xenodochium ſolum, exin Hyppolita de Rubeis Pia duas terræ portiones largiti ſunt. Pius Cardinalis Carpenſis conſtituit, ut idem Xenodochium Sodalibus quaſdam in perpetuum ſuppetias ferret, Leonellus autem *ex hac vita decedens*, non omnimode *ex eleemoſynis immenſo labore acquiſitis*, ut ait laudatus Gonzaga, *Cœnobium Fratribus abſolvendum reliquit*, ſed legatis 200. Romanis aureis, cum pretioſiſſima ſacra ſuppellectile ſuam munificentiam magis magiſque oſtendit.

Gonz. par. 2. in Prov. Bononienſi Conv. 22. Monum. authen. MSS. Provinciæ Bonon.

CCCCXXX. Porro quum Oppidum ad Aldobrandinorum Familiæ anno MDXCVII. tranſmeaſſet dominium erga Franciſcanos in iiſdem etiam tranſmeavit affectus: Organum etenim & tabernaculum auro tectum, ubi ſacratiſſimum Dominicum Corpus ſervatur, una cum quadam exigua tabula egregie Deiparam Filiumque repræſentante præclaræ gentis dilectionis in noſtros ac devotionis in Deum argumentum oſtendunt. Ætate autem Innocentii X. ſan. mem., Aldobrandinis extinctis, Exeellentiſſima Pamphilia Domus principatum hujuſmodi aſſumpſit, feliciterque, ingenti cum Minoritarum commodo retinet. Templum variis perpulchris pretioſiſque ſupellectilibus, & præcipue ſacris Reliquiis exornatur; in cujus limine quemdam ſepulchralem lapidem ingredientes offendunt, ubi ſculpta, cujuſdam ex Piorum Gente

imago, temporis injuria, hominumque itu redituque fere penitus detrita eſt. Hic Bartholomæus Manſtrius ex Conventualibus, & ex Obſervantibus Claudius quidam a Gregorio XIII. ad Belgium Legatus miſſus; noviſſime autem Franciſcus Meldulenſis nuncupatus, Viri a doctrina & pietate commendati primo lucem ſalutarunt.

CCCCXXXI. Monopolis apud Apulos Provinciæ Barenſis, & Corleontii Provinciæ Siciliæ Patribus Conventualibus, ſub ſancti Franciſci auſpiciis ſunt ædificata Cœnobia, id quorum altero obiit: *Bonaventura Fracetta Laicus*, ait Cagliola, *ſanctimonia conſpicuus, cujus adhuc cellula anguſta, & perobſcura veneratur*. Patribus autem Capuccinis Domos ſancti Blaiii Caſſiæ Provinciæ ſancti Franciſci: ſanctæ Crucis Budrii Provinciæ Bononiæ, ſolum ſæcularibus Confratribus ſanctæ Agathæ elargientibus; & ſancti Bartholomæi Variſii Provinciæ Mediolanenſis populorum pietas ædificavit, ut ad annum MDLX. dum 47. dicebamus. Illud, quod Turris Lacunæ in Provincia Caſtellæ Monaſterium, ſub invocatione, habitu & regula Immaculatæ Virginis Conceptionis Moniales incolunt, Ferdinandus Bernardus, & Guiomara a Berzoſia conjuges, Pontificia cum facultate; ex Gualdafagiarenſi Monaſterio quatuor vocatis Sororibus, ut puellas inſtruerent, pro ſua caritate exſtruxere. Tomarii vero Monaſterium Provinciæ Portugallenſis, de quo ſuo loco Waddingus, quodque Patrum Conventualium regimini olim ſubjecerat, hoc anno Obſervantium curæ commendatum eſt.

Conv. Monopolis.
Conv. Corleontii.
Monumen. authen. PP. Conv. Prov. Siciliæ.
Cagliol. in Prov. Sicil. Manifeſt. 5. Explorat. 1.
Conv. Caſſiæ Capuccin.
Conv. Budrii eorumdem.
Conv. Variſii eorumdem.
MSS. authen. ex Archiv. Fratrum Capucc. Urbis.
Monaſt. Turris Lacunæ.
Gonz. in Provin. Caſtellæ Monaſt. 36.

CCCCXXXII. Ut jure meritoque Waddingus ſuæ fidei conſuleret, atque indemnitati, de duobus Monaſteriis Clariſſarum Catanenſibus in Sicilia antiquioribus, Montis Virginum videlicet, & ſanctæ Claræ (illud etenim, quod ſanctæ Agathæ titulo inſignitur, & de quo ſuo loco, longe eſt poſterius cæteris) ex ſententia Rochi Pirri amici ſui narrabat, primum *ſub an.* MCDXLIX. *exſtructum eſſe ab Antonio Paternicone Baronis Raguſæ, fratre approbante Aria de Avalos Epiſcopo; aliud vero ibi conditum ſub nomine ſanctæ Mariæ Virginum ad annum* MCCXX. *a Gualtero de Bolena Catanenſi Antiſtite*. Mox ſubdit, *quod de utroque Monaſterio agit Gonzaga, ſed ſecundi, quod Montis Virginum appellat, fundationis tempus, & auctorem ignorare fatetur*. Exinde ad annum MDXXXVI. ita ſcribit: *De duobus Monaſteriis Clariſſarum Catanenſibus alias egimus, quorum origines erant nobis incompertæ. Secundi hoc anno fuiſſe exordium habemus ex Ordinis Regeſto: ubi refertur die* XV. *Julii obtentum eſſe Breve Apoſtolicum pro conſtruendo Monaſterio Clariſſarum in illa Civitate: & Breve alterum die* XVII. *ejuſdem menſis directum Theſaurario, & Cantori Eccleſiæ Catanenſis, ut ex alio quoque Monaſterio Clariſſarum quatuor eligerent Sorores, quæ huic inchoando & fundando deſervirent*. Verum enim vero ex monumentis MSS. authenticis ejuſdem Provinciæ Siculæ iſthæc de ambobus his Cœnobiis notitia eruitur. *De Monaſterio Clariſſarum Montis Virginum Civitatis Catanæ: quæ Franciſcanam colunt clauſtraliter diſciplinam, antiquius Cœnobiorum eſt hoc Montis Virginum nuncupatum, ſitum enim in colle eminenti, Orientis benigno fovetur lumine, ex Senatus, piorumque eleemoſynis dotatum, anno* MD., *poſtea vero, privilegiis & indultis cohonеſtatum per diploma Apoſtolicum Pauli III. Romæ* XVII. *Julii* MDXXXVI. *De Monaſterio ſanctæ Claræ ejuſdem Civitatis: Monaſterium Clariſſarum Urbaniſtarum, Antonius Paterno, ex Senatorio Ordine, & Oximi Baro, ſuis ſumptibus per teſtamentum in actibus Notarii Bernardi Bonafide die* III. *Auguſti* MDLV., *Cæſare Statella, & Petro Paterno deſignatis agentibus conſtrui mandat*; quæ res ad votum reducitur per *diploma Apoſtolicum Romæ obtentum, anno* MDLXII. *Kal. Septembris*. Et demum, *quod anno* MDLIII. *Templum Divi Lau-*

Monaſt. Catanæ Montis Virginum & ſanctæ Claræ.
Wadd. ad ann. 1449. n. 55., & anno 1536. nu. 20.
Pirr. de Eccleſ. Catanen. ad hunc annum.
Gonz. in Provin. Sicil. Monaſt. 2. & 3.

Monum. authen. Prov. Siciliæ ex Archivo Aracœli.

Laurentii in Monialium Cœnobium ivit, cui poſtea Domina Clara Statella Domini Cæſaris, magni Siniſcalchi Regni filia, totum Patrimonium erogavit. Cœnobium vero gratitudinis cauſa ex dotatrice Clara, ſanctæ Claræ nomen retinuit, & quod prius ſupra quadraginta Altiſſimo conſecrabat ſponſas, ad præſens reddituum deficientia, triginta fovet alitque Sorores. Quum autem ſententiæ Pirri citata diplomata, & tabulæ videantur obſtare, cumque eorumdem diplomatum & tabularum ſive authographa, ſive etiam authentica exemplaria deſiderentur; quarum ætate iſthæc duo Cœnobia ædificata ſint, Lectoris eſto judicium. In primo Monaſterio floruit Agatha Flatamone, de qua ad annum ſui obitus iterum erit facienda mentio. In ſecundo vero jacent Fulgentia Bonavita, & Perni Virgo ſuæ regulæ zelatrix, obſervatrixque inclyta, locutorii neſcia, oratorii uſque ad decrepitam ætatem devotiſſima, vigiliis abſtinentiiſque præclara, Chriſti Crucifixi amplexu exhalat animam XII. Auguſti an. MDCXX. Eloquentia Perni, & ipſa ſibi ſororem Fulgentiam etiam ſecundum carnem imitata, ſuæ Regulæ & Inſtituti ſervatrix optima, in paupertate & humilitate jucundabatur læta, otiis vacans divinis, vidit ante obitum gloriam Dei, & ait: *Ecce video Cœlos apertos*, his dictis ſplendidior lucidiorque viſu requievit in Domino die XIII. Januarii anno MDCXXXV. Archangela Gulielmina, Virgo Catanæ naturalis, & ejuſdem Cœnobii alumna, magnæ devotionis & orationis fœmina, nonniſi lacrymis ſuum Chriſtum ſponſum adibat, meruit a Deo pridie ante mortem Angelicos audire concentus, his auditis, adiit quem audivit cœleſtis Sponſi vocem. Agnes & ipſa pauperrima uſque ad obitum vivens, aſperitate & vitæ rigore clara, nec in decrepita, nec in infirmitate relaxavit unquam ejuſdem vitæ tenorem. Denique cumulata meritis ad æternas divitias cucurrit in Cœlum anno MDCIX. Monaſterii Montis Milonis Oppidi Picenæ Provinciæ fundationis hoc anno contigiſſe memoriam in authenticis MSS. ad Ordinem noſtrum pertinentibus invenimus; de eodem tamen Monaſterio apud ullum noſtrarum rerum Scriptorem non licuit invenire memoriam.

Agatha Flatamone. *Monum. cit.*

Fulgentia Bonavita. *Monum. cit.*

Eloquentia Perni. *Manum. cit.*

Archangela Gulielmina. *Monum. cit.*

Agnes quædam Monialis. *Manum. cit.*

Monaſt. Montis Milonis. *MSS. auth. ex Arch. ſancti Iſid. Arm 4 ma. 39. fol. 602.*

CCCCXXXIII. Venerabilis Monaſterii Clariſſarum Corporis Chriſti Neapolis hoc anno Pontifex univerſa privilegia confirmat ad humiles Sororis Lauræ Columbæ, tunc iſtius Conventus Abbatiſſæ, quidquid Indulgentiarum, aut privilegiorum Pontificiorum loco conceſſorum, illi inveſtigare potuerunt, confirmavit, ac pro ſua in Religioſos atque Religioſas animi propenſione, & in tanti Regis fundatoriſque gratiam, liberaliſſime conceſſit. Quorum tenor ſequitur: *Quotquot utriuſque ſexus fideles confeſſi re aut voto hanc ſanctæ Claræ Eccleſiam ſequentibus diebus viſitaverint, plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam conſequentur: idque ipſum pro defunctis per modum ſuffragii adipiſci poterunt: Nempe in feſto ſanctiſſimi Corporis Chriſti, & per ejus octavam. In feſto natalis ſanctiſſimi Patris noſtri Franciſci, atque in reliquis ejus feſtivitatibus: In omnibus ſolemnitatibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ac ſancti Ludovici Epiſcopi Ordinis Minorum. In feſto Portiunculæ, quod celebratur* II. *Auguſti cujuslibet anni.* Gaudet inſuper ſacra hæc ædes omnibus indulgentiis conceſſis Fratrum Minorum Eccleſiis.

Monaſt. Neapol. Corp. Chriſti. *Gonz. 1. par. de hoc Monaſt.*

CCCCXXXIV. Plenariam item indulgentiam largitur, ut ſuperius monuimus, in favorem accedentium ad Eccleſiam Cœnobii noſtri Farneſii Provinciæ Romanæ pro die ſancti Rochi, quæ ſub ejus auſpiciis ædificata eſt.

Conv. Farneſi. *Idem Gonz. ag. in Provin. Roman. Conv. 29. Ad ann. 1560. n. 31.*

CCCCXXXV. Et pro Monaſterio ſanctæ Catharinæ Cordubæ Provinciæ Granatenſis Philippus II. Rex Hiſpaniarum Pontificis æmulatus pietatem, univerſa privilegia a ſuis deceſſoribus conceſſa die III. Auguſti per regium diploma apud Matritum confirmat.

Manaſt. Cordubenſe. *Gonz. in Provin. Granat. Mem. 1.*

CCCCXXXVI.

Anno Christi 1562.	Pii IV. anno 3.	Ferdinandi I. Imp. anno 5.	Religionis Minorum anno 355.

CCCCXXXVI. Pro Patribus demum tertii Inſtituti Conventus ſanctæ Mariæ Gratiarum Montis Georgii Provinciæ Marchiæ, & Firmanæ diœceſis ædificatus eſt a loci Populo, atque a ſanctiſſimi Dominici Corporis Societate, Ludovico Ferro de ſancto Gineſio ejuſdem Ordinis alumno recipiente, & Cæſare Vicelegato Picenorum approbante; ut ex ſequenti tabula liquet: *In nomine Domini. Amen. Aſpicientibus hoc inſtrumentum actum in monte Georgio, & Eccleſia ſanctæ Mariæ Gratiarum poſita in territorio dicti Montis prope Portatellam juxta vias publicas, & alia latera, præſentibus Ser Cæſare Natalis, & Leonardo Zanobio de dicto loco teſtibus habitis, vocatis & rogatis per infraſcriptum fratrem Ludovicum, clare omnibus conſtet, qualiter anno a Natali Chriſtiano* MDLXII. *indictione quinta, ſedente ſanctiſſimo Domino noſtro Pio divina gratia Pontifice IV. die* VII. *menſis Julii ejuſdem anni. Cum menſibus elapſis fuerit requiſita magnifica Communitas dicti Montis pro parte Reverendi Patris Vicarii Generalis Fratrum Ordinis ſancti Franciſci Heremitarum in provincia Marchiæ, ut dicto Ordini concedere & conſignare dignaretur, cauſa augendi Religionem, & ſummæ gloriæ Religionis ei adſcriberetur, Eccleſiam ſanctæ Mariæ Gratiarum prope Portatellam, ut ſupra fueritque per magnificos Dominos Priores dicti loci dictæ requiſitioni in Concilio Generali ſub die* XXI. *Decembris anni* MDLXII. *obtentum, ut magnifici Domini Priores habeant auctoritatem concedendi, vel non, ut in libro Reformationum in Cancellaria apparet manu Ser Claudii Paganelli de Muro Vallium Cancellarii; fueritque per Guidocium ..... Amicum Habbinantem, & Scipionem .... Dominos Priores, ſub dicta die inſtrumenti conceſſi tenutæ dictæ Eccleſiæ Rev. Patri fratri Ludovico Ferro de ſancto Geneſio dicti Ordinis Commiſſario in dicta Provincia, ut videre eſt, & per me Notarium infraſcriptum viſum fuit in literis Rev. Patris fratris Joannis Baptiſtæ de Angelo Vicarii Generalis dicti Ordinis cum ſigillo &c. ſub die* X. *Maii* MDLXII. *cum pacto, quod Religio teneatur officiare diligenter &c. Dictus Rev. frater Ludovicus Commiſſarius in præſentia ſupradictorum Dominorum Priorum præſentium, & conſentientium, & Melchioris Moſcheti Prioris Societatis ſanctiſſimi Corporis Chriſti, præſentis & conſentientis cum dicta Eccleſia antea eſſet ſub cura dictæ Confraternitatis; vigore literarum Rev. D. Vicelegati Provinciæ Marchiæ abſentis ſuper acceptatione tenutæ dictæ Eccleſiæ, directarum magnificis Dominis Prioribus dicti Montis, ejus, qui ſequitur tenoris.* „ Alli „ Magnifici noſtri Cariſſimi. I i Priori di Monte Giorgio. Magnifici noſtri „ Cariſſimi. Habbiamo viſta la riſoluzione da voi fatta di quella Chieſa di „ ſanta Maria delle Grazie, la quale ne piaciuto, e laudiamo grandemente il „ voſtro buon' animo. E in riſpoſta non occorre dirne, ſe non che ci contenziamo, che li Frati da voi deputati entrino al poſſeſſo, & officiano nella „ detta Chieſa, e ſtate ſani. Di Macerata li XXX. di Giugno* MDLXII. „ *Cæſar Vicelegatus accepit actualem, effectualem & corporalem poſſeſſionem & tenutam dictæ Eccleſiæ nomine dictæ Religionis, intrando, exeundo, claudendo, aperiendo oſtia, pulſando campanas, & alia faciendo, quæ ſunt ſolita fieri, & requiſita in talibus caſibus, confitens eſſe in poſſeſſione talis Eccleſiæ &c. qui Magnifici Domini Priores, & Prior auctoritate ſibi ipſis conceſſa promiſerunt dictam tenutam manutenere &c.*

Et quia ego Lucas Bonifacius Georg. Iuas publicus &c.

Bordon. Chronol. 3. Ord. p. 19. Conven. Montis Georgii Tertii Ordinis. Bordon. in Arch. 3. Ord. Inſtrum. 44.

CCCCXXXVII. Quia in Cœnobio Cropani ejuſdem Tertii Ordinis Catacenſis diœceſis in Calabria ulteriori noſtra ætate ſuppreſſo a quibuſdam Fratres impediebantur, quominus corpus Servi Dei Pauli de Ambroſiis ſui Conſodales publico cultui exponerent Cameræ Apoſtolicæ Auditor per ſequen-

Conven. Cropani Tertii Ordinis. Bordon. in Arch. 3. Ordinis ſuprum. 88.

tem inhibitionem protinus malo occurrit: *Flavius Urſinus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Muranus, ſanctiſſimi Papæ, ejuſque Camerarii, nec non Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, ſententiarum quoque & cenſurarum in eadem Romana Curia, & extra latarum, ac literarum Apoſtolicarum quarumcunque univerſalis & merus executor, univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis tam Cathedralium etiam Metropolitanarum, quam Collegiatarum Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, & ſeu Locotenentibus eorumdem, cæteriſque Presbyteris, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis quibuſcumque per Civitatem & diœceſim Catacenſem, & alias ubilibet conſtitutis, illique vel illis, ad quem vel ad quos præſentes noſtræ literæ pervenerint, ſalutem in Domino, & præſentibus noſtris fidem indubiam adhibere. Noveritis, quod nuper pro parte, & ad inſtantiam Fratrum Monaſterii ſancti Salvatoris Tertii Ordinis ſancti Franciſci Terræ Cropani Catacenſis diœceſis nobis expoſitum fuit, quod cum ipſi Fratres corpus ſeu cadaver aut oſſa beati Pauli de Ambroſio de Terra Cropani prædicta in quodam tabernaculo reconditum, ſeu recondita capſa tam hominum, quam populum dictæ Terræ, quam aliorum locorum circumvicinorum majori devotione dicti beati Pauli accedendi, & illud univerſo populo oſtendendi in quodam loco eminenti in capella ſanctæ Luciæ ſita in præfata Eccleſia ſancti Salvatoris elevaverint & poſuerint; nec debuerint, poſſintque, nec debeant, ſaltem legitime, & de jure a quoquam moleſtari, vexari, ſeu perturbari. Nihilominus, quod nonnulli in executione præſentium nominandi, ueſtitur, quo ſpiritu ducti, aut quo jure ſuffulti dictos Dominos inſtantes de & ſuper elevatione dicti corporis ſeu cadaveris beati Pauli, aut aliis occaſione præmiſſa, indebite & injuſte moleſtare, & perturbare velle, ſe jactarunt & jactant, aut forſan moleſtarunt & perturbarunt, aut moleſtant & perturbant de præſenti in non modicum dictorum Dominorum inſtantium, ſuorumque jurium præjudicium, damnum & jacturam. Interſitque eorumdem Dominorum inſtantium ex cauſa prædicta a dictis moleſtiis & perturbationibus via juris eximi ac liberari. Idcirco pro eorumdem Dominorum inſtantium parte fuimus requiſiti, quatenus eis de oppertuno juris remedio providere dignaremur. Attendentes igitur nos Flavius Urſinus Auditor ordinarius requiſitionem hanc fore juſtam, & rationi conſonam, vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus ſtatim viſis præſentibus vos, vel quicumque veſtrum fuerit requiſitus ex parte noſtra, moneatis & requiratis primo, ſecundo & tertio, peremptorio omnes & ſingulos Dominos inſtantes, occaſione præmiſſorum moleſtantes ſeu moleſtare volentes in executione præſentium noſtrarum nominandos. Eiſque nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & quingentorum ducatorum auri de Camera Cameræ Apoſtolicæ applicandorum pœnis præcipiatis & mandetis, quibus uos etiam tenore præſentium ſic præcipimus & mandamus ac requirimus & monemus eoſdem, quatenus infra ſex dierum ſpatium a die monitionis hujuſmodi eis factæ ſequendorum, debeant a quibuſcumque moleſtationibus, vexationibus, perturbationibus, jactationibus & impedimentis prædictis Dominis inſtantibus, aut eorum deputatis & miniſtris de & ſuper elevatione corporis ſeu cadaveris aut oſſium prædictorum ex quavis occaſione, ratione, modo vel cauſa hactenus illatis, præſtitis aut factis, ac fieri & inferri comminatis, ab inferendiſque in futurum realiter, & cum effectu deſiſtiſſe & ceſſaſſe & abſtinuiſſe. Necnon dictum corpus cadaver ſeu oſſa dicti beati Pauli*

in

in loco prædicto ſtare & permanere permiſiſſe & permittere. Et ſi qua jura in præmiſſis habent, ſeu quomodolibet habere prætendant, coram nobis deduxiſſe, & demonſtrare, necnon præſentibus nobis in omnibus & per omnia, juxta illorum formam, continentiam & tenorem, paruiſſe & obediviſſe, & de paritione hujuſmodi nos certiorare & certificare. Alioquin prænominatos, ſi in præmiſſis ſe fore gravatos ſenſerint, modo & forma præmiſſis peremptorie citare curetis, prout etiam nos citamus eoſdem quatenus vigeſima die poſt citationem veſtram eis factam immediate ſequenti compareant Romæ judicialiter & legitime coram nobis per ſe vel procuratores ſuos idoneos, cauſam eorum gravaminis aliegaturi atque dicturi, facturi & recepturi, quod juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit rationis. Certificantes nihilominus eoſdem ſic citatos, quod ſive in dicto citationis termino, ut præmiſſum eſt, comparere curaverint, ſive non; nos tamen, ſive Locumtenens noſter prædictus ad declarationem dictarum ſententiarum, vel aliter ad graviora procedemus, ſeu proceedet juſtitia mediante. Quidquid autem in præmiſſis factum fuerit omnibus fideliter intimare curetis. Abſolutionem vero præmiſſorum nobis, vel Superiori noſtro tantummodo reſervantes. In quorum præmiſſorum fidem has noſtras præſentes exinde fieri, & per Notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribere, ſigillique noſtri, quo in talibus utimur, juſſimus & fecimus appenſione etiam muniri. Datum Romæ in ædibus noſtris ſub anno a nativitate Domini MDLXII. *die* XII. *Januarii, Pontificatus Domini noſtri D. Pii Papæ IV. anno ejus* III.

D. Cæſar Quintilius Notar. &c.

ARGUMENTUM.

Sacro Tridentino Concilio finis imponitur; & in Gallliis ex inopinato caſu pace inita milites arma deponunt; Hæreticis interim pro more oppida, ſaeraque loca, Franciſcanorum præcipue, devaſtantibus, qui etiam pleroſque Conſodales noſtros interimunt. Moſcborum Dux Lithuaniam invadens, Domum noſtram Piacenſem deſtruit, & quatuor Sodales, cæteris fugam arripientibus, in odium fidei catholicæ occidit. Cum apud Hiſpanos, tum etiam Italos, ex Capuccinis præcipue, plures Chriſti Confeſſores decedunt. Ex Boverio quædam mira narrantur. Jacobus de Liſcariis ex Obſervantibus ad Eccleſias Marcanen. & Tribunen. promovetur; ex Patribus Conventualibus vero plures in Veneta ditione Inquiſitores ſeliguntur. Apud Aiverniæ montem pro Ciſmontanis Generalia celebrantur Comitia, in quibus etiam quædam conduntur leges. Commiſſario Generali Tertii Ordinis decedente, Pontifex annuit, ut ad ſexennium habere poſſint proprium Generalem Miniſtrum. Diſcalceati Alcantarenſes regimini Obſervantium ſubjiciuntur, & quædam alia ad eoſdem pertinentia expenduntur. In eorumdem Provincia, aliiſque in locis plures ædificantur Fratribus, itemque Sororibus religioſæ Domus: & quædam Pontifex privilegia elargitur.

I. QUod erat præ omnibus maxime optandum, & quod unum ad hæreſis teterrimam peſtem profligandam per totum Chriſtianum Orbem pervagatam, maxime pertinebat, tandem aliquando abſolutum eſt, ſacroſanctum nimirum Tridentinum Concilium. Etenim peſtifer ille ſerpens, cujus veneno jampridem tota fere Germania infecta erat, ſimulque Britannia, & Gallia contabuerant, jam Italiam verſus, cæteraſque Chriſtianas Provincias, & Nationes paulatim alas expanderat, ac bonam populi par- Concilium Tridentinum abſolvitur.

tem contagioſo aſpectu, pernicioſoque afflatu impune tabeſecerat. Neceſſum propterea ſummo Romano Antiſtiti Pio IV. viſum eſt eas omnes de medio auferre, alioquin fere inextricabiles difficultates, ut demum terminata Synodo, terminus etiam tot cladibus imponeretur. Hic interim non mirari non poſſumus Jacobi Thuani in Pontificem, novum convicium, dum ſcribit, *quod id unum Pius agebat, ut quamprimum Concilii finis imponeretur, parum de Germanis ſollicitus, quos contra Concilium proteſtatos ſciebat*. Enim vero ut perditas in Germania oves bonus Paſtor ad Chriſti ovile reduceret, nullum lapidem non moviſſe illum omnibus compertum eſt. Præter namque cum Germanis Oratoribus de negotio hujuſmodi continua colloquia, quotidianaſque Tabellariorum epiſtolas deferentium exſcurſiones, miſerat primum his etiam noviſſimis annis ad Cæſarem hanc ob cauſam oratorem celebrem Stanislaum Oſium Polonum, Varmienſem Epiſcopum, eique paulo poſt Zachariam Delphinum Venetum Pharienſem apud Illyricos, & Joannem Franciſcum Commendonum ſimiliter Venetum Zacynthi in mari Jonico Antiſtites, collegas deſtinavit, ut prævio verbo facto cum Cæſare, Delphinus ad Superioris, Commendonus vero ad inferioris Germaniæ partes Nuncii Apoſtolici accederent, quam ſane Pontificiam tantam ſollicitudinem aliæ Nationes, non minus infirmitate hujuſmodi laborantes deſiderarunt.

Thuanus Tom. 3. lib. 14. ad ann. 1562.

Pallav. lib. 14. cap. 14., & lib. 15. cap. 2.

II. Quum autem inter ſacri hujus Cœtus Patres Minoritæ, & plures numero & doctrina, quinimo & ſanctitate præſtantes non defuerint, unus ex his præ cæteris, qui circa Fidei articulos credendos, moreſque reformandos ſuam dixere ſententiam, Alphonſus Contreras Hiſpanus ex Obſervantium familia exſtitit, cujus elapſo anno meminimus, quique Dominica ſecunda Quadrageſimæ Orationem habuit: *Sinnquam alias* &c.

Alphonſus Contreras. Oratio ad Eccleſ. reformationi perſuadendam. *Lab. Tom. 20. ad hunc ann. col. mihi 847.*

III. Porro priuſquam Tridentini Synodales actus feliciter die IV. Decembris abſolverentur, in Galliis finem impoſitum cædibus dixiſſes, pace Aureliæ conſtituta; niſi anno hujus ſæculi LXVI. nova Hugonottorum, improviſaque conſpiratio, ut Regem Reginamque interciperent, magis magiſque bellum feciſſet recrudeſcere. Arma ergo die XVIII. Martii ſunt tandem aliquando depoſita; quum Guiſiæ Dux die XXIV. Februarii fuerit interemtus, cumque Calviniſtæ Normanniæ Provinciam vaſtantes, ſacra & profana, nullo habito diſcrimine, deprædati diſcurrerent. Quo tempore præter cætera loca, quæ cladem hujuſmodi legimus ſubiiſſe, Apamearum Galliæ Narbonenſis Civitas fuit, in qua Minoritæ præcipuam Domum ad Aquitaniæ recentioris Provinciam pertinentem habebant, Gonzagæ tamen, atque Waddingi temporibus ab eorum nemine inhabitatam. *Hic ab Hæreticis tanta rabie*, ait hujus urbis Antiſtes Spondanus Thuani verba exſcribens, *concurſum eſt, ut momento quatuor Mendicantium Cœnobia, majus urbis Templum, & ſacri Collegii Sodalium ædes direptæ ſint, Monachis paſſim majorem partem occiſis, aut ſpoliatis, tanta ſævitia ſimul & rapacitate, ut ipſimet Proteſtantes factum non damnare nequiverint. Duplici irruptione*, Waddingus ex Gonzaga proſequitur, *locum hunc ſacrum noſtrum hæretici profanarunt, in primo religioſiſſimos Patres Petrum de Pulchro-monte egregium Eccleſiaſten. Joannem Raultum, & quoſdam alios Conſodales prius crudeliſſime trucidatos, in puteum projecerunt. In ſecundo vero Petrum a Molerio virum doctrina & pietate conſpicuum pollicitationibus, blanditiis, minis, verbis & verberibus ad ſuam perfidiam attrahere, dum fruſtra laborarunt, tandem ad poſtem alligatum ſæviſſime cæſum, deinde verenda abſcindunt, nox ventrem aperiunt, uncino inteſtina exhauriunt, & cor evellunt, Chriſti athleta interim patientiſſime orante, & pie exclamante: Jeſu miſerere mei, atque illis ignoſce, quibus in*

Apamearum Civitas direpta.

Gonzaga in Provin. Ag. recens. Conv. 1. Thuan. Tom. 3. lib. 34. Spond. ad hunc an. n. 12.

Wadd. ad ann. 1291. n. 72. Gonz. cit. Thuan. cit.

Petrus de Pulchro-monte Martyr. Joannes Raultus & ſocii Martyres. Petrus a Molerio Martyr. *Artar. ad diem 3. Martii & 16. Novembris.*

verbis Deo animam reddidit. Desæviit tamen in mortuum quidam nebulo, qui caput ad humeros usque in duas partes discidit. Magno cum fletu lamentabili spectaculum intuentes Catholici, sequenti die multa cum reverentia & devotione sanctum corpus sepelierunt. Hunc Christi Martyrem eundem esse cum *Gerardo Molmerio*, cujus Gonzaga meminit in Catalogo Martyrum Provinciæ Aquitaniæ, non dubito. Quibus Martyribus laudatus Waddingus Juvenem quemdam addere prætermittit dignitate Subdiaconum, quem etiam crudeliter tormentis Hæreticos necasse Gonzaga, & ex eo Arturus (qui tamen minus vere hæc anno MDLXV. contigisse scribit) referunt. Eam immanitatem insolita grandine ter e Cœlo missa ultus est Deus, quæ non solum fruges & arbores, sed omnem agrorum virorem omnino depasta est. In Provincia autem Aquitaniæ Antiquioris Petrus Borgellarius Conventus Ruthenensis Guardianus, pietate & eloquentia insignis, dum Dominici Corporis in sacra Eucharistia realem præsentiam validissimis comprobaret rationibus, repetitis gladiorum ictibus ab Hæreticis confossus est; quam felicem sortem etiam Joachimus Bardanius, & Petrus Tauzietius experti sunt. In eodem Ruthenensi Cœnobio unasimul tumulatos esse novimus; qua vero in ejusdem Cœnobii parte, ignoramus. Ex MSS. authenticis Provinciæ Aquitaniæ Antiquioris habemus contra Baretium, hoc anno glorioſissimos Martyres ad Cœlos evolasse. Iisdem item in Regionibus apud Montem Guiscardum in Septimania Antonius Abbas, Cœnobii nostri Præfectus subditorum sibi rebus consulturus, proximius oppidum petens, ab iisdem Hæreticis interceptus, martyrium constantissime pertulit.

Anonymus quidam Minorita ita Martyr.

Petrus Borgellarius Conv. Ruthenensis Guardianus Martyr.

Joachimus Bardanius & Petrus Tauzietius Martyr.

Antonius Abbas Martyr. *Ex Arch. S. Ifid. Arm. 3. nu. 12. fol. 66.*

IV. Apud Normannos etiam in Ebroicense Cœnobio Provinciæ Franciæ sub Rothomagensi Archiepiscopatu: *Charas Deo reddiderunt animas*, ait Gonzaga, *duo venerandæ senectutis Viri fere octogenarii hujus celebris Conventus alumni, Dionysius de Ponte, & Ludovicus* le Grip, *quorum prior Confessarius, effossis oculis, capite conquassato, ac pene toto variis plagis affecto corpore, copia cruoris incredibili passionis locum ornavit. Posterior Ecclesiastes egregius ac pius in Cœmeterio Divi Dionysii desertoribus etiam tyrannis obvius, plumbo transverberato gutture, occubuit. Quorum corpora a Confratribus post meridiem ejus diei, quo pro Christi gloria passi sunt, collecta religioseque curata in claustro Conventus humata, gloriam futuræ resurrectionis cum palma sui glorioſissimi martyrii præstolantur.* Horum glorioſa nomina Waddingus in Conventus ejusdem descriptione ad hunc annum pollicetur referre.

Dionysius de Ponte. Et Ludovicus *le Grip* Martyr. *Ex Archivo sancti Ifidor. Arm. 3. 4. fol. 419. Artur. ad diem 23. Aprilis n. 1.*

Tom. 4. ad ann. 1570. num. 19.

V. In eadem Franciæ Provincia, regioneque Normanniæ finibus Conventus Bajocarum, seu Bellicasiorum ruinis subest. Capta namque urbe mense Martio ab Hæreticis copiis, ducente Columbario, quem maris Præfectus data opera miserat, plerique ex Catholicis necantur, plerique etiam supplicio afficiuntur, & Franciscani præcipue, inter quos numerantur Andreas de Monte, & Petrus Berot, qui vigesimum quintum annum agens plumbeis glandibus ictus cum socio glorioso coronatur martyrio. Ex Gonzaga, Wadd. & Arturus, minus vere anno MDLXII. hæc accidisse narrant. Porro idem Classis Præfectus pridie Idus Martii hujus anni, non autem MDLXVI., ut laudati Gonzaga & Waddingus scribunt, Cadomo discedens, Aureliam cum exercitu rediturus xv. Kal. Aprilis cum Bernajum, sive Bernaii (Thuano Berneum) ejusdem Normanniæ regionis, & Lexoviensis Ducatus omnes Catholicæ Religionis Sacerdotes, ait Raynaldus, ac bonam Civium partem contrucidavit, Christi & Deiparæ simulacra, ac Sanctorum imagines diffregit, & sacras Aras evertit. Nostro autem Cœnobio sub sancti Joannis Baptistæ auspiciis hanc ob causam Fratres valedicentes hinc inde dispersi sunt, donec adveniente tem-

Conventus Bajocarum ab Hæreticis diruitur. *Thuan. Tom. 3. fol. 541. Raynaldus ad hunc ann. n. 54.*

Andreas de Monte Et Petrus Berot Martyres. *Raynal. ubi sup.*

tempore regreſſi univerſa profanata præ viribus inſtaurarunt.

Monialis quædã Martyr. *Catalog. MSS. Provin. S. Bonavent.*

VI. Menſe autem Januario, ſævientibus iiſdem Nebulonibus, etiam in Allobrogibus, in Delphinatu, cæteriſque in regionibus, quas Provincia noſtra ſancti Bonaventuræ in eodem Gallorum Regno complectitur, Wadd., Gonz. verba referens ſcribit, quod *quædam ejuſdem Provinciæ* (ſancti Bonaventuræ nempe) *Monacha*, de qua tamen nihil Picquetus, *cum in Hæreticorum manus incidiſſet, multis gladiis & tormentis adeo fuit expaveſacta, ut ex omnibus ejus partibus ſanguis effluxerit, ac ſic glorioſa ad Sponſum perveneri*t.

Joannes Baſilides II. Moſcorũ Dux Polonis bellũ indicit & Lithuaniã devaſtat. Plocenſem urbem diruit, ibique Conventum evertit, & quinque Minoritas Paulũ Guardianũ, Dominicum, Martinum, Wenceslaum & Adamum occidit. *Baretius par. 1. lib. 4. cap. 29.*

VII. Dum hæc agerentur in Gallia, Joannes Baſilides II. Moſcorum Dux, Joannis nimirum Baſilidi filius, quum Polonis anno præterito bellum denunciaſſet, hoc anno XV. Kal. Martii in Lithuania urbem Plocenſem (Gonz. *Potocenſem*, & *Polotæ* Thuanus legunt) occupat, captaque arce, cæde & incendio cum univerſa Provincia vaſtat, in cunctos, nullo ſexus aut ætatis habito diſcrimine, ſæviens, & in Minoritas potiſſimum, quorum Domus quarto deſtruitur, & ex incolis quinque necantur, videlicet Paulus loci Præfectus, Dominicus, Martinus, Wenceslaus & Adamus, ut ex MSS. Provinciæ Poloniæ narrat Waddingus, qui tamen eorumdem in Catalogo Martyrum, ſuppreſſo nomine, meminit, eoſdem nominare ad hunc annum pollicitus. Cæteros Sodales fuga ſibi conſuluiſſe Gonzaga teſtatur. Dum de his Martyribus Leonardus Neapolitanus brevem facit mentionem falſo ait a Tartaris eoſdem fuiſſe necatos.

Leo Luſitanus moritur. *Ex Archiv. ſancti Iſidori Arm. 3. n. 2. fol. 172. Artur. ad diem 9. Febr. Gonz. par. 3. in Prov. S. Joſep. Conv. 2.*

VIII. Apud Hiſpanos autem in Villæ Vicioſæ Cœnobio Provinciæ ſancti Joſeph ultimam obiit diem hoc ipſo anno Leo Luſitanus dignitate Sacerdos, qui adeo animarum ſalutem ſitivit, ut licet gravioribus implicaretur ægritudinibus & doloribus, etiamque negotiis, nunquam alicui Sacramentalis confeſſionis exceptionem denegaverit: quapropter ab univerſis illarum regionum incolis inter Beatos adnumeratur. F. N. Toruvia, & ipſe Hiſpanus moritur in Cœnobio Molinæ Provinciæ Carthaginenſis, cui erga Fidelium animas luentes in Purgatorio pœnas ingens devotio exſtitit, atque commiſeratio. Bernardi item Guzmani ejuſdem nationis, & Provinciæ Caſtellæ alumni, viri Dei mortem glorioſam legimus, itemque Antonii Nieti (alter ab eo, cujus ſuperius meminimus) qui pietate fulgens pro peſte laborantibus, ait Waddingus in oppido Bettaneos apud Calvos ſe obtulit in holocauſtum, ibidemque ſepultus.

N. Toruvia obiit *Ex Arch. ſancti Iſidori Arm. 1. n. 1. fol. 173. Gonzag. p. 3. in Provin. Carthag. Conv. 19. Artur. ad diem 6. Decembris. Wadd. ad ann. 1400.*

Bernard. Guzman. *Ibid. num. 32. fol. 51.*

Antonius Nieto. *Ibid. num. 52. fol. 163.*

Matthæus de Schio tranſit ad Capuccinos. *Bover. ad hunc an. n. 6. Flor. Seraphic. Tom. 2. fol. 102.* Conventum ſancti Nicolai Collis edificat.

Ejus in concionando fervor & efficacia.

IX. Item apud Italos Matthæus de Schio decedit, qui Obſervantibus valedicto, circa annum MDXXXVII. inter primos ad Capuccinos accedit. Ad Vincentinum Agrum miſſus in colle prope idem Schii oppidum tanta paupertate Monaſterium conſtruit: ut præter contexta vimina, & lutum nihil ad ſtructuram adhibuerit. Guardianus eo in loco conſtitutus, tam inſigni vitæ auſteritate ac ſanctimonia cum tota familia converſari cœpit, ut omnes pane hordeaceo, herbis ac leguminibus contenti, quotidiana jejunia colerent, flagellatinnes uſque ad ſanguinem exercerent, ſilentio ac ſolitudini tantopere incumberent, ut cum diu noctuque divinis laudibus ac orationi vacarent, numquam inter ſe, niſi divina, vel ad regulam, ac virtutes ſpectantia pertractarent. Pendebat e vicina quercu, oſtii tintinnabulum; cujus tam raro ſonus audiebatur, ut ſonitum propemodum ignorare videretur. Matthæus vero interdum e Monaſterio erumpens tanto ſpiritus fervore Dei verbum diſſeminabat, regionemque fulguris inſtar, Evangelica prædicatione percurrebat; ut cuncti illum non hominem, ſed velut Angelum haberent, cœleſteque admirabilis iſtius vitæ inſtitutum ſuſpicerent. Dum in hoc Monaſterio,

quod

quod ſancti Nicolai appellabatur, paupercula illa Fratrum Familia in divinas tantum laudes animum intenderet, vitamque propemodum Angelicam duceret, accidit, ut tanta, tamque alta nix e Cœlo rueret; ut Conventus oſtio obturato, ac viis omnibus ad mendicationem intercluſis, ſummo in vitæ diſcrimine tota Familia verſaretur: panis etiam conſumptus erat, legumina defecerant, nec ulla, aut victus quærendi, aut evadendi ſpes relicta videbatur: eum Matthæus omnes in oratione clamare, cœleſteque a Deo ſubſidium quærere jubet; *Qui præparat Corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant ad eum vagantes, eo quod non habeant cibos*. Job. 38. En cuncti ad orationem confluunt, univerſi ante Altare procumbunt, ut quærant a Deo eſcam ſibi. At Deus benigniſſimus, qui cum Corvos non deſerat, multo magis filiorum curam gerit, ſuis annonam e Cœlo miniſtrat: adhuc enim orationi inſtabant, cum tintinabuli ſonus auditur: ſtupent omnes eo tempore tintinabulum audiri, quo nemini ad Conventum aditus eſſe poterat: ad oſtium pergunt, neminemque, præter ſaccum recenti ac calido pane refertum, qui tunc e clibano hauſtus eſſe videbatur, ante fores offendunt. Cumque nullius omnino veſtigia in nive deprehendant, non hominum, ſed Dei miſerentis cœleſtem liberalitatem agnoſcunt. Quapropter, mox univerſi ad Deum voces extollere divinas laudes decantare, ac Dei benignitatem illis Sapientiæ verbis commendare contendunt: *Angelorum eſca nutriviſti Populum tuum, & paratum de Cœlo panem præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem*. Neque id fruſtra: panis enim ille tam ſapidus, ac miræ ſuavitatis viſus eſt; ut comedentes ſimul & reficeret & recrearet. At vero, ut clarior Dei providentia eluceret; neque ſacco panis, neque cœleſtis eſurientibus annona unquam defuit; donec via ad mendicationem aperiretur. Tanto Matthæus divinæ charitatis æſtu agitabatur, ut ubicumque vel in plateis aut vicis collectos homines offenderet, Dei illis verbum ſummo animi fervore proponeret: peccatores ad pœnitentiam compelleret: Inferorum illis ſupplicia proponens, Dei judicio terreret. Cum quondam Vicentia publicam ſaltationem inſtitui cerneret, in eam pro concione invectus, id verbi tandem comminatus eſt, ac futurum prædixit, ut plurimus ibi hominum ſanguis effunderetur: quod paulo poſt, haud ſecus, quam prænunciaverat, accidit: nam turbis inter choreas concitatis, nonnulli interfecti, ac plurimi inde vulnerati abſceſſere. Ex quo illis exploratum fuit Apoſtolicum Virum haud abſque certa divini ſpiritus luce futuram cladem præmonſtraſſe. Neque tamen ob prædicationis labores, Vir ſanctus conſuetam vitæ auſteritatem ullo modo ſibi minui patiebatur, nam ſermone abſoluto, vel panem ſibi, ac ſocio quantum ſatis erat, oſtiatim mendicare conſueverat, vel ſi ab aliquo ad refectionem invitaretur, non alio præterquam communi ac ſecundario pane veſci ſolebat. Denique cum multis ac piis laboribus pro Chriſto, ac Veneta Provincia, quam aliquandiu ſanctiſſime rexit, perfunctus eſſet, ſeptuagenarius in pace quievit.

Victus e Cœlo miraculoſe miſſus Angelorum miniſterio.

Matthæi in Deſ charitas.

Futura mox hominum cædis prædictio.

Pie moritur.

X. Alter etiam præclarus Capuccinus Nicolaus Anconitanus moritur in Cœnobio Montis Veteris Picenæ Provinciæ poſt LV. ætatis ſuæ annum, & XXX. in Ordine maxima cum pietate tranſactos. Etiam hic cum Euſebio concive ſuo, de quo ſermonem non ſemel habuimus, ex Obſervantium Familia ad Capuccinos migrat. Vir profecto Franciſcanæ Regulæ cum primis obſervantiſſimus fuit: adeoque paupertatis amicus, ut detritis tantummodo, ac vetuſtate exoletis veſtibus uteretur. Carnem aſperrimis flagellationibus, vigiliis, ac præſertim jejuniis, ut ſpiritum ad divina contemplanda, puriorem ac liberiorem ſibi vendicaret, afflictabat. Familiare id ſibi adſciverat; ut tres

Nicolaus Anconitanus Capuccinus obiit in Domino. *Bover. ad hunc annum n. 5.*

Auſteræ ejus vivendi ratio.

cu-

cujuslibet hebdomadæ dies panis & aquæ abſtinentia conſecraret. Orationi ac rerum divinarum contemplationi plurimum deditus, ſolitudini inhærebat, ac linguæ cuſtodiæ diligentiſſime invigilabat: nec minor erat in Nicolao in verbo Dei diſſeminando, caritatis æſtus. Dominus quoque, qui ſimplici ſuorum prædicatione, & meliori Prædicantium vita delectatur, ſignis ac virtutibus Servi ſui dicta confirmabat. Etenim plerique, qui morbo aliquo afflictabantur, ut ipſius benedictione fruerentur, ad eum poſt prædicationem accedentes, cum eos pius Pater ſigno crucis muniret, ab ægritudine liberi dimittebantur. Horum ſane tanta copia fuit, ut numeroſæ ægrotantium turbæ, ipſius benedictionem expetentes, interdum ad Monaſterium confluerent. Cum vero noſtris eo tempore nulla cura aut ſollicitudo eſſet, ob nimiam multitudinem, ſingularia ſanitatum munera conſcribere, eorum dumtaxat in genere memoria ab antiquis monumentis nobis conſignata fuit.

Miracu'is claret.

Plures e PP. Capuc. pietate illuſtres obeunt. Bonavéntura Callus, & Bonaventura Bercellenſis pieti Capuccini. *Bover. ad hunc annum n.* 10.

XI. E vivis item exceſſere ejuſdem inclytæ Familiæ alii duo religioſiſſimi Alumni, quorum alter Bonaventura Gallus nuncupatus laicus ferventiori ſpiritu præditus, ac ſanctitate in Religione conſpicuus, in Neapolitana Provincia miris laudibus effertur: alter vero Bonaventura Bercellenſis, & ipſe laicus præſtantioris ſanctimoniæ a Bononienſi Provincia commendatur. Piceni vero Provincia illuſtre cujuſdam Sodalis ejuſdem Familiæ, & profeſſionis factum celebrat, qui cum poſt mortem vultu ad ſepulcri ſolum converſo conditus eſſet, quaſi ea corporis figura, ac poſitio minus illi congrueret, qui in Cœlum conceſſerat, tota ſpectante Familia; quæ ſuprema perſolvebat, ſupinus faciem ad Cœlum convertit, ut quo abierat ſpiritus, & corporis vultus ſpectaret. His Bernardinum Aſſanenſem Sacerdotali Ordine inſignitum Provinciæ Etruriæ addit Boverius, virumque vocat ad omnem virtutem compoſitum, oratione, corporiſque mortificatione præclarum. Demum Hieronymi Camerinenſis ejuſdem ſuæ Familiæ Concionatoris meminit, deque illo memorabile factum his verbis narrat: *Velitri, quæ Latii urbs eſt antiquiſſima, hoc tempore memorabile accidit. Cum enim fames totam regionem occuparet, eaque maxime pauperes depaſceretur, Velitrani Cives pietate in pauperes commoti, publicas in urbe eleemoſynas ad pauperum inopiam ſublevandam, colligere cogitant. Quare Epiſcopum adeuntes, ut cum eo conſilium conferant, cum eo fratrem Hieronymum Camerinenſem noſtri Ordinis Concionatorem offendunt. qui cum Civium erga pauperes pietatem intellexiſſet, opus apud Epiſcopum maxime commendat. Cives vero Viri ſtudio allecti, Hieronymum in hoc officio collegam ac comitem ſibi ab Epiſcopo poſcunt; qui cum eorum votis ultro annuiſſet, Guardiani quoque Velitrani conſenſus accederet: Hieronymus hominum, qui in ea urbe opulentiores erant, ſibi catalogum dari poſtulat. Cui cum Cives notulam præbuiſſent, inter alios quemdam Joannem Colam omnium ditiſſimum commemorant, qui tamen uſque adeo avarus, atque in pauperes crudelis erat, ut nullas non modo iis eleemoſynas erogaret, ſed avidius quoſcunque poſſet, expilaret; itaut cum ſuis mercatoribus, quos ad varia mercium genera vendenda, plures ſibi in urbe vendicabat, occultum pactum iniiſſet, ut eum primum Religioſi ab iis eleemoſynas peterent, panis mantica, vel lecytho olei ab iis acceptis, quaſi eleemoſynam daturi, ab iis elam panis, vel olei partem ſubriperent, quam poſtea ſecum dividerent. Atque hoc pacto, ſub eleemoſynæ ſpecie, etiam quæ pauperum erant, ſuffurabatur. Accidit ergo, ut dum Cives cum Hieronymo in pium opus incumbunt, ac urbem circumeunt, in Joannem Colam incidant. Confeſtim Cives Hieronymum admonent, virum adeſſe, qui nullam unquam eleemoſynam pauperibus erogare ſoleat. Accedit Hieronymus ac Joannem Colam humaniſſimis verbis ſalutat: qui cum publicam pauperum ino-*

Bernardinus Aſſanenſis Capuccinus. *Bover. ad hunc annum num.* 10.

Hieronymus a Camerino Capuccinus. *Bover. ad hunc ann. num.* 19.

Cujuſdam Avari impium factum, pœna. *Bover. ibid.*

inopiam expoſuiſſet, cui ſubievandæ plurimam illi Deus bonorum copiam ciargitus fuerit; ſuadet, ut Domino, pauperibus tribuens, fœneraretur. Is cum Hieronymum audiſſet; cuidam Tabernario, qui ipſius nomine oleum vendebat, obtruncatis verbis, ait: His dimidium olei. *Exiſtimabant Cives a Joanne Cola dictum eſſe, ut medium olei pondus ab eo illis daretur: maximeque ob rei novitatem admirabantur. At Tabernarius, qui Joannis Colæ obſcurum dictum perceperat; cum a Hieronymo olei lecythum poſtulaſſet, interiorem tabernæ ſinum ingreſſus ab eo mediam olei libram detrahit, quam in ſuo vaſe olearío reponit, lecythumque Hieronymo reddit, qui cum nihil in eo fraudis interceſſiſſe ſuſpicaretur, cum civibus ad aliorum tabernas pergit. At vix paulum proceſſerat, cum Tabernarius poſt eum a tergo clamat*: Pater, heu Pater: *ſubſiſtit Hieronymus. Tabernarius vero lacrymis perfuſus. Heu me, inquit, alios fallere putabam, miſer meipſum fefelli*: *Deumque juſtum mei ſceleris ultorem experior. Pro venia obſecro, o Pater, oleum pauperibus ſuffuratus ſum, fateor, hoc enim mihi a Joanne Cola præceptum fuerat, ut libræ mediotatem a veſtro lecytho ſubriperem*: *juſſis parvi, avaritiæ manum dedi, oleum ſubripui. Verum ecce Deus juſtus pauperum ultor, ſtatim præ foribus adfuit; vix enim ſubreptum oleum in ingens vas olearium, quod oleo mihi plenum erat, infuſum fuit; cum vas totum percrepuit, oleumque in ſceleris pœnam effuſum. Jam Dei vindictam agnoſco, jam ſcelus deteſtor, ac futuram Deo Optimo Maximo emendationem ſpondeo. Rogo, Pater, ut Deum pro me exores, ne deterius mihi aliquid contingat. Obſtupuere univerſi: res vero cum Joanni Colæ renunciata eſſet, protinus animo expavit, ac divinum in ſe judicium perſentiens, poſtridie in gravem morbum incidit. Germanus vero Joannis frater, quandoquidem de ſpirituali fratris ſalute, quam maximo in diſcrimine verſari non ignorabat, ſollicitus erat; Hieronymum ſtatim accerſit, qui cum ad ægroti lectum accedens, multis cum verbis ad aliena reſtituenda, ad pœnitentiam & peccatorum confeſſionem hortaretur; iis Joannes nihil reſpondens, horrendos dumtaxat ac terribiles, tauri inſtar mugitus edebat, quibus adſtantibus pavorem incutiebat. Sæpius vero cum oculos in aream quamdam nummariam defigeret, rei cauſam Hieronymus a Germano ſciſcitatur*: *reſpondet ille ſeptuaginta millia aureorum ibi occluſa contineri. Mox Hieronymus ad Joannem. Quid, inquit, Joannes de tot nummis acturus es? Cui ægrotus, qui eouſque tacuerat, de iis, inquit, cum primum a morbo convaluero, diſponam. An non conſultius eſt, inquit Hieronymus; ut ad fœnorum tuorum damna reſarcienda, dum ſuperſtes es, nummorum partem pauperibus eroges? Cui cum Joannes ſolis dumtaxat rugitibus reſponderet, animadverteretque Hieronymus, ſe cum Joanne oleum & operam perdere, alios ſibi Fratres a Guardiano adjungi poſtulat, qui ægroto alternatim aſſiſtant, ac ſalutaria monita adminiſtrantes, Joannis animum ad pœnitentiam provocent. Acceduut Fratres, ac pia erga Joannem officia præſtant. Quibus tamen cum nihil profiterent, nihilque ægrotus, præter formidabiles boatus redderet: ruente jam nocte, jubet Hieronymus plures faces in aula accendi, quæ adſtantibus metum, quo ob horrendas Joannis voces terrebantur, leniant. Jam quinta noctis hora effluxerat, cum ventus vehemens in domum repente irruens, ligneis feneſtrarum cancellis comminutis, aulæ feneſtras ac fores ingenti ſtrepitu patefacit, faceſque quæ in aula ſplendebant, extinguit. Fratres vero, qui in aula erant, pene timore exanimati, inter tenebras humi jacebant: cum Hieronymus cæteris animoſior familiam accerſit, lumenque adferri jubet. Adfuit confeſtim cum lumine Joannes germanus, qui cum aulam ingreſſus fuiſſet, cunctis lectum ægroti combuſtum, Joannemque a Dæmonibus raptum, ac per aulam raptatum, ex*

ſignis, quæ in pavimento reliquerat, deprehendunt. Solarium quoque, quod extra feneſtram prominebat, unde Joannis corpus aſportaverant, igne exuſtum intuentur. Hoc pacto infelix æterna ſua damnatione, pauperum, quos devorabat, pretium exſolvit. Divitias, quas male paraverat, invitus deſeruit: mortuuſque eſt dives, & ſepultus in Inferno.

Mulieris item avaræ flagitium, & in eam B. V. M. pietas.

XII. Alterum item horrendum eventum cuidam Mulieri diviti *hoc tempore* accidiſſe narrat: *In oppido Caputæ*, ait, *Bononienſis Provinciæ, quod Petræ Rubeæ conjunctum eſt, Mulieri cuidam diviti, avaræ tamen, duo filii erant, qui cum ob quaſdam de agrorum terminis controverſias exortas, cum vicinis rixati fuiſſent, a ſuperveniente tunc temporis ſatellitio apprehenſi, in carcerem detruduntur. Quod cum matri renunciatum fuiſſet, illa in omnem deſperationem acta, Diabolum iteratis vicibus obteſtari cœpit, ut eam e medio tolleret. Tempus tunc meſſis erat, cum triticum a Ruricolis in area excutiebatur: En Diabolus, Dei judicio nequaquam cunctatus, repente mulierem rapit, ac per aream & agros inviſibiliter raptans, eam ſibi tollere contendit. Tanta porro eo tempore imbrium ac ventorum tempeſtas aerem conturbare cœpit, ut cuncta peſſum ire crederentur. Accurrunt undique ad mulieris opem ruricolæ, cumque nihil adverſus Dæmonem proficerent, mox ad Capuccinos Petræ Rubeæ convolant, mulieriſque calamitatem narrantes, pro ea obſecrationes Deo fieri rogant. Confeſtim Fratres ante altare proſtrati, beatæ Virginis litanias decantant, illiuſque opem ad miſeræ mulieris præſidium implorant. Porro eo tempore Virgo Deipara, clariſſima undique luce circumfuſa, mulieri apparet; cujus aſpectum cum ater ille tenebrarum Angelus ferre non poſſet, aufugiens liberam mulierem relinquit. Mulier vero meliori menti reddita, cum ſe e tanto periculo erutam cerneret, Deo gratias agens, vitaque in melius commutata, beatæ Virgini deinceps devotiſſima, atque in Capuccinos liberalior evaſit.*

Maria de Burgo Virgo Monialis obit.

Arturus ad diem 21. Octobris n. 4.

Andrea de Bandinis Virgo Ordinis S. Claræ meritur.

Artur. ad diem eo. Julii num. 6.

Eleonora a ſancto Joanne Virgo Tertii Ordinis.

Artur. ad diem 10. Jan. num. 5. Gonz. par. 3. in Provin. Granata Mon. 17. Baret.

XIII. Ex noſtris autem Virginibus circa hæc tempora migravit ad Sponſum in Volaterrarum Monaſterio Provinciæ Tuſciæ Maria de Burgo, *cujus humilitas & oratio continua*, ait Gonzaga, & ex eo Arturus *vix exprimi poſſunt*. Ibidem etiam hoc anno, altera devotiſſima Soror Andrea de Bandinis moritur. In Monaſterio ſanctæ Mariæ de Angelis Granatæ Eleonora a ſancto Joanne, quam tertium fuiſſe profeſſam Seraphicum Inſtitutum inde conſtat, quod Sorores hoc Monaſterium incolentes Clariſſarum regulam nonniſi anno MDLXVII. amplexæ ſint, ipſo Gonzaga ſequenti narratione teſtante: *Mortem obiit anno* MDLXIII. *hoc in loco Soror Leonora a ſancto Joanne, prima ejus Abbatiſſa, cujus oratio atque divinarum retum contemplatio tanta exſtitit, ut ab illa nihil aliud noſci videretur: cuique ex frequenti lacrymarum effuſione, quæ ſibi ex Dominicæ Paſſionis meditatione obveniebat, quædam carnoſitates in ipſius oculis obortæ ſunt, quibus excreſcentibus oculorum viſum amiſit.*

Frater Jacobus de Liſcaris Epiſcop. Marianen. & Tribunen.

Ex Archiv. Vatic. in lib. Conciſtorial. Rodulph. fol. 237.

Maximilianus Beniamus Convent. Inquiſit. or Rhodiginenſis.

Franciſcus Tincinus de Portugruaro.

XIV. Unum dumtaxat ex Ordine noſtro Sodalem ad Epiſcopalem dignitatem promotum invenio, Jacobum videlicet de Liſcaris ex Obſervantium Familia, qui Eccleſiæ Marianen. & Tribunen. apud Dalmatas in Raguſina Provincia, vacan. per obitum Thomæ Cervini, die xxx. Julii præficitur. Ex Patribus Conventualibus autem, ſi Antonio Mariæ Veneto in ſua Inquiſitorum ſerie adhærendum, Inquiſitoris munus ad Hæreticos profligandos Magiſter Maximilianus Beniamus, is qui a ſecretis Magiſtri Generalis Julii Magnani exſtitit, quique ad Patres Tridentinæ Synodi Orationem, perquam elegantem habuit, ut ſupra dictum eſt, pro Rhodigina Provincia ditionis Venetæ deſignatus eſt, a Civitate Patavina, ut creditur, translatus, ubi ad idem munus anno præterito ipſum fuiſſe promotum, innuimus; Magiſter Franciſcus

ſcus Pincinus de Portugruario pro Aquilejenſi Patriarchatu, & Concordienſi urbe: Demum Magiſter Antonius Cubalus Feltrenſis pro Civitate Vicentiæ.

Antonius Cubalus Feltrenſis.

XV. In ſacro Alverniæ Montis Cœnobio, ſumtibus piiſſimi Coſmæ de Mediceis Magni Etruriæ Ducis hujus nominis II., ut alibi narravimus, Gonzaga teſte, hoc anno celebrantur minora Generalia Ciſmontanæ Familiæ Comitia ſub Franciſco Zamorenſi Generali Miniſtro, in quibus Aloyſius Puteus de Burgonovo Provinciæ Bononienſis, religione atque prudentia commendatus, Commiſſarius Generalis præficitur: *Primus item Definitor electus eſt Angelus Averſanus, olim Vicarius Generalis, Commiſſariuſque Ciſmontanus, ſecundus Angelus Juſtinianus Cuſtos Provinciæ Genuæ, tertius Angelus de Petriolo Cuſtos Provinciæ Marchiæ, quartus Antonius de Padua Cuſtos Provinciæ ſancti Antonii, quintus Stephanus Molina Miniſter Provinciæ Romanæ, ſextus Vincentius de Meſſana Cuſtos Provinciæ Siciliæ: Electionem Pontifice confirmante,* Cum ſicut *&c. die* XXV. *Maii, ut in Regeſto. At quoniam Bonifacius de Raguſio Guardianus, & Cuſtos Terræ ſanctæ, multis annis laboraret in Religione, tum in Europa, tum etiam inter Infideles pro fide Catholica, & Religione, innumeris laboribus libenter & conſtanter devoratis, atque perpeſſis; dignum duxerunt Patres, ut inter Patres Ordinis adnumeraretur.*

Congregatio Generalis Obſervantium in Conventu Alverniæ. *Gonzaga 2. pars in Provin. Tuſciæ Conv. 17. Gubern. Tom. 3. fol. 350.*

Aloyſius Puteus de Burgonovo Cómiſſarius Generalis Obſervan. Definitores Generales. Fr. Bonifacius de Raguſio Cuſtos Terræ ſanctæ plurimum inter Infideles laborat.

XVI. Inter cætera, quæ hiſce in Comitiis opportuna ſancita ſunt, Patres cupientes Apoſtatis, quoad fieri poteſt, viam præcludere, ſtatuunt, *ut nullus Miniſter in ſua Provincia, aut Guardianus in loco ſuo retinere Apoſtatas valeat; ſed cum primum aliquis Apoſtata venerit, ab Apoſtaſia illum abſolvat, & per triduum in carcerem conjiciat: poſtea vero cum literis teſtimonialibus ad proprias Provincias aut loca remittat. Si quis autem Prælatus contrarium fecerit, officio ſuo omnino privari debeat in ſequenti Capitulo Provinciali, & cui hæc pœna non competit, eo quia jam eſt functus ſuo officio, alia pœna injungatur ad libitum Miniſtri, vel Commiſſarii Generalis. Et ſub eadem pœna, Prælatis localibus, & Miniſtris præcipitur, ne præfatis Apoſtatis alterius Provinciæ ac loci, ad præſentiam Generalium eundi, ſeu ad Romanam Curiam vel ad quemcunque alium locum, præterquam ad Propriam Provinciam, ſeu Conventum, licentiam impendere præſumant. Miniſter vero & Commiſſarius Generalis nullum illis favorem impendent.*

Acta & ſancita in Congregatione Generali.

XVII. Ut etiam de medio omnis circa ſanctam Paupertatem ſervandam auferretur abuſus, atque proprietatis occaſio, decretum eſt, *quod de cætero Prædicatores nullas recipiant eleemoſynas prætextu prædicationis exhibitas, nec de hac re ſe intromittant, intra vel extra Provincias, ſed Procuratori Conventus integre aſſignentur: Guardiani vero, ubi concionabuntur, provideant de neceſſariis, tam circa indumenta (ſi indiguerint) quam alias expenſas, veniendo, manendo, & redeundo: quod ſi minus fecerint, dicti Guardiani nedum officio priventur, ſed acrioribus pœnis arbitrio Miniſtri, & Commiſſarii Generalis puniantur. Et quod nulli Prædicatori liceat, nec prætextu prædicationis, ſeu quavisalia ratione barbam nutrire, ſub pœna privationis actuum legitimorum.*

XVIII. Hiſce etiam in Comitiis Florentina atque Senenſis Provincia inter ſeſe uniuntur validis urgentibus cauſis, quas Antonius de Terrinca memorat, & Vincentium de Raſſina Florentinum Miniſtrum etiam Senenſis in ſuum Præfectum agnoſcit; quæ unio ad annum uſque MDXC. dumtaxat perduravit, ut ad eundem annum, Deo favente dicemus.

Provincia Tuſcia unitur Provinciæ Senenſi. *Ex Archivo ſancti Iſid. Arm. 5. n. 22. fol. 168. Theat. Etruriæ fol. 49. col. 2.*

Vincétius de Raſſina Miniſter Provinciæ Tuſciæ.

XIX. Porro memoratus Vincentius de Raſſina Miniſter Provincialis apud ſanctum Gerbonem extra Lucam die v. Februarii electus eſt, ubi hoc anno ſunt Provincialia celebrata Comitia, qua occaſione Baptiſta de Rontano Lai-

Baptiſta de Rontano laicus doctr-

Ex Archiv. ſanctæ Sid. Arm. 1. n. 2. fol. 175. a tergo.

cus, de quo ſupra Fesulanii Cœnobii incola exoptat per amicos ne Ilbæ Inſulæ, ſive Portusferrarii, ſi fieri poteſt, ſortiatur domicilium. A Nuncio tamen dein adveniente cum audit illac quamcitius ipſum debere tranſire, relicto, quo eadem hora in horto utebatur ligone, Deo benedicens a Præfecto benedictionem accipiens, hilari vultu cæteris valedicens Sodalibus, & demum nihil de cella paupercula curans, quinimmo, neque ingreditur, continuo diſcedit; exemplum ita per quam rarum religioſæ obedientiæ atque altiſſimæ paupertatis relinquens.

Capit. Generale Patrũ Tertii Ordinis.

Bord. hiſtor. Tertii Ordin. fol. 114. num. 40. ſeq.

Paulus de Brixia Commiſſarius Generalis Tertii Ordinis.

Patres Tertii Ordinis Miniſtrum Generalem ad ſexennium obtinẽt a Pontifice.

Gubern. Tom. 2. fol. 95.

XX. Ad annum MDLXI. ex Bordono dixinius, Patres Tertii Ordinis tunc temporis ſuum celebraſſe Generale Capitulum, in quo Commiſſarius Generalis Paulus de Brixia electus eſt. Idem tamen ſic hiſtoriam proſequitur: *Deceſſit Generalis in officio anno* MDLXIII. *Columbanus de ſancto Columbano in Conventu Montis Galdæ* MDLXIII. *die* V. *Maii expiravit in officio*, curam nobis relinquit inquirendi, & quiſnam hic Columbanus fuerit, & quando, & ubinam ſit generalem Præfecturam adeptus, cum de eodem legatur dumtaxat, quod anno MDVXVIII. Prioris Piratelli munere fungeretur. Verumtamen hoc anno Pontifex iiſdem Patribus Tertii Inſtituti concedit, ut proprium haberent Generalem Miniſtrum ad ſexennium duraturum, dato diplomate: *Sedes Apoſtolica* &c. IV. *Idus Junii*, quod deinde Pius V. revocavit, ut ſuo loco dicemus.

Patres Alcantarenſes Miniſtro Generali Ordinis ſe ſubjiciunt.

XXI. Per Conſtitutionem a nobis non ſemel memoratam, cui initium. *In ſuprema militantis* &c., datam VIII. *Kal. Januarii*, & in noſtrum Regeſtum relatam, hoc anno tandem Pontifex Alcantarenſium Familiam Regimini Miniſtri Generalis totius Ordinis Franciſci Zanıorenſis, ejuſque in munere ſuccedentium *obedientiæ, atque tutelæ ſubjicit atque ſuppouit*; votis annuens *Generalis Commiſſarii* (ſancti Petri de Alcantara videlicet) *Magiſtri Provincialis, Cuſtodum, ac Definitorum Provinciæ ſancti Joſeph, qui capitulariter congregati* apud Bobadiliam videlicet, *conſiderantes, quod ſi dicta ſua Provincia tutelæ & obedientiæ Franciſci præfati, & pro tempore exiſtentis Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ ſupponeretur & ſubjiceretur, ex hoc feliciter ejuſdem ſuæ Provinciæ, ſingulorumque illius Conventuum, & Perſonarum adminiſtrationi & incremento non mediocriter conſuleretur, & ad meliorem vitæ frugem reduceretur, Bartholomæum de ſancta Anna cum mandato & commiſſione ad hoc ſufficienti ad Almam Urbem, dictumque Franciſcum deſtinaverunt*: ſicque factum eſt, quod idem *Bartholomæus ut eadem ſubjectio liberius commodiuſque fieret, univerſis & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, facultatibus, & aliis gratiis ſibi, dictæque Provinciæ, ac ejus Superioribus, ac perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices quomodolibet ad id lud uſque tempus conceſſis renunciavit*. Eodem inſuper Bartholomæo ſuorum nomine inſtante, Pontifex & Provinciam Obſervantium obedientiæ ſubmittit, & univerſa privilegia, atque concordata confirmat. Ex quibus clarius ipſa luce illorum mendum comperimus, qui contendunt, Patres Alcantarenſes, non tam prompto animo ad Obſervantium obedientiam ſuiſſe perductos; quod fere omnes, iique præcipue, qui acta ſancti Petri Alcantarenſis, aut hiſtoriam Provinciæ ſancti Joſephi narrant, unus ex altero pro more, non præmaturo conſilio, ſententias mutuantes exſcribunt.

Bartholomæus de ſancta Anna Alcantarenſis Romã petit.

Pontifex Patribus Alcantarenſibus privilegia confirmat.

Gonzag. par. 3. in præfata Provincia S. Joſeph.

XXII. Verumtamen Gonzaga, ut de cæteris ſileam, quibus placuit memoratam Pontificiam Conſtitutionem perpendere) noſtræ adſtipulatur ſententiæ, dum narrat, quod Chriſtophorus Bravo primus Provinciæ ſancti Joſephi Miniſter *Romam de negotiis Provinciam ipſam concernentibus acturus*, con-

conceſſit. Cujus quidem itineris hæc potiſſimum cauſa fuit. Dabatur ſiquidem ejus Fratribus, & ipſi probro, quod, qui Regulæ zelotes haberi vellent, Conventualibus Patribus ſubeſſent. Accedebat iis rumor de reformandis reducendiſque iiſdem Patribus Conventualibus ad regularem Obſervantium per univerſam Hiſpaniam ubique ſparſis: quapropter ib ſibi itineris metiendum fore exiſtimavit. Præfatus interim Pater fr. Petrus Alcantarenſis, qui adhuc Commiſſariatus officio, ut præfati ſumus, fungebatur, literis ſibi ac cæteris Provinciæ Patribus, Fratribuſque ex urbe Roma ab Illuſtriſſimo Domino Pio Carpenſi S. R. E. Cardinali, atque Minoritici Obſervantis Inſtituti eximio Protectore, & a Reverendo P. Franciſco Guſmanio, tunc Romano ejuſdem Ordinis Procuratore tranſmiſſis (ſuadebat omnino illis præfati Ordinis Illuſtriſſimus Protector, ac Romanus Procurator, ut Patribus Conventualibus vale dicto, Franciſcanis Obſervantibus nomen & obedientiam darent) annuendum cenſuit. Quamobrem peractis Provincialibus Comitiis, novoque Miniſtro, concurrentibus Patrum ſuffragiis, electo, fratre ſcilicet Bartholomæo a ſancta Anna, Patribus Obſervantibus ſe, ſuoſque Fratres ſubmiſit. At Provincialis Miniſter noviſſime electus, quatuor primum Monaſteriis præcedentibus locis ſuperadditis, Romam ſe contulit. Cumque Genuam appulſus intellexiſſet Franciſcum Zamorenſem totius Ordinis Minorum tunc Generalem Venetiis agere, eo ſecum de actibus capitularibus collaturus, convolavit, & ad locum perventus, quid ab eorum utroque hujuſmodi translationis cauſa obſervandum foret, unanimi conſenſu ambo ſimul ſtatuere. Indeque poſtea ſolvens urbem appiicuit, factumque ſummo Pontifici Pio IV. omnino aperuit; qui edita ſub titulo unionis plumbea Bulla VIII. *Februarii anno Domini* MDLXII. *Pontificatus vero ſui anno* IV. *præſtitam hujuſmodi Obſervantibus obedientiam & translationem, atque acta inter præfatos Generalem & Provincialem Miniſtros ſtabilivit. Quæ vero inter utroſque Miniſtros acta fuerant, hujuſmodi tenoris erant = Renunciaverat enim præfatus Miniſter Provinciæ ſancti Joſeph ſuo ſuorumque Fratrum, quorum partes agebat, nomine omnibus privilegiis Regulari Obſervantiæ contradicentibus, ſeque atque illos Generalis Fratrum Obſervantum Miniſtri obedientiæ ſubmittebat, eum interim verum atque legitimum Paſtorem in omnibus agnoſcens. Præcepit præterea idem ſummus Pontifex Pius IV. præfato Generali Miniſtro, ejuſque Commiſſariis pro tempore exiſtentibus, quatenus præfatæ ſancti Joſephi Provinciæ, ejuſque Alumnis pro virili adeſſent atque faverent.* Hucuſque laudatus Gonzaga.

XXIII. Porro, præter Cœnobia ejuſdem ſancti Joſephi Provinciæ, de quibus in eadem Pontificia Conſtitutione, & ſupra a nobis ſit mentio, illud ſancti Jacobi Almanſæ, modo ad Provinciam ſancti Joannis Baptiſtæ pertinens, circa hunc annum conſtructum eſt: Cum etenim Alcantarenſium Diſcalceatorum fama ad Murcianum uſque Regnum penetraſſet, ejus oppidi, quod *Almanſa* hiſpanice nuncupatur, atque in ſpiritualibus Carthaginenſium Epiſcopo, in temporalibus vero Villenico Marchioni paret, majores natu illis apud ſe Conventum ædificandum ſtatuere. Quamobrem Apoſtolica authoritate impetrata, hanc Domum, ſancto Jacobo Apoſtolo, non longe a præfati Oppidi vallo exſtruendam curarunt. Cui denique devotus quidam oppidanus nomine Joannes Merinus Monaſterium, duodecim alendis Fratribus aptiſſimum, privatis ſuis ſumptibus annexuit: atque ſe ſuoſque ſucceſſores & hæredes ejus reparationi atque reædificationi (quoties opus fuerit) ex lege, & ex pacto adſtrinxit. Duos itaque ſui authores, nempe Oppidi Proceres, ſive Senatum, & præfatum Joannem Merinum agnoſcit hic locus: qua etiam de cauſa, & iſti princeps facellum, & illis quod reliquum eſt Eccleſiæ patronatus jure debetur.

Conv. S. Jacobi Almanſæ. *Ex Archiv. ſanctiſſid. Arm. 5. n. 140. fol 133. Gonzag. par. 3. in Provin. ſancti Joan. Baptiſtæ Conv. 4.*

Joannes Merinus Alcantæ Conventum ampliat. *Gonzag. in Provin. S. Joannis Baptiſtæ Conv. 4.*

XXIV.

Conv. S. Annæ Villenæ. *Ex Archiv. ſancti Iſid. Arm. 5. num. 140. fol. 333. Gonçaga ubi ſupra Conv. 5.*

XXIV. Illud item exſtruitur Cœnobium Villenæ ſub ſanctæ Annæ auſpiciis pertinens & ipſum ad eamdem ſancti Joannis Baptiſtæ Provinciam; ſed ad Carthaginenſem diœceſim, a pientiſſimo Oppidi Populo. Quod vero ad Cœnobium de Hontiveros, ſive Fontiveros, aut Tiberii Fontis, Abulenſis diœceſis de Carduo, & hiſpanice Cardillejo hoc anno fundatum fuiſſe ex laudata Conſtitutione, quæ illius mentionem facit, ſatis ſuperque contra Joannem de ſancto Antonio Provinciæ ſancti Pauli Chronologum, quin imo & contra ipſum Gonzagam, aſſerentes hæc contigiſſe anno MDLXX. manifeſte oſtenditur. Marcus Complutenſis in ſua Chronologia ſcribit, Marchionem de Villena, & Joannam conjugem locum anno MDLXII. Sodalibus obtuliſſe, quem eumdem fuiſſe cum *Didaco Sandovalio Hiſpanici Equitatus Philippi II. quæſtore*, juxta Gonzagæ narrationem, non omnino exploratum eſt. Certiſſimum tamen eſt ex huc uſque dictis, Petrum Xeroſium hoc anno Provinciæ ſancti Joſephi non fuiſſe Miniſtrum. Ad mille paſſus ergo ab eodem Oppido eo ipſo in loco, ubi Parochialis Eccleſia in honorem Dominæ Noſtræ de Corduo ſubſtiterat, a pientiſſimo Beneſactore, qui neceſſitatibus omnibus Fratrum occurrebat, ædificatum eſt. Sodales autem ſub ejuſdem auſpiciis, aſſentiente Parocho, ad Seraphicæ paupertatis normam ibidem ſedem fixere.

Conv. Dominæ Noſtræ de Carduo Hontiveros, ſive Fontiveros, & Cardillejo. *Chronic. ejuſdem Provin. fol. 554. Gonz. 3. par. in Prov. S. Joſeph Con. 8.*

Didacus Sandovalius Conventū Minoritis ædificat.

XXV. Conventum Occaniæ Provinciæ Caſtellæ in Hiſpania, de cujus fundatione ad ſuum annum Waddingus, hoc anno Philippus II. Catholicus, & nunquam ſatis pietate comendandus a fundamentis refecit, auxitque. Cum autem cætera ad Cœnobium pertinentia idem Waddingus ex Gonzaga referat, non eſt propterea, cur nos hic eadem repetamus.

Conv. Dominæ Noſtræ de Spe Occaniæ a fundamentis reficitur. *Gonz. in Provin. Caſtellæ Conv. 8. Wadd. Tom. 10. ad annum 1421. num. 16.*

XXVI. In Provincia Valentiæ Conventus ſancti Antonii Maxenti Valentini Regni oppidi, opera Chriſtophori Moreni Provinciæ ejuſdem Miniſtri, Philippi II. Hiſpaniarum Regis, Ludovici Galzerandi a Borgia Navarrenſium Marchionis, & Franciſcæ a Mendozia, Marchionis de Mondejar uterinæ ſororis, tum quoque eorumdem Moxentinorum ſumtibus hoc anno ad locum ſalubriorem, oppidoque viciniorem translatus eſt. Quum ſemel Fratres, ait Conzaga, locum, quod ſterilitate atque ſumma paupertate premeretur, deſerere vellent, depicta ſummi altaris tabula per medium ſciſſa eſt, quod illi non abs re, ſed divina voluntate factum exiſtimantes, ſtabilem ibidem figere pedem ſtatuere.

Conv. S. Antonii Maxenti transfertur. *Corneſo par. 3. fol. 272. Gonz. in Provin. Caſtellæ Con. 18.*

Conv. S. Mariæ de Ægypto de Rabida. *Gonz. par. 3. in Prov. Arrabidorū Conv. 30.*

XXVII. Etiam in Luſitaniæ Regno Cœnobium de Rabida, quod ſanctæ Mariæ de Ægypto audit, conſtruitur, quodque primum eſt cœterorum Arrabidorum Provinciæ, de quo ita Gonzaga: *Poſt viginti & unum annos elapſos ab ædificatione Conventus ſanctæ Mariæ de Rabida, qui primum locum hac in Provincia tenet, nempe anno Dominicæ Incarnationis* MDLXIII. *adjecit inclytus Joannes Averanorum Dux (cujus ſupra meminimus) idque ex maxima in Franciſcanam Familiam, præcipue vero in hujus Provinciæ alumnos benevolentia, ut & hoc Monaſterium glorioſiſſimæ Virgini Mariæ de Ægipto ſacratum ex domeſticis facultatibus ad tertium lapidem ab Oppido ſibi ſubjecto, cui Turres Novæ nomen eſt a fundamentis ad verticem uſque conſtrueret. Quia vero præfatus hic locus in ſolitudine ſitus eſt, non aſpernandos ſubeunt labores Fratres ejus accolæ, ut ad victum ſibi neceſſaria ex mendicatione acquirant. Quibus ea propter, quodque nudis perpetuo pedibus incedant, convicini Populi maxime afficiuntur, atque ſuas eleemoſynas maxima cum liberalitate ſubminiſtrant.*

Conv. Patrum Capuccinorum S. Andreæ Nuceriæ Paganorum.

XXVIII. Apud Italos autem Patribus Capuccinis Provinciæ Neapolitanæ apud Nuceriam Paganorum, ſive Luceriam Picentinorum ſub Archiepiſcopo Salernitano datur Domus cum Eccleſia titulo ſancti Andreæ inſignita a Paulo

Jo-

Jovio ſeniore, Hiſtorico videlicet (alter etenim Paulus Jovius ſucceſſu temporis illam eamdem occupavit ſedem) Civitatis Domini expenſis. Datur etiam iiſdem Domus in oppido Modicæ Provinciæ Siracuſanæ, ſub auſpiciis Immaculatæ Conceptionis, piorum populorum expenſis. Seminariæ item Militenſis diœceſis, & Rheginenſis Provinciæ Carolus Spinellus pientiſſimus Dux iiſdem Cœnobium cum Eccleſia ſanctæ Mariæ Gratiarum, cæteris etiam Benefactoribus concurrentibus, conſtruit. Item in provincia Hydruntina Regni ejuſdem acquirunt locum Materæ ſanctiſſimæ Trinitati dicatum, Domina Felice de ſancta Severina Gravinenſi Duciſſa copioſiſſimas elargiente eleemoſynas. Demum Novariæ in Inſubria, & in Mediolanenſi provincia, uno ab urbe lapide, primum jaciunt lapidem pro iiſdem conſtruendo Cœnobio cum Eccleſia in Immaculatæ Conceptionis Virginis honorem. Proceſſu autem temporis alterum contiguum conſtruunt ſacellum, ad quod extra Eccleſiam patebat ingreſſus, itemque alterum magis amplum in ejus locum conſtrui curavit, unus ex nobili Avogadrorum Familia Capuccinis addictiſſima, quæ ſolum etiam pro Cœnobio exſtruendo largita eſt, & in præfato novo ſacello ſuorum habebat ab anno MDLXXXVI. ſepulcrum. Sed cum aeris intemperies, & non exiguum ab urbe intervallum Fratribus eſſent valde moleſta, quidam Auguſtinus Canobius intra Civitatis mœnia die XVI. Auguſti anni MDC. ſalubriorem ſuum quendam ſitum cum recenſito commutavit, novumque ita inceptum eſt ædificium Cruce benedicente Carolo Beſcapuo urbis Antiſtite, primumque lapidem ponente Joanne Baptiſta Caccia Mandello, qui pro opere incipiendo centum aureos largitus eſt, cæteris etiam Benefactoribus cum propriis eleemoſynis concurrentibus. Eccleſia autem, ut exſtrueretur Farneſius Antiſtes, cui debiti erant proventus Abbatialis Eccleſiæ tunc demolitæ ſancti Laurentii de Puteo coactus propterea alterum quamcitius conſtruere, ſolutis quingentis aureis illam Cœnobii ædificari fecit, quæ propterea ſancti Laurentii, & ipſa nomen reſumſit, quæque ab eodem Antiſtite die IV. Julii anni MOCIV. ſacris oleis inuncta eſt.

Conv. Patrum Capuccinorũ Immaculatæ Conceptionis Modicæ.

Conv. Patrum Capuccinorum S. Mariæ Gratiarũ Seminarium.

Conv. Patrum Capuccinorũ SS. Trinitatis Materæ.

Conv. Patrum Capuccinorũ Immaculatæ Conceptionis Novariæ. *Prov. Mediolan. MSS.*

Alter Conventus ibidem Patrũ Capuccinorum ædificatus.

Auguſtinus Canobius tertiũ ibidem ædificat Cõventum.

XXIX. Extra Oppidum Monterchii Biturgiæ diœceſis, & Florentinæ Ditionis Patribus Conventualibus Eccleſia ſancti Antonii Abbatis, non procul ab Oppido, in qua erat quædam Laicorum Sodalitas, a loci Communitate conceditur. Cœnobium tamen ſancti Franciſci Neocaſtri, ſive Nicaſtri provinciæ ſeptem Martyrum, & Neapolitani Regni ab iiſdem Patribus Conventualibus aufertur, daturque Obſervantibus per Tropeanum Diœceſanum Antiſtitem Joſue, ſummo Pontifice præcipiente.

Conv. Patrum Convent. S. Antonii Abbatis Monterchii. *Ex libro MSS. fol.* 722.

Conv. S. Franciſci Neocaſtri, ſive Nicaſtri tráſtertur ad Obſervantes. *Ex Archiv. ſancti Iſidor. Arm. 5. num. 945. fol.* 194.

XXX. Noſtris etiam Sororibus duo hoc anno Monaſteria ædificata legimus; unum Narniæ in provincia ſancti Franciſci, de quo ita Gonzaga: *Conventus hic ſanctiſſimæ Cruci ſacer, Narniique erectus, in quo quinquaginta ſex Clariſſæ Moniales Urbaniſtæ degunt, a duobus uterinis fratribus, quorum alter beato Patri Franciſco, alter vero divo Auguſtino devotus erat, ex communi patrimonio conſtructus, atque Monialibus traditus fuit. Quæ cum utriuſque devotioni ſatisfacere vellent, divi Auguſtini Regulam ſub Franciſcano tamen habitu profitebantur. Quarum abuſui Reverendiſſimus Narnienſis Epiſcopus, ex piorum Civium voto occurrere volens, eas ad ſuſcipiendam ſolemniterque profitendam beatæ Virginis Clarę ſecundam regulam, atque ad obedientiam Franciſcanis Fratribus præſtandam coegit.*

Monaſt. S. Crucis Narniæ. *Monum. MSS. Prov. Seraph. in noſtra Collect. Gen. 2. par. in Provin. S. Franciſci Mon.* 14.

XXXI. Alterum provinciæ Angelorum Belviſii, quod Hiſpaniarum oppidum eſt, Placentinæ diœceſis, erigitur per pientiſſimam, ac de Franciſcana Religione optime meritam Beatricem Monroi ab Ayala Orapeſanorum Comitiſſam, atque præfati oppidi Dominam, quæ ex ſuis dumtaxat facultatibus illud

Monaſt. S. Joannis de l'œnitentia Belvisii. *Gonzag. 3. p. in Prov. Angelor.*

Monaſt. 6. ex Archiv. S. Iſid. Arm. 3. num. 16. fol. 145.

Beatrix Monroi ab Ayala Orapeſanorum Domina Monaſterium exſtruit.

illud a primo ad ultimum usque lapidem ædificari, atque honestis redditibus locupletari voluit. Hac de causa Oropesanorum Comites præfatæ fundatricis successores erga illud jure patronatus potiuntur, atque cum opus est, Monialibus opportune adesse atque subvenire non desunt.

Conv. Avellarum. *Regest. Cismont. Bracalii fol. 217*

XXXII. Ut provinciæ Terræ laboris Minister in oppido Avellarum Neapolitani Regni, & Nolanæ diœcesis possit Cœnobium exstruere, Cardinalis Raynutius non semel memoratus sequentes dedit litteras.

Raynutius, miseratione divina tituli sancti Angeli Presbyter Cardinalis, dilecto in Christo Ministro Provinciali Ordinis sancti Francisci de Observantia Provinciæ Terræ laboris salutem in Domino. Injunctum nobis ab Apostolica Sede servitutis officium nos admonet & inducit, ut ea vobis favorabiliter concedamus, quæ ad divini cultus augmentum, & Christifidelium consolationem cedere dignoscuntur. Sane pro parte tua fuit propositum coram nobis, quod tu, ut uberiores fructus in Ecclesia Dei afferre, & divini cultum augmentum propagare voleas ad Dei laudem & honorem, & Christifidelium devotionem cupis unam domum, seu unum Monasterium sub Regula sancti Francisci de Observantia, in Boronia & loco Avellarum, vel alio ad id congruo & opportuno Nolan. diœcesis cum Refectorio, dormitorio, campanili, campanis, infirmaria, officinis, & aliis ad id necessariis & opportunis, cum pactis & conditionibus, licitis tamen & honestis, & sacris Canonibus non contrariis, inter Communitatem Avellarum, & Carolum Spinellum Ducem Seminariæ dictæ Baroniæ Dominum erigere, ædificare & construere, id tamen ibi licere dubitas Sedis Apostolicæ licentia desuper non obtenta; quare supplicari fecisti humiliter, ibi super his per Sedem ipsam opportuna remedia misericorditer provideri. Nos igitur, qui divini cultus augmentum ab intimis exoptamus affectibus, authoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, tibi, ut in dicto loco Avellarum, vel alio unum Monasterium Fratrum sancti Francisci de Observantia, sub invocatione divæ Annunciatæ, vel alia tibi bene visa cum Ecclesia, cœmeterio, sacrario, claustro, Conventu, dormitorio, refectorio, campanili, campanis, horto, & aliis officinis necessariis, & consuetis pro usu & habitatione Fratrum dicti Ordinis construere, erigere & ædificare, seu erigi & ædificari facere libere & licite possis & valeas, sine ulterius præjudicio indulgemus, ac licentiam & liberam concedimus facultatem, dictoque Monasterio postquam constructum fuerit, ac illius Fratribus & personis, ut omnibus & singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, concessionibus, favoribus & indultis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alia dicti Ordinis Monasteria de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet in genere utuntur, potiuntur & gaudent, ac usi, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum pariformiter, & absque ulla differentia uti, potiri & gaudere libere & licite possint & valeant earumdem tenore præsentium concedimus & indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Provincialibus dicti Ordinis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub sigillo officii Pœnitentiariæ XV. *Kal. Januarii, Pontificatus Domini Pii Papæ IV. anno* IV.

Hujus diplomatis ergo vigore sequenti anno MDLXIV. idem fuisse ædificatum Cœnobium, cum Gonzaga ad eumdem annum dicemus.

Fr. Octavianus de Ravenna Conventualis. Fr. Gaspar Crispo Conventualis.

XXXIII. Pontifex insuper per suas litteras sub dat. XIII. Junii Cives Avenionenses hortatur, ut Magistrum Octavianum de Ravenna, ex Conventualium Familia recipiant. Itemque Gaspari Crispo Familiæ ejusdem annuit, ut

ut *ad vitam* Domum regere poſſit prope muros Neapolis ab eodem ingentibus expenſis inſtauratam: Datis literis Kal. Octobris, ut ex Vaticani Tabularii Regeſto comperimus.

ARGUMENTUM.

Ferdinandus I. Imperator Franciſcanis addictiſſimus moritur, cui Maximilianus hujus nominis II. major natu in Imperio ſuccedit. Moritur item Rodulphus Pius Cardinalis Ordinis Protector, eique ſufficitur Carolus Borromæus. Pro Capuccinis autem Julius de Ruvere Cardinalis Feltrenſis præſignatur. Plures etiam Servi Dei tam viri, quam mulieres Franciſcanam Regulam profitentes, ad cæleſtem gloriam tranſeunt. Sanctus Paſchalis Baylon dat Minoritis nomen, ejuſque propterea actorum narratio incipit. Agitur de Canonizatione ſancti Didaci Complutenſis. Florent Viri doctrina præditi, ex quibus unus vel alter ad Inſulas Epiſcopales aſſumitur. Patrum Capuccinorum celebrantur Generalia Comitia, Evangeliſtæ de Canobio Generalis ex Boverio merita recenſentur, atque Conſtitutiones pro bono Familiæ regimine exhibentur. Cujuſdam Monialis ſimiliter ex eodem Boverio perrarus narratur eventus. Decedit Generalis Præfectus Tertii Inſtituti. Plura cum Obſervantibus, tum etiam Conventualibus, Capuccinis, Tertiariis, atque Monialibus ædificantur Cœnobia. Plura itidem ab Apoſtolica Sede conceduntur privilegia.

I. INter ea, quæ annum Virginei Partus milleſimum quingenteſimum ſexageſimum quartum. reddidere luctuoſum, inprimis fuit mors Ferdinandi I. Imperatoris. Is ab obſcura primum febre, quæ paulatim vehementior facta eſt, oppreſſus, accedente aqua intercute, demum placidiſſime Viennæ Auſtriæ deceſſit VIII. Kalendas Auguſti, quæ dies feſto S. Jacobi dicatur, ad quam ſe perventurum, in eoque moriturum multo ante prædixiſſe cum Thuano Spondanus affirmat, addens hoc ex divina revelatione factum eſſe. Vixit annos ſexaginta, menſes novem, & aliquot dies; Princeps a juſtitia, religione, pietate, cæteriſque virtutibus nunquam ſatis commendatus, quarum præcipue in extremo vitæ actu plurima exempla explicuiſſe Matthias Cithardus Ordinis Prædicatorum, qui morienti adſtitit, per ſuas epiſtolas ad Pontificem directas, & a Raynaldo relatas teſtatus eſt. Non minori etiam ſtudio piiſſimus Imperator Franciſcanum Ordinem eſt proſequutus, qui præter ingentia beneficia, quibus indefinenter verum Franciſcanorum Patronum, quinimmo & Patrem ſe præbuit, eoſdem, ut ſuperius innuimus, *Chriſtianitatis medulla* appellare conſuevit. Ipſi Maximilianus I. filius, optimus & ipſe Princeps in Imperio ſuccedit.

Ferdinandus I. Imperator moritur. *Raynald. fol. 545*

Raynald. fol. 144

II. Sui etiam veri Protectoris obitum luxit Ordo, Rodulphi Pii videlicet Cardinalis Carpenſis, qui æquâ lance Obſervantes, Conventuales, atque Capuccinos ex animo dilexerat. Vir vere *Pius*, omnibus virtutibus ornatus, Romæ, inquit Oldoinus apud Ciaconium, communi adhærens opinioni, VI. Nonas, non Martii, ut ſcripſit Sanderus, ſed Maii, die Martis moritur; ſuam tamen ſententiam in medium afferens, opinatur die X. Julii deceſſiſſe, quod quidem criterium apud ſuum auctorem perpendere eruditum lectorem non pigebit. Rodulpho Carolus Borromæus ſufficitur, cujus ſanctiſſimi Viri egregia facinora non eſt, cur hic indicemus, & repetamus. En ad id Pontificium diploma.

Rodulphus Pius Ordinis Protector moritur. *Hierarch. Franc. Tom. 2. fol. 194. Ughel. Tom. 1. fol. 80. Rodulph. fol. 133*

Dilecto filio noſtro Carolo S. R. E. Presbytero Cardinali Borromæo nuncupato.

PIUS PAPA IV.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cum per obitum bon. mem. Rodulphi Pii Epiſcopi Oſtienſis S. R. E. Cardinalis Carpenſis nuncupati, dum vixit, Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum apud Sedem Apoſtolicam Protectoris nuper apud Sedem eamdem defuncti, Ordo præfatus Protectore deſtitutus remanſerit: Nos eidem Ordini de idoneo Protectore providere volentes, ac de tuæ circumſpectionis ſingulari prudentia, doctrina, lutegritate, ac Religionis zelo plurimum in Domino confiſi, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, te, ex cujus protectione ob tuas eximias virtutes Ordinem hujuſmodi plurimum commodi & ornamenti ſuſcepturum eſſe confidimus, præfati Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, illiuſque Religioſorum, & Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque apud Nos, & Sedem prædictam Protectorem cum omnibus honoribus, & oneribus ſolitis & conſuetis, ad tui vitam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus & deputamus. Mandantes propterea dilectis filiis Superioribus, & aliis Religioſis quibuſcumque dicti Ordinis, in virtute ſanctæ obedientiæ, ut te in eorum Protectorem, juxta tenorem præſentium recipientes, ea, qua debent, reverentia proſequantur. Contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Cæterum te in Domino hortamur, ut hujuſmodi Protectoris munus ita obire ſtudeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem æternum præmium, & a Nobis condignam laudem valeas promereri. Datum Romæ apud ſanctum Petrum die VI. *Maii* MDLXIV. *Pontificatus noſtri anno* V.

Cæſ. Glorierius.

III. Non eſt proinde opus cum Dominico de Gubernatis ultro hanc veritatem oſtendere, S. Carolo videlicet fuiſſe hanc permaximam demandatam Provinciam, contra quoſdam aliter opinantes, inter quos Auctor Hierarchiæ Franciſcanæ ſcribit Rodulpho Julium Ruvereum Feltrenſem ſuiſſe ſuffectum. Verum quidem eſt, quod Pio adhuc Superſtite, ægrotante tamen, Julius pro Patribus Capuccinis Viceprotector, illoque mortuo, Protector a Pontifice deſignatus eſt, datis litteris in forma Brevis: *Exhibita* &c. xx. Aprilis, ut in Regeſto. Cum autem Julius plerumque Urbini reſideret, ejus loco Antonius Cardinalis Amulius Viceprotector conſtitutus eſt, eoque tandem decedente, Julius Antonius Sanctorius, Cardinalis ſanctæ Severinæ appellatus, eſt renunciatus, qui exinde Protector exſtitit; ſicque Patres Capuccini ſuum peculiarem Protectorem hoc anno Cardinalem Julium habere cœperunt.

Hierarch. Franc. fol. 105.

IV. Plerique etiam Servi Dei ultimam hoc anno diem obeunt, & imprimis non ſemel a nobis memoratus Franciſcus de Galiſteo laicus, dignus ſancti Petri Alcantarenſis ſocius, & perfectus imitator, ſtrenuuſque provinciæ ſancti Joſephi, & Orientis Diſcalceatorum Familiæ cultor, qui tanto virtutis amore tenebatur, ut ſuis ſenſibus frænum injecerit, & mortificationi ſui appetitus, ac propriæ voluntatis abnegationi perpetuo ſtuduerit. Tum, ut petulantis carnis cohiberet laſciviam, aſpero cilicio, diſciplinis, & ciborum parſimonia corpus in ſervitutem redigebat. Quanto autem ſibi rigidus & parcus, tanto aliis aderat pius & caritativus, Afflictorum, Ege-

Franciſcus de Galiſteo S. Petri Alcantarenſis ſocius. *Archiv. S. Iſid. Arm. I. fol. 175.*

no-

norum, & Miſerorum conſolator effectus. Maximum illius exercitium erat continua oratio, in qua ſic in Deum abſorbebatur, ut rerum terrenarum prorſus obliviſceretur. Magna tamen animi ſagacitate pollebat, prudentia, modeſtia, ac compoſitione civili, & religioſa. Cum itaque tot tantiſque donis ac virtutibus exornatus eſſet; haud mirum, ſi, quamvis ſimplex Frater Laicus, electus fuerit a Patribus in primum Guardianum Conventus Dominæ Noſtræ de Roſario; quo tempore illud mirum accidit, quod, dum domi nec panis buccella inveniretur, ſuos ipſe Sodales ad firmiter de divina pietate ſperandum cohortaretur. Dumque ſerventius orationi inſtaret, adeſt a nemine ductus mulus cibariis onuſtus, quibus duodeni Fratres reficiuntur. Neque hoc fuit unicum ſignum, quod ejus præcipue meritis Dominus eodem in Cœnobio operari dignatus eſt.

V. In Angelorum Hiſpanica provincia mundo valedixit Franciſcus de Gazaglia, qui iterum iterumque Miniſtri ejuſdem Provinciæ ferventi zelo munus exercens, pedes in itineribus ſemper, abſque baculo & pera, ciliciis ferreis indutus incedens, flagellis atque jejuniis innocuo corpori perpetuas afferebat moleſtias. Franciſcus Inſulanus Generalis, qui probe hominem noverat, per iperbolem non dubitavit aſſerere, Franciſcum Gazaliam etiam e vivis ſublatum neceſſum fuiſſe Miniſtrum ſalutare. Ipſe tamen nedum Ordinis dignitates reſpuens, verum & a Caſtellæ Regibus, quibus ſummopere carus erat, ad Epiſcopalem dignitatem invitatus, conſtantiſſime renuit, & meritiſſimum conſodalem ſuum Joannem de Parrios eo tempore Guadalcanalenſem Guardianum, ita rogatus, indicans, ut ſui loco ſufficeretur obtinuit. A Miniſterio abſolutus, a ſibi ſuccedente Præfecto apud Conventum S. Gilberti Bucæ ad quædam Ordinis negotia vocatus, die S. Matthæo Evangeliſtæ ſacra, quum poſt matutinas preces adhuc in oratione pro more permaniſſet, valde mane nemus ingreſſus, ut Officium Virginis, ſicuti ſolebat, perſolveret, en Cervus ex multis, Guardiæ Marchionis juſſu ad Fratrum ſolatium eo introductis, Deo diſponente, Franciſcum aggreditur, ictibuſque fere innumeris oculos vel imprimis eruit, faciem dehoneſtat, totumque innocuum corpus dilaniat, ſicque vita atque humana forma orbatum relinquit, Sodalibus interim deflentibus tam miſere tantum Patrem deperditum. Ad Cœnobium porro Bellalcazaris translatus, ibidem ingenti cum omnium mœrore ſepultus fuit. Sexaginta annos in Ordine tranſegiſſe, atque hujus generis mortem ſibi multo antea prædixiſſe legimus. Mors profecto Viro Dei indigna, ſi humana conſilia ſpectemus; non autem, ſi incomprehenſibilia Dei judicia admiremur potius, quam inveſtigemus.

Franciſcus de Gazaglia. *Archiv. S. Iſid. Arm. 3. num. 2. fol. 174.*

VI. In Conventu Ultrajectenſi, de quo Waddingus non tam ſtricto calamo dixit, celebrem Bartholomæum de Mildelburgo Zelandum hoc anno deceſſiſſe ex MSS. Archivii ſancti Iſidori comperimus. Natus eſt Vir Dei anno MCCLXXXV., & uſque ad annum ætatis trigeſimum mercaturam exercuit; a qua meliori conſilio ſe ſubducens, Lovanium ad optimarum artium mercaturam conceſſit. Liberalium diſciplinarum magiſterium adeptus, haud multo poſt Amſterodami Minorum ſubivit Inſtitutum. Poſt ſtudia ſacræ Theologiæ Lovanii completa, ſacris concionibus totus intentus, ab hoc miniſterio uſque ad mortem nunquam ceſſavit. Multis in locis, præſertim Bruxellis, Lovanii, Amſterodami, Ultrajecti, magno omnium plauſu, & cumulatiſſimo animarum fructu annis quadraginta, tametſi utroque latere hernioſus, prædicavit, & Amſterodami præcipue, quo miſſus contra Anabaptiſtas, ait Waddingus, concionaturus, fecit cum magno fructu & laude, ut jure diceretur, totam Civitatem in Catholica Fide confirmaſſe, &

Tom. XVI. *ann.* 1517. *n.* XVI. Bartholomæus de Mildelburgo.

Tom. XIII. *ann.* 1462. *n.* XCIII.

ad eam multos reduxiſſe. Primus erat ſemper & ultimus in Choro, omnique Cœnobii publico miniſterio. Lecto, culcitra, cervicalibus nunquam indormivit, ſed operiens caput ſuo pallio ad lectum geniculabat, totus immerſus divinis meditationibus. Brevi ſomno poſt matutinas preces recreato corpore, mane uſque ad horam quartam excipiendis confeſſionibus vacabat, reliquum tempus orationi, parandiſque concionibus tribuebat. Raro foras prodidat, niſi ratio caritatis urgeret, & quam citiſſime redibat, ut idem, qui exierat, regrederetur. Non frequentabat convivia, non amicis, & ſalutationibus, non fabulis intendebat, nihil dignum reperiens, quod cum fugaciſſimo tempore commutaret, cujus unius honeſtiſſima avaritia eſt. Norma ejus vitæ virtutum erat exemplar. Hoc anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo nono, feria tertia Paſchæ ultimam habuit Ultrajecti concionem, ſub cujus finem graviter exhortatus eſt auditores, ut perdurarent in Fide Catholica, & religione, ſine qua nemini præſumenda ſalus, inſtare periculoſa tempora, Catholicorum perſecutiones, Sacerdotum maxime & Religioſorum templa evertenda, altaria deſtruenda, quæ Geuſeorum motibus demum non ſine gemitibus deploranda vidimus; ſe poſthac non conſcenſurum ſuggeſtum, nec viſum iri. Hæc & alia, ſuæ mortis præſcius poſt paucos dies ſubſecutæ, palam prædixit. De ſuggeſtu deſcendens, mox decubuit, ubi totus in precibus & devotione, viſo etiam Chriſto a Judæis flagellato, placide obdormivit in Domino. Poſt menſes tres effoſſum ejus corpus, opera Henrici Bommel Conſilii provinciæ Ultrajectenſis Graphiarii, intimi ejuſdem amici, inventum eſt integrum & incorruptum, ſuaviſſimum ſpirans odorem, orique impoſita rubens pulcherrima roſa, quam ille, ceu pretioſiſſimam gemmulam in tanti Viri memoriam adſervavit: digniori inde in ſepulcro, opere fornicato & camerato reverenter repoſitum eſt. Scripſit *Concionum ſuarum tomos tres de Tempore & Sanctis*, quorum primus ejus manu exaratus diligenter aſſervatur. Petrus Trudenus a ſancto Trudone poſteriori tumulo hoc affixit epitaphium.

Hæreticorum ſcelera, & Catholicorum prædicit calamitates. *Arm. 5. n. 144. fol. 60. Biblioth. Seraph.*

PIENTISSIMUS PATER
BARTHOLOMÆUS A MILDELBURGO
ANNO DOMINI MDLXIV. DIE II. MENSIS APRILIS
VITAM COMMUTAVIT IN MORTEM,
ET OBDORMIVIT IN DOMINO.
VIXIT ANNOS SEPTUAGINTA NOVEM,
MENSES SEPTEM, DIES OCTODECIM.
FUIT VIR ADMIRABILIS ZELI, AUSTERITATIS,
SOBRIETATIS, ET ABSTINENTIÆ,
MULTIS ANNIS, VARIIS IN LOCIS CUM LAUDE
GUARDIANUS, ET VICARIUS.
SERMO EJUS, UT FACULA ARDEBAT.
QUADRAGINTA CONTINUIS ANNIS FIDELEM,
STRENUUM, ATQUE INVICTUM CATHOLICÆ
ECCLESIÆ MINISTRUM, ET VERBI DEI ORTHODOXUM
PRÆCONEM EGIT AD VITÆ SUÆ FINEM USQUE;
NAM OCTAVO DIE
POST ULTIMAM CONCIONEM SUAM QUAM HABUIT
FERIA III. PASCHÆ, IN HOC NOSTRO ULTRAJECTENSI
CONVENTU IN PACE CHRISTI REQUIEVIT.

Matthæus Citrarius obitus ſui diem, & horam prædicit. *Arm. 3. num. 34. pag. 323.*

VII. In Italia Matthæus Citrarius decedit in Conventu Annunciationis apud ſanctum Lucidum, ſive corrupte *Nocitum*, ut apud Arturum atque Gonzagam legimus, provinciæ Calabriæ, quem etiam Waddingus memo-

Anno Christi	Pii IV.	Ferdinandi I. Imp.	Religionis Minorum anno 357.
1564.	anno 5.	anno 7.	

morat. Hic dum proſpera valetudine fruebatur, ſibi obitum imminere prædicens, a Cœnobii Præfecto ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis Sacramenta inſtantiſſime petiit. Quo tamen, quod bene omnino valeret, denegante, ſubjecit, ut ex caritate acceleraret; quandoquidem poſt primum campanæ ſonitum, quo fideles ad ſalutandam veſpertino tempore Virginem monentur, ſibi ex hac vita ad ſuum creatorem emigrandum foret. Idque certiſſimus rei eventus comprobavit. Cum enim poſt peracta circa eum omnia, quæ ad tantum iter neceſſaria ſunt, primus campanæ pulſus poſt Solis occaſum auditus ſuit, religioſiſſimus is Pater Viatico, extremaque Unctione præmunitus, ac meritis opimus animam exhalavit. Arturus ad diem XIII. Julii: MSS. vero authentica hujus Provinciæ ad menſem Januarii hujus anni obitum præfati Servi Dei referunt.

To. v. an. 1300. n. XII.

Art. ad diem 23. Julii. MSS. auth. hujus Prov.

VIII. In eadem Calabriæ regione Boverius, & ex eo Carolus de Aremberg ſcribunt, Baptiſtam Laritionenſem Capuccinum hoc anno deceſſiſſe. Dum autem ambo iiſdem verbis Dei Servi narrant acta, referunt, eundem *navalem victoriam, Deo revelante, præſignificaſſe, quam Chriſtianorum claſſis ſub Pio V. Pontifice, & Joanne Auſtriaco anno* MDLXXI. *de Turca revexit*. Merito propterea ad anachroniſmum evitandum ab hoc eodem anno expungenda narratio, atque judicio noſtro ad annum MDLXXIV. referenda. Referunt item laudati Auctores obitum Matthei Avenionenſis ejuſdem Familiæ ex Laicorum numero, qui, cum Obſervantibus valedicto ad Capuccinos ſtatuiſſet migrare, in Italiam veniens, in itinere Graſſatorem enſe & haſta armatum e nemore erumpentem, minacibuſque verbis nummos poſcentem obvium habet. Cui Matthæus, quaſi illi obtemperaturus, ignitabulum theca occluſum proferens, ante illius pedes projicit: qui chalybis ſonitum audiens, ratus ibi nummos adeſſe, protinus ſe ad prædam inclinat. At Matthæus collo ipſius apprehenſo, ac fortiter humi compreſſo, Sicarium ita genibus ſuffocat, ut ne quidem loco dimoveri poſſit. Interea, haſta altera manu apprehenſa, necem illi minatur, niſi inde recedat, donec longius progreſſus, haſtam humi plantet. Porro, Sicarius ex inopinato eventu, tam ingenti pavore perculſus ac metu exanimatus ſuit, ut Matthæo integre paruerit. Hoc pacto Matthæus a Sicario liber, Genuam proficiſcitur. Perfectus hic Regulæ cultor ſuit, paupertatis zelator, honeſtatis cuſtos, humilitatis, ac ſui ipſius neglectus ſectator inſignis, qui cum ſibi in Religionis ingreſſu omnium virtutum faſtigium aſſequendum præſtituiſſet, gulam abſtinentia ac jejuniis, corpus flagellis ac variis macerationibus & doloribus domare, ſenſus denique omnes cohibere aggreſſus eſt: & quod caput eſt, animum tam aſſidua oratione ad divina transferre ſtuduit, ut non mediocrem inde apud omnes ſibi brevi tempore ſanctimoniæ exiſtimationem comparaverit. Eo porro factum eſt, ut cum prudentia ac conſilio plurimum valeret, tametſi Laicus eſſet, plerumque tamen ad Guardianatus, ac Definitorii muneris dignitates in Genuenſi provincia promoveretur. His temporibus, quibus, Gallis longe lateque in Pedemontana Regione dominantibus, Hæreſes pleriſque in locis impune graſſabantur, varias ab Hæreticis moleſtias ac contumelias admirabili patientia ſuſtinuit. Contigit vero aliquando, ut Taurinum proficiſcens, dum Eridani pontem tranſmearet, Hæreticum quemdam equo inſidentem ſibi obvium haberet, qui furore percitus, equo in Matthæum impulſo, illum e ponte exturbatum, in fluvien dejicere conabatur; Viri inſolentiam Matthæus contemnens, equi crinibus manu apprehenſis, tanta vi, quæ illi tunc a Deo addita fuit, ad ſe equum attraxit, ut eum coram ſe prioribus pedibus genuflectere coegerit. Tum vero ad Hæreticum: *Vides*, inquit, *quam mihi facile eſſet, te in flumen præcipitem dare, niſi me Catholica, ac Seraphica Religio a ſa-*

Baptiſta Laritionenſis Capuccinus obit.

Item Matthæus Avenionenſis Capuccinus. *Bover. Tom. 2. ad hunc annum pag. 277.* Graſſatoris minas coercet.

Hæreticorum ſibi inſultum modeſte redarguit.

a facto revocarent. Agnoſce igitur, quanto præſtantior ſit Catholicorum Religio, quæ hoſtibus parcit, quam Hæreticorum ſecta, quæ ipſos quoque amicos infeſtat. Tremuit facto Hæreticus, neque Capuccinis Fratribus deinceps unquam inſultare auſus fuit. Hinc Sedulam, ſeu *Caſale*, quæ Montis Ferrati urbs præcipua eſt, profectus, cum ſuam quoque in eo Conventu exſtruendo operam præſtat; Viri hujus ſanctimoniam Deus miraculo comprobare voluit. Cum enim, jam imminente hyeme, is ligna ad Fratrum uſum ac caleſactionem paraſſet, Agricolam quemdam rogat, ut ea plauſtro ſuo impoſita ad Monaſterium vehat. Erant agrorum viæ eo tempore tam alto cæno obſeſſæ, ut plauſtris prorſus imperviæ forent: quapropter recuſat Agricola, reinque facto periculo prorſus impoſſibilem aſſeverat. Cui Matthæus: *Ne expaveas*, inquit, *plauſtro Boves junge, dabit Deus, ut nihil limus nobis officiat, neque iter intercipiat.* Credit ille, plauſtrum parat, Boves jungit, ac cænoſo ſe itineri committit. Mirabile dictu! vehunt Boves plauſtrum lignis onuſtum, limuſque, qui mollis ac rarefactus erat, quaſi ſolida humus plauſtrum recipit: calcant Boves rareſactum cænum, atque illorum ungulæ, plauſtrumque lignis onuſtum, haud profundius in limo, quam ſi ſolidum ſolum eſſet, infiguntur. Id cum univerſi conſpexiſſent, haud alteri, quam divinæ virtuti, Matthæi precibus exoratæ factum mirabile adſcribunt. At vero, quam diligens ac ſeverus hic Dei Servus, caſtitatis velut pretioſiſſimi ac cœleſtis theſauri cuſtos fuerit, illuſtri exemplo demonſtratum fuit. Cum enim in Conventu Montis Calerii Eleemoſynarii munus ſuſtineret, ſemel contigit; ut in quoddam Caſtellum ſe cum ſocio, mendicationis cauſa conferret: erant Caſtelli illius Domino nonnullæ nubiles filiæ, a quibus Matthæus humaniſſime excipitur, atque ubi nocturnæ quietis tempus advenit, ſeparata iis cubicula aſſignantur. Porro immundus ille Spiritus, qui Matthæi pudicitiæ inſidias ſtruebat, ea ſolitudinis occaſione captata, tam ardentes in earum adoleſcentularum altera libidinis faces accendit; ut cum Matthæus prolixius, uti ſolebat, in ſuo cubiculo oraret, ecce illa nuda ad Matthæum acceſſerit, clauſoque cubiculi oſtio, in illius amplexus inhoneſta ruerit. Matthæus vero inopinato ac turpi illo aſpectu turbatus, primum verbis ac ſevera increpatione puellam a ſe arcere curavit. Illa vero cum minas ac increpationes contemneret, is tandem flagello, quo ſeipſum paulo ante oppetierat, manu arrepto, tam egregie ac tam diu inhoneſtam puellam flagellare cœpit, quoad undique livores ac rubræ verberum vibices in ipſius corpore apparerent: quibus illa ſeipſa melior facta, ac turpis libidinis Dæmone hoc novo exorciſmo propulſato, ſapientior quam venerat ad ſua rediit. Id vero cum Pater reſciviſſet, protinus ad Monaſterium convolans, Matthæum accerſiri curat: qui cum ſe ad necem vocari ob præteritum factum crederet, Dei prius ope implorata, illum intrepidus adit, maximumque ſibi lucrum acceſſurum putat, ſi pro tuenda caſtitate vitam profundat: at non Martyrio voluntas, ſed voluntati caſtitatis martyrium deſuit. Nam vir ille prudentiſſimus, cum turpiſſimam familiæ ſuæ maculam, Matthæi virtute ſublatam eſſe perpenderet, maximam illius virtutem admiſans, in illius amplexus ruit, nullumque in agendis gratiis finem imponit. Erubuit Matthæus, & cum præter expectationem, Deo agente, rem accidiſſe cerneret, eum palam fieri ægre tulit, ut caſtitatis virtutem, cujus tam præclarum ſpecimen ediderat, majori humilitatis gratia cumularet. Denique is, cum ex Genuenſi ad Corſicæ provinciam, Generalis Vicarii juſſu, tranſmigraſſet, in ea mortalis vitæ ſtadium magna cum virtutum laude confecit.

Matthæi ad ſervandam pudicitiam lucius.

Alexander de Fano Capuccinus moritur. *Boverius num. 5. Flor. Seraphic. Tom. 2. p. 163.*

IX. Sub idem tempus Maceratæ in Piceno alter præclarus Capuccinus diem extremum claudit, Alexander videlicet de Fano Sacerdotali dignitate de-

decoratus, qui cum inter Minores Conventuales conſcriptus vitam duceret, Regularis Obſervantiæ ſtudio incenſus, ad Capuccinos ſe confert, atque adeo in omni virtutum genere proficit, ut perfectam regularis diſciplinæ normam in ſe ipſo præferat; a carnis enim mortificatione exorſus, ea corpus inedia domat, ut univerſa Regulæ jejunia, atque alia quamplurima ſolius panis & aquæ refectione celebret; carnem quotidianis fere flagellis atterat, humilitate, ſuique abjectione ſummopere delectetur. Nihil denique hoc Viro modeſtius, nihil honeſtius eſt: Mulierum adeo conſortia devitat, ut etiam ad eas propius accedere vereatur. Studium vero, quo orationem ac rerum divinarum contemplationem proſequitur, tam illi aſſiduum & familiare eſt, ut cœleſtium rerum potius, quam humanarum ſpectator videatur. Diu noctuque cum flagellis verſatur, Deoque dicatæ ſolitudini, ut plurimum vacans, Dei colloquiis familiariter fruitur. Quamobrem tantæ illius, tum apud Fratres, tum Sæculares ſanctitatis fama diffundebatur, ut cuncti illum, velut totius ſanctitatis exemplar ſuſpicerent; atque inde quamplurimi, qui variis languoribus afflictabantur, ipſius ſanctitatis odore attracti, ad eum confluebant, quos Vir Dei Crucis ſignaculo muniens, ab ægritudine liberos reddebat. Accidit autem, ut ad Caſtellum quoddam accederet, ubi geminos cujuſdam mulieris filios graviſſima ægritudine laborantes offendit. Quamobrem cum illorum mater, acerbiſſime diſcruciaretur, Alexander ei ex animo compatiens, ut animum cum Dei beneplacito componeret, hortari cœpit. Neque enim id fieri poſſe affirmabat, ut a Deo opem expectaret, niſi prius cum Dei voluntate conveniret. Id cum a muliere Vir Dei tandem aſſecutus fuiſſet, mox ad liberos extrema valetudine laborantes accedit, ſigno Crucis benedicit, ac protinus matri incolumes, Dei virtute, reſtituit.

X. Ex noſtris etiam Virginibus duæ hoc anno in ſancti Thomæ, ſive Sabaudiæ provincia, in Domino requieſcunt, Angela a Caſali videlicet, & Leona Lajola. Prima Vercellas profectura, ubi perpetuum in divæ Claræ Monaſterio ſibi domicilium elegerat, cum conſanguineis ejus diſceſſum comitantibus iter agreſſa, pulcherrimi aſpectus juvenem candido equo inſidentem, & pompæ veluti Ducem itineris præeuntem aſpexit. Erat is unus ex Angelorum turmis, Seraphicæ Sponſæ cœleſtes nuptias adeuntis obſequio deſtinatus, qui ſimul atque Angela ſe Monialium choris immiſcuit, videri deſiit. Verum cum religioſe vivendo jam perfectionis culmen attigiſſet, non Angelicis tantum aſpectibus perfrui, ſed ad Chriſti Crucem ferentis, eamque ad patientiam exhortantis colloquium admitti promeruit. Tanta in ejus obitu lætitia Cœlum perfuſum eſt, ut paſſim exaudiretur Angelorum cantus divinum illud Pauli elogium iterantium: *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri*. Altera omnium prima Abbatiſſæ munere in Monaſterio ſanctiſſimi Nominis Jeſu Aſtenſi functa eſt, ubi etiam ſuaviſſimos in cunctis actibus miræ ſanctitatis odores efflavit, & creditarum ſibi ovicularum adeo ſedulam curam geſſit; ut illarum nulla a divinis ſemitis aberraverit. Hanc cum aliquando caſus in puteum præcipitem egiſſet, implorato Deiparæ Virginis patrocinio, aqua corpus duabus horis ſuſtinuit, donec illæſum extraheretur. Vitæ demum ſanctiſſime conſummatis diebus, menſe Novembri migravit ad Cœlos, ut perpetuo divinæ lucis frueretur aſpectu. In Monaſterio ſancti Lini Volaterrarum provinciæ Tuſciæ, inter cæteras, quæ locum ſanctitate illuſtrarunt, fuit Clara Palvia ſuperſtes, quæ hoc anno ipſa Paraſceves die, Gonzaga teſte, dum ferventius orat, Sponſum Jeſum ad columnam alligatum intuetur.

Angela a Caſali, & Leona Lajola decedunt. *Hiſt. Provin. S. Thomæ fol.* 329.

Ibid. fol. 332.

Clara Palvia ſuperſtes. *Gonzaga in Prov. Tuſciæ Min.* 1. *Wadd. ad ann.* 1513. *n.* XIX. *Antonius Maria lib.* 1. *fol.* 297. *Joannes a ſancto Antonio in ſupplem. ad Biblioth. Franciſc. lit. P.*

XI. A Chriſtophoro de Arta Hiſpano provinciæ ſancti Joannis Baptiſtæ Diſcalceatorum alumno, & ad Cauſam Canonizationis ſancti Paſchalis Baylon agendam Romæ conſtituto Procuratore, monemur, eundem ſanctum Virum

rum hoc anno Franciſcanæ Familiæ nomen dediſſe. Jure merito propterea Paſchalis actorum narratio, de qua huc uſque altum ſilentium habuimus, hic ſaltem a nobis ſumere debet initium. Hoc ut fideliter ſimul fiat & expeditius, ea hiſtoria uti, quæ primum a Joanne Ximenio ſancto Viro coevo hiſpanice anno MDXCVIII. ſub Chronicæ titulo conſcripta ſunt, nobis congruum viſum eſt; cui etiam, veluti pro ſupplemento quædam adnectere ex altera recenſiti Chriſtophori neceſſarium putamus; Ximenius enim præfatus multa, ſed non omnia acta Paſchalis retulit, partim ſibi propria experientia, ſcientiaque de viſu cognita, partim vero aliorum relatu; Chriſtophorus vero dum in Urbe pro ejuſdem Canonizatione inſtaret, notitias, quas retulit, ex teſtium juratorum dictis excerpſit. Ex utriuſque ergo hiſtoriis, quas apud Auctores celebres Bollandiſticæ Continuationis comperimus, noſtram numeris omnibus abſolutam facile ſimul & expedite pollicemur contexere, cum in iiſdem ad hoc opus præter chronologicum ordinem, nihil nobis deſiderandum remaneat.

XII. Igitur Paſchalis naſcitur in oppido Turris Formoſæ ad Monaſterium Horti-Regalis Ciſtercienſium, ad diœceſim autem Seguntinam pertinente anno MDXL., Paſchalibus ſolemniis Pentecoſtes occurrentibus, qua de cauſa *Paſchalis* nomen fauſte ſortitus eſt. Parentes fuere Martinus Baylon, & Iſabella Jubera humiles genere, Agricolæ nempe, ſed honeſtate atque pietate præclari. Ab ipſius incunabulis Paſchalis futuræ ſanctitatis dare cœpit indicia.

Bolland. Tom IV. ad diem 17. Maii. fol. 49.

S. Paſchalis ortus, & pueritia.

„ Primo ratiocinii humani initio doctrinæ Chriſtianæ elementa labiis adhuc „ balbutientibus pronuntiare tam libenter aſſueſcens, & ſignum Crucis digi„ tis tenellis formare, ut ea res delectationi magnæ parentibus eſſet. Cum „ autem etiam die quadam ad divina Officia eum ſuper brachia portaſſet mater ſua in Eccleſiam, notatus eſt tam quieto ore, oculiſque in myſteria ſacra tam intentis hæſiſſe, ac ſi eorum dignitatem pleno percepiſſet intellectu. Exinde ſic ille affici ergo Eccleſiam cœpit, ut ſi vel tantillo tempore eadem mater illum relinqueret ſolum, quo pedibus rectis nondum per ætatem accedere poterat, etiam manibus adreperet, non ſine magna parentum ſollicitudine, qui eum totn requirentes oppi lo, nonnili in Eccleſia reperiebant. Quod cum ſæpius accidiſſet, & juſtus alicujus infortunii a parvulo incurrendi metus ſubeſſet, conati quidem illi ſunt objurgationibus miniſque abſterrere; ab ejuſmodi tamen uſu vincere non potuerunt propenſionem, non tam naturæ, quam gratiæ illuc allicientis. Procedente ætate procedebat etiam pietatis affectus; nec alia fere puero ludrica erant, quam Roſarium, & Sanctorum imagines: quibus multum conferebat materna inſtitutio, variis exercitationculis piis eum informans: patris autem reverentiſſimus ſemper, nunquam viſus eſt in aliquo ejus mandata tranſgredi. Quin etiam Fratribus ſuis quatuor, ex quibus nonnulli erant ætate majores, tali erat exemplo, ut eo præſente nihil indecorum ſicere auderent, idque cum necdum ageret annum ætatis ſeptimum. Quem ubi attigit, paſcendo gregi potius, quam agriculturæ applicandum cenſuit pater, eo quod is minus pollere viribus videretur. Hoc agens ſingulariter afficiebatur cuidam eremitorio, cui a Sanctiſſima Virgine *della Serra* nomen erat, & ejuſdem imagini. In hujus ambitu frequens Paſchalis, vultum illuc convertebat identidem, ſæpe etiam eo verſus flectebat genua, & quas memoria tenebat, recitabat precatiunculas: quod ſi abducere longius gregem ei opus erat, præſentiam dilectæ ſibi æ iculæ ſupplebat parvula Matris Dei imagine ſupra chartam duriorem expreſſa, quandoquidem pedo ſuo paſtorali eam inſculpſerat una cum Crucis forma, & ipſum ſolo defigens, intendebat ſuavibus cum Domina ſua Patronaque colloquiis breve „ quoddam ejus officium percurrendo.

Inſignis erga Eccleſiam affectus.

Et erga B. Virginem pietas.

XII.

» XIII. Librum enim in pera circumferens, & modo ab hoc, modo ab illo inſtrui petens, ac privatim ſecum in illa ſolitudinis commoditate ruminans quæ didicerat, partim diligentia ſua propria, partim Dei gratia ſingulari adjutus, legendi ſcribendique mediocrem aequiſivit peritiam; quo ſcilicet ſolum contendebat, ut libris ſanctis frui poſſet, & recitare Officium beatæ Virginis, cujus horas penes ſe habebat aſſidue, ſæpiſſime viſus eas pervolvere, eaque de cauſa ab aliorum conſortio paſtorum ſecedere: tam enim parum illo delectabatur, ut plerumque extra commune ſepimentum reductus, ſibi privatum ignem ſtrueret, quo poſſet ſine arbitris Deo ſibique vacare. Videbatur autem ſodalibus ſuis Angelo ſimilis converſatione & moribus: quantum enim alii ætate iſta capiuntur jocis ludiſque, tantum iſte virtutis & ſanctitatis exercitiis, velut ex propoſitione quadam naturali, in omnibus referens maturitatem quamdam ſenilem, imo religioſam diſciplinam: idque ſolo eum docente atque erudiente Deo. Admirationem vero meretur, quod, cum Minoritam Diſcalceatum nunquam vidiſſet, a puero tamen diſcalceatus vivere voluerit, non ſolum exuendo omnem amorem ſæculi, in quo conſiſtit vera religio, ſed etiam materiales calceos, ſine quibus paſſim conſpiciebatur ambulare per dumeta atque ſpineta ſequendo gregem, monteſque ſcandere, & per eorundem petroſas declivitates deſcendere, nulla viarum aſperitate territus.

Dei ope legit & ſcribit.

Diſcalceatus ſemper incedit.

» XIV. Cum ſibi inter ſodales occaſio dabatur loquendi de Deo, de virtutis excellentia, de peccati gravitate, tantum aderat verbis ejus jam grandiuſculi pondus, ut ex iiſdem ejus ſodalibus aliqui in ſuis depoſitionibus dicant, ſæpius viſos eſſe homines grandævos lacrymantes, attenteque excipientes monita ejus de obſervantia mandatorum Dei. Hinc fiebat, ut vicinæ totius paſtores, magni ac parvi, cum de eo forte loquerentur, appellarent *Beatum* (ipſa teſtium verba ſunt) & pro tali haberent, ejuſque ambirent ſocietatem; perſuaſi, quod eo præſente, nihil ſibi poſſet evenire mali: quod ſane notabili ad memoriam eventu paruit aliquando. Paſcebat cum uno ex illis gregem in territorio Alconchelenſi, & inter duas grandes quercus ambo conſederant; cum ſubitus turbo utramque radicitus e terra extulit proſtravitque; ſic tamen ut una illarum in unum, altera in alterum latus caderet, illæſis qui medii erant adoleſcentibus, Deoque gratias referentibus, quæ res deinde ab aliis cognita, multum eos in concepta de Paſchali opinione confirmavit: quod ſi adverſi incidebat aliquid, prorumpentes forte ad juramenta aut blaſphemias ſocios corripiebat modeſte, dicebatque, ſicut eorum quidam depoſuit; Tace, frater, quid faciemus? Adjuvet nos Virgo, Domina noſtra opituletur nobis. In illo autem paſtorali opere mirum quantum eſſet ſollicitus, ne cui damni cauſam daret. Ergo cum aliquando inſtaret mater, ut cujuſdam amitæ ſuæ pauculas capras paſceret; ille magno cum animi candore: Parce, inquit mater, neque hoc mihi impera, quia ſunt tam petulcæ, ut quantacumque adhibita diligentia, grande tamen damnum ubique faciant, & ego nolo habere occaſionem cuiquam faciendi malum. Ejus autem hoc in genere vigilantiam declarat, quod atramenta riolo, pennaque inſtructus ſemper, in collectis eam ad rem ſtudioſe chartarum particulis, notabat locum & Dominum loci, cui forte damnum aliquod grex ſuus attulerat, & ſi erat pretio æſtimabile, continuo id indicabat læſis, eorumque arbitrio compenſabat, neque patiebatur a conductoribus ſuis quidquam exigi aut ſolvi, quia id totum ſuæ imputans negligentiæ, a ſe ſolvi debere ajebat: quod ſi illi cauſa gregis ſibi commiſſi aliquando mulctabantur, id ante omnia detractum volebat debi-

Socios vivendi formam docet.

Dei ope liberatur à mortis periculo.

Proximi vel minimum præcavet damnum.

» to ſibi ſtipendio. Idem annorum nondum quatuordecim, juſſus aliquando a
» magiſtro paſtorum ingredi vineam quandam ad uvas carpendas, cumque id
» facere recuſans, minis etiam adigeretur, conſtanter reſpondit: nec ſi
» membratim me diſcerpere volueris, morem in hoc tibi geram. Tunc ille
» multum indignans eamdem ingreſſus, uvas attulit, & ut manducaret ſe-
» cum, Paſchalem invitavit: atque hoc etiam recuſantem, non ferens a ſe
» repulit. Sed permanſit in propoſito ſanctus Puer, magiſtroque modeſte
» ſignificavit, ſurto ablata nunquam eſſe utilia. Multo etiam junior erat,
» neque adhuc decimum ætatis annum compleverat, quando paſtorculus
» quidam, videns eum in manibus hebere funiculos quoſdam e juncis mari-
Ex funiculis ſibi paret Roſarium. » nis contextos, & multis nodis interſtinctos, quæſivit ex eo, quem uſum
» haberent: Cui Paſchalis: Hi quidem, inquit, Coronæ recitandæ ſerviunt,
» iſti vero ad peccatorum meorum memoriam retinendam. Tum ſocius.
» Ecqua, infert, in re tu potes peccare? Paſchalis autem magno cum fervo-
» re: Ecqua in re quæris? Conculcando hanc terram, videndo, cogitando.
» Tantam ſcilicet tenellæ menti mali bonique diſcretionem jam tum infuſe-
» rat Deus. Otii autem fugientiſſimus ſimul, & propagandi cultus Mariani
» zelantiſſimus, ſi quid vacui habebat temporis, libenter impendebat texendis
» ex junco iſtiuſmodi Roſariis, quæ inter paſtores diſtribuebat, uſum ſimul
» & docens & ſuadens.

» XV. Familiaritas ei contracta erat cum quodam Joanne Apparitio,
Socio Religionis ineundæ conſilium ſibi Cœlitus datum indicat. » quem ſibi unanimem fidelemque per tres annos expertus, ſolùm fere ha-
» bebat ſocium: huic ſuum ille vitæ religioſæ ineundæ conſilium indicavit,
» huic poſt quindecim dies dixit, quid ſibi juxta eremitorium Alconchelenſe
» paſcenti ſuerit a Fratre, & Moniali ſibi apparentibus circa id revelatum:
» huic etiam paucis poſt diebus ſe obtulit cum habitu & pallio cinerei coloris,
» quali utuntur Religioſi Franciſcani, dicens, iterum ſibi eoſdem apparuiſſe,
» quodque ad eorum mandatum implendum vellet ex ea regione diſcedere,
» ſicut reipſa fecit, transferens ſeſe in locum dictum *Pennas de ſancto Petro*
» in Regno Murciæ, ubi ſororem habebat: huic denique revertens poſt
» annum, occurrit pro pallio indutus palliolo religioſo, & pileolo cinereo.
» Id autem teſtanti Apparitio, atteſtantes plures alii expreſſe notant, pallio-
» lum breve fuiſſe & funem, quo cingebatur, craſſum, eique, quo Diſcal-
» ceati noſtri utuntur, ſimillimum. Cum eodem Apparitio paſcebat aliquan-
» do gregem Paſchalis in via, quæ ad Capræ-fontem ducit, circa locum *Co-*
» *vatilla* dictum, ubi fons erat, unde ſolebant bibere; ſed turbidam tunc ha-
» bebat aquam, ut vel aſpectu ſuo nauſeam crearet. Cum ergo alibi eam
Aquam ſitienti Socio miraculoſe impetrat. » quærere vellet Apparitius: Ne diſcedamus hinc, inquit Sanctus, quia ego
» aquam hic tibi præbebo: atque a via regia nonnihil deflectens, depoſitis in
» terra pedo ac pera, foſſam parvulam manibus ſuis excavavit, quæ mox
» repleta fuit aqua clariſſima; ad eamdem ſedentes ambo eductum e ſitarciis
» panem manducarunt. Admiranti autem Apparitio dixit Paſchalis: Amice,
» quando ſitiens non habueris aquam, terram pereute ſcipione, & invenies,
» dixit autem Apparitius prædictus, quod paulo poſt eodem reverſus, non
» amplius aquam iſtam reperierit; ſed ad ſervandam loci memoriam, Cru-
» cem poſuerit, quæ adhuc ſupererat, quando ille prima vice in Villa Re-
» gali his de rebus teſtimonium dixit.

» XVI. Cæterum non tunc primum cum prædicto Apparitio communica-
Septennis habitum Franciſcanum affectat. » vit ſuum de vita religioſa conſilium, aut cogitare id cœpit, ſed diu antea
» hujuſmodi vitæ aliquando tenendæ præſagia dederat. Habebat ſeptennis
» parem ſibi ætate cognatum Franciſcum Delgado, quem parentes ſui ex de-

vo-

» votione induerant habitu Franciſcano: qua in re tantopere delectabatur » Paſchalis, ut ab ejus conſortio avelli vix poſſet. Cum ergo infirmum Franciſcum aliquando viſitaret, invenit ejus veſtem in ſcamno expoſitam, » quam ſibi induens, ſeque in ea gaudenter demirans, induci non potuit, ut » in digreſſu eam deponeret, cum lacrymis ſeſe opponens eis, qui ipſam abſtrahere ſibi vellent, neque minis cedens. Quo viſo avunculus pueri matrem accerſiri juſſit, ad cujus mandatum ille quidem paruit, ſed perrexit » inconſolabiliter plorans. Poſtquam autem ætate jam grandior recuſaſſet ſibi cum filia oblatam a Martino Garcia hæreditatem, is, qui antea ſæpe » fuerat paterna in domo de temporali re aliqua colloquentibus germanis dicere ſolitus; *Ego nihil volo, nihil volo, quia debeo eſſe Frater*: eundem » in finem patrimonii ſibi contingentis partem fratri ſuo Joanni Baylon, atque ſororibus duabus conceſſit. Mater autem ejus, quæ illum ſumme diligebat, totieſque auditum dicere, quod deberet fieri Religioſus, appellare ſolebat Fraterculum ſuum; poſtquam intellexit revera habitu ſancto indutum: *Gaudeo*, inquit, *quod Paſchalis meus verbis ſuis fidem impleverit*. » Annum agebat ætatis vigeſimum, quando hac de cauſa in Valentinum Regnum ſe contulit, quo in itinere tranſire voluit per rupes *ſancti Petri* dictas, ubi ſororem habebat, nomine Joannam Baylon, ut ei valediceret. » Excepit eum cum gaudio ſoror, cœnamque paravit, ſed inducere nulla » ratione eum potuit, ut aliud, quam panem & aquam guſtaret. Quod » quamvis ei diſpliceret, exiſtimans tamen id ab eo fieri, quia laſſus a via » egebat requie, mandavit ſodali ſuæ Joannæ Garciæ, ut fratri lectum ſterneret. Refert autem hæc in ſuo examine, quod cum ambæ in cubiculum » deduxiſſent, juſſæ recedere, & luminis extinguendi curam ſibi relinquere, » paulo poſt redierint ad oſtium, cui ille interius peſſulum obduxerat; notanteſque lumen adhuc ardere, introſpexerint per rimas, viderintque » eum nudare ſe, ſumptiſque funiculis tanto cum rigore flagellare, ut coactæ fuerint inde abire, non valentes planctum diſſimulare. Poſtera die » jentaculum eidem præpararat ſoror, ſed ille iterum præter panem & aquam » guſtare nihil voluit, ac ne in pera quidem accipere quidpiam edendum in » via; ſolum petiit, ut cucurbitula, quam ferebat, impleretur aqua, dicens, quod ſi fames urgeret, fruſtum panis eſſet mendicaturus, atque ita » diſceſſit. Illæ vero ingreſſæ cubiculum, invenerunt lectum, uti eum heſterno veſpere compoſuerant; indeque intellexerunt, quod noctem humi » cubans egiſſet.

Hæreditatem ſibi oblatam & patrimonium recuſat.

» XVII. Poſtquam eo, quo iter intenderat, appulit, Dominumque invenit, cujus gregem paſceret; cum obſervatus eſſet identidem id facere circa Conventum Virginis Lauretanæ, idque renuntiatum Domino ejus eſſet, metuenti ne grex ſuus ſterili in ſolo, & tam frequenti acceſſu depaſto » minus commode haberet, quæſivit ex eo, cur non ad alia paſcua lætiora » tranſiret. Cui Paſchalis, ego & grex meus nuſquam bene ſumus, niſi in » conſpectu Virginis, cujus protectio eum valde impinguabit; hoc audito » fidem ejus & devotionem admiratus ille, dictorumque veritatem experientia comperiens, agere eum deinceps pro libito ſivit. Dicunt autem » Paſtores, inter quos quadriennio toto verſatus eſt, quod cum ipſi luporum metu vigilarent, Paſchalis gregem ſuum noctu plerumque dimitteret » in campum, ſeſeque ad oſtium Conventus transferret orationis ergo, ſecurus protectione Deiparæ. Dici autem vix poſſe ajebant, quantum eam » veneraretur, flectendo genua Conventum verſus, cum ſignum dabatur ad » *Ave Maria*, Roſarium ejus attentiſſime recitando, quod ſemper in manu,

aut ex collo portabat, alioſque, ut idem facerent, inducendo: cum autem dormiebat, ſuum illum ſcipionem, in quo Deiparæ iconem ſculpſerat, ſtringebat amplexu, & vigilans cavebat, ne eum vel in pecudes jaceret, vel aliqua leviori actione inhonoraret. Sed & ſuaviſſime de ea loquebatur, nihil frequentius in ore habens, quam, ſalvet me Dei Mater, Virgo me ſoſpitet. Similiter & ſancto Joſepho afficiebatur tenerrime, ideoque libenter adibat colliculum quemdam, medium inter oppida Elches, & Montis-fortis, quod ex eo Conventus ambo, quos ſolos Valentino in Regno tunc habebat Provincia noſtra, eminus conſpiceret; unum ſcilicet Virgini Lauretanæ, & alterum Virgineo Sponſo ſacrum.

XVIII. Si quando rogabatur a ſociis paſtoribus, ut cum eis manducaret, accipiebat pauxillum panis, idque aquæ intingens ſurgebat, dicebatque ita levius ſe habere. Libenter tamen videbat ipſos manducantes ac bibentes etiam vinum, licet ab eo ipſe conſtanter abſtineret; ac ne in domibus quidem patronorum ſuorum, quando illuc pro gregis ſui neceſſitatibus adibat, oblatum inſtanter volebat ſuſcipere. Diſcalceatus ſemper cingebatur craſſo ex juncis marinis ſune: ſibi autem ea de cauſa compatientibus reſpondebat: hunc in modum fit aliquid ad obtinendam peccatorum remiſſionem, & Cœlum, ſi poſſibile eſt, conſequendum. Ut autem accurate ſervaret præſcriptam ſibi diſtributionem temporis, ſolare horologiolum penes ſe ferebat. Juſtitiæ vero erat obſervator tam rigidus, ut vel intrare in vineam alicujus ad carpendum uvarum racemum, grande quid crederet, quodque nemini licitum eſſet, niſi extrema ſiti aut fame urgente. Quod cum nimis ſcrupuloſe ab eo ſumi dicerent alii, nihilo ipſe minoris æſtimavit, quamvis parvulas regulas in illa materia, adeout, ſi grex ſuus, vel quatuor obulorum damnum faceret alicui, continuo id curaret compenſare. Dicentibus autem ſibi, quod ita volens agere, tandem plus ſolveret quam eſſet gregis totius pretium, reſpondebat: Multa parva hominem ad inferos trahunt, & ego nolo tanto gravari pondere. Contigit ergo, ut ſine ipſius culpa aliquando pecus in ſata quædam ingreſſum, haud leve, ut ipſi videbatur, damnum faceret, quod eum vehementer conturbabat, quia nomen Domini, cui ſatisfacere oporteret, ignorabat. Hac in mœſtitia defixo occurrit per viam homo, quem hilariter interrogans, nunquid ſciret quis agri illius foret dominus, cum nomen audiviſſet, auditumque more ſuo vellet ſcripto mandare, non reperit atramentariolum ſuum: hominique, perturbationis quam præſeferebat cauſam requirenti, reſpondit: quia excidit mihi atramentarium, neque poſſum ſcribere nomen ejus, cui grex meus damnum dedit; timeo autem, ne ipſum memoria mea excidat. Nimia videbatur Gaſpari Guerræ (id ei homini nomen erat) iſta ſollicitudo: ſed reſpondit Paſchalis; Præſtat, amice, hic quam in Inferno ſolvere. Ut ergo ſuæ faceret conſcientiæ ſatis, coram eodem Gaſpare, agni unius auriculam inſcidit, acceptamque feſtucam intingens ſanguini, ut melius potuit, nomen ſcripſit: quod idem deinde vir admirabundus publicavit. Similiter quia verebatur, num quantacumque adhibita diligentia ad plenum ſatisfeciſſet iis, juxta quorum agros ſolebat paſcere, ſodientibus aut metentibus eorumdem famulis aliquando ſe jungebat; ſatis hoc faciens etiam integro die, nolebat vel panis buccellam, aut aquæ hauſtum ab iis accipere, ſed de proprio veſcebatur.

A vino etiam puerulus abſtinet.

Juris alieni ſeveriſſimus cuſtos, ultro illata a prege ſuo damna compenſat.

XIX. Hinc fiebat, ut in eo tribunali, quod conſtitutum iſtis locis habetur ad æſtimanda damna ab animalibus facta, tanta haberetur fides Paſchali etiam *injurato*, ut ſimplici ejus depoſitioni fides haberetur abſque in-

» informatione ulteriori: quem etiam juvit hic, qui ſequitur caſus. Incurrerat nocte quadam grex ſuus in ſementem vicinam, & damnum notabile ei intulerat, quod ſtatim ac mane vidit Paſchalis, ad Judices retulit rogavitque, venirent æſtimaturi noxam. Venerunt illi, & coram Domino judicarunt abſumptum eſſe grani tantum, quantum menſuram impleret, quæ in Regno Valentino *Barchiglia* nuncupatur: verumtamen ſuſpendandam definitionem ultimam, donec ſementis, quæ adhuc in herba erat, ad frugem maturitatemque perveniſſet. Reverſi ergo meſſis tempore æſtimatores, nuſquam fruges lætiores copioſioreſque repererunt, quam eo loco, quem a grege ſuo depaſtum fatebatur Paſchalis, & Deum in Servo ſuo mirabilem collaudarunt. Notarunt alii, quod in hac parte tam ſollicitus, nunquam tamen pecora ſua jactis pedo vel lapidibus arceret ab agris alienis, aut in viam reduceret, ſed ut ſumnum comminari ſolitus, maxima cum moderatione modeſtiaque id faceret, illis velut hominibus parcens. Alii obſervarunt, quod licet plenus miſericordia erga pauperes nemini ſtipem petenti negaret, non tamen cum eis dividebat panem, ſibi ad ſui ſuſtentationem datum a patronis; ſed potius denariorum aliquid e ſalario ſuo reſervatum curabat penes ſe habere ad eorum neceſſitatem ſublevandam.

Frugem multiplicat Deus ob Paſchalis ſollicitudinem.

» XX. Qui tam ſollicitus erat, ne quid alieni juris fraudaret, facile intelligitur, quam exactus fuerit in eorum mandatorum obſervatione, quæ divinum concernunt cultum. Ergo ne memoriæ defectu alicui vigiliæ cum jejunio obſervandæ deeſſet, curabat habere Kalendarii exemplar, ex eoque etiam indicabat ſociis, quæ feſta eſſent de præcepto colenda. Curabat etiam pridie eorum ſic diſponere domi omnia, ut nec ligna quidem comportanda haberet, quatenus diem totum impendere ſacris exercitiis poſſet. Quod attendentes paſtorum magiſtri præſcindebant etiam ipſi occaſiones eas, per quas potuiſſet impediri; quin & diebus feriatis non raro facultatem præbebant audiendæ Miſſæ. Gratanter id ſane accipiebat Paſchalis, ſed graviter ferebat, quod, ne deeſſet officio ſuo, adeo celeriter deberet reverti. Quando autem nec illud licebat, & erat in loco vicino Conventui, obſervabat ſedulo pulſum campanæ, ut quo non poterat corpore, accederet affectu. Et gratificari illi volens pientiſſimus Dominus, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, ſæpe ei inter nubes ſpectabile exhibebat ſacroſanctæ Euchariſtiæ myſterium, Angelicis manibus in lucrotheca ſuſtentatum. Unde ille gaudio immenſo perfuſus, continere ſe non poterat, quin advocaret ſocios, ut fierent ejuſdem participes ſpectaculi, qui licet intendendo oculos, quo ille digitum, nihil viderent, non dubitabant tamen, quin vera diceret, idque plures poſtea teſtati ſunt.

Dei mandata ad apicem ſervat & cuſtodit.

Ab Angelis ſibi oblatam adorat Euchariſtiam.

» XXI. Interim contemplabatur virtutes, & vitæ aſperitatem in iſto Virginis Lauretanæ Conventu florentem, eique artius per vinculum religionis cupiens uniri, voti compos demum hoc anno factus eſt». Cætera de ſancto Viro profeſſionem emittente, ad annum ſequentem, favente Deo, referemus.

XXII. Porro dum Paſchalis in humili Laicorum numero Sanctorum gloriam promeretur in terris; Philippus II. Hiſpaniarum Rex per Dominum Ludovicum de Requeſens ſuum apud Sanctam Sedem Oratorem, de altero Laico item Hiſpano, Didaco nimirum de ſancto Nicolao, maximis ubique ſignis coruſcante, Sanctorum faſtis adſcribendo Romæ ſedulo agit. Enimvero Kalendis Maii hujus anni, non vero MDLXV., ut per errorem Sedulius, Pontifex Cardinalibus Joanni Morono, Michaeli Saraceno, Michaeli Alexandrino, Clementi Moniliano, & Vitellotio Vitellio tanti ponderis negotium

Agitur Romæ de Canonizando B. Didaco.

tium committit, eamque facultatem præterea adjungit, ut ex delegationis illius Apoſtolica auctoritate alios, quo ad opus eſſet, ad cauſæ cognitionem ſubdelegare poſſent, datis ad hoc litteris Pontificiis in forma Brevis confectis. At cum urbe cæteris præpediti negotiis abire non poſſent, tertio Nonas Maii, facultate ipſis conceſſa utentes, Epiſcopis Seguntino, Segobienſi, & Conchenſi, qui adhuc erat Bernardus Freſnenſis, cauſam commendant, facta etiam poteſtate, ut ipſi tres ſimul, vel ſaltem duo eandem cognoſcerent, litteris miſſis ut ſequitur:

Joannes Epiſcopus Præneſtinus Moronus; Joannes Michael, tituli S. Anaſtaſiæ Saracenus; Michael, tituli S. Sabinæ Alexandrinus; Clemens, tituli S. Mariæ in Aracœli Presbyteri; & Vitellotius S. Mariæ in Porticu Diaconus Vitellius nuncupati, S. R. E. Cardinales, ad infraſcripta per S. D. N. Papam, & S. Sedem Apoſtolicam ſpecialiter deputati.

Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Segobien., & Seguntin., ac Conchen. Epiſcopis, ſalutem in Domino.

NOverint Paternitates veſtræ, præteritis diebus coram Sanctiſſimo in Chriſto Patre, & Domino noſtro, Domino Pio Divina Providentia Papa IV. in ſuo Conſiſtorio ſecreto, pro parte Sereniſſimorum Dominorum Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, & Caroli ejuſdem filii Illuſtriſſimi Principis, ac Reverendiſſimorum, & venerabilium virorum Adminiſtratoris Archiepiſcopatus, & Capituli Eccleſiæ Toletan. nuncupatorum tam Eccleſiaſticarum, quam etiam Secularium Univerſitatum, & aliorum Chriſtifidelium partium illarum expoſitum fuiſſe, quod dudum, centum nempe fere ab hinc annis, in Conventu ſancti Franciſci oppidi Compluten. Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Toletanæ diœceſis, quondam Jacobus, alias Didacus de ſancto Nicolao, profeſſus laicus dicti Conventus, ex eo Fratrum genere, quos laicos, vel converſos vocant, religioſam ibi ſanctamque vitam egit, & in bona ſenectute plenus annis ibidem in Domino requievit, ubi, & corpus adhuc integrum viſitur, tanta vitæ innocentia, & ſanctitatis opinione, ut tum in humanis agentis, tum etiam ad cœleſtem patriam evocati meritis, & interceſſionibus (ut paſſim iſthic pie creditur) exoratus Altiſſimus, plurima, præſertim apud ejus ſepulcrum inter fideles ſuos operari miracula dignatus ſit; quorum beatitudinis ſignorum Religione profuſa Populi multitudo gratum ejus in Cœlis ſuffragium, nuncupatis etiam votis, quotidie ſupplex implorat, Dei benignitatem devote collaudans, qui ad confirmandam Catholicæ fidei puritatem, & obſtinatam hæreticorum pravitatem confutandam, ſuum bonum, & fidelem ſervum Didacum, qui Sanctorum ſuorum catalogo per Sedem Apoſtolicam merito adſcribatur, dignum effecerit. Quamobrem cum eidem Sanctiſſimo D. N. etiam vehementer crebroque Illuſtris Viri Domini Ludovici de Requeſens, majoris Præceptoris militiæ ſancti Jacobi de Spata Regni Caſtellæ, Oratoris ipſius D. Philippi Regis apud Sedem prædictam agentis efflagitatu inſtanter ſupplicatum fuiſſet, ut examen de ejus vita, meritis, & miraculis (uti aſſolet) confici mandare, illumque, ſi dignum inveniret, Sanctorum Dei catalogo adſcribere dignaretur. Idem Sanctiſſimus D. N. crebris, & vehementibus hujuſmodi ſupplicationibus, & efflagitationibus inclinatus, volens tamen more majorum in tam arduo negotio mature procedere, primo in eodem Conſiſtorio de Reverendiſſimorum DD. noſtrorum aliorum S. R. E. Cardinalium conſilio vivæ vocis oraculo, & deinde per ſuas in forma Brevis litteras, nobis integram hujuſmodi negotii cognitionem,

nem, & examen Sanctitati ſuæ poſtmodum in ſimili Conſiſtorio referendum, commiſit, ad hoc ut ex tali relatione noſtra inſtructus, in hoc negotio, prout ſecundum Deum faciendum eſſet, poſtmodum decernere valeret: quarum litterarum tenor eſt talis, videlicet a tergo: „ Venerabili Fratri Epiſcopo Præ-
„ neſtin. Morono, & dilectis filiis noſtris Joanni Michaeli tutuli ſanctæ Ana-
„ ſtaſiæ Saraceno, ac Michaeli, tituli ſanctæ Sabinæ Alexandrin., necnon
„ Clementi, tituli ſanctæ Mariæ in Aracœli Presbyteris, & Vitellotio,
„ tituli ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Vitellio nuncupatis, S. R. E. Car-
„ dinalibus. *Intus vero.* Pius PP. IV. Venerabilis Frater, & dilecti filii
„ noſtri, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Antiquis ſacroſanctæ Matris
„ noſtræ Eccleſiæ, Jeſu Chriſti Domini, & Salvatoris noſtri ſponſæ inſtitutis
„ edocemur, ut fidelium animas beatitudinis æternæ lætitia perfruentes
„ debita reverentia proſequamur, quas tunc demum Creatori ſuo acceptas,
„ civiumque cœleſtium conſortio feliciter aggregatas eſſe cenſemus, dum
„ omnipotens Deus, meritis illorum intercedentibus, fidelibus ſuis in extre-
„ ma neceſſitate conſtitutis, eorum ſuffragia devote implorantibus miracu-
„ loſe dignatur ſubvenire. Sane dilectus filius nobilis vir Ludovicus de
„ Requeſens, major Præceptor militiæ ſancti Jacobi de Spata, cariſſimi in
„ Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, apud nos, &
„ Apoſtolicam Sedem Orator, nobis in Conſiſtorio noſtro ſecreto pro parte
„ Philippi Regis prædicti, & dilectiſſimi etiam filii noſtri Caroli Principis
„ Hiſpaniarum Illuſtris, ac dilectorum filiorum Adminiſtratoris Archiepi-
„ ſcopatus, necnon Capituli Eccleſiæ Toletan., & quamplurium tam Eccle-
„ ſiaſticarum, quam etiam ſecularium Univerſitatum, & aliorum Chriſti-
„ fidelium illarum partium nuper expoſuit, quod dudum, nempe centum
„ abhinc annis, in Conventu ſancti Franciſci oppidi Compluten. Ordinis
„ Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Toletan. diœceſis, bonæ
„ memoriæ Jacobus, alias Didacus de ſancto Nicolao, frater Laicus dicti
„ Conventus, ex eo Fratrum genere, quos Converſos vocant, religioſam
„ ſanctamque vitam egit, & ibi tandem annorum plenus in Domino requie-
„ vit, ubi etiam illius corpus adhuc integrum viſitur, tanta vitæ innocentia,
„ & ſanctitatis opinione, ut multis ejus tum in humanis agentis, tum ad
„ ſuperos evocati meritis, & interceſſionibus (ſicut illic pie creditur) exo-
„ ratus Altiſſimus plurima præſertim apud ejus ſepulcrum inter fideles ſuos
„ humanæ prorſus ope deſtitutos, hujus advocati ſubſidium humiliter invo-
„ cantes, operari miracula dignatus ſit, quibus beatitudinis illius ſignis,
„ religione ducta vicinorum populorum multitudo, ſaluberrimum ejus in
„ Cœlis ſuffragium, nuncupatis etiam vntis ſupplex implorat, ac propterea Di-
„ dacus ipſe non indignus appareat, qui Sanctorum Dei cathalogo per dictam
„ Sedem adſcribatur, prout in ipſorum Philippi Regis, & Caroli Principis
„ aliiſque diverſis litteris, ac publicis atteſtationum inſtrumentis ad nos miſſis
„ plenius continetur. Unde præfatus Ludovicus Orator, Philippi Regis,
„ Caroli Principis, & aliorum præmiſſorum nominibus nobis humiliter, &
„ inſtantiſſime ſupplicavit quatenus examen de ejus vita, & miraculis, ut
„ aſſolet, fieri mandare, illumque, ſi dignus inveniatur, prædicto catha-
„ logo conſcribere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benigni-
„ tate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ad Nuncium tam jucundum,
„ immenſam Domini noſtri ſponſam ſuam nova ſubinde prole ad puritatem
„ Catholicæ fidei confirmandam, obſtinatamque hæreticorum pravitatem
„ convincendam noſtris præſertim temporibus fœcundantis, ſacroſque Reli-
„ gionis ſuæ palmites ubique dilatantis, amorem ſimul, & bonitatem tota

ſup-

„ ſupplicis animi pronitate adorantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, „ circumſpectioni veſtræ, ſingularem quorum religionis zelum, graveque „ judicium, & præcipuam prudentiam in maximis noſtris, & Eccleſiæ negotiis „ non ſemel experti ſumus, univerſum ſuper præmiſſis examen per vos, vel „ alium, ſeu alios faciendum, ac plenam, omnimodam, ac totalem hujus „ negotii cognitionem, de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica committimus: vobis nihilominus per Apoſtolica ſcripta mandantes, „ quatenus in primis per vos, vel alios in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, „ morum integritate, ſacrarumque litterarum doctrina comprobatos viros, „ quos ad id deputandos eſſe duxeritis, ſummariam ſuper vita, & converſatione ipſius Didaci, dictiſque miraculis informationem in genere, prout in „ ſimilibus fieri ſolet, conficere, & quæ circa hæc reperietis, nobis in ſecreto „ noſtro Conſiſtorio fideliter referre curetis, ut poſtmodum cum noſtro, „ aliorumque Fratrum noſtrorum conſilio, ad divini nominis laudem ea effi„ cere valeamus, quæ ſanctorum Patrum dogmata, ſacrorumque Canonum „ inſtitutiones, ac caritas poſtulat Chriſtiana. Super quibus vobis plenam, „ & omnimodam eadem auctoritate, præſentium tenore concedimus facul„ tatem. Quod ſi veſtrum quiſpiam præmiſſorum executioni commode ne„ queat intereſſe, reliqui nihilominus illa, ut præfertur, exequantur. „ Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1. Maii „ MDLXIV. Pontificatus anno V. „ *Nos igitur Sanctitatis ſuæ, & Sedis Apoſtolicæ in hac parte Commiſſarii ſic, ut præmittitur, ſpecialiter deputati, qui, ut obedientiæ filios decuit, hanc nobis factam commiſſionem reverenter recepimus, quia partim ob viarum longitudinem, partim ob alia arduа, quibus hic detinemur, negotia, munus hoc nobis injunctum perſonaliter exequi non facile poſſemus, de fidei ſinceritate, Religionis integritate, & famæ veſtræ candore, ſollicita pariter, & debita erga hanc Sedem obedientia, plurimum in Domino confidentes, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, Paternitatibus veſtris per præſentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo ex vobis per ſeipſos vice noſtra ſuper vitæ converſatione, fama, & meritis beati Didaci, miraculiſque prædictis, & populi erga illum devotione in genere fideliter, ut res expoſtulat, inquiratis, & ſummariam ex perſonis tamen fide dignis, & aliis probationibus idoneis informationem recipiatis, ac in ſcriptis redactam, clauſam, veſtriſque ſigillis munitam per fidelem nuncium quantocitius ad nos tranſmittere curetis, ut demum informatione hujuſmodi, quaſi diligentiæ, & devotionis veſtræ ſymbolo, Sanctitati ſuæ per nos obtata, ſuam, & dictæ Sedis benedictionem, ac æternæ retributionis præmium exinde conſequi valeatis. In quorum omnium fidem, & teſtimonium præſentes manibus noſtris, & Secretarii, ac Notarii infraſcripti ſubſcriptas expediri, & ſigilli prædicti Joannis Epiſcopi Prænestini antiquioris Cardinalis juſſimus, & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, anno Domini* MDLXIV. *die vero* V. *Maii Pontificatus prælibati S. D. N. Papæ anno* V.

Allatis iis ſubdelegatæ cauſæ litteris, Antiſtites Complutum veniunt, ubi centum ante annos Didaci anima ad Cœlos evolaverat. Eo loci cum de ejus ſanctimonia diligentiſſimum rite confeciſſent examen, hoc Romam miſerunt.

Fr. Antonius Sanmiguel Epiſc. Chiappen. *Ex Arch. Vatic. in lib. Con.*

XXIII. Neque inter vivos ii deſunt, qui doctrina, atque dignitatibus Franciſcanam Familiam illuſtrant. Siquidem hoc anno ad præſentationem Philippi II. Regis Catholici ad Epiſcopalem Sedem Civitatis Imperialis, ſive *Chiappen.*, in nova Hiſpania, Mexicanæ Provinciæ, a primæva ejus erectione vacantem, Antonius Sanmiguel Ordinis noſtri promotus eſt. Et ad Eccleſiam Sta-

Stagnenſem in Dalmatia Provinciæ Raguſinæ, vacantem per obitum Petri de Bozo, non ſemel a nobis memoratus Bonifacius Raguſinus ex Obſervantium familia. Hos duos dumtaxat promotos nobis acta Conſiſtorialia exhibent. Ex aliis autem Catalogis eruimus, celebrem, inclytumque Virum Bernardum Freſnenſem Epiſcopum Conchenſem ad Cordubenſem Sedem tranſiiſſe, * ſed, & Bartholomæum Baſſium de Lucignano Epiſcopatui Nucerino renunciaſſe. Hic erat Conventualium familiæ; ex qua etiam ad inquirendum contra hæreticam pravitatem delecti ſunt Franciſcus Zucarinus Veronenſis pro Patriarchatu Aquilejenſi, & Silveſter de Civitate Ducali pro Romana Provincia.

Bonifacius Raguſinus Stagnen.

* *Hoc anno die 5. Maii Bernardus adhuc Eccleſiæ Conchenſi præerat.*

Inſtituuntur Inquiſitores.

XXIV. Michaeli de Medina ex Obſervantibus a nobis ſæpe laudato facultas fit *legendi hæreticorum libros* ad effectum eos impugnandi, & præſertim *ad effectum expurgandi librum Chronicorum ab eis editum ab erroribus, quibus ſcatebat*, edito Brevi die XII. Maii.

Michael de Medina.

XXV. Angelus de Bictonio Seraphicæ Provinciæ cum Sociis ad partes Infidelium mittitur, eique facultas fit *eoſdem Infideles abſolvendi poſt eorum converſionem ab omnibus exceſſibus, etiam contentis in Cœna Domini, & commutandi vota cum largitione Indulgentiarum* per Diploma ſignatum die XIII. Julii, quod in Regeſto dabimus. Floret etiam Ludovicus de Villalpaldo Hiſpanus, qui linguam Indicam in methodum redegit, certaſque præſcripſit regulas, quibus facile poſſet addiſci, ut uſui eſſet iis, ait Waddingus, qui in vinea Domini per ingentes illos novi Orbis tractus laborant.

Angelus de Bictonio cum Sociis mittitur ad Infideles.

Ludovicus de Villalpaldo.

Tom. XVIII. ann. 1542. n. 22.

XXVI. Hoc autem anno, non vero MDCLXV., ut apud Rodulphum legitur, Forolivii PP. Capuccinorum celebrantur Generalia Comitia, & Evangeliſta de Canobio, qui Mediolanenſi Provinciæ præerat, Generalis Præfectus eligitur. *Plurima hic Vir*, ait Boverius, *prudentia, ac virtute inter cæteros præſtabat, utpote ſingulari eruditione, inſignique animi probitate præditus; atque adeo Regularis obſervantiæ ſtudioſus, ut nihil præter eam expetere videretur; quo ſane factum eſt, ut ſub illius adminiſtratione, quæ bene a prioribus Generalibus antea in Religione ſtatuta fuerant, melius ipſius diligentia excreſcerent, Regulariſque diſciplinæ cultus haud aſpernanda ſuo tempore incrementa daret. Nonnulla in hoc Capitulo ad integram Concilii Tridentini obſervantiam, a Patribus conſtituta ſunt. In his, ut Thelogica ſtudia in qualibet Ordinis Provincia, juxta ejuſdem Synodi decretum publice inſtituerentur: nam ante hoc tempus, cum Fratres Ordinis humilitatem, ac ſimplicitatem ſtudiorum erectione minui, ac labefactari extimeſcerent, publica litterarum ſtudia inſtituere verebantur, & ſi qui erant, qui litterarum ſtudiis incumberent, iis privati tantum Præceptores dabantur. Alia quoque nonnulla ad Religionis ſtatum ſpectantia, quæ in eadem Synodo decreta fuere, Generalibus Conſtitutionibus addita ſunt, ut evangelica Religio integerrimam ſe Eccleſiaſticarum Regularum Cuſtodem exhiberet, Euſebio quoque Anconitano Procuratoris officium apud Romanam Curiam delatum: ac Marius a Foroſarzinio Romani Conventus Guardianus, uſque ad futura Generalia Comitia creatus.* Hæc Boverius, qui etiam cujuſdam Monialis rarum pro more eventum narrat, ut ſequitur.

Capuccinorum General. Capit. celebr. *Bover. ad hunc ann. n. 1.*

Singulare hoc anno Ferrariæ factum contigit, haud ingrata memoria dignum. Sanctimonialis enim quædam, cujuſdam Ordinis Profeſſa, dum Sanctorum Patrum geſta, a Caſſiano conſcripta, atque inter alia ſanctæ Euphroſinæ acta perlegit, ipſius exemplo permota, ſibi in animum inducit, virili habitu aſſumpto Minorum Capuccinorum, quos ſanctimonia ubique florere intellexerat, auſteriorem vitam complecti, atque inter eos, ſub illius Religio-

nis habitu ignota, Domino famulari. Imprudens quidem consilium fuit, sed magni, ac ferventis animi testimonium. E Monasterio itaque digressa, cum sub virili veste, a Bononiensis Provinciæ Provinciali Vicario, in Capuccinorum sortem adscribi postulasset: ille hominem ratus, ac ferventioris animi studium secum admirans, dignum existimavit, quem Religionis habitu donaret. In Novitiorum igitur Laicorum numerum admissa, universa, quæ ad coquinæ ministeria, domus munditiam, & cætera officia, quæ ad Laicos spectant, tanta diligentia præstabat, humilitati, obedientiæ, caritati tam fervide studebat, ac demum orationi, ac divinis rebus tanto studio incumbere videbatur, ut cunctos in sui admirationem raperet. Hoc pacto cum ad quintum usque mensem, probationis annum perduxisset: fieri tamen haud potuit, sexus ipsa natura ad propria refluente, quin hoc tempore virilibus fœmineos quosdam actus interfereret: quibus pedetentim Fratres in sexus suspicionem adducti fuere. Quo fiebat, ut & accuratius eam observarent, & diligentius illius acta perpenderent. Inter hos senex quidam Pater, extremum de illa periculum facturus, quadam Dominica die, in qua Novitiæ fœminæ popinæ ministerium commissum fuerat: dum ea cum reliquis Novitiis in Ecclesia rebus divinis vacaret, ad popinam accedens, ollam carnium, quæ igni admota fuerat, quasi casu aliquo dilapsa esset, prudenter invertit: tum in secretum locum secedens, unde Novitiæ verba, & actus recte percipere valeret, redeuntem expectat. Post divina mysteria peracta in ea, festina ad popinam redit: at simulatque ollam inversam animadvertit, protinus exclamat: Heu me miseram: Quis ollam carnium subvertit? Neque enim, tametsi actus viriles simularet, seipsam præsertim in repentino casu, quum natura mentem antevertit, aut simulare, aut negare poterat. Sua igitur voce ac testimonio cum se fœminam prodidisset, atque a Magistro interrogata, status sui conditionem, tametsi invita, integre declarasset: res ad Episcopum delata fuit: qui causa diligentissime examinata, cum in ea nihil præter simplex, ac ferventi animi propositum deprehendisset; impunem illam suo Monasterio restituit. Duo etiam Boverius ibidem visa refert, quorum fidem apud eundem relinquimus.

Bartholomæus de Morettis Generalis Tertii Ordinis obit.

XXVII. Generali Præfecto Tertii Instituti Columbano de S. Columbano die v. Maii MDLXIII. vita functo, Bartholomæus de Morettis Cremensis, qui eidem in munere obeundo successit, hoc anno, & ipse die XXIII. Aprilis fatis concedit.

Ædificantur Cœnobia.

Gonz. part. 2. in Prov. S. Nicolai Conv. 40.

XXVIII. Sub id tempus plura Nostris ædificata Cœnobia; etenim inclytus Achajæ Dominus Joannes Jacobus in eodem oppido, Neapolitanæ Ditionis, & sancti Nicolai Provincia, sub Reginæ Angelorum invocatione a fundamentis proprio ære Conventum ædificat. Operi autem quam citissime absoluto intendit Franciscus Achajus ejusdem filius, & sodalis noster ab eruditione non uno tantum nomine commendatus. Avellæ item in Neapolitano Regno, sed Provincia Terræ laboris Caroli Spinelli Seminariensium Ducis, atque Incolarum oppidi expensis, Nolanorum Antistite pro suo jure facultatem largiente, alter sub titulo Annunciationis a fundamentis exstruitur.

Conv. Avellæ. *Idem in Provin. Terræ Laboris Conv. 26.*

Conventus Salmanticensis. *Idem part. 3. in Prov. S. Jacobi Conv. 34.*

Rapinæus pag. 384.

XXIX. Satisfacturi, ait Gonzaga, Provinciæ sancti Jacobi Patres Adolescentibus, atque optima indole præditis, qui Mundi illecebris, atque academicis honoribus longe posthabitis, ad perfectiorem vitam aspirarent, Conventum Salamanticæ divo Antonio de Padua sacrum, ex facta sibi a Petro Gonzalvo a Mendoza Salmanticensium Episcopo facultate, hoc eodem anno non longe a muris Civitatis ædificandum, atque XX. Recollectis Patribus, ut tyrones ad sacram Minorum Religionem accedentes, in paupertate, atque Monastico rigore felicius instruerentur, tradendum curarunt. Ad cujus ædificatio-

cationem, atque promotionem Franciſcus a Parada, atque Anna Martinez ejus uxor Salmanticenſes cives pinguiſſimam MD. aureorum eleemoſynam, præter ſitum, ea tamen lege poſita, ut perpetuo Patribus Recollectis deſerviat, liberaliſſime contulere. Quod vero reliquum eſt operis ex diverſis fidelium eleemoſynis eſt abſolutum. Quotquot fideles confeſſi, atque ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento muniti hanc ſacram ædem in beati Antonii de Pauda ſolemnitate, pro Eccleſiæ augmento, hæreſum extirpatione, atque inter Principes, cæteroſque Chriſtianos pace D. O. M. deprecaturi fuerint ingreſſi, plenariam omnium tranſgreſſionum indulgentiam, idque ex conceſſione Gregorii XIII. Pont. Max. cujus Bulla data Romæ XXVI. Februarii, anno Domini MDLXXVIII. in præſentis loci tabulario habetur, conſequuntur. Nullus alius a præfatis Franciſco a Parada, Anna Martinez, eorum Succeſſoribus, atque hujus loci Religioſis, idque ex lege a Franciſco, & Anna prædictis poſita, in majori præſentis Eccleſiæ ſacello humari poteſt.

Convent. Burgiliorum. *Gonzag. part. 3. in Provin. S. Gabrielis Con. 22.*

XXX. Tereſia a Stunnica Beſiaranorum Duciſſa pro ſua, qua in ſtigmata S. P. Franciſci devotione ferebatur, pietate, non procul ab oppido Burgiliorum (*hiſpanice Berguillos*) quod ſibi parebat, Cœnobium intra Provinciæ ſancti Gabrielis limites exſtrui curavit. At immatura morte præventa, quidquid ad operis conſumationem neceſſarium fuit, id ex teſtamento reliquit, quod tandem ad optatum finem an. MDLXXI. perductum eſt, ut etiam ad eundem annum, Deo favente, narrabimus.

Conv. Luponii. *Idem in Provinc. S. Michaelis Cap. 22.*

XXXI. In ſancti Michaelis Provincia conſtruxerat olim, ad pauperes peregrinoſque Hoſpitio excipiendos, Didacus de Alvarado Alcantarenſium Militiæ Æques propriis ſumptibus Xenodochium, non longe a Luponio vulgò *Labon*, nullius Diœceſis, ſed ejuſdem militiæ oppido illudque alteri Didaco ejus ex fratre nepoti teſtamento reliquit. Cum autem Eliberia a Figueroa Populæ Comitiſſa Oppidum præfatum emiſſet, etiam Xenodochium ea lege obtinuit, ut illud in Minoriticum Cœnobium evehendum curaret, quod ſub titulo ſancti Jacobi hoc anno factum eſt.

Convent. Villæ novæ de Xara. *Idem in Provinc. Cartaginenſi Con. 24.*

XXXII. In oppido verò Villæ novæ de Xara, Murciani Regni, ſub Villenicorum Marchionis dominio, in Conchenſi diœceſi noſtræ Cartaginenſis Provinciæ, ipſemet Generalis Miniſter Franciſcus Zamorenſis, piorum eleemoſynis, Conventum SS. Nomini Jeſu ſacrum a fundamentis excitat.

Conventus Romonis. *Picquet. p. 142.*

XXXIII. Jubente Carolo IX. Chriſtianiſſimo Rege Cœnobium Romonis Provinciæ ſancti Bonaventuræ, & Viennenſis Cuſtodiæ, quod ab Hæreticis direptum, ac devaſtatum fuiſſe ſuperius dicebamus, noſtris hoc anno reſtitutum eſt.

Conv. Villahiuis. *Gonzaga part. 3. in Provinc. Conceptionis Con. 21.*

XXXIV. Ad Obſervantes hoc anno Conventum Villaluini Provinciæ Conceptionis in Hiſpania devolutum fuiſſe apud Gonzagam legimus, qui antea ad Patres Conventuales pertinebat; mendum tamen in narratione corrigendum *de Pio V. ſedente, imo & præcipiente*, quod Amanuenſi tribuendum eſt. Quia vero ab hominum frequentia ſemotus locus contemplationi favet, cæteris Provinciæ ejuſdem domibus Recollectis adjunctus eſt. Antiquiorem præterea formam, quod ejus ædificia majori ex parte ruinam minarentur, immutavit, aliamque multo elegantiorem induit. Cæterum in ejus Eccleſia Maria a Velaſco oppidi *Pannaſiel*, olim Marchioniſſa tumulata jacet. Similiter ad eoſdem Obſervantes devolvitur Conventus ſancti Juliani Piedroli Provinciæ Cantabriæ, cujus etiam Waddingus meminit, eodem Gonzaga teſte, apud quem iterum idem error, qui ſupra de Pio V. corrigendus eſt. In Germania vero inferiori Conventus Meclinienſis conflagratio contigit, qua

Conventus Piedroli. *Idem in Provinc. Cantabriæ Conv. 2.*

Tom. II. an. 1231. n. 30. & Tom. XI. ann. 1447. n. 88.

Convent. Mechlinenſis comburitur. *Idem in Provinc. Germaniæ inferioris Conv. 7.*

de re ait præfatus Gonzaga, *privilegia totius Provinciæ*, quæ in Archivis ſervabantur, prorſus interierunt.

PP. Conventuales acquirunt Cœnobia. *Lib. MS. pag. 611.*

XXXV. Etiam PP. Conventuales plura ſibi loca acquiſiviſſe legimus; duo in Provincia Calabriæ Neapolitani Regni, apud Sidernum videlicet, ſive Sideroem ſub ſanctæ Catharinæ V. & M. auſpiciis, cujus fundator Magiſter Petrus Barbantanus, & apud Miſſianum, quorum etiam Rodulphus in Cuſtodia Rhegienſi meminit. In Provincia vero ſancti Angeli ejuſdem Neapolitani Regni illum Alberonæ ſancti Rochi titulo inſignitum, religioſo viro Nicolao Maria de Aſculo procurante: & demum in Provincia Romana apud Praxedem, Ferentinæ diœceſis vir nobilis Bellius maximus, Epiſcopo, Archipresbytero, atque Canonicis aſſentientibus, Eccleſiam Abbatialem ſancti Joannis iiſdem, abſque ullo prorſus onere largitus eſt, ab iiſdem tamen exinde relicta.

Lib. 2. MS. pag. 739.

Confraternitas erecta in Eccleſia XII. Apoſtolorum Urbis.

XXXVI. In percelebri Templo eorumdem Sanctorum Apoſtolorum Urbis cum quidam Chriſtifideles nuper Confraternitatem pro decentiori SS. Euchariſtiæ Sacramenti veneratione, & regimine Monaſterii domus piæ, & ſublevamine ægenorum mendicare erubeſcentium, aut alias oppreſſorum, ſub Regula ſanctæ Claræ, in ſancti Euſtachii Regione, ſub eorumdem SS. Apoſtolorum invocatione inſtituiſſent; erectionem hujuſmodi Pontifex hoc anno confirmat, edita Conſtitutione: *In Apoſtolicæ &c.* die 16. Novembris, ut in Regeſto. Porro Monaſterium illud ipſum eſſe creditur, quod nunc ſanctæ Claræ in eadem ſancti Euſtachii Regione nomen audit, Felice Peretto procurante, ut probabilis ſert opinio, ab eadem Sodalitate conſtructum, cujus Eccleſiam idem factus Pontifex ædificare fecit, & in quo Moniales degentes, & collegialiter abſque clauſuræ legibus viventes, eorumdem Conventualium curæ fuerant commendatæ. In ſacello etenim ſanctæ Mariæ Angelorum præfati Templi Sorores hujuſmodi ſuum etiam habebant ſepulcrum, ut ex libris Defunctorum Paraciæ, ibidem erectæ non obſcure colligitur. Quo circa caute legendum monemus Dominicum de Gubernatis, ubi ſcribit, Monaſterium hujuſmodi Monialium fuiſſe *ſanctæ Mariæ Magdalenæ*, quibus Leo X. olim *licet Regulam ſancti Auguſtini, utpote tolerabiliorem præſcripſerit ſub cura Fratrum Minorum; harum tamen Convertitarum curam, & regimen præſcriptis vivendi legibus commiſit Confraternitati Charitatis de Urbe*. Etenim Leo X. per laudatam Conſtitutionem Monaſterium ſanctæ Mariæ Magdalenæ Convertitarum directioni PP. Minimorum SS. Trinitatis Montis Pincii, non vero Fratrum Minorum commendatum voluit.

Gubernat. caute legendus Tom. 2. Pag. 911.

XXXVII. In eodem item SS. Apoſtolorum Templo corpus Michaelis Angeli Bonarotæ, qui hoc anno (non vero 1585. ut ſcribit Rodulphus) die 17. Februarii deceſſit, terræ demandatum eſt, quod exinde clam ab amicis ſublatum, Florentiam transfertur, & Magni Ducis juſſu, ſolemniſſimo ritu, in ædibus ſancti Laurentii peractis exequiis, in Eccleſia tandem ſanctæ Crucis eorumdem PP. Conventualium juxta ejus diſpoſitiones, nobili exſtructo ex perpolito marmore mauſolæo, univerſæ carnis reſurrectionem expectat. Quam Hiſtoriam cum Thuanus in Vaſarii ſententia narrare fateatur, mirum ſane, quod apertum mendacium contra eumdem Vaſarium producat, ſcribens, Bonarotæ corpus *ad beati Laurentii ædem fuiſſe conditum*. Hæc minime præterire nobis viſum eſt, quum Bonarota, qui in picturæ, ſtatuariæ, & architecturæ diſciplinis nemini poſt Græcos, antiquoſque Romanos fuit ſecundus, imo & cum illis, jure, meritoque comparandus, tam de Franciſcanis fuerit optime meritus, ut dignum propterea videatur de ipſo, in noſtris etiam Annalibus illuſtrem recoli memoriam.

XXXVIII. Patribus item Capuccinis Ariminenſe Cœnobium in Provincia Bo-

Bononiæ communi ære extra urbem exſtruitur, quod tamen circa an. MDLXX. ob aeris intemperiem intra, ſed prope mœnia translatum eſt: illud Francavillæ Hydruntinæ Provinciæ M. P. ab Oppido diſtans, Spiritui Paraclito ſacrum. Illud Agrigenti Provinciæ Panormitanæ Dominicæ Nativitati dicatum, extra urbem D. P. Illud ad M. P. extra Paſſinianum Provinciæ ſancti Franciſci, & Perusinæ diœceſis: illud demum ſancti Pauli Mevaniæ ejuſdem ſancti Franciſci Provinciæ, & Spoletanæ diœceſis extruuntur: quæ ex Boverianis Annalibus fruſtra deſiderata, nobis religioſiſſimi Patres pro eorum in nos conſueta humanitate ex Archivo exhibuerunt.

Conventus PP. Capucen. *MSS. authent. pag. 4. & ſeqq.* Arimenenſis. Francavillæ. Agrigenti. Paſſiniani. Mevaniæ.

XXXIX. Similiter Patres Tertii Inſtituti Conventum ſancti Rocchi acquirunt in loco Fornacum à Civitate Brixienſi IV. M. PP. diſtante, Incolis elargientibus, religioſiſque viris Paulo de Catuneis de Carpantulo, & Manſueto de Paſqueto de Salodio, pro ſe, & Ordine ſuo recipientibus, ſequentis Inſtrumenti vigore: *In Chriſti nomine, Amen* MDLXIV., *indictione ſeptima die* XXII. *menſis Maii infraſcripta Eccleſia præſentibus Franciſco quondam Stephani de Fininis, Franciſco quondam Petri dei Rè, Ludovico quondam Thomæ de Maſcilis, Tonino quondam Joannis de Provaliis, Baptiſta quondam Antonii de Glizzoniis, Magiſtro Joanne quondam Bartholomæi de Maraltis, & Joanne Maria quondam Barsbolomæi de Zambelli's de Cignano omnibus habitatoribus in loco infraſcripto Fornacum Clauſuræ Brixiæ, teſtibus rogatis notis, & ad hæc ſpecialiter vocatis, & aſſerentibus ſe ſe cognoſcere partes, & me Notarium. Cum ſit, quod infraſcripti homines Terræ Fornacum, diſtrictus Brixiæ reperirentur in magna neceſſitate Sacerdotum celebrandi Miſſam in Eccleſia ſancti Rocchi ſita in prædicto loco Fornacum Clauſuræ Brixiæ, & volentes providere de tali Sacerdote pro neceſſitate, ut celebretur Miſſa perpetuis futuris temporibus in dicta Eccleſia. Ideo D. Franciſcus quondam D. Georgii de Longhevis Civis Brixiæ, D. Bonaldus quondam D. Joannis Antonii de Bonaldis agens nomine D. Ceciliæ de Pelandinis &c. omnes habitatores in dicto loco Fornacum aſſerentes ſe eſſe duas partes trium partium dicti loci, ſono campanæ prius præmiſſo, juxta ſolitum & morem, præſentes, & agentes pro ſe ſe de dicti totius loci, & vicinæ, omni meliori modo, jure, via, forma, & cauſa, quibus melius potuerunt, & poſſunt, donaverunt, & donant, & titulo donationis juriſpatronatus conceſſerunt, ſupradictam Eccleſiam, cum modica domo, & horto ſitam in dicto loco Fornacum, quibus coherent à Monte Joannes Hieronymus de Abbatis, a mane ſtrata publica de Quinzano, a meridie Bonus de Gristis, ſalvis &c. aliis cohærentiis, Rev. Patribus Paulo quondam D. Feliciani de Catuneis de Carpantulo, nec non Rev. P. Manſueto de Paſquettis de Salodio de Cabario Brixiæ ibidem præſentibus, & acceptantibus pro ſe ſe, ac nomine Congregationis Tertii Ordinis ſancti Franciſci Regularis Obſervantiæ Congregationis Lombardiæ, licentiam, & auctoritatem à ſuis Superioribus habentibus, ut aſſeruerunt conſtare procuræ Inſtrumento rogato &c.. Et hoc dicti homines fecerunt, qui dicti RR. PP. promiſerunt celebrare, aut celebrari, ſeu manutenere facere unam Miſſam in dicta Eccleſia perpetuis temporibus. Et inſuper ſupradicti homines promiſerunt dare pro eleemoſina libras quadraginta pro ſingulo anno, & perpetuis temporibus de menſibus ſex in ſex menſibus. Ad habendum, & poſſidendum prædictam Eccleſiam, & bona, ut ſupra per prædictos RR. Patres, prout ſibi placuerit, & fieri licet de hujuſmodi bonis Eccleſiaſticis. Dantes prædicti homines, atque cedentes &c., renunciantes &c.*

Domus Tertii Ordinis prope Brixiam. *Arch. pag. 885.*

XL. Pro Virginibus ejuſdem Tertii Inſtituti Monaſterium ſanctæ Annæ Ulyſſipone Provinciæ Luſitaniæ conſtruitur à Catharina Joannis

Monaſt. S. Annæ Ulyſſipon. *Gon.. par. 2. in Provin. Portugalliæ Monaſter. 16.*

nis III. Luſitaniæ Regis uxore, quæ cum miſerrimis mulierculis, quæ corpus ſimul cum fama proſtituunt, ex intimis præcordiis compateretur, per quamdam Æthiopiſſam, maxime devotam, ſibique admodum familiarem, earum viginti unam collegit, quas per continuos viginti annos in quadam honeſta domo aluit, induit, conſovit, atque omnibus neceſſariis proſequuta eſt: nihil interim eorum prætermittens, quæ ad ipſarum ſpiritualem ſalutem conducere viderentur. Cumque iſtis aliquot aliæ adhæſiſſent, ne forte ſe è vivis ſublata, ad priſtinam vivendi luxuriam redirent, hoc ſacrum Monaſterium intra Civitatis muros ſuis ſumptibus ædificari, inſtrui, atque dotari, præfatiſque mulieribus, dummodo tertium beati Patris noſtri Franciſci Ordinem profiterentur, tradi curavit. Fuere igitur vigintiquatuor, quæ hujuſmodi vivendi modum ſumpſerunt, quarum laude, bonoque ſanctitatis odore, atque numero adeo excrevit hic locus, ut præcipuis ejuſdem Civitatis annumerandus veniat.

Mon. Concep. Idem in Provin. Carthag. Monaſt. 2 VII.

XLI. Iiſdem item Monaſterium Conceptionis Alcarazii Provinciæ Carthaginenſis ædificatum eſt. Etenim animadvertens Franciſca de Cruce, Conventus ſancti Joannis de Pœnitentia, Toleti, a Franciſco Ximenio Toletanorum Archiepiſcopo erecti, qui ad Tertiarias Franciſcanas Sorores pertinet, olim alumna, ſe non ſibi, ſed Patriæ potius natam; poſtquam per quadraginta, & amplius annos præfato in Conventu ſanctiſſime vixiſſet, ædiculam Immaculatæ Conceptioni Virginis glorioſæ ſacratam, atque in ſuburbio hujus Oppidi, ex quo ipſa oriunda erat, erectam, a ſe ab ejuſdem Oppidi communitate impetrandam, atque in Monaſterii formam, ex facta ſibi ab inclyto Antonio a Toleto ſacræ ſancti Joannis Militiæ apud Hiſpanos Priore, cujus id muus erat, facultate, evehendam cenſuit. Ut igitur primum præfatam ædiculam die XXIII. Maii obtinuit, ad eam tum ex Conſanguineorum bonis, tum quoque ex piorum eleemoſynis, in Monaſterium pro triginta Tertiariis Sororibus Franciſcanis omnino accomodatam, ſe transferri curavit, ejuſque Matrem, ut accedentes juvenculas tum religione, tum quoque honeſtate imbueret, per aliquot annos egit. Cujus hauddubie vita pietatis atque ſanctitatis ſpeculum cæteris correligioſis fuit.

Monaſt. Pennar. Idem in Provin. Conceptionis Monaſt. 27.

XLII. Conceptioniſtis verò Sororibus Monaſterium Pennarandæ Conceptionis Provinciæ eodem Conceptionis titulo inſignitum Petrus a Stunnica, & Avellaneda, atque Maria a Cardenis conjuges, & Oppidi Comites à fundamentis ad apicem uſque conſtruunt, in gratiam dilectiſſimæ ex filio neptis Annæ a Stunnica Ordinis ejuſdem alumnæ in Turgiano Cœnobio, ex quo ut primam Abbatiſſam ageret, Apoſtolica ſibi facta auctoritate deducendam curarunt. In eadem Conceptionis Provincia Monaſterium ſanctæ Claræ, non procul ab oppido Caſtri Cæſaris, Burgenſis dioeceſis olim ædificatum, hoc anno, non ex Pii V., ut apud Gonzagam legitur, ſed Pii IV. decreto, illud ad hoc uſque tempus Patribus Conventualibus moderantibus, cæteris hujus Provinciæ locis, teſte eodem Gonzaga, adjectum extitit.

Monaſt. Caſtri Cæſaris. Ibid. Monaſt. 28.

Conventus S. Geneſii à Minoritis deſeritur. Regeſt. Ciſmon. Aracal.

XLIII. Ex Regeſto Ciſnontanæ Familiæ Aracœlitani Archivi eruimus Pontificem hoc anno Miniſtro Obſervantis Picenæ Provinciæ facultatem feciſſe, ut poſſet Cœnobium S. Geneſii, Camerinenſis dioeceſis ad libitum deſerere, atque ornamenta, ſupellectilem, cæteraque bona ad Ordinem, ſalvo Apoſtolicæ Sedis jure, pertinentia, alio transferre, per ſuum vivæ vocis oraculum, ut ex ſequenti Cardinalis Simonetæ teſtimonio liquet.

LU-

LUDOVICUS miſeratione divina tituli ſancti Cyriaci Presbyter Cardinalis Simoneta nuncupatus.

Fidem facimus, & atteſtamur per præſentes, quatenus ſanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter Dominus Pius divina providentia Papa IV. vivæ vocis oraculo Miniſtro Provinciali Provinciæ Marchiæ, ac Guardiano, & Fratribus Ordinis Minorum Obſervantiæ, Domum ſeu Conventum Labbatiæ nuncupatæ, Terræ ſancti Geneſii, Camerinen. diœceſis, ut dicitur, domum ſeu Conventum ad libitum deſerere, & relinquere, ac ornamenta per eoſdem Fratres inibi apportata, vel alias quomodolibet ad ipſos de jure ſpectantia, & quaſcumque alias ſupellectiles ex illa ad aliam Domum tranſportare poſſint abſque cenſuræ, & pœnæ incurſu, plenariam, & amplam facultatem in Domino conceſſit. In quorum fidem has præſentes manu noſtra propria ſubſcriptas exinde fieri, & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi mandavimus, ſigillique noſtri, quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus impreſſione muniri. Datum Romæ in ædibus noſtris ſub anno a Nativitate Domini MDLXIV. *die vero . . . menſis Auguſti Pontificatus ejuſdem SS. D. N. Domini Pii divina providentia Papæ IV. anno* V.

Ita eſt L. Card. Simoneta manu propria ſubſcripſi.

XLIV. Fratribus Provinciæ Boſnæ Argentinæ privilegia confirmat, quod videlicet ad normam Fratrum Domus Hieroſolymitanæ, a quocumque voluerint Catholico Antiſtite extra tempora à jure ſtatuta, ſacros Ordines, etiam unico die, poſſint ſuſcipere. Quod poſſint à Turcis emere ſibi neceſſaria, quod defectu natalium quomodolibet notati quæcumque officia, & dignitates Provinciæ habere poſſint, & exercere; cæteraque concedit iiſdem, quæ Paulus III. deceſſor olim conceſſerat, ut patet per litteras in forma Brevis, quibus initium *Circa Religionum &c.* I. Decembris. Contra litteras Pauli IV. indulget idem Pontifex, quod in Provinciis, præſertim Galliarum, & Hiſpaniarum, Definitores in Capitulis Guardiani inſtitui poſſint. *Exponi nobis &c.* XV. Aprilis. Pro relaxatione cujuſdam Juramenti Abbatiſſæ, & Monialium ſanctæ Claræ oppidi de *Vibar del Cid*, ſub invocatione Dominæ Noſtræ *del Spino* Burgen. Provinciæ in Hiſpania ſunt datæ litteræ: *Exhibita nobis nuper &c.* XVII. Kalend. Julii. Conceditur etiam facultas Magiſtro Generali Patrum Conventualium, ut poſſit Florentiam ſuæ Familiæ convocare Generalia Comitia XXII. Auguſti, & etiam indultum, quoadusque vixerit, promovendi ad Magiſterium in Theologia quindecim Fratres Ultramontanos, qui ad Capitulum Generale accedere non potuerunt. Pro Monaſterio autem Clariſſarum beatæ Mariæ Ulyſſipone, ſupplicante Regina Luſitaniæ, confirmat ſtatutum, ne ibidem ultra L. Moniales eſſe poſſint XXV. Januarii. Indulta Pontificia.

RE-

REGESTUM PONTIFICIUM.

METHUEN
MUDIBRARY

REGESTUM PONTIFICIUM.

Monitum Lectorem volumus nullam a nobis prætermiſſam operam, quin laboribus ac ſumptibus parceremus in Bullis illis exquirendis, quorum teſtimonio authenticos Epiſcoporum inaugurationes redderemus; temporum tamen injuria, qua eas deperditas fateri cogimur, in cauſa eſt, cur Pontificiis Bullis Acta Conſiſterialia ex Archiviis deprompta ſufficiamus.

JULIUS III.

ANNO CHRISTI 1554. PONTIFICATUS ANNO 5.

I.

Mauritius Ophilius præficitur Eccleſiæ Roſſenſi in Hibernia. Ex Actis Conſiſtorialibus autographis in Tabulario Secretiori Vaticano aſſervatis Tomo 3. fol. 96. a tergo.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Veneris XII. *Januarii* MDLIV. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Bellayo

SAnctiſſimus Dominus noſter Julius Divina providentia Papa III. providit Eccleſiæ Roſſen. in Hibernia, tunc per obitum bonæ memoriæ Bernutii Macarii, olim Epiſcopi Roſſenſis, extra Romanam Curiam defuncti vacanti de perſona Domini Mauritii Ophili, Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſoris de nobili genere procreati, ipſum illi in Epiſcopum præfecit, & Paſtorem, cum clauſulis &c.

II.

Hilarius Clericus præficitur Eccleſiæ Ebronenſi. Ex Actis Conſiſtorialibus autographis in Tabulario Secret. Vaticano aſſervatis Tomo 3. fol. 96. a tergo.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Veneris VI. *Aprilis* MDLIV. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Bellayo

SAnctiſſimus Dominus noſter Julius Divina providentia Papa III. providit Eccleſiæ Ebronenſi in partibus infidelium conſiſtenti, tunc per obitum bonæ memoriæ Bartholomæi extra Romanam Curiam defuncti vacanti, de perſona Domini Hilarii Clerici, Ordinis Fratrum Minorum, & Sacræ Theologiæ profeſſoris, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit, & Paſtorem cum Indulto de non accedendo ad dictam Eccleſiam, & facultate exercendi Pontificalia in Civitatibus, & Diœceſi Pictavienſi de conſenſu &c. reſervata eidem Hilario penſione annua centum, & quinquaginta ducatorum auri de Camera

ſuper menſæ Epiſcopalis fructibus Pictavien. de conſenſu moderni Epiſcopi, quæ tranſeat ad Succeſſores, & eum clauſulis &c.

III.

Epiſcopo Novarienſi ſcribit in favorem populi loci Varalli Vallis Siciliæ pro eleemoſynis colligendis in Eccleſia Fratrum Minorum. Ex originali in noſtra Collect.

Venerabilis Frater. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Conſules & homines loci Varalli Vallis Sicidæ tuæ Novarienſis Diœceſis, quod jam ab immemorabili tempore citra, in domo, ſeu illius Eccleſia Sac. Montis ejuſdem loci, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium ſancti Franciſci una capſa, in qua eleemoſynæ pro conſtructione, ſeu reparatione capellarum, ſeu Sacellorum ejuſdem ſancti Franciſci, & beatæ Mariæ Virginis, ac Annunciationis ejuſdem, & Nativitatis, & Circumciſionis, & Cœnæ Domini noſtri Jeſu Chriſti in dicto Monte ſitorum, eſſe conſueverit, prout etiam de præſenti exiſtit, ipſæque eleemoſynæ in conſtructionem ſeu reparationem hujuſmodi, ac forſan alia opera caritatis per dictos Conſules & homines, ſeu juxta illorum Ordinem ad Dei laudem exponantur, & convertantur, timeantque iidem Conſules & homines, ne aliqui avaritia, ſeu invidia ducti capſam ipſam a dicta Eccleſia, ſeu domo amoveant, vel amovere procurent, aut illam, ſeu dictas eleemoſynas ſub prætextu erectionis, aut aliis impetrent, & quæ pro Divini cultus augmento deputata ſunt, propriis & particularibus uſibus applicentur & approprientur; quod ſi fieret, ipſorum Conſulum & hominum, ac aliorum Chriſtifidelium devotio frigeſceret, ac dicti Conſules & homines, aliique Chriſtifideles a largitione eleemoſynarum hujuſmodi detraherentur. Quare pro parte Conſulum & hominum præfatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, ac eoſdem Conſules & homines ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem Conſulibus & hominibus, quod capſa prædicta in Domo, ſeu illius Eccleſia hujuſmodi, & loco, in quo ad præſens exiſtit, prout hactenus fuit, & eſt, perpetuo remanere & eſſe poſſit & debeat, & ab inde per dilectos filios Guardianum, & Conventum, ac Fratres dictæ Domus, ipſiuſque Ordinis Magiſtrum Generalem, ſeu Provincialem, & alios quoſcumque Superiores abſque expreſſo conſenſu & voluntate eorumdem Conſulum & hominum dicti loci nunc, & pro tempore exiſtentium, ex quavis cauſa amoveri nullatenus poſsit, ſeu debeat, ac quod dicti Conſules & homines, prout hactenus fecerunt, claves dictæ capſæ penes ſe tenere, & habere, ac euſtodire, & eleemoſynas percipere, & in reparationem ſeu conſtructionem, & alia pia caritatis opera hujuſmodi ad eorum libitum convertere, & de illis diſponere libere & licite valeant, ac deſuper per Guardianum, Conventum, Fratres, Magiſtrum Generalem & Provincialem, & alios Superiores, ſeu quoſcumque alios, directe vel indirecte moleſtari, vel inquietari nequeant, concedere & indulgere: Necnon ſic per quoſcumque Judices & Commiſſarios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, judicari debere, ac quidquid ſecus ſuper his a quocumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernere auctoritate noſtra procures. §. III.

§. III. Et nihilominus iiſdem Conſulibus & hominibus in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtens, non permittas eos per quoſcumque deſuper quomodolibet moleſtari; contradictores quoslibet ac rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas tuo arbitrio imponendas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. IV. Non obſtantibus præmiſsis, ac Apoſtolicis, necnon provincialibus & ſynodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, ac domus & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis domui & Fratribus, ac Superioribus prædictis, & quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac quibuſvis dictis & decretis, & aliis quomodolibet conceſsis, confirmatis & innovatis: quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſsio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenore hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſsis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVIII. Maii MDLIV. Pontificatus noſtri anno V.

IV.

Concedit Indulgentiam plenariam in die publicationis Sodalitatis ſanctiſſimi Sepulcri. Biblioth. S. Iſidori lit. H. num. 338.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. PAſtoris æterni, qui non vult mortem, ſed converſionem peccatorum, meritis licet imparibus, vices gerentes in terris, gregem Dominicum curæ noſtræ commiſſum ad viam lucis æternæ, quantum cum Deo poſſumus, perducere ſtudemus, & juxta creditum nobis Apoſtolicæ ſervitutis officium, fideles ſingulos ad ſinceritatis devotionem, & meritoria opera exercenda ſpiritualibus muneribus, Indulgentiis videlicet & peccatorum remiſsionibus libenter invitamus, ut per illa ſuorum abolita macula delictorum, ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

§. II. Cum itaque Nos nuper ad veri Dei cultus & gloriæ, ac Chriſtianæ Religionis, & fidei ubique propagationem & exaltationem, necnon ſanctiſſimorum locorum apud Hieroſolymam, & Terram vere, ut vocatur, Sanctam, in manus impiorum redactorum, ruinoſorum, & jam vetuſtate collabentium, inſtaurationem & cultum, ac ad populorum Orientalium animarum Evangelicæ veritatis doctrina & ſacramentorum neceſſario præſidio deſtitutarum, conſolationem, & auxilium ſpirituale, necnon ex certis aliis piis cauſis, unam in alma Urbe noſtra, quæ caput aliarum exiſtat, & Archiconfraternitas nuncupetur, ac in ſingulis aliis, tam Italiæ, quam reliquarum citra & ultra mare, Chriſtiani nominis Provinciarum civitatibus, per illarum dominos temporales eligendis, ſingulas utriuſque ſexus Chriſtifidelium tam ſecularium, quam quorumvis etiam Mendicantium Ordinum Regularium perſonarum Confraternitates, ſub invocatione ſanctiſsimi Sepulcri Dominici Hieroſolymitani, pro

pro tot Confratribus, ſeu utriuſque ſexus tam ſæcularibus, quam Regularibus perſonis, quot eas ingredi voluerint, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra, per quaſdam erexerimus, & inſtituerimus, necnon inter alia univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Vicariis, Plebanis, Rectoribus, ac verbi Dei Prædicatoribus, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, in quibuſcumque Provinciis & Regnis, ac Civitatibus, ſeu locis, nunc & pro tempore conſtitutis, & ad quos eædem litteræ pervenirent, ac quoties pro parte eorumdem Confratrum deſuper forent requiſiti, eaſdem litteras in Eccleſiis, & aliis locis publicis ſub certis modo & forma publicarent, & publicari facerent, commiſerimus, & mandaverimus; & deinde attendentes ad hoc ſanctum munus ſubeundum alicujus viri ſtrenui, fidelis & hujus operis amatoris operam neceſſariam eſſe, dilectum filium Petrum de Carate Militem ejuſdem ſanctiſsimi Sepulcri, hujus operis promotorem, & multos annos in hoc Chriſti negocio nullis laboribus & impenſis parcendo conſtanter inſiſtentem, earumdem Confraternitatum Commiſſarium Generalem cum facultate & auctoritate quaſcumque, ſimiles Confraternitates erigendi, alioſque Commiſſarios cum ſimili facultate loco ſui ſubſtituendi, aliaque, quæ Archiconfraternitas ipſa, vel ejus Protectores & Deputati, juxta primo dictarum litterarum continentiam & tenorem, circa præmiſſa facere poſſunt, gerendi, & exequendi per alias noſtras in forma Brevis litteras, creaverimus & inſtituerimus.

§. III. Nos cupientes ut eo ferventius ſinguli Chriſtifideles ad hujuſmodi pia opera exercenda alliciantur, quo ex hoc dono cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis etiam utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui publicationi primo dictarum litterarum ubilibet fiendæ interfuerint, ac pro pace inter Principes Chriſtianos fovenda, pias preces Domino effuderint, ſeu per totam illam diem Eccleſiam, in qua hujuſmodi publicatio fiet, viſitaverint, &, ut præfertur, oraverint, plenariam omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſsi fuerint, remiſsionem & Indulgentiam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, elargimur. Præſentibus poſt dictam publicationem primo faciendam minime valituris.

§. IV. Et quia difficile foret eaſdem præſentes ad ſingula quæque loca in quibus de eis fides forſan fienda foret, deferri, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod ipſarum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus in judicio & extra fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxv. Auguſti mdliiii. Pontificatus noſtri anno v.

V.

Petrus de Turre præficitur Eccleſiæ Platenſi. Ex Actis Conſiſtorialibus autographis, in Tabulario Secretiori Vaticano aſſervatis Tomo 3. fol. 111.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Lunæ xxvii. *Auguſti* mdliv. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſsimo Compoſtellano.

Sanctiſsimus Dominus noſter Julius Divina providentia Papa III. providit Eccleſiæ De Rio de la Plata, tunc per translationem Reverendiſsimi Pa-

Patris Domini Joannis de Barros, olim Epiſcopi del Rio de la Plata ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ in novo Regno Granatæ dudum factam, vacanti de perſona Domini Petri de la Torre, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia profeſſoris, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit, & Paſtorem, cum clauſulis &c.

VI.

Concedit ut a Monte Pietatis in Civitate Imolenſi erecto extrahatur quædam annua eleemoſyna pro Fratribus ibi commorantibus. Regeſt. Ciſm. fol. 172. a tergo.

Ad futuram rei memoriam:

§. I. EX commiſſi Nobis deſuper Paſtoralis officii debito Eccleſiarum, & aliorum Piorum Locorum quorumlibet utilitati favorabiliter intendentes, ea, quæ propterea commode facta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuo & illibata perſiſtant, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum modernorum Prioris, & Conſervatorum Montis Pietatis Imolen. Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum poſtquam de anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo octavo, ſeu alio veriori tempore, quondam Joannes Philippus Mantuanus de Imola tunc in humanis agens, & condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, domum Monaſterium nuncupatum, & Eccleſiam Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, prope, & extra muros Civitatis noſtræ Imolen., & Fratres domus, & Eccleſiæ hujuſmodi ſuos hæredes univerſales inſtituerat, præfatæ domus, & in ea tunc habitantium Fratrum tunc Syndici, & Procuratores ad hoc cum præſentia, conſenſu, verbo, auctoritate, conſilio, & voluntate tunc Generalis dicti Ordinis, & de illius Scribarum, & Guardiani domus Forolivienſis, ejuſdem Ordinis per ipſos Fratres de mandato, & conceſſione eorum tunc Guardiani, ut moris eſt, ad ſonum Campanellæ propter ea congregatos, ſpecialiter conſtituti & deputati, eorum Fratrum nominibus, titulo, & ex cauſa puræ, meræ & liberæ, ac ſimplicis, & irrevocabilis donationis inter vivos, tranſactionis, & accordii, ac omni alio quocunque titulo, & ea, quibus melius, ac de jure validitate potuerunt, dederunt, ceſſerunt, tranſtulerunt, & renunciaverunt tunc Priori, & Conſervatoribus dicti Montis, necnon tunc Syndico dilectorum filiorum Communitatis dictæ Civitatis tunc præſentibus, & cum præſentia, conſenſu, verbo, auctoritate, & voluntate tunc Syndici dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ Imolen. ſtipulantibus, & acceptantibus nomine dicti Montis, ac omnium, & ſingulorum aliorum, quorum intererat, & intereſt, ſeu quorumlibet intereſſe poſſet, omnia & ſingula jura, actiones, utilitates, directas, tacitas, & expreſſas, meras & mixtas, civiles, prætorias, anomales, & conventionales, & quaſcumque alias domui Imolen., & illius Eccleſiæ, ac Fratribus hujuſmodi quomodocumque, & qualitercumque, tunc & pro tempore competenti in omnibus & ſingulis bonis mobilibus & immobilibus, juribus & actionibus, necnon & hæreditate dicti Joannis Philippi vigore teſtamenti hujuſmodi, ac omni alio quocumque modo, ratione, jure, forma, vel cauſa; & hujuſmodi jurium ceſſionem, & donationem, ac omnia, & ſingula prædicta fecerunt præfati Syndici, & Procuratores domus Imolen. & ejus Fratrum eorumdem dictis nominibus, quia e converſo Prior, & Conſervatores, ac Syndicus contrahentes Imolen. hujuſmodi, nomine ejuſdem Mon-

Montis, & pro eis, & eorum Succeſſoribus cum præſentia, & conſenſu Syndici Capituli Eccleſiæ Imolen. hujuſmodi: In primis & ante omnia in & ſuper dictum Montem ſuſceperunt omnia onera, & gravamina exiſtentia in dicto teſtamento dicti Joannis Philippi, & ejus hæreditate ex quacumque cauſa, ad quæ voluerunt, & convenerunt dictum Montem teneri, & ad eorum executionem obligatum eſſe, necnon promiſerunt, & ſe obligaverunt, Syndicis, & Procuratoribus domus Imolen., & ejus Fratrum prædictorum, ut ſupra præſentibus, & ſtipulantibus, ac recipientibus pro domo Imolen., & ejus Fratribus prædictis, ac eorum ſucceſſoribus, ac ad Fratrum in eadem domo Imolen. pro tempore exiſtentium commodum, & utilitatem dare, & ſolvere per annos quinquaginta continuos ex tunc proxime futuros, ſcuta quinquaginta auri in auro quolibet anno in feſto ſancti Michaelis menſis Septembris, videlicet ſcuta triginta auri in auro pro veſtimentis ipſorum Fratrum in dicta domo Imolen. pro tempore commorantium, & ſcuta viginti pro providendo ſibi de neceſſariis bonis ad Aromatariam erigendam, & conſervandam in eadem domo Imolen., ſeu ad reparandum, & fabricandum Conventum eiuſdem domus, & prout magis videretur, & placeret prælatis Provincialibus, & Miniſtris majoribus dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus, & quod quolibet anno per dictos annos quinquaginta, libras 30. ceræ albæ pro uſu Eccleſiæ ejuſdem domus Imolen., & libras centum olei pro uſu illius lampadum; ſimiliter promiſerunt, & convenerunt expendere ſemel tantum omne id totum, quod eſſet neceſſarium pro utenſilibus, & ſupellectilibus, ac paramentis neceſſariis ad uſum Conventus, & Eccleſiæ hujuſmodi, necnon reſarciri facere vetriatas, quæ tunc erant in dictis Eccleſia, & domo, ac ubi opus eſſet, eas de novo facere ſemel tantum, & ſimiliter reſarciri facere Ciſternam exiſtentem in cortili ipſius domus, & illam ad bonum, & commodum uſum, & utilitatem dictæ domus, & Fratrum, ac perſonarum Civitatis Imolen. reducere ſemel tantum; ac etiam expendere ſemel tantum ſcuta decem auri in auro in emendis pro uſu, & utilitate dictæ domus, & illius Fratrum libris reponendis in libraria dictæ domus ad ipſorum Fratrum declarationem, necnon recoperiri facere ſemel tantum domum, & Eccleſiam Imolen. prædictas, & eamdem recopertam reparari facere, ubi opus ſit, & neceſſarium; & etiam promiſerunt, & convenerunt dare, & ſolvere Syndicis, & Procuratoribus domus Imolen., & illius Fratrum, hujuſmodi quibus ſupra nominibus, ſemel tantum omne id, quod judicaretur per peritos ſimiliter expendi poſſe in pariete conficiendo circa ſalettum, ſeu arboretum exiſtens ante portam Eccleſiæ domus Imolen. hujuſmodi, ex bonis calce, & lapidibus, altitudinis prout eſt paries exiſtens circumcirca pomarium dictæ domus Imolen., & in reficiendo Chorum dictæ Eccleſiæ, & illius Altaria, reducendo majus ante ipſum Chorum cum omnibus ſuis neceſſariis, ad effectum ut Fratres dictæ domus Imolen. poſſint ſibi erigere unam Aromatariam in dicta domo, & providere de neceſſariis ad ipſam Aromatariam, pro uſu, & utilitate Fratrum dictæ domus Imolenſis. Et inſuper convenerunt etiam expendere omne id, quod foret neceſſarium in faciendo confirmari contractum deſuper initum per Sedem Apoſtolicam, quæ confirmatio procurari deberet per dictum Generalem. Quodque tenerentur dare ſuis ſumptibus dictis Syndicis, & Procuratoribus inſtrumentum authenticum, & in authentica forma ſuper præmiſſis, & infraſcriptis confectum.

§. III. Præterea concorditer, & unanimiter dicti contrahentes modis, & nominibus, ac cum conſenſibus, & auctoritatibus prædictis reſpective, ſingula ſingulis referendo, ſalvis ſemper præmiſſis, a quibus recedere non intendebant; in reliquis vero caſſaverunt omnes, & quaſcumque alias ceſſiones, tranſ-

tranſactiones, concordias, donationes, & alios quoſcumque contractus, inter eos quomodolibet, & quandocumque, occaſione præmiſſorum factas, & factos, manu cujuſlibet Notarii publici conceptas, & conceptos, ac ſpecialiter, & expreſſe manu dilecti filii Antonii Mane de Paſchalis Notarii publici Imolen., & omnia pro caſſis, nullis, irritis, & non factis haberi, & teneri voluerunt, atque convenerunt, & promiſerunt ſibi invicem, & viciſſim eis in futurum modo aliquo non uti, proinde ac ſi minime factæ fuiſſent.

§. IV. Poſtremo convenerunt, quod ſi ullo unquam tempore infra dictos quinquaginta annos eveniret, quod Deus avertat, quod dicta domus Imolen. quomodocumque, & qualitercumque, & ex quacumque cauſa demoliretur, & ad aliud Monaſterium transferretur, ſeu etiam minima habitatio pro dictis Fratribus in alio loco, in Civitate vel diſtrictu Imolen. erigeretur; tunc nihilominus teneantur dictus Mons, & ejus Agentes, ad obſervantiam præmiſſorum, & Inſtrumenti deſuper confecti, & ad dandum dictæ domui, & Fratribus habitantibus ibidem ſupradictas eleemoſynas, & omnia ſupradicta quotannis modo ſupradicto per dictos quinquaginta annos, perinde ac ſi demolita non fuiſſet, & hujuſmodi donationem, jurium ceſſionem, tranſactionem, pactiones, & accordia, ac omnia, & ſingula ſupradicta dicti contrahentes quibus ſupra nominibus pro ſe, & eorum ſucceſſoribus promiſerunt, & convenerunt ſibi invicem, & viciſſim perpetuo obſervare, & adimplere, & contra non facere ſub certis pœnis tunc expreſsis, & propterea dicti Syndici, & Procuratores domus Imolen., & præfati Priores, & Conſervatores dicti Montis bona reſpective, medio eorum juramento, obligarunt, & forſan alias, & alia fecerunt, prout in eodem inſtrumento publico deſuper confecto plenius dicitur contineri.

§. V. Quare pro parte eorumdem modernorum Prioris, & Conſervatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, ceſsioni, translationi, & renunciationi, & aliis prædictis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmiſsis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. VI. Nos qui ſingularibus juſtis votis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuimus, eoſdem Priores, & Conſervatores, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes; necnon hæreditatis, & bonorum per teſtamentum relictorum hujuſmodi, ſituationes, confines, vocabula, ac nominationes, qualitates, etiam veros annuos valores, necnon teſtamenti & inſtrumenti hujuſmodi tenores præſentibus pro expreſsis habentes, hujuſmodi ſupplicationinus inclinati, ceſsionem, donationem, translationem, renunciationes, promiſsiones, conventiones, & obligationes, aliaque omnia, & ſingula ſupradicta, & prout illa concernunt, omnia & ſingula in dicto inſtrumento quomdolibet contenta, licita tamen & honeſta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, necnon perpetua roboris firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, per ſupradictos, & alios quoſcumque, quos quomodolibet concernunt & concernent in futurum, inviolabiliter obſervari impoſterum, ad id juris & facti remediis opportunis cogi & compelli; ſicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, necnon, ſi ſecus ſuper his a quoeumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irri-

tum & inane decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. VII. Quo circa dilectis filiis Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori, & venerabilium Fratrum Bononien. & Imolen. Epiſcoporum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum per ſe vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta hujuſmodi, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Prioris & Conſervatorum prædictorum, & aliorum, quorum intereſt & intererit, deſuper requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta hujuſmodi obſervari, & ſingulos, quos litteræ ipſæ concernunt & concernent, illis pacifice gaudere, non permittentes eos deſuper contra præſentium tenorem quomodolibet indebite moleſtari: contradictores quoslibet & rebelles, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita compeſcendo; necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſsibus, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: Non obſtantibus felicis recordationis Pauli Papæ II. prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiæ, non alienandis, & quibuſvis aliis Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, vel ordinationibus, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Ordini, & illius Superioribus & Prælatis, & quibuſvis aliis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, itritantibuſque, & aliis decretis, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos, Sedemque prædictam; etiam motu proprio, & alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus conceſsis, approbatis & confirmatis & innovatis, quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua & expreſſa de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſsio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſsis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſsint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xix. Octobris mdliiii. Pontificatus noſtri anno v.

Anno Christi 1555. Julii III. anno 5.

VII.

Clementem Monilianum conſtituit Inquiſitorem Generalem, ubique locorum, exceptis Regnis Hiſpaniarum. Regeſt. Ciſm. fol. 175.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm ad nihil magis noſtra aſpiret intentio, quam ut fides catholica noſtris potiſsime temporibus ubique augeatur & floreat, & omnis hæretica pravitas a Chriſtifidelibus noſtra diligentia procul pellatur, ac ipſorum

rum Fidelium animas Deo lucrifaciamus, libenter operam vigilem impendimus, ut diabolica fraude decepti ad caulam Dominicam revertantur, ac cunctis erroribus exſtirpatis, ejuſdem fidei zelus & obſervantia in ipſorum cordibus Fidelium fortius imprimatur, & ſi qui animorum perverſitate ducti, in eorum damnato propoſito perſeverare maluerint, taliter in illos animadvertatur, quod eorum pœna aliis ſit in exemplum.

§. II. Cum itaque Nos alias quibus ab initio noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumtionis id ſemper cordi fixum fuit, ut fides ipſa ubique ſuſciperet incrementum, nequeuntes per Nos ſolos aliis etiam arduis occupati negotiis omnia exequi, nonnullos ex ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in partem Apoſtolicæ Sedis ſollicitudinis aſſumptos, de quorum doctrina, vita, Religionis zèlo, & eorum experientia plurimum in Domino confidebamus, Noſtros & Apoſtolicæ Sedis in omnibus & ſingulis Reipublicæ Chriſtianæ Civitatibus, Oppidis, Terris & locis tam citra, quam ultra montes, & alias ubilibet, etiam in Italia conſiſtentibus ſuper negotio fidei Commiſſarios, & & Inquiſitores Generales & Generaliſſimos cum certis facultatibus tunc expreſſis Apoſtolica auctoritate conſtituerimus & deputaverimus, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur, & præfati Cardinales ubique perſonaliter adeſſe, ac per ſingulas Provincias ſe conferre commode non poſſunt, & nonnulli labe hæreſis infecti, propter eorum infirmitates, ſeu humanum timorem, aut loci intercapedinem, aut inopiæ, aut alium reſpectum, ad Nos, & Cardinales præfatos, coram Nobis, ſeu eis ad culpas ſuas recognoſcendas accedere differant & vereantur, in eorum animæ periculum non modicum; & ſicut accepimus, tu ad diverſas Mundi partes pro tui Generalatus officii executione te conferre habeas, Nos de tui zelo, fide, prudentia, doctrina & rectitudine ſpecialem in Domino fiduciam habentes, ac ſperantes, quod tu per tuæ ſollicitudinis ſtudium hæreſes hujuſmodi extirpare, & ipſius orthodoxæ fidei fructuoſos palmites totis viribus plantare conaberis: Motu proprio, & certa noſtra ſcientia, te noſtrum, & Sedis prædictæ, ac eorumdem Cardinalium Commiſſarium, & ſuper præmiſſis Inquiſitorem in omnibus & ſingulis Regnis, Provinciis, Terris, Locis, & Dominiis, ad quæ te declinare contigerit, etiam citra & ultra Montes, Regnis tamen Hiſpaniarum exceptis, ac in Italia, & alias ubilibet, auctoritate Apoſtolica præfata, tenore præſentium conſtituimus & deputamus, ac tibi contra omnes & ſingulos a via Domini, & fide Catholica aberrantes, ſeu de fide male ſentientes, aut alios quoslibet de hæreſi ſuſpectos, illorumque ſequaces, fautores, defenſores, ac illis auxilium, vel conſilium directe vel indirecte, publice vel occulte præſtantes, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, una cum locorum Ordinariis in caſibus, in quibus de jure intervenire debent, ſi legitime requiſiti intervenire voluerint, alioquin ſine eis, juxta tamen Canonicas ſanctiones, inquirendi, & præcedentibus ſufficientibus indiciis, ad capturam procedendi, & eos in carceribus mancipandi, & finalem ſententiam contra eos proferendi, ac delinquentes, juxta canonicas ſanctiones, & ſanctorum Patrum inſtituta, prout qualitas exceſſuum exegerit, pœnis debitis afficiendi, & ſi ipſi Ordinarii, aut alii Inquiſitores prius incœperint, nihilominus etiam cum eis te intromittendi & procedendi, omneſque officiales, etiam Procuratorem Fiſcalem, ac Notarios publicos, & alios ad præmiſſa neceſſarios, etiam Clericos & Religioſos cujuſcumque Ordinis ſinerint, una cum locorum Ordinariis, ſeu aliis Inquiſitoribus præfatis, & ſine eis, prout ordo juris poſtulaverit, & utilitas exegerit, adhibendi, ac eis, ut onus hujuſmodi, & alia præmiſſa, prout ad eorum officium reſpective ſpectaverit, faciendum, etiam Superiorum ſuorum licentia ſuper hoc minime re-

quiſita, ut acceptent, & ſubeant in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendi: & ſi neceſſe fuerit aliquem Clericum propter præmiſſa degradari, quoſcumque tibi bene viſos Epiſcopos, ut degradationi hujuſmodi una cum Ordinariis, & aliis præfatis, aut illis recuſantibus, ſeu abſentibus, ſine eis, interveniant in virtute ſanctæ obedientiæ monendi, & contradictores quoslibet & rebelles opportunis juris & facti remediis compeſcendi, ac auxilium brachii ſæcularis, ſi opus fuerit, invocandi; necnon ad veritatis lumen redire, aut hujuſmodi hæreſes & errores abjurare volentes, ſi alias relapſi non fuerint, recepta prius ab eis hæreſis & errorum hujuſmodi abjuratione publice vel occulte, & alias, prout tibi videbitur, facienda, præſtito quoque per eos deſuper juramento, quod talia deinceps non committent, nec talia vel alia iis ſimilia committentibus, ſeu illis adhærentibus auxilium, conſilium vel favorem per ſe vel per alium, ſeu alios non præſtabunt, & alias in forma Eccleſiæ conſueta, ab his, & quibuſvis cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas propterea incurrerint, injuncta eis publica, ſi tibi videbitur, ſeu alia pœnitentia, cum ſolemnitatibus a jure requiſitis, ſeu abſque eis, aliis tibi beneviſis, & abſque eo quod ad id aliquem Ordinarium, aut alium requiras, dummodo ii per ſuum Ordinarium, aut Commiſſarium ſeu Inquiſitorem ad hoc deputatos, prius inquiſiti non fuerint, abſolvendi ac reconciliandi, & ad gremium & unitatem ſanctæ Matris Eccleſiæ reſtituendi & reponendi, necnon ad noſtram, & dictæ Sedis gratiam & benedictionem recipiendi, ac pœnas juris, & alias debitas limitandi & remittendi; necnon alias Eccleſiaſticas perſonas idoneas in Theologia magiſtros, ſeu in altero jurium doctores ac licentiatos, aut etiam Baccalarios, aut Eccleſiarum Cathedralium Canonicos, vel alios in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, quoties opus eſſe cognoveris, quod pari juriſdictione, facultate & auctoritate, quibus tu fungeris, fungi poſſint, tecum aſſumendi & ſubrogandi, ac Inquiſitores deputandi, eiſque vices tuas in toto vel in parte, reſervatis tibi ſententiis finalibus, & condemnationibus, ac aliis caſibus, de quibus tibi videbitur, committendi, ac eoſdem in toto vel in parte ad tui libitum etiam in negotiis & cauſis per eos tunc cœptis revocandi, necnon quoſcumque culpabiles, legitimis præcedentibus indiciis, torquendi, & contra eos procedendi, & ad incarcerationem perpetuam, vel temporalem, prout tibi videbitur, condemnandi, necnon ad traditionem Curiæ ſæcularis, prout juris fuerit, procedendi, tibique & eiſdem deputandis quoſcumque à quibuſvis excommunicationibus, & aliis ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis a jure, vel ab homine, etiam per litteras in die Cœnæ Domini legi conſuetis, occaſione dictorum criminum in tales promulgatis, abſolvendi, ac ſuper irregularitatem per ſic excommunicatos, etiam divinis officiis ſe immiſcendo contractam, diſpenſandi, & ad Altaris miniſterium reſtituendi, tibique Inquiſitores, & alios quoſcumque Inquiſitionis Officiales, qui deliquerint in eorum officiis, & vetita commiſerint, etiamſi Religioſi exempti, ac cujuſcumque Ordinis, etiam Mendicantium fuerint, juxta ſuorum criminum exigentiam, prout juris extiterit, puniendi & caſtigandi, necnon quoſcumque Religioſos, quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, quos ad id idoneos cognoveris, ad onus inquiſitionis hujuſmodi, eorum Prælatorum petita, licet non obtenta licentia, ſuſcipiendum, cogendi & compellendi, ac omnia & ſingula alia, quæ ad hujuſmodi hæreſes & errores, ac ſacrilegia hujuſmodi refrenanda, ac radicitus extirpanda opportuna eſſe quomodolibet cognoveris, & ad officium Inquiſitionis hujuſmodi tam de jure quam conſuetudine, aut ex privilegiis pertinent faciendi, gerendi, ordinandi, exercendi, & exequendi plenam, liberam, & omnimodam facultatem concedimus per præſentes.

§. III. Non

§. III. Non obſtantibus ſel. rec. Bonifacii VIII., qua, ne quos extra ſuam Civitatem ut Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis nonniſi ultra unam dietam a fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices a Sede prædicta deputati extra Civitatem, ſeu Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aùt alii, aut aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in generali, necnon Clementis V. Romani Pontificis in Viennen. Conciliis editis, ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſvis ſimilium facultatum ſuſpenſionibus, privilegiis, executionibus, & indulgentiis, ac litteris Apoſtolicis, etiam per piæ memoriæ Clementem Papam VII., etiam prædeceſſorem noſtrum, perſonis præfatorum, ſeu in eorum favorem, ac etiam quibuſvis Ordinibus, & illorum Prælatis ſub quacumque forma verborum, expoſitione, etiam motu proprio, & certa ſcientia, ac ex quibuſvis cauſis, & quavis conſideratione in genere, vel in ſpecie quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis; quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma obſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac formas, & datas, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita inſerti forent præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi perſonis prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis conceſſis, per quas litterarum, atque juriſdictionis in præmiſſis executio quomodolibet impediri, vel differri poſſit, quod quoad hoc ipſis, aut alicui eorum nullatenus ſuffragari poſſe decernimus.

§. IV. Volumus autem quod præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides ubique in judicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdem originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xii. Januarii mdlv. Pontificatus noſtri anno v.

VIII.

Eidem Clementi Monilliano præcipit, ut procedat contra quoſdam Religioſos perſonalibus privilegiis abutentes, & ipſa privilegia abroget. Regeſt. Ciſm. fol. 175. a tergo.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Exponi Nobis nuper feciſti, quod licet alias fel. record. Julius Papa II. prædeceſſor noſter per ſuas in forma Brevis litteras, inter alia voluerit perſonas Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia confeſſionalibus, ut indulgentiarum litteris, etiam per Sedem Apoſtolicam pro tempore conceſſis, niſi de conſenſu Generalis ejuſdem Ordinis, & eo durante, gaudere minime poſſe, nonnulli tamen ipſius Ordinis profeſſores confeſſiona-

nalibus, & aliis litteris, eis, ut aſſerunt, per Sedem eamdem conceſſis, ſeu ab illa emanatis, vel potius extortis, abſque tuo, ſeu pro tempore exiſtentis dicti Ordinis Miniſtri Generalis conſenſu gaudere, & illis uti præſumant in animarum ſuarum periculum, & ſcandalum plurimorum, & profeſſionis regularis detrimentum non modicum.

§. II. Quare pro parte tua Nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut litteras Julii prædeceſſoris hujuſmodi approbare & innovare, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctos Fideles, præſertim Religioni deditos in ſemitæ veritatis directione perſeverare, prout poſſumus, continue procuramus, attendentes conveniens eſſe, ut quælibet pars ſuo toti conformis exiſtat, dictarum litterarum veriorem tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras Julii prædeceſſoris hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica per præſentes approbamus & innovamus, necnon omnes & ſingulas immunitates, & a præceptis, ac obedientia ſuorum Prælatorum, & alias exemptiones perſonales, necnon aſſignationes perpetuas, & abſque Superiorum ſuorum licentia retinendi, vel expendendi pecunias, ac Confeſſores eligendi, ac tam Sæcularium, quam Regularium confeſſiones audiendi, eoſque in caſibus eiſdem Superioribus reſervatis abſolvendi, & alias ſimiles facultates & gratias, ac deſuper tam in forma Brevis, quam ſub plumbo confectas litteras, tam a Nobis, ſeu, & de mandato noſtro, & vivæ vocis oraculo, aut Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ac dicta Sede, ſeu illius Nunciis & Legatis etiam de latere, quam etiam a majori Pœnitentiario noſtro, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & aliis decretis, ac alias quomodolibet, & ex quibuſvis cauſis, & ad quorumvis inſtantiam, tam in genere, quam in ſpecie, etiam per viam extenſionis, ſeu communicationis, tam conjunctim, quam diviſim, quibuſvis ipſius Ordinis utriuſque ſexus profeſſoribus, ſeu illius tam virorum, quam mulierum domibus, ſeu Monaſteriis hactenus quomodolibet, etiam motu proprio, abſque tuo, aut Superiorum ſuorum conſenſu conceſſas, quas vitæ, & obedientiæ regularibus adverſari, aut illas lædere, ſeu ipſius Miniſtri Generalis, & aliorum Prælatorum prædictorum infringere, & eas revocandas eſſe, dicta auctoritate Apoſtolica per eaſdem præſentes revocamus, caſſamus & annullamus, ac pro revocatis, caſſatis & annullatis, ac non conceſſis haberi volumus, & ſi quas de cetero ſimiles aut diſſimiles facultates, exemptiones, & gratias, abſque tuo, & dicti pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis, aut Superiorum ſuorum conſenſu, & eo durante, concedi, aut emanare contigerit, niſi facultates, exemptiones & gratiæ hujuſmodi manu propria, vel de conſenſu Cardinalis Protectoris, ſeu Vice-Protectoris ſignatæ fuerint, illas nullius roboris vel momenti fore & eſſe, nulliſque ſuffragari poſſe decernimus.

§. III. Injungentes eiſdem, & Superioribus, ut circa licentiam eligendi Confeſſorem, & relaxandos caſus ſibi conceſſos, cum deſuper requiſiti fuerint, prout eorum conſcientia dictaverit, quam ſuper hoc oneramus, difficiles, aut moroſi non ſint.

§. IV. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis & indultis, ac litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos, & Sedem præfatam, ſeu noſtros, & ejuſdem Sedis Nuncios, vel Legatos de latere, aut Pœnitentiariam noſtram ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, quomodolibet, etiam motu & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam

ite-

iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. V. Volumus autem, & dicta auctoritate decernimus, quod præſentium tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xvii. Januarii MDLV. Pontificatus noſtri anno v.

IX.

Demandat Epiſcopo Laudenſi, ut non obſtante facultate obtenta a Conſulibus Varalli non auditis Fratribus, procedat prout de jure. Ex originali in noſtra Collect.

JULIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Venerabili Fratri Epiſcopo Laudenſi, ſeu dilecto filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Querelam dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus loci Varalli Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Novarienſis Dioeceſis, accepimus continentem. Quod cum ipſi Guardianus & Fratres ſint & eſſe debeant veri & legitimi adminiſtratores eleemoſynarum, quæ pro tempore in Eccleſia dictæ domus per Chriſtifideles erogari conſueverunt, ac minime conveniat Laicis in hujuſmodi eleemoſynas ſe intromittere, ac nullum jus, nullaque actio Conſulibus & hominibus dicti loci eleemoſynas in dicta Eccleſia petendi, & pro illarum receptione & exactione aliquam capſam in illa tenendi, nec habendi competant, ac eleemoſynæ hujuſmodi ad Guardianum & Fratres præfatos pro ipſorum neceſſaria ſubventione, & Eccleſiæ prædictæ, ac illius ornamentorum manutentione & reparatione, de jure ſpectare debuerint & debeant, & ſpectent & pertineant.

§. II. Nihilominus Conſules & homines præfati, neſcitur quo ſpiritu, niſi quadam cupiditate & avaritia, ducti forſan quodam odio in ipſos Guardianum & Fratres per ipſos Conſules & homines, ut præfertur, concepto; cupientes ipſas eleemoſynas ſibi appropriare, ſeu alias de illis in præjudicium Fratrum ac Domus, & Eccleſiæ prædictorum diſponere, ac in dicta Eccleſia quamdam capſam tenere & habere, ac eleemoſynas inibi contra juris diſpoſitionem recipere, Apoſtolicas a Nobis in forma Brevis litteras ad dilectum filium Vicarium venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Novarienſis in ſpiritualibus Generalem, uti litterarum prædictarum executorem obtinuerunt ſubreptitias & obreptitias.

§. III. Cum autem, ſicut eadem querella ſubjungebat, ipſi Conſules & homines doloſe tacuerint Montem, in quo Eccleſia prædicta conſtructa exiſtit, ad præfatos Fratres ſpectaſſe tunc, ac nunc ſpectare, ac falſo expreſſerint, quod inibi dictam capſam ab immemorabili tempore citra habuerint & tenue-

tenuerint, ac quod Fratres Minores præfati Conventuales eſſent; litteræque præfatæ clauſulam, ſi eſt ita, in ſe habeant, & potius cognitionem cauſæ, quam juris privationem contineant, & Guardianus ac Fratres præfati litterarum prædictarum vigore, ob veri taciturnitatem, & falſi expreſſionem hujuſmodi, jure ſuo privari non debuerint, nec debeant de præſenti: pro parte Guardiani, & Fratrum prædictorum aſſerentium ſuper falſa expreſſione, ac veri taciturnitate hujuſmodi, ac litterarum prædictarum ſubreptione & obreptione, & alias de ſuo bono jure docere, ac judicaliter contra præfatos Conſules experiri velle, Nobis ſuit humiliter ſupplicatum, quatenus cauſam & cauſas, quam & quas ipſi Guardianus & Fratres habent, & movent, habereque & movere volunt & intendunt contra prædictos Conſules & homines, omneſque alios ſua quomodolibet communiter, vel diviſim intereſſe putantes ſuper præmiſſis, rebuſque aliis in actis cauſæ & cauſarum hujuſmodi latius deducendis, aliquibus probis viris in illis partibus, & cuilibet eorum una cum omnibus & ſingulis illarum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, una cum toto negotio principali, conjunctim vel diviſim arbitrio ſuo ſummarie audiendas, cognoſcendas, decidendas, ac fine debito terminandas eum poteſtate, prædictos Conſules & homines, omneſque alios ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes, & in executione citationis, præſentium vigore decernendi, nominandi, citandi, ac prædictis omnibuſque perſonis quacumque auctoritate fungentibus, quibus & quoties inhibendum fuerit, etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis & pecuniariis inhibendi, ac attentata & innovata quæcumque, litteraſque prædictas, conſtito de illarum ſubreptione & obreptione, prout juris fuerit, revocandi, necnon omnia & ſingula alia, quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria fuerint quomodolibet & opportuna, faciendi, gerendi, exercendi & exequendi, præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque & indultis, necnon felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres, cæteriſque contrariis quibuſcumque nequaquam obſtantibus, committere & mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Quocirca Fraternitati, ſeu diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis qui fuerint vocandi, auditiſque hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit in præmiſſis, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris, per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLV. VI. Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno VI.

PAU-

PAULUS IV.

Creatus x. *Kalendas Junii* MDLV. *Coronatus* VII. *Kalendas Junii*.

I.

Confirmat electiones factas a Reginaldo Polo Cardinali, & Angliæ Legato quorumdam in Epiſcopos. Ex Regeſt. Epiſt. Com. Pauli IV. 46. fol. 169.

DUdum, die videlicet VI. menſis Julii MDLIV. Pontificatus ſel. record. Julii Papæ III. Prædeceſſoris noſtri anno V. dictus Prædeceſſor in Conſiſtorio ſuo ſecreto, ut moris erat, cum dilectus filius Reginaldus Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis Polus nuncupatus, noſter, tunc ſuus, & Sedis Apoſtolicæ in Regno Angliæ Legatus de latere, cui antea idem Prædeceſſor, ut quibuſvis Cathedralibus, etiam Metropolitanis ipſius Regni Eccleſiis, quovis modo pro tempore vacantibus, de perſonis idoneis, pro quibus cariſſima in Chriſto filia noſtra, tunc ſua, Maria Angliæ & Franciæ Regina illuſtris, juxta dicti Regni conſuetudinem ſibi ſupplicaſſet Apoſtolica auctoritate providere, ipſaſque perſonas eiſdem Eccleſiis in Epiſcopos, & Archiepiſcopos præficere poſſet plenam, & liberam facultatem conceſſerat, Lincolinen. de Joannis Lincolinen. & Roffen. de Mauritii Roffen. in Theologia Bachalariorum, ac Ceſtren. de Georgii Ceſtren. & Gloceſtrent. de Jacobi Gloceſtren. Magiſtrorum in Theologia, necnon Menenen. alias ſancti Danielis de Henrici Menenen., alias ſancti Danielis legum Doctoris Bathovien. & Wellen. invicem unitis ejuſdem Regni Eccleſiis, certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutis, de Gilberti Bathovien., & Wellen. Epiſcoporum, venerabilium Fratrum noſtrorum, tunc ſuorum de legitimo Matrimonio procreatorum, & in Presbyteratus Ordine, ac ætate legitima conſtitutorum, pro quibus dicta Maria Regina juxta eamdem conſuetudinem ſibi ſupplicaverat, perſonis dicta auctoritate providiſſet, ipſoſque illis reſpective in Epiſcopos præfeciſſet, & Paſtores, Curam, & adminiſtrationem ipſarum Eccleſiarum eis reſpective in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, ipſique Joannes Lincolinen. & Mauritius Roffen. ac Georgius Ceſtren. & Jacobus Gloceſtren. necnon Henricus Menenen., alias ſancti Danielis, & Gilbertus Epiſcopi invicem unitarum Eccleſiarum regiminis, & adminiſtrationis poſſeſſionem, ſeu quaſi poſſeſſionem, & præfectionem prædictarum vigore pacifice aſſecuti fuiſſent, & munus conſecrationis eis alias rite, & recte impenſum ſuſcepiſſent, aſſereretur que ſingulas Eccleſias prædictas, etiam tunc, ut præfetur, ſeu alias certo modo vacare, Lincolinen. de Joannis, & Roffen. de Mauritii, ac Ceſtren. de Georgii, & Gloceſtren. de Jacobi, necnon Menen., alias ſancti Danielis de Henrici, & unitis Eccleſiis hujuſmodi quoviſmodo, quem etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultaret, idem Prædeceſſor haberi voluit pro expreſſo, & ex cujuſcumque perſona vacarent de Gilberti Epiſcoporum prædictorum perſonis, pro quibus Maria præfata Regina eidem Prædeceſſori ſuper eo ſupplicaverat, de Fratrum ſuorum, de quorum numero tunc eramus, conſilio, dicta auctoritate providit, ipſoſque illis reſpective in Epiſcopos præfecit, & Paſtores; curam, & adminiſtrationem earumdem Eccleſiarum eis reſpective in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. Voluitque, & conceſſit idem Prædeceſſor tenores facultatum dicti Reginaldi Cardinalis & Legati, ac proviſio-

num eorundem Joannis, Mauritii, Georgi & Jacobi, necnon Henrici & Gilberti Epiſcoporum latiſſime ſimul vel diviſim in litteris exprimi, ſeu pro expreſſis haberi, & litteras ipſas, etiam ſeparatim pro unoquoque eorum ad partem ſimul, vel ſucceſſive expediri poſſe. Abſolventes eoſdem Joannem, Mauritium, Georgium, Jacobum, Henricum & Gilbertum Epiſcopos a cenſuris, ad effectum præſentium dumtaxat conſequen. Quapropter cum præfatus Prædeceſſor non facta per eum de præmiſſis fide, ſicut Domino placuit, rebus fuerit humanis exemptus, Nos qui divina favente clementia, ſacri Apoſtolatus Miniſterio ad præſens præſidemus præſentem Cedulam fieri juſſimus, & manu noſtra ſubſcripſimus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxvi. Maii mdlv. Pontificatus noſtri anno i.

II.

Confirmat omnia privilegia tribus Ordinibus S. Franciſci a ſuis Prædeceſſoribus conceſſa. Roderic. fol. 186. Regeſt. Ciſmon. fol. 176.

PAULUS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EX clementi Sedis Apoſtolicæ proviſione, necnon perſonarum Deo devotarum profectu, ſub regulari caſti nonia Domino militantium pia devotione provenire dignoſcitur, ut Romanus Pontifex quandoque per Prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices, pro Religionis conſervatione & augmento, ac perſonarum earumdem quiete, & commodo conceſſa approbet & innovet, ac approbata & innovata Apoſtolica auctoritate communiat, ut ea firmiora perſiſtant, quæ ſæpius fuerint ejuſdem Sedis auctoritate [redacted] cumfulta.

§. II. Sane pro parte dilecti filii Clementis de Monelia Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum regularis obſervantiæ Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum inter operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth, Dei gratia, Ordo ipſe magnos probitatis, & doctrinæ, ac animarum ſalutis fructus ſemper olim attulerit, & quotidie afferre conetur, ac exinde pro ſuis ſanctis ſtudiis, honeſtiſque laboribus, proque ſalute animarum, ab Apoſtolica Sede, cujus continue pacem & dignitatem Ordo idem fortiter tutatus eſt, tam ſpiritualia, quam temporalia ſubſidia ornamentaque acceperit & accipiat, quibus & ſancta ſua officia, ac vitam ſuam regularem facilius atque expeditius exequi & tranſigere poſſint, & cæteræ Religioſæ perſonæ ordineſque alii, exemplo ipſorum, promptiores, alacrioreſque ad ſua officia perſolvenda reddantur.

§. III. Cumque etiam ex ipſius Sedis proviſione, ac benigna dignatione provenire dignoſcatur, ut Romanus Pontifex quandoque Prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum geſta innovet, ac innovationem & revocationem reſtauret, & Apoſtolica auctoritate innovata, & reſtaurata muniat, & ſulciat, ac in priſtinum ſtatum reponat, & reducat, & propterea nonnulli Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri nonnullas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, abſolutiones etiam plenarias, libertates, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, ac omnia, & ſingula privilegia, & indulta, tam ſpiritualia, quam temporalia, & per ſolam ſignaturam, aut per oracula vivæ vocis, vel alias etiam contra apoſtatas, tam pro foro conſcientiæ quam foro fori, tam prædictis Fratrum Minorum, quam ſanctæ Claræ, ac tertio de pœnitentia nuncupato

pato Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monialibus, & Sororibus, ac utriuſque ſexus perſonis, & Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque dictorum Ordinum, nunc & pro tempore exiſtentibus, in genere, vel in ſpecie, etiam per modum communicationis, ſive extenſionis privilegiorum inter ſe, ac etiam cum aliis quibuſcumque Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus.

§. IV. Et ſel. recordationis Gregorius IX. Bonifacius VIII. Alexander IV. Nicolaus III. Clemens V. Eugenius etiam IV. Leo X. Clemens VII. Paulus ſimiliter III. ac Julius etiam III. ac alii Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, & Sedes Apoſtolica tam ſuper exemptionibus etiam ab Ordinariorum locorum, & Legatorum etiam de latere, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitorum juriſdictione, viſitatione, & correctione, quam etiam ab omni impoſitione, collecta, decima, ſubſidio, quarta & quinta funeralium & legatorum partibus, pedagiis & gabellis, ac alio quocumque gravamine per Sedem eamdem pro tempore impoſitis, conceſſerint. Ac piæ memoriæ Martinus IV. etiam Prædeceſſor noſter, qui conſiderans, quod Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ hujuſmodi, pro nulla re temporali, juxta eorumdem Profeſſionem & Regularia inſtituta, poſſunt in judicio experiri, ut excluſis quibuſcumque ſollicitudinibus, liberius, & quietius divinis poſſent vacare obſequiis, & offerentium, donantium & concedentium, aut in ultima voluntate relinquentium, Ordini Fratrum Minorum, vel illius Fratribus prædictis aliquid propter Deum pia intentio non fraudaretur, ac hæredum, & executorum negligentiis obviari poſſet, ac ut ipſi Fratres ſecundum modos licitos & congruos, ipſi Ordini relictis ſibi in teſtamentis non fraudarentur, inter alia diſpoſuit, quod Generales & Provinciales Miniſtri, ac Cuſtodes univerſi pro tempore ipſius Ordinis Fratrum Minorum poſſent nominare ſpeciales perſonas, quæ non eſſent de dicto Ordine, pro locorum indigentia ſingulorum, quas perſonas taliter per ipſos nominatas, pro tempore in iis adminiſtrationem legitimam, & generalem & liberam gerere, & ipſos veros & legitimos adminiſtratores, Œconomos, Syndicos, & actores eſſe de plenitudine poteſtatis conſtituendi, auctoritate Apoſtolica decrevit, qui res ipſas & rerum prædictarum pretium, & prædictas elemoſynas nomine Romanæ Eccleſiæ, ad quam rerum mobilium & immobilium, quibus Fratres uti poſſunt, jus, proprietas, & dominium nullo medio ſpectat, reciperent per eoſdem in Fratrum ipſorum utilitates, prout eis licet ex Regula vel declaratione Regulæ, convertenda, ſicut & quando a Generalibus, & Provincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus prædictis, & eorum ſingulis pro tempore, in Provincia, vel cuſtodia ſibi decreta, vel ab iiſdem Fratribus de aſſenſu eorum extitiſſent requiſiti, ac eædem perſonæ petendi, exigendi, recipiendi, alienandi prædicta, tranſigendi quoque, & pacifcendi, conveniendi, compromittendi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum de calumnia vitanda, & veritate dicenda jurandi, & cujuslibet alterius generis juramentum præſtandi, cum illis, & contra illos qui hujuſmodi res mobiles & immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemoſynas Fratribus in teſtamentis occuparent vel violenter auferrent, ſive contra voluntatem Fratrum quomodolibet obtinerent. Et generaliter in omnibus cauſis, rebus, & locis hujuſmodi ad ipſam Eccleſiam ſpectantibus, ipſorum Fratrum uſui conceſſis, necnon pro immunitatibus, libertatibus, & Juribus, ac privilegiis & indulgentiis eorumdem ſine cujuslibet ſatiſdationis & cautionis onere, plenam, generalem & liberam haberent Apoſtolica auctoritate præfata, in judicio & extra judicium poteſtatem; revocandi quoque perſonas eaſdem & earum quamlibet, ac alias eis ſubrogandi, vel nominandi per ſupradictum

ctum modum nominationis, quoties opportunum foret, quæ eamdem in prædictis vel ſimilem haberent poteſtatem, plenam & liberam per ſuas ſub Dat. apud Urbem veterem xv. Kal. Februarii, Pontificatus ſui anno II. auctoritate Apoſtolica præfata etiam conceſſit facultatem.

§. V. Et licet recolendæ memoriæ Joannes Papa XXII. ſimiliter Prædeceſſor noſter, conſtitutione, quæ incipit: *Ad Conditorem*, per quam Miniſtris, & Cuſtodibus, & Fratribus prædictis ne litteris, & conceſſione Martini Prædeceſſoris hujuſmodi ſine Apoſtolicæ Sedis præfatæ licentia uterentur, inter cætera prohibuit; nihilominus prohibitione hujuſmodi non obſtante, ſanctæ memoriæ Martinus V. ſimiliter Prædeceſſor noſter voluit, & eadem auctoritate Apoſtolica conceſſit Miniſtris, & Cuſtodibus, & Fratribus prædictis, quod ipſi, & eorum ſinguli litteris Martini IV. Prædeceſſoris, ac omnibus in eis contentis hujuſmodi libere, & licite uti valerent, tamdiu, & quouſque per Sedem prædictam aliud in præmiſſis eidem Ordini utilius foret ordinatum. Ac etiam fel. mem. Eugenius etiam Papa IV. pariter Prædeceſſor noſter, Jus hujuſmodi eidem Ordini per alias ſuas litteras, tenore litterarum Martini IV. Prædeceſſoris hujuſmodi in eis præinſerto, ut dicitur, conceſſit conſervari. Necnon etiam piæ mem. Nicolaus V. & Sixtus IV. etiam Prædeceſſores noſtri ſuper confeſſionibus audiendis omnium perſonarum extranearum, & forenſium quarumcumque Diœceſium per Fratres Minores Ordinis, & Obſervantiæ Regularis hujuſmodi ad hoc a ſuis Superioribus, ut moris eſt, deputatus; necnon pro abſolutionis beneficio illis impendendo, ac Sacratiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, eis taliter confeſſis, omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, licite adminiſtrando, per diverſas eorum litteras, eadem auctoritate Apoſtolica facultatem conceſſerunt; ac idem Eugenius, & diverſi alii Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri facultatem abſolvendi hujuſmodi ſub certis modis & forma, ac etiam in diverſis Conventibus Ordinis hujuſmodi tunc expreſſis, ac etiam vivæ vocis oraculo ut præfertur, ampliarunt & extenderunt, prout in ſingulis conceſſionibus, & litteris eorumdem Prædeceſſorum plenius dicitur contineri.

§. VI. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ea, quæ ſæpius Apoſtolica auctoritate præfata munita exiſtunt, majorem obtineant roboris firmitatem, dictus Clemens Miniſter cupiat privilegia, facultates, conceſſiones, indulta, diſpenſationes & ſingulas alias gratias hujuſmodi, etiam per Nos approbari, innovari, & confirmari, pro parte ejuſdem Clementis Miniſtri, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut iiſdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conſervatoriis, declarationibus, facultatibus, diſpenſationibus, gratiis, conceſſionibus, indulgentiis, & indultis pro illorum obſervantia viridiore, noſtræ approbationis robur adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. VII. Nos igitur qui omnium votis, præſertim illis, quibus ſub ſuavi jugo divinis laudibus, & Chriſtianæ profeſſionis augumento incumbentium perſonarum, tranquilitati, commoditatibus, & honori conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præmiſſa, ac omnia, & ſingula alia privilegia, immunitates, exemptiones etiam ab Inquiſitoribus præfatis, libertates, prærogativas, favores, conſervatorias, declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, Indulgentias, & indulta ſpiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis inter ſe, & cum aliis Ordinibus Mendicantibus & non Mendicantibus, iiſdem Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ac ſanctæ Clarę, & de pœnitentia tertio Ordinibus etiam in Congregatione

ſub

ſub trium votorum ſubſtantialium profeſſione, & eorumdem Superiorum Ordinis Minorum Regularis obſervantiæ hujuſmodi obedientia degentibus, ipſorumque Superioribus Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac utriuſque ſexus, etiam ſingularibus perſonis: necnon Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque in genere, & in ſpecie, etiam per ſolam ſignaturam, etiam vivæ vocis oraculo, ut præfertur, aut alias tam per præfatos, ac quoſcumque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, quam Imperatores, Reges, & alios Principes ſub quacumque forma, & expreſſione verborum conceſſa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon eum omnibus, & ſingulis in eis contentis clauſulis, decretis, & declarationibus, ſingulas deſuper confectas litteras, & in eis contenta, etiam prout largius in aliquibus earum eis conceſſum eſt, interpretando, & inde ſecuta quæcumque, illorum omnium tenores & formas, datas, effectus, & decreta in illis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, dicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine approbamus & innovamus, & perpetuam roboris firmitatem obtinere, & firmiter obſervari, necnon Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, & ſanctæ Claræ, ac tertio de pœnitentia nuncupato, etiam in Congregatione ſub obedientia Fratrum Minorum Obſervantium hujuſmodi degentibus Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis Sororibus, Perſonis, Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis prælatis, etiam per modum communicationis & extenſionis hujuſmodi ſuffragari; illiſque frui, uti, & gaudere, quando & quoties opus fuerit, poſſe, & debere in judicio & extra, ac etiam in foro conſcientiæ in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi ſpecialiter & expreſſe eiſdem Fratrum Minorum, ac ſanctæ Claræ, & tertio de pœnitentia nuncupato Ordinibus conceſſa fuiſſent, decernimus. Supplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. VIII. Et nihilominus pro potiori cautela, & ampliori dono gratiæ, illa omnia & ſingula, quæ per præfatos Prædeceſſores noſtros, ac Imperatores, Reges, & Principes, ac Nos, & Sedem eamdem conceſſa, ſtatuta, & ordinata fuerunt, etiam juxta ampliorem, & favorabiliorem illorum intelligentiam & interpretationem, & præſertim ut excluſis quibuſcumque ſollicitudinibus, liberius, & quietius poſſint vacare obſequiis Fratres Minorum Regularis Obſervantiæ hujuſmodi, & animarum ſaluti per amplius proficere, & offerentium, donantium, & concedentium, aut in ultima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus Ordinis Minorum hujuſmodi aliquid propter Deum, pia intentio non fraudetur, ac hæredum, & executorum negligentiis obvietur, ac ut ipſi Fratres ſecundum modos licitos, & congruos ipſi Ordini relictis ſibi in teſtamentis mobilibus, & immobilibus bonis, & aliis etiam pecuniariis ſibi quomodolibet oblatis, conceſſis, legatis, & donatis pro tempore, etiam pro Miſſis, & aliis Divinis officiis, eleemoſynis, & aliis rebus, non fraudentur, quod Generalis de per ſe in toto Ordine, & ſinguli Provinciales Miniſtri, ac Cuſtodes univerſi pro tempore exiſtentes ipſius Ordinis Fratrum Minorum in ſuis Provinciis, & Cuſtodiis reſpective, & ad hoc ab eis reſpective deputati Fratres pro tempore, poſſint nominare ſpeciales perſonas, quæ non ſint de dicto Ordine Minorum pro locorum indigentia ſingulorum, quando & quoties opus fuerit in ſingulis eorum Conventibus, quas perſonas taliter nominatas pro tempore, in iis adminiſtrationem legitimam & generalem, ac liberam gerere, & ipſos veros & legitimos adminiſtratores, Œconomos, Syndicos, & actores eſſe de poteſtatis plenitudine con-

conſtituendo, eadem auctoritate etiam decernimus, qui res ipſas, & rerum ipſarum pretium, & prædictas eleemoſynas nomine Romanæ Eccleſiæ, ad quam rerum omnium mobilium & immobilium, quibus Fratres uti poſſunt, jus, proprietas, & dominium nullo medio ſpectat, recipiant & recipere poſſint & debeant, per eoſdem in Fratrum ipſorum utilitates, etiam pro victu & veſtitu eorum, ac reparatione Conventuum, & aliarum rerum, locorum, Conventuum, & Fratrum hujuſmodi neceſſitatibus pro tempore convertenda, ſicut & quando a dictis Generali in toto Ordine, & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus prædictis, & eorum ſingulis pro tempore in Provincia, vel Cuſtodia ſibi decreta, vel ab eiſdem Fratribus de aſſenſu eorum extiterint requiſiti. Ac eædem perſonæ petendi, exigendi, recipiendi, alienandi prædicta, tranſigendi quoque, paciſcendi, conveniendi, compromittendi, commutandi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, ac in animas eorum de calumnia, & veritate dicenda jurandi, & cujuslibet alterius generis juramentum præſtandi, cum illis & contra illos, qui hujuſmodi res mobiles & immobiles, aut pretium earum, vel relictas eleemoſynas Fratribus in teſtamentis, aut alias eis donatas & conceſſas occuparent, & violenter auferent, ſive contra voluntatem Fratrum quomodolibet retinerent. Et generaliter in omnibus cauſis pro rebus, & locis hujuſmodi ad ipſam Eccleſiam ſpectantibus, ipſorum Fratrum uſui conceſſis, necnon pro immunitatibus & libertatibus, Juribus, & privilegiis, ac indulgentiis eorumdem ſine cujuslibet ſatisdationis & cautionis onere, plenam, generalem, & liberam habeant auctoritatem, præfata auctoritate Apoſtolica in judicio, & extra illud poteſtatem concedimus; revocandi quoque perſonas eaſdem, & earum quamlibet, ac alias ſubrogandi vel nominandi per ſupradictum modum nominationis, quoties opportunum fuerit, quæ eamdem in prædictis vel ſimilem habeant poteſtatem plenam & liberam, etiam Generali, ac Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus hujuſmodi, & eorum ſingulis, ut præfertur, eadem auctoritate, facultatem etiam concedimus: nec propter præmiſſa Fratres Minores hujuſmodi contra Regulam ſancti Franciſci quam profeſſi ſunt, & profitentur in futurum, ſive contra ſtatuta Regularia ſui Ordinis hujuſmodi in aliquo facere, nec feciſſe, immo cum illius obſervatione quo ad hoc, & pura, & ſana conſcientia ſine alicuis conſcientiæ ſcrupulo vixiſſe hactenus, & impoſterum vivere, & ſic per quoſcumque Judices, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus & declaramus.

§. IX. Et inſuper, ut pro tempore deputatos confeſſores Fratres Ordinis Minorum Obſervantium hujuſmodi omnium quarumcumque Diœceſum utriuſque ſexus Chriſtifidelium ad eos pro tempore recurrentium confeſſiones audire, eoſque etiam in caſibus & cenſuris, quibus eis per privilegia Sedis Apoſtolicæ etiam per modum communicationis, & extenſionis quorumcumque Ordinum etiam Minimorum hactenus conceſſum eſt, poſſe abſolvere, & ſinguli Ordines etiam Minimorum, quorum privilegia eidem Ordini Minorum ſunt communicata & extenſa, abſolvere conſueverunt, abſolvendi, ac pœnitentiam ſalutarem injungendi, & omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ Sacramentum Euchariſtiæ tam illis, quam aliis quibuſvis perſonis licite miniſtrandi, Apoſtolica auctoritate prædicta, indulgemus, ac de novo concedimus in omnibus & per omnia. Ita quod Ordinis Superiores, Fratres, Moniales, Sorores, Perſonæ, Monaſteria, Domus, Eccleſiæ & loca prædicta illis tam ingenere, quam in ſpecie conceſſis, ut præfertur, uti,

uti, potiri & gaudere poſſint & debeant. Ac ab ipſis Inquiſitoribus, impoſitionibus, gravaminibus, oneribus, decimis, quarta & quinta etiam funeralium, & aliorum quorumcumque eis legatorum & oblatorum, ac conceſſorum pro tempore, necnon pedagiis & gabellis, ac omnibus & ſingulis aliis ſupradictis libera penitus, immunia & exempta auctoritate Apoſtolica & tenore prædictis etiam concedimus & indulgemus, ac ſtatuimus & ordinamus.

§. X. Et nihilominus venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Rhotomagenſi, & Epiſcopo Conchenſi, ac dilecto filio Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditori per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri, illiſque omnes, quos concernunt, pacifice frui & gaudere, non permittentes quemquam deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores quoslibet & rebelles, etiam per quaſcumque, de quibus eis videbitur, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. XI. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus: Super cathedram Bonifacii, & Dudum Viennenſis Concilii, ac Clementinæ: Religioſi de privilegiis, & Dudum de ſepulturis, ac etiam Ex frequentibus de ſententia excommunicationis, ac extravagate: Ad conditorem Joannis XXII. cum aliis conſtitutionibus eamdem materiam prædictæ extravagantis tangentibus, ſeu concernentibus, ac regulis Cancellariæ Apoſtolicæ jam editis, & in futurum edendis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII., etiam prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali de duabus dietis editis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præſentium ad judicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis, ac Provincialibus, Capitularibus, Generalibus & ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, etiam in ultimo generali Concilio Lateranenſi celebrato, & aliis Conciliis editis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis per Leonem X., Clementem VII., Paulum III., Julium etiam III. præfatos, ac quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Sedem eamdem, etiam motu proprio, ac ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac cum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, etiam privilegiorum eorumdem revocativis, reſtrictivis, præſervativis, exceptivis reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis & innovatis, quibuſvis perſonis & Ordinibus in contrarium forſan conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis modo & forma derogari poſſit; tenores hujuſmodi, ac ii de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes

ple-

plenam & expreſſam de verbo ad verbum & indulto hujuſmodi mentionem, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. XII. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus forte opus eſſet, deferri, volumus, & pariter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die I. Julii MOLV. Pontificatus noſtri anno I.

III.

Præcepit Epiſcopo Laudenſi, ut litteras Julii III. in favorem Fratrum Conventus Varalli datas executioni demandet. Ex orig. in noſtra Collect.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum dei.

Venerabilibus Fratribus Epiſcopo Laudenſi, Mediolani commoranti, ſeu dilecto filio ejus Vicario in ſpiritualibus Generali, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. DUdum ſel. record. Julio Papæ III. prædeceſſori noſtro querela pro parte dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus Varalli Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Novarienſis Diœceſis, expoſita continebat, quod, cum ipſi Guardianus & Fratres eſſent, & eſſe deberent veri & legitimi Adminiſtratores eleemoſynarum, quæ pro tempore in Eccleſia dictæ domus per Chriſtifideles erogari conſueverant, ac minime conveniret Laicis in hujuſmodi eleemoſynis ſe intromittere, ac nullum jus, nullaque actio Conſulibus & hominibus dicti loci eleemoſynas in dicta Eccleſia petendi, & pro illarum repetitione & exactione aliquam capſam in illa tenendi, nec habendi competeret, ac eleemoſynæ hujuſmodi ad Guardianum & Fratres præfatos pro illorum neceſſaria ſubventione, & Eccleſiæ prædictæ, & illius ornamentorum manutentione & reparatione de jure ſpectare debuiſſent & deberent: Nihilominus Conſules & homines præfati, neſcitur quo ſpiritu, niſi quadam cupiditate avaritiæ ducti, forſan quodam odio in ipſum Guardianum & Fratres per ipſos Conſules & homines tunc concepto, cupientes eaſdem eleemoſynas ſibi appropriare, ſeu alias de illis in præjudicium Fratrum & domus, & Eccleſiæ prædictorum diſponere, ac in dicta Eccleſia quamdam capſam tenere & habere, & eleemoſynas inibi contra juris diſpoſitionem recipere, Apoſtolicas ab eodem Julio prædeceſſore in forma Brevis ad modernum, ſeu tunc Vicarium venerabilis Fratris tunc ſui, nunc noſtri Epiſcopi Novarienſis in ſpiritualibus Generalem obtinuerunt litteras ſubreptionis & obreptionis.

§. II. Et cum eadem querela ſubjungeret, quod ipſi Conſules & homines doloſe ſubtacuiſſent Montem, in quo Eccleſia prædicta conſtructa exiſtit, ad præfatos Fratres ſpectaſſe tunc ac nunc ſpectare, ac falſo expreſſiſſent, quod inibi dictam capſam ab immemorabili tempore citra habuiſſent & tenuiſſent, ac quod Fratres Minores præfati Conventuales eſſent, litteræque prædictæ clauſulam: *Si eſt ita*, in ſe haberent, & potius cognitionem cauſarum, quam Juris privationem continerent; ac Guardianus & Fratres præfati litterarum prædictarum vigore, ob veri taciturnitatem, ac falſi expreſſionem hujuſmodi

di

di, jure ſun privari non debuiſſent, nec tunc deberent; pro parte dictorum Guardiani & Fratrum aſſerentium tunc ſuper falſa expreſſione, ac veri taciturnitate, litterarumque prædictarum ſubreptionne & obreptione, & alias de ſuo bono jure docere, ac judicialiter contra præfatos Conſules & homines experiri velle, eidem Julio prædeceſſori humiliter ſupplicato; quatenus cauſam & eaufas, quam & quas ipſi tunc habebant, & movere intendebant contra præfatos Conſules & homines, omneſque alios ſua communiter, vel diviſim intereſſe putantes quomodolibet ſuper præmiſſis, rebuſque aliis in actis cauſæ & eaufarum hujuſmodi latius tunc deducendis, aliquibus probis viris in illis partibus, & cuilibet illorum cum illarum incidentibus ae dependentibus, ac cum toto negotio principali ſummarie audiendas, ac fine debito terminandas, cum poteſtate citandi & inhibendi etiam ſub cenſuris & pœnis tunc expreſſis, ac attentata & innovata, litteraſque prædictas, conſtito de illarum ſubreptione & obreptione, prout juris fuerit, revocandi, ac omnia alia circa præmiſſa quomodolibet opportuna faciendi & exequendi, præmiſſis, ae quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque, cum aliis elauſulis & derogationibus tunc expreſſis, committere & mandare, aliaſque in præmiſſis opportune prnvidere de benignitate Apoſtoliea dignaretur.

§. III. Idem Julius prædeceſſor per alias poſteriores litteras ſub plumbo expeditas, tibi frater Epiſcope, inter alia dedit in mandatis, quatenus voeatis qui forent evocandi, auditiſque hinc inde propoſitis, quod juſtum foret, in præmiſſis, appellatione remota, decerneres, faceresque, quod decretum per te foret, per cenſuras Eccleſiaſticas firmiter obſervari.

§ IV. Et licet, ſuperveniente obitu Julii prædeceſſoris præfati, poſteriores litteræ prædictæ tibi minime præſentatæ, ſeu per te executioni demandatæ non fuerint, ac Conſules & homines præfati eoſdem Guardianum & Fratres forſan de facto eorum jure præfato ſpoliaverint: Pro parte eorumdem Guardiani & Fratrum, ne ipſi litterarum prædictarum fruſtrentur effectu, aè ſuo jure ſpoliati remaneant, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ad executionem litterarum prædictarum ad te directarum procedi, ipſoſque adverſus ſpolium hujuſmodi reſtitui mandare, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. V. Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, ipſis Guardiano & Fratribus adverſus ſpolium hujuſmodi, conſtito de illo, prout juris fuerit, reſtitutis, ad dictarum litterarum executionem, illarum forma ſervata, procedas.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto, idibus Auguſti, Pontificatus noſtri anno I.

IV.

Monialibus ſanctæ Mariæ in Hieruſalem in Civitate Neapolitana regulam ſanctæ Claræ ſervari concedit, & iis conceſſa privilegia noviter firmat. Ex originali.

PAULUS PAPA IV.

Dilectæ in Chriſto Filiæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. ALias poſtquam fel. record. Paulus Papa III. prædeceſſor noſter Monaſterium, ſub invocatione beatæ Mariæ in Hieruſalem apud hoſpitale pauperum infirmorum incurabiliu m ejuſdem ſanctæ Mariæ de Po-

pulo Neapolitano in quodam loco inibi, per quamdam Mariam Laurentiam olim Abbatiſſam dicti Monaſterii deſignato, jam tunc conſtrui inceptum pro una Abbatiſſa, & duodecim Monialibus tertii Ordinis ſancti Franciſci, juxta regulam ſanctæ Claræ, tria vota regularia dicti Ordinis profitentibus, in quarum numero ſeptem Converſæ & ſervientes eidem Monaſterio per eamdem Mariam Abbatiſſam deputandæ non comprehenderentur, & quæ inibi ſub regulari obſervantia dicti Ordinis, & perpetua clauſura, ac protectione Sedis Apoſtolicæ, & unius Confeſſoris ſæcularis vel regularis pro Miſſis celebrandis, & earum confeſſionibus audiendis, ac Sacramentis miniſtrandis dumtaxat, in Sacerdotio, & ætate provecta conſtituti, exemplariſque vitæ, & religionis zelatoris, per dictam Mariam Abbatiſſam, quamdiu viveret, & deinde per Abbatiſſam, & majorem partem Monialium profeſſarum Monaſterii hujuſmodi eligendi, Altiſſimo famularentur, ſine alicujus præjudicio erexerat; ac ipſi Mariæ Abbatiſſæ, ut, vita ſua durante, Monaſterium hujuſmodi, cujus Moniales ſibi tamquam Matri, & Superiori obedire tenerentur, regere & gubernare, ac pro regimine, ritu, moribus, regulari obſervantia, & illarum inſtructione, unam vel duas cujuſvis Ordinis Moniales ad id voluntarias, quæ de ſuorum Superiorum licentia ad dictum Monaſterium ſe transferre valerent, pro ea prima vice poſtulare, & unam ex eis tempore obitus ſui in Abbatiſſam eligere & deputare, & nonnulla alia tunc expreſſa facere valeret, ipſeque numerus duodenarius augeri non poſſet, ac Rectores dicti hoſpitalis de ejuſdem Hoſpitalis bonis, ſibi ac Abbatiſſæ, & Monialibus dicti Monaſterii victui neceſſaria, prout tunc faciebant abſque conſcientiæ ſcrupulo miniſtrare, ipſeque Confeſſor nonnulla tunc expreſſa facere valeret, conceſſerat; ac Monaſterium ipſum, illiuſque bona, ac ipſam Mariam, & pro tempore exiſtentes Abbatiſſam, & Moniales dicti Monaſterii, ſub beati Petri, & Sedis prædictæ, ac ſua protectione ſuſceperat, & ab omni juriſdictione & ſuperioritate loci Ordinarii pro tempore exiſtentis exemerat per ſuas litteras: eidem Prædeceſſori pro parte dictæ Mariæ Abbatiſſæ expoſito, quod locus deſignatus præfatus, quem jam dicta Maria Abbatiſſa, & aliæ duodecim Moniales, & ſeptem Converſæ prædictæ ingreſſæ fuerant, minus capax pro Monaſterio Monialium hujuſmodi exiſtebat, præſertim cum plures zelo devotionis, ac religionis inductæ cuperent una eum ipſa Maria Abbatiſſa in Monaſterio præfato Altiſſimo famulari, ac eidem Prædeceſſori pro eadem parte humiliter ſupplicato, ut in præmiſſis, quodque Monaſterium ipſum, prout alia ejuſdem Ordinis Monaſteria regebantur, & gubernabantur, regeretur & gubernaretur, opportune providere, aliaque infraſcripta ſibi concedere de benignitate Apoſtolica dignaretur. Idem Prædeceſſor hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, ipſi Mariæ Abbatiſſæ, quæ infirmitate forſan incurabili gravata, & quam in Abbatiſſam, Matrem & Superiorem dicti Monaſterii idem Prædeceſſor præfecerat, ut Monaſterium hujuſmodi in quocumque alio loco ſimiliter ſine alicujus præjudicio, conſtrui facere valeret, Apoſtolica auctoritate conceſſit, ipſumque Monaſterium noviter conſtruendum per eam, quamdiu viveret, & deinde per aliam Abbatiſſam per ipſius Monaſterii pro tempore exiſtentes Moniales eligendam, prout alia ejuſdem Ordinis Monaſteria regebantur & gubernabantur, regi & gubernari, in dictoque conſtructo vel conſtruendo Monaſterio, non ſolum duodecim, ſed etiam triginta tres Moniales, ſine tamen dicti hoſpitalis onere includi, illaſque eamdem Mariam Abbatiſſam recipere poſſe, & non ſolum tempore obitus ſui, ut præfertur, ſed & ante, & quando ſibi placeret, unam ex duodecim, quæ tamen dictum Ordinem expreſſe profeſſa, & in ætate legitima conſtituta, & alias ad id idonea foret, ipſa Maria Abbatiſſa prius regimini, & adminiſtrationi hujuſ-

juſmodi cedente, alias juxta dictarum litterarum tenorem, in Abbatiſſam eligere & deputare, ipſaque Maria Abbatiſſa, & per eam eligenda, vel alia, quæ pro tempore foret, confirmatione alterius Superioris non egeret, ſed abſque alia confirmatione & benedictione adminiſtrare, regere & alia facere, quæ aliæ dicti Ordinis Abbatiſſæ poſt confirmationem & benedictionem, de jure vel conſuetudine facere poterant, & conſueverant, & ſi quæ dubia & difficultates ſuper præmiſſis, vel aliis impoſterum pro tempore occurrerent, duos vel tres in jure Canonico Doctores per pro tempore exiſtentem Abbatiſſam, Confeſſorem, & Capellanum, juxta formam litterarum erectionis hujuſmodi, quem magis idoneum reputaret, eligere, litteras prædictas, & in eis contenta quæcumque ad ea, ſi opus foret, extendendo & ampliando poſſe decrevit & declaravit, prout in prædictis, & aliis ipſius Prædeceſſoris in forma Brevis inde confectis litteris plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut nobis nuper exponi feciſtis, licet Monaſterium ipſum, licentiæ prædictæ vigore, translatum & ædificatum fuerit, voſque in eo ſub regula ſanctæ Claræ primi Odinis, non autem ſub regula ſancti Franciſci tertii Ordinis hactenus degeritis & degatis; nihilominus pro animi veſtri quiete, in eo ſub hujuſmodi regula primi & ſtrictioris Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ permanere deſideretis.

§. III. Nos veſtro pio deſiderio in hac parte favorabiliter annuere volentes, necnon ſingularum litterarum prædictarum, veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illaſque & in eis contenta quæcumque approbantes, & confirmantes, & vobis ac veſtro Monaſterio ſuffragari, voſque illis in omnibus, & per omnia uti poſſe decernentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati: quod vos in dicto Monaſterio ſub hujuſmodi regula ſanctæ Claræ primi Ordinis, prout hactenus degiſtis, de cætero degere, & permanere, quodque vos in futurum in eodem Monaſterio recipiendæ Moniales habitum per alias aliorum ſingulorum Monaſteriorum ejuſdem primi Ordinis ſanctæ Claræ Moniales geſtari ſolitum ſuſcipere, & profeſſionem per eaſdem primi Ordinis hujuſmodi emitti ſolitam, alias juxta aliorum Monaſteriorum, ſub hujuſmodi regula ſanctæ Claræ primi Ordinis exiſtentium, ritum & conſuetudinem emittere libere & licite valeatis; ita tamen, quod vos, & pro tempore exiſtentes ipſius Monaſterii Moniales ex quacumque etiam infirmitatis, vel alia quavis & urgentiſſima cauſa, dictum Monaſterium exire, aut ab eo diſcedere, & de modernæ, & pro tempore exiſtentis ipſius Monaſterii Abbatiſſæ licentia, nullo unquam tempore poſſitis aut valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus, ac ſingulas litteras prædictas ad id extendimus & ampliamus.

§. IV. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ dictus Prædeceſſor in ſingulis litteris prædictis voluit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die IIII. Septembris MDLV. Pontificatus noſtri anno I.

V.

Dat facultatem transferendi Conventum Lorcæ. Regeſt. Ultram. fol. 166. a tergo.

Dilecti Filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Juſtis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exponi nobis nuper feciſtis, quod dudum quædam Mulier vidua relicta, dum viveret, quondam Petri Martinez de la Juncta oppidi Civitatis nuncupati de Lorea, Carthaginenſis diœceſis habitatrix, pia

erga Ordinem ſancti Franciſci de Obſervantia ducta devotione, condens de ſuis bonis in ejus ultima voluntate teſtamentum, ſive alias, quamdam ſuam domum cum horto, ſitam in dicto Oppido, dilectis filiis Fratribus Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, ad effectum, ut ibidem Conventus, & Eccleſia pro eiſdem Fratribus conſtrueretur & ædificaretur, reliquit & legavit, voluitque in eadem conſtruenda Eccleſia ſepeliri, forſan ſub certis conditionibus, ac modo & forma tunc expreſſis, prout in teſtamento, ſeu inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, in ea dicti Oppidi parte, in qua domus & hortus hujuſmodi ſituati exiſtunt, reperiantur duo Conventus, unus Fratrum ſancti Dominici, & alter Fratrum beatæ Mariæ de Mercede: ac in alia ejuſdem Oppidi parte, licet in ea ultra mille, & quingenti habitatores ſint, una tamen dumtaxat Parochialis Eccleſia, & nullus Religioſorum Conventus reperiatur, eaque occaſione tot habitatores prædicti ad Conventuum prædictorum Eccleſias commode accedere non valentes, fructu & conſolatione ſpirituali plerumque deſtituti remaneant: verum ſi venditis domo & horto ſupradictis, ex illorum pretio in certo ejuſdem oppidi loco, quem dicti Oppidi Populus de ſuo prope Portam Nogaltam nuncupatam ipſius Oppidi, ad hoc aſſignavit, Conventus & Eccleſia Fratrum Minorum hujuſmodi conſtruerentur & ædificarentur, ex hoc profecto ſpirituali conſolationi, & Animarum ſaluti habitatorum prædictorum, Divinique cultus in ipſo Oppido augmento conſuleretur: ac diſſentionibus, quæ, ſi Conventus in domo ad hoc per Teſtatricem relicta conſtrui deberet, veriſimiliter orirentur, obviaretur. Ipſeque Populus pro celeriori Conventus & Eccleſiæ conſtruendorum hujuſmodi perfectione, manus porrigerent libentius adjutrices, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§ III. Nos igitur ſpecialibus favoribus & gratiis vos proſequi volentes, veſtris hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Fratribus Ordinis ſancti Franciſci, quibus domus & hortus prædicti relicti ſunt, ut præfertur, eoſdem domum & hortum vendendi & alienandi, & pretium exinde proveniens in ædificationem & conſtructionem Conventus & Eccleſiæ ſancti Franciſci in loco prope dictam Portam ſituato, eis, ut præfertur, ad hoc conceſſo & aſſignato, convertendi, & ad ipſam conſtruendam Eccleſiam corpus ejuſdem Teſtatricis transferendi, diœceſani loci, aut cujuſvis alterius licentia minime requiſita, licentiam & facultatem auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus: Necnon voluntatem prædictæ Teſtatricis, quoad hoc commutamus, & nihilominus dilectis filiis Decano, & Theſaurario Eccleſiæ Carthaginen., ac officiali Carthaginen., per præſentes committimus, & mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra Fratres Ordinis ſancti Franciſci hujuſmodi conceſſione & indulto prædictis pacifice frui & gaudere, non permittentes eoſdem Fratres deſuper per quoſcumque contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari: Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & etiam pecuniarias pœnas eorum arbitrio imponendas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. IV. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac Provincialibus & Synodalibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Ordinis, & Oppidi hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, ac indultis, & litteris

Apo-

Apoſtolicis quibuſcumque perſonis quomodolibet, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſis, confirmatis & iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non aut per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus: cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. V. Volumus autem, quod pretium venditionis hujuſmodi deponatur penes aliquam ædem ſacram, aut perſonam fide & facultatibus idoneam, donec in conſtructionem & ædificationem Conventus & Eccleſiæ hujuſmodi, ut præfertur, converſum fuerit.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xi. Novembris MDLV. Pontificatus noſtri anno 1.

VI.

Petrus de Ayala præficitur Eccleſiæ Compoſtellanæ. Ex Actis Conſiſtorialibus autographis in Tabulario ſecretiori Vaticano aſſervatis Tomo 3. fol. 154.

Apud ſanctum Petrum die Mercurii xviii. *Decembris* MDLV. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Saraceno

Sanctiſſimus Dominus noſter Paulus Divina providentia Papa IV. providit Eccleſiæ Compoſtellanæ in Provincia novæ Galliæ Indiarum, Maris Oceani, tunc per obitum quondam Petri Gomez extra Romanam Curiam defuncti, vacanti, de perſona Domini Petri de Ayalà Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit & Paſtorem, cum clauſulis &c.

Anno Christi 1556. Pauli IV. anno 2.

VII.

In favorem Monaſterii Eborenſis declarat ad ipſum ſpectare Bona ſibi legata à Maria de Meneſes Clariſſa. Regeſt. Ultram. fol. 167. a tergo.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Ulyſſiponenſi, ſeu dilectis filiis ejus Officiali, ac Cantori Eccleſiæ Ulyſſiponenſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Dilectæ in Chriſto filiæ moderna Abbatiſſa Monaſterii Monialium ſanctæ Claræ Eboren., Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ, & Maria de Meneſes ejuſdem Monaſterii Monialis proponi fecerunt coram Nobis, quod alias ipſa Maria de Meneſes, ſervore devotionis mota, præfatum Monaſterium intravit, & habitum per ipſius Monaſterii Moniales geſtari ſolitum ſuſcepit, ac inibi profeſſionem per eaſdem Moniales emitti ſolitam emiſit regularem, deindeque eadem devotionis accenſa, ac forſan de mandato tunc Regis Portugalliæ, aut aliorum, ad Monaſterium Monialium ſancti Dominici Civitatis de Elvas nuncupatæ, ejuſdem ſancti Dominici Ordinis, Eborenſis diœceſis inibi tunc noviter erectum, ſeu ex tunc erigendum, ſe forſan ex indul-

dulto Apoſtolico, aut alias ex conſenſu quorum intererat, tranſtulit, ac inibi habitum per Moniales dicti Monaſterii ſancti Dominici geſtari ſolitum forſan ſuſcepit, & in eodem habitu ſancti Dominici per plures annos permanſit, ac ad diverſa alia loca regularia forſan ſe contulit, & poſt plures annos ad prædictum Monaſterium ſanctæ Claræ rediit: ipſaque plura, ac diverſa bona forſan, dum in dicto Monaſterio ſancti Dominici eſſet, ac a tempore profeſſionis, per eam in dicto Monaſterio ſanctæ Claræ emiſſæ acquiſivit, quæ de jure dicto Monaſterio ſanctæ Claræ, in quo præfata Maria educata & profeſſa fuerat, & ad quod ad præſens forſan rediit, acquiſita ſuiſſe dici & declarari debent: tamen nonnulli Ordinum prædictorum Superiores ſiniſtre, ac minus legitime jura interpretantes, tertiam partem bonorum, intuitu perſonæ præfatæ Mariæ eidem Monaſterio ſanctæ Claræ, ratione profeſſionis per ipſam Mariam inibi emiſſæ canonice acquiſitorum ad ſancti Dominici, & alias duas partes hujuſmodi ad ſanctæ Claræ Monaſteria prædicta, poſt certam differentiam antea inter Monaſteria prædicta habitam, ſpectare debere, inter alia contra juris formam decreverunt, judicarunt & ordinarunt, ac ſine conſenſu dictæ Mariæ de Meneſes concordarunt, & licet ab aliquibus juris ignaris & ſimplicibus forſan aſſeratur: tamen indebite & injuſte dictam prætenſam declarationem, ſeu ordinationem, aut concordiam per præfatos Superiores factas viribus ſubſiſtere, tertiamque partem bonorum, ſic acquiſitorum, ad dictum Monaſterium ſancti Dominici, ex ordinatione & declaratione, ſeu concordia hujuſmodi ſpectare debere; pro parte Abbatiſſæ & Mariæ prædictarum, ad removendam omnem hæſitandi materiam, & ne declaratio & ordinatio, ac concordia hujuſmodi ſine conſenſu dictæ Mariæ factæ, & alia circa præmiſſa contra juris formam per prædictos Superiores, aut alios geſta eidem Monaſterio ſanctæ Claræ nocere poſſint, nec debeant, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus in præmiſſis de opportuno juris remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel unus veſtrum, ſi vocatis, qui fuerint evocandi, & inquiſita per vos aut aliquem ex vobis ſuper his diligentius veritate, rem ipſam ita eſſe repereritis, prout ſuperius enarratur, prædicta, & quæcumque alia bona, intuitu perſonæ dictæ Mariæ a tempore profeſſionis, per eam in dicto Monaſterio ſanctæ Claræ emiſſæ, etiam poſt translationem ad prædictum Monaſterium ſancti Dominici acquiſita, ad prædictum Monaſterium ſanctæ Claræ, & non ſancti Dominici ſpectaſſe & pertinuiſſe, ac ſpectare & pertinere debere, dictaſque declarationem & ordinationem, ac concordiam, ſic contra formam juris factam viribus ſubſiſtere non debere, auctoritate noſtra nuncietis & declaretis, prout juxta caſum hujuſmodi ſucceſſum fuerit de jure faciendum.

§. III. Non obſtante ſi eiſdem Monialibus & Superioribus Ordinum prædictorum a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod ad judicium trahi, aut ipſi, & dictorum Ordinum loca interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem: & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtræ juriſdictionis explicatio valeat in hac parte impediri quomodolibet vel differri, quia quoad hoc nolumus eis aliquatenus ſuffragari.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno MDLVI. VI. Idus Januarii Pontificatus noſtri anno II.

VIII.

VIII.

Confirmat Commiſſarios Generales Ultramontanos a Clemente Moniliano Miniſtro Generali Ordinis inſtitutos. Gubern. Tom. 1. lib. 3. cap. 20.

Dilecti Filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm, ſicut accepimus, dilectus filius Clemens de Monilia Generalis Miniſter Ordinis veſtri, quem propter quaſdam pias & rationabiles cauſas, & quædam negotia bonum Chriſtianæ reipublicæ noſtræ concernentia, hinc a noſtra aſſumptione non permiſimus, nec permittimus abire, ne Ordo ſibi commiſſus ob ejus abſentiam, & diuturnam hic ſubſiſtentiam detrimentum aliquod pateretur in ultramontanis partibus ſecundum morem dicti Ordinis, videlicet in Gallia, Hiſpania, & Germania de Ordine noſtro, & conſenſu nonnullorum prædicti Ordinis graviſſimorum Patrum Generales Commiſſarios nationales per patentes litteras ſuas, aut Commiſſarios ad hoc ſpecialiter deputatos, vos inſtituerit & deputaverit, prout in diverſis deſuper confectis documentis publicis, ſeu ſcripturis aliis dicitur plenius conſtare.

§. II. Quare pro parte dicti Generalis Miniſtri nobis ſuerit humiliter ſupplicatum, ut inſtitutiones veſtras in hujuſmodi Generales Commiſſarios nationales approbare & confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos qui Ordinem veſtrum, & dictum Generalem Miniſtrum ſingulari benevolentia proſequimur, ſperantes quod utriuſque ſexus perſonæ in vobis creditis Provinciis ob ferventem animarum zelum, quem vobis ineſſe ſumus pleniſſime edocti, per veſtræ ſollicitudinis ſtudium pie & religioſe regentur & gubernabuntur, inſtitutiones veſtras hujuſmodi in Generales nationales Commiſſarios ex noſtra certa ſcientia approbamus & confirmamus, ac uſque ad beneplacitum dicti Generalis Miniſtri veſtri firmitatis robore communimus: ſupplentes omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. III. Mandantes univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus vobis per dictum Generalem Miniſtrum commiſſis ratione veſtri Commiſſariatus perſonis, in virtute ſanctæ obbedientiæ, & ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, ac aliis pœnis per vos infligendis, ut vobis in omnibus ad veſtram generalem commiſſionem ſpectantibus, & aliis quibuſcumque, quæ non ſunt contra Regulam & animam ſuam, tamquam propriæ perſonæ ipſius Generalis Miniſtri humiliter intendant, & pareant cum effectu, nec vobis in aliquo quovis modo contradicere, aut refragari audeant vel præſumant, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis quoque, ac conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. IV. Verum quia difficile foret præſentes litteras, ad ſingula quæque loca, in quibus de eiſdem fides facienda erit, deferri, volumus, & pariter auctoritate Apoſtolica decernimus, quod illarum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXII. Junii MDLVI. Pontificatus noſtri anno II.

Uni-

UNiverſis, & ſingulis præſens tranſumptum inſpecturis: Nos Rodulphus Pius Epiſcopus Portuenſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis de Carpo, totius prædicti Ordinis ſancti Franciſci Protector, & Corrector Univerſitati veſtræ notum facimus & atteſtamur, quatenus litteras originales Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Pauli Papæ IV. in forma Brevis ſub annulo Piſcatoris præmiſſi tenoris pro parte Reverendiſſimi Patris fratris Clementis de Monelia ejuſdem Ordinis Generalis Miniſtri, nobis exhibitas, ſanas, integras authenticas, non vitiatas, omnique prorſus vitio, & ſuſpectione carentes, vidimus, & diligenter inſpeximus ac coram nobis per Secretarium infraſcriptum collationari, & auſcultari audivimus, cum præimpreſſo exemplo, quod cum per omnia ipſis originalibus concordari reperiretur, ad ejus ubique fidem faciendam per modum authentici tranſumpti, auctoritatem noſtram pariter, & decretum interpoſuimus, ac ſigillo noſtro muniri mandavimus, Actum, & Datum Romæ in Domo noſtræ ſolitæ habitationis anno Domini MDLVI. die vero XXX. menſis Junii, Pontificatus S. D. N. Pauli Papæ IV. anno 1t.

Anno Christi 1557. Pauli IV. anno 2.

IX.

Præcipit Fratres vagos & Apoſtatas ad Ordinem revocari. Regeſt. Ultram. fol. 168.

Venerabilis Frater noſter, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUpientes abuſui regularium perſonarum, quæ propriæ ſalutis immemores, Deique timore poſtpoſito, ex diverſis quandoque juridicis, ſed confictis, & falſis & quandoque minus juridicis cauſis, etiam prætextu Apoſtolicarum, aut pœnitentiariæ Apoſtolicæ litterarum, domos ſuas regulares exeunt, & interdum habitu regulari abjecto & aliquando retento, in ſæculo vagantur, in maximum Chriſtifidelium ſcandalum, opportune providere, Fraternitati tuæ, quæ totius Ordinis Fratrum Minorum Protectoris, Correctoris, & Gubernatoris munere apud Nos, & Sedem Apoſtolicam fungitur, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ſtatim receptis præſentibus, omnes & ſingulos tam Generales, quam Provinciales dicti Ordinis tam Conventualium, quam de Obſervantia, aut alias quomodolibet nuncupatorum Magiſtros, & Miniſtros ex parte noſtra moneas & requiras, eiſque in virtute ſanctæ obedientiæ mandes & præcipias, ut in ſingulis Provinciis, in quibus ipſi Magiſtri, aut Miniſtri juriſdictionem, aut ſuperioritatem exercent, vel exercere poſſunt, omnes & ſingulos ejuſdem Ordinis, tam Conventualium, quam de Obſervantia, aut alias quomodolibet nuncupatorum profeſſores, qui ex quavis cauſa, quantumcumque juſta, & juridica apparente, propria temeritate, aut prætextu quarumvis etiam noſtrarum, & Prædeceſſorum noſtrorum, etiam in forma Brevis, vel ſub plumbo confectarum, ſeu pœnitentiariæ noſtræ litterarum, quorumcumque tenorum exiſtant, & quaſcumque etiam derogatoriarum derogatorias, aliaſque efficaciores & inſolitas, necnon irritantia, & quævis alia decreta in ſe continentium, extra domos ſuas regulares, eorum habitu regulari ſive retento ſive abjecto, degunt, & impoſterum degent, etiam per Judices, & Miniſtros ſæculares perſonaliter comprendi, & detineri faciant, dummodo infra modicum tempus, eorumdem Magiſtrorum, & Miniſtrorum arbitrio moderandum,

dum, eoſdem comprehenſos, & detentos ipſis Magiſtris & Miniſtris conſignare debeant; eorumque, qui prætextu litterarum hujuſmodi, Domos ipſas exiverint, litteras tam Apoſtolicas, quam pœnitentiariæ ipſi Magiſtri, & Miniſtri videant, diſcutiant & examinent, & tam ſuper veritate, quam ſufficientia cauſarum in litteris ipſis expreſſarum & narratarum diligenter inquirant, & tam eos, qui falſum narraſſe, aut cauſam minus ſufficientem expreſſiſſe, vel in ſæculo inique verſatos fuiſſe, quam eos, qui propria temeritate domos regulares prædictas exiviſſe compererint, perpetui carceris perpetuo, vel ad tempus, ſeu aliis pœnis debitis puniant & compeſcant, ac qui ex vera cauſa per eos approbanda, litteras ipſas ad tempus impetraverint, ſi impedimento prædicto ſublato, aut alias ad clauſtrum redire voluerint, nec aliquod canonicum obſtet, eos benigne recipiant, & caritate tractent.

§. II. Nos enim pro frænanda perſonarum Apoſtatarum hujuſmodi pertinacia, & ut præmiſſa facilius executioni demandentur, Magiſtris & Miniſtris prædictis, ut omnia, & ſingula prædicta abſque alicujus irregularitatis, ſeu infamiæ, vel cenſurarum Eccleſiaſticarum incurſu, libere & licite exequi poſſint Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, de ſpeciali gratia concedimus & indulgemus.

§. III. Ac inſuper omnibus, & ſingulis venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac dilectis filiis aliis aliorum locorum Ordinariis & Eccleſiarum Prælatis, necnon Dominis temporalibus, cujuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, conditionis, dignitatis & præeminentiæ exiſtant, nobis ſubditis videlicet in virtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, reliquos vero nobis in temporalibus non ſubditos requirimus, & hortamur in Domino, ut pro tollendo abuſu Apoſtatarum hujuſmodi, eiſdem Magiſtris & Miniſtris in præmiſſis efficaciter intendant, & eorum juſſa diligenter & celeriter proſequantur.

§. IV. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, & privilegiis, indultis, litteris Apoſtolicis eidem Ordini, & illius Superioribus, & Fratribus, ac per Romanos Pontifices quoſcumque Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & dictam Sedem, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, aut conſiſtorialiter, ſeu alias quommodolibet conceſſis, etiam quaſcumque ſententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, vel temporales in ſe continentibus. Quibus omnibus, etiam ſi pro eorum ſufficienti derogatione, de eis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas Generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus ommiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, & ſufficienter derogatum eſſe decernimus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. V. Et quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus, & dicta auctoritate Apoſtolica decernimus, quod earum tenori in litteris tuis inſerto, ſeu ipſarum præſentium tranſumptis, manu tui Secretarii ſubſcriptis, & ſigillo tuo, ſeu alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, aut Curiæ Eccleſiaſticæ

ſticæ munitis ea prorſus fides indubia adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris xxix. Aprilis mdlvii. Pontificatus noſtri anno ii.

X.

Guillelmum Petum Minoritam Cardinalem creat, & in Angliæ & Hiberniæ Regnis de Latere Legatum inſtituit. Ex Regeſt. authogr. Brevium Pauli IV. Tomo 1. num. 9. Breve 187. fol. 261.

Dilecte fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

NOn ſine gravi cauſa, & maturo admodum conſilio, nuper fecimus, ut Sedis Apoſtolicæ Nuncios & Legatos ex quibuſdam partibus revocaremus. Inter cæteros autem cum revocaviſſemus dilectum filium noſtrum Reginaldum tituli ſanctæ Mariæ in Coſmedin Presbyterum Cardinalem Polum, eum & reliquos Cardinales abſentes accerſendos eſſe duximus, ut qui in partem Sollicitudinis noſtræ vocati ſunt, ad ferendum tantum, & tam grave curarum & negotiorum onus, opera & conſilio ſuo nos adjuvent. Cujus volutatis & mandati noſtri cum eos certiores fieri juſſiſſemus, Epiſtolis ad ſingulos eorum jam confectis licet nondum miſſis, accepimus a cariſſima in Chriſto filia noſtra Maria Angliæ Regina illuſtri, & aliquot venerabilibus Fratribus Regni ejuſdem Epiſcopis litteras, per quas expoſito gravi periculo, quod Religioni, & Eccleſiis illius Regni nuper Eccleſiæ Catholicæ reconciliati impenderet, ſi ipſo Polo, qui Legatus noſter ad hoc tempus ibi fuiſſet, revocato, nemo alius noſtra vice apud eos fungeretur, poſtulantes, ut eum cum priſtina poteſtate illic manere pateremur. Quæ res maxima nos ſollicitudine affecit. Nam, & illius nobis dilectæ Nationis periculum, perinde, ac debebat, & cum preces tot Fratrum, tum vero illius piiſſimæ, & de Eccleſia Dei optime meritæ, nobiſque ſpeciali, & præcipuo in Chriſto amore perpetuo dilectæ Reginæ poſtulatio nos movebat: Rurſus vero, quæ de Fratrum noſtrorum conſilio decreviſſemus, reſcindere & irrita facere, ac tam cito ſententiam mutare longe ab Sedis Apoſtolicæ gravitate alienum fore, & magna reprehenſione dignum intelligebamus. Itaque non facile conſtituebamus, quid optimum factu eſſet, quo & ipſius Reginæ, atque Epiſcoporum illorum voluntati morem gerere, & inconſtantiæ crimen effugere poſſemus. Cum hac tam gravi animi ſollicitudine angeremur, placuit ei, cujus ad laudem, & gloriam omnia noſtra conſilia, ipſo donante, dirigere ac referre ſolemus, viam nobis oſtendere, qua, & Sedis Apoſtolicæ dignitati conſuli, & iſtius nobilis Regni periculis occurri poſſit. Non enim ſine divinæ providentiæ impulſu factum eſt, ut tui dilecte Fili noſter recordaremur, quem hic cognoviſſemus pro Chriſti honore, & religione exulantem: Qua quidem in cogitatione, cum nobis in mentem veniret tuæ præſtantis vitæ ac morum integritatis, doctrinæque ſanæ admodum, & zeli magni, quem perpetuo erga ſanctam & catholicam Fidem declaraſſes; cumque non ignoraremus quanta tua ſemper in ſereniſſimam Reginam fides & devotio extitiſſet, audiviſſemuſque præterea quantam ea erga te poſt tuum in Angliam reditum benevolentiam ſignificaſſet, judicavimus maxime te idoneum eſſe, quem in ipſius Reginaldi locum, delato ad te Legationis munere ſubſtitueremus, minime dubitantes, quin is quoque pro eo amore quo te ſemper complexus eſt, te ſibi potiſſimum ſuffectum eſſe lætaretur. Quamobrem advocato Fratrum noſtrorum Collegio, cum noſtrum illis conſilium aperuiſſemus, & ſen-

ten-

tentias eorum exquiliſſemus, mirifico omnium conſenſu & ſtudio te in ſacrum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegium cooptavimus, & tibi Eccleſiam ſancti Salvatoris de Curte pro titulo tui Cardinalatus aſſignavimus, & ſimul noſtrum, ac Sedis Apoſtolicæ de latere Legatum in Angliæ, & Hiberniæ Regnis elegimus, & conſtituimus cum ea poteſtate, quam ex aliis litteris noſtris ad te poſtea mittendis cognoſces. Mittimus autem nunc ad circumſpectionem tuam hujus dignitatis inſignia ſolita, biretum de more benedictum, pileumque purpureum, ſummum ipſius, & præcipuum ornamentum, advocatis per dilectum filium Joannem Antonium ..... familiarem noſtrum, mandantes tibi, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipientes, ut ſine excuſatione ulla, ea, qua decet devotione & reverentia illa accipias, cum ſcias Deo gratiorem obedientiam eſſe, quam ſacrificium, nec ignores, quantum animæ tuæ periculum aditurus eſſes, quantumque ſcandalum oriri poſſet, ſi noſtro de te immo Dei, a quo tanquam Aaron vocatus es, decreto, quod abſit, aquieſcere recuſares. Ipſum autem pileum tuo capiti de more imponendum curabis ab eo, quem ipſe elegeris Epiſcopo Catholico, hujus Sedis communionem & gratiam habente, aliquo Dominico, aut alio feſto die, celebrata ſolemni, ut fieri ſolet, Miſſa in Eccleſia, quam ipſe ad hanc rem delegeris, jurejurando nobis prius, ut mos eſt, dato, quod ad nos poſtquam in publici inſtrumenti formam redactum fuerit, continuo afferendum curabis. In hæc autem verba jusjurandum dabis. Ego Gullelmus Peto tituli ſancti Salvatoris de Curte Præsbyter Cardinalis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Junii MDLVII. Pontificatus noſtri anno III.

XI.

Guillelmo Peto Cardinali, Angliæ & Hiberniæ de Latere Legato omnes concedit facultates, quæ Reginaldo Polo fuerant conceſſæ. Ex Regeſt. authogr. Brev. Pauli IV. tom. 1. num. 9. Breve num. 184. fol. 257.

Dilecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUm Nos nuper te noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis in Angliæ & Hiberniæ Regnis Legatum de Latere ex nonnullis graviſſimis cauſis, de Fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolica auctoritate conſtituerimus & creaverimus, Nos cupientes, ut erga perſonas Regnorum hujuſmodi, & alios ad te de quaque confluentes & venientes, ubicumque habeant domicilium, etiam undecumque originem trahant, necnon Familiares continuos commenſales tuos, ac tuis obſequiis inſiſtentes, aut alios tibi ſervientes, te gratioſum reddere poſſis, circumſpectioni tuæ, de qua in his & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, omnibus & ſingulis facultatibus dilecto filio noſtro Reginaldo tituli ſanctæ Mariæ in Coſmedin Presbytero Cardinali Polo nuncupato, noſtro & ipſius Sedis ante te iſthic Legato de Latere, per noſtras, & Prædeceſſorum noſtrorum ſub plumbo confectas litteras conceſſis, & quibus ille vigore earumdem litterarum utebatur, potiebatur & fungebatur, ac uti, potiri & fungi poterat, earum omnium tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro expreſſis habentes, utendi, potiundi & fungendi in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi illæ tibi nominatim & expreſſe per Nos conceſſæ fuiſſent, plenam & liberam dicta auctoritate per præſentes concedimus poteſtatem & facultatem. Non obſtantibus omnibus, quæ in eiſdem litteris conceſſum ſuit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Junii MDLVII. Pontificatus noſtri anno III.

XII.

Reginaldum Polum Cardinalem Angliæ & Hiberniæ Legatum Romam accerſit, eique Guillelmum Petum in munere ſubſtituiſſe nuntiat. Ex Regeſt. authogr. Epiſtolarum in forma Brevis Pauli IV. tom. 1. num. 9. Epiſt. 185. fol. 258.

Dilecte Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EX tuis, & cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Reginæ, ac multorum venerabilium fratrum Epiſcoporum iſtius Regni litteris, non ſine magna animi ſollicitudine cognovimus, quam moleſte tulerint omnes, qui Religionem & Fidem Catholicam in iſto Regno confirmari ac ſtabiliri cupiunt, inter cæteros Sedis Apoſtolicæ Nuntios & Legatos, quos revocaverimus, tuam quoque Legationem revocatam fuiſſe, & quantopere optent eam, propter imminentia iſthic Religioni pericula a Nobis reſtitui: Nam, cum Sereniſſimam Reginam, propter perpetuam ipſius pietatem, paterno eoque eximio amore diligamus, erga Regnum vero ipſius eo animo ſimus, quo Pater ille, de quo in ſacro Evangelio eſt, erga Prodigum Filium ad ſe reverſum fuit, nihil quod, vel ad tam piæ Reginæ voluntatem, vel ad ejus Regni ſalutem pertineat, prætermittere unquam vellemus. Rurſus ea, quæ gravi juſtaque de cauſa, & optima mente de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium aſſenſu & conſilio egimus atque decrevimus, tam cito reſcindere atque irrita facere nimis durum, & ab hujus ſanctæ Sedis gravitate alienum videbatur. Huc accedebat, quod, cum alterum decretum de vocandis ad Urbem Cardinalibus ab ea abſentibus feciſſemus, ut eorum ope & conſiliis adjuti, facilius tantum negotiorum onus, quod Nos premit, ferre poſſemus, & inter cæteros circumſpectionem tuam a Nobis accerſendam eſſe ſtatuiſſemus, jamque litteræ ad omnes etſi nondum miſſæ, tamen confectæ eſſent, de tua Legatione ſententiam eo minus mutare poteramus. In hac autem animi noſtri ſollicitudine, gravique moleſtia affuit Nobis ejus auxilium, qui Scrutator eſt cordium, quique rectam & ſinceram mentem noſtram penitus novit. Cum enim de perſona cogitaremus, quam loco tuo Legatum iſthic de Latere conſtituere poſſemus, venit in mentem Nobis dilecti filii noſtri Guillelmi Peto, cujus eximiam vitæ integritatem, & excellentem fidei ac Religionis zelum, doctrinamque admodum ſanam Nos, cum hic eſſet, cognovimus, & ex eo tempore illum adeo dileximus, ut alias quoque de eo in Cardinalium Collegium adſcribendo cogitaverimus. Itaque cum de eo in ſacrum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegium cooptando, & Legato iſthic de Latere creando, ad venerabiles Fratres noſtros verba feciſſemus, tanto conſenſu & ſtudio conſilium noſtrum ab omnibus approbatum fuit, ut non ſine Divino conſilio initum fuiſſe appareret. Cujus viri electionem circumſpectioni quoque tuæ non probatam modo, ſed etiam gratam pro veſtra inter vos conjunctione, & veteri amicitia fore minime dubitamus. Nunc te hortamur, & in virtute ſanctæ obedientiæ tibi mandamus, ut, quoniam tuam, & cæterorum Fratrum præſentiam, & in tantis negotiis, quæ in manibus habemus, prudens conſilium magnopere deſideramus; memor officii tui, qui in partem ſollicitudinis noſtræ, una cum illis vocatus fuiſti, poſtquam has litteras acceperis, ad iter te compares, & commiſſæ tibi Eccleſiæ rebus conſtitutis, cum primum commodo tuo poteris, ad Nos te conferas, quemadmodum te pro perpetua tua in hanc ſanctam Sedem devotione, & debita obedientia facturum eſſe confidimus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Junii MDLVII. anno III.

XIII.

XIII.

Guillelmum Petum Cardinalem Angliæ & Hiberniæ Legatum Philippo, & Mariæ Angliæ Regibus commendat. Ex Regeſt. authogr. Epiſt. in forma Brevis Pauli IV. tom. 1. num. 9. Ep. 186. fol. 259.

Cariſſimi in Chriſto Filii noſtri, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

REdditæ Nobis fuernnt litteræ veſtræ utriuſque veſtrum manu ſubſcriptæ, quam ob cauſam Nos quoque his noſtris utrique veſtrum ſimul reſpondendum eſſe duximus. Alterius enim veſtrum perpetuam pietatem, & eximiam erga ſanctam hanc Sedem, cui licet indigni præſumus, devotionem atque obedientiam cognitam & perſpectam habemus. Alterius vero poſt lapſum & alienationem a Nobis, & à Sede Apoſtolica ſanioris conſilii initium & animum reſipiſcendi, ac Nobiſcum, & cum ipſa Sede in gratiam redeundi, Nobiſque, & illi ſatisfaciendi cognovimus ex relatione quorumdam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & præcipue dilecti filii noſtri Petri Cardinalis Pacecchi, quod accurate, dum qua ſolet dexteritate & prudentia ſuper hac re, prout antea ſæpius egerat, Nobiſcum egit. Quod perlatum ad vos eſſe ſcribitis de Legati auctoritate ex iſto Regno a Nobis revocata, expoſitaque magnitudine periculi, quod Religioni nuper iſthic reſtitutæ impenderet, ſi Legato Sedis Apoſtolicæ nondum plane confirmata careret; petitis & rogatis, ut ei periculo obviam eamus: Nos non ſine graviſſimis quidem cauſis, & matura deliberatione fecimus, ut tam dilectum filium noſtrum Reginaldum Cardinalem Polum ex iſto Regno, quam alios ex aliis partibus Sedis Apoſtolicæ Legatos & Nuncios revocaremus. Cupientes tamen, quantum ſalva hujus ſanctæ Sedis dignitate poſſumus, voluntati veſtræ morem gerere, atque iſtius Nationis ſaluti providere, gratias agimus Deo, cujus auxilio maxima fuimus ſollicitudine liberati. Nam, cum tam cito reficere Legatum eum, quem ipſum, unacum aliis Sedis Apoſtolicæ Nunciis ac Legatis optimo conſilio nuper revocavimus, ab hujus Sedis gravitate nimis alienum fore intelligeremus, eoque magis, quod & ipſum Cardinalem Polum, & alios omnes ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales abſentes, quos Deus ſollicitudinis noſtræ participes, & officii adjutores Nobis dedit, ad obeundum munus ſuum, Noſque in tanto negotiorum onere ſublevandos eſſe duximus accerſendos, litteris nondum quidem miſſis, ſed tamen confectis jam, & propediem mittendis; placuit Deo, ut recordaremur dilecti filii noſtri Guillelmi Peto Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, cui alias de Eccleſia Saresburien Apoſtolica auctoritate proviſum fuit, hominis, tum veſtræ Nationis, tum eximia probitate & doctrina, eaque ſana admodum præditi, quique zelum ſuum Catholicæ fidei, non in patria modo multis & inſignibus declaravit documentis, ſed Romæ etiam illo exilii ſui tempore pro Dei honore ſuſcepti, quo quidem ex tempore adeo illum dileximus, tum his virtutibus & meritis Nobis commendatum, tum etiam ob inſignem devotionem ipſius erga te filia Regina, ut de eo in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegium aſciſcendo, ipſo Pontificatus initio cogitaverimus. Itaque tam probatum virum, idoneum maxime judicantes, & utrique veſtrum, ac venerabilibus fratribus Epiſcopis, qui iſthic ſunt, gratum fore minime dubitantes, ſummo non ſolum conſenſu, ſed etiam ſtudio venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, quorum multi ipſum noverunt, in ſacrum eorum Collegium die XIV. hujus mienſis cooptavimus, & Legatum eumdem noſtrum, ac Sedis Apoſtolicæ, in locum ipſius Reginaldi in veſtris Angliæ & Hiberniæ Regnis, de

de eorumdem Fratrum conſilio & aſſenſu elegimus atque conſtituimus, miſimuſque ad eum nunc Cardinalatus inſignia, cui perſonam & vicem noſtram in iis veſtris Regnis ſuſtinenti, ut & debitum honorem ipſi habeatis, & ab aliis habendum curetis, atque omnibus in rebus, ad quas auctoritate & auxilio veſtro opus ei fuerit, fautores & adjutores ſitis, quo injunctæ ſibi Legationis officio, ad Dei honorem, & Regnorum veſtrorum utilitatem fungi poſſit, eo minus Nos quidem neceſſe habemus vos rogare, quod ex ipſis veſtris litteris facile cognovimus, quantopere laboretis, ut Sedis Apoſtolicæ Legatum in eiſdem Regnis habeatis, ſed tamen ut id re ipſa declaretis, a vobis vehementer in Domino requirimus & rogamus, optantes, & Deum ac Dominum noſtrum toto animo precantes, ut alteri veſtrum perſeverantiam in fide ac pietate ſua, & Eccleſiæ Romanæ devotione donare, alteri vero reſipiſcendi plane, & in viam rectam revertendi animum confirmare, & augere dignetur, ut tamquam filius, ex longinqua Regione reverſus, a Nobis, & ſancta Matre ſua Eccleſia cum gaudio recipi mereatur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Junii MDLVII. Pontificatus noſtri anno III.

XIV.

Archiepiſcopis & Epiſcopis Angliæ & Hiberniæ commendat Guillelmum Petum Cardinalem ſuum de Latere Legatum. Ex Regeſt. authogr. Epiſt. in forma Brevis Pauli IV. tom. 1. num. 9. Epiſt. 183. fol. 255.

Venerabiles Fratres, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Lectis litteris ab aliquo veſtrum ad Nos miſſis, quibus ſuo, & aliorum nomine declararunt, quantopere Legati Sedis Apoſtolicæ auctoritas Angliæ Eccleſiis neceſſaria ſit ad evellenda penitus ex agro Domini hæreſum zizania, fidemque Catholicam ſtabiliendam & confirmandam, ſuppliciter à Nobis petentes, ut eam auctoritatem iſti Regno reſtituamus, libentiſſime veſtrum agnovimus ſtudium Divini honoris & ſalutis animarum, idque perinde ac meretur, in Domino laudamus. Perſuaſum autem cupimus eſſe Fraternitatibus veſtris de noſtro paterno erga Sereniſſimam & piiſſimam Reginam filiam noſtram amore, & cura ſalutis & dignitatis Eccleſiarum omnium iſtius Regni nihil penitus detractum & imminutum eſſe. Sed cum conſilium illud de revocandis Sedis Apoſtolicæ Nuntiis & Legatis, non ſine graviſſima cauſa & matura deliberatione cepiſſemus: inter cæteros dilectum quoque filium noſtrum Reginaldum tituli ſanctæ Mariæ in Coſmedin Presbyterum Cardinalem revocandum eamdem ob cauſam eſſe duxeramus, quam de eo ſententiam, ſi tam cito mutaremus, non ſolum alienum id foret a gravitate hujus ſanctæ Sedis, verum etiam conſilium noſtrum & decretum de eo ad Nos vocando una cum cæteris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus abſentibus, ut in tam gravi negotiorum onere Nos pro officio ſuo ſublevent, nondum quidem miſſis, ſed jam confectis, & propediem mittendis ad ſingulos eorum litteris, mutandum eſſet, ſed tamen cum & voluntatis Sereniſſimæ Reginæ, & illius Regni ſalutis eam rationem habere omnino ſtatuiſſemus, quam officii noſtri ratio poſtulat, gravique eam ob cauſam ſollicitudine angeremur, gratiam Deo agimus, qui eam Nobis viam oſtendit, qua & gravitatem hujus ſanctæ Sedis tueri, & veſtris ſtudiis obſequi, atque Eccleſiarum Angliæ neceſſitati conſulere poſſemus. Dilectus filius noſter Guillelmus Peto Ordinis Fratrum Minorum profeſſor nemo veſtrum, ut credimus, ignorat, quanta vitæ integritate, quanta ſacrarum litterarum ſcientia, quamque ſana doctrina præditus ſit,

ſit, quantum Catholicæ fidei, ac religionis ſtudium turbulentiſſimis illis temporibus, quantam denique erga Seriniſſimam Reginam fidem ac devotionem declaravit. Eum ex illo tempore, quo hic eum cognovimus, adeo ſemper dileximus, ut propter ſpectatam ipſius probitatem, & fidei zelum, cujus non in Patria modo, ſed Romæ etiam ſpecimen dedit, ab ipſo Pontificatus initio de eo in Cardinalium ordinem cooptando, veſtræque Nationi hoc habendo honore cogitaverimus, Reginæ quoque ipſi gratum id fore exiſtimantes; dilatus autem hic honos, & non ſine Divino conſilio ad hoc tempus illi reſervatus fuit. Etenim cum de eo Cardinali Presbytero creando, & Legato in locum ipſius Reginaldi iſthic ſubſtituendo conſilium noſtrum cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus communicaſſemus, mirifico omnium conſenſu & ſtudio utrumque factum eſt. Itaque miſimus ad eum hujus honoris inſignia; quamobrem cum, Deo auctore, eum in iſtis Angliæ & Hiberniæ Regnis Legatum de Latere noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ conſtituerimus, veſtrarumque Eccleſiarum utilitati, ut confidimus, a Nobis optime conſultum ſit, veſtræ jam partes ſunt, atque ita vobis per Apoſtolica ſcripta mandamus & præcipimus, ut eum tamquam Nos ipſos recipiatis & honoretis, quæque aut corrigenda inter vos, aut ſtatuenda ad Dei honorem & Eccleſiarum utilitatem is duxerit, ea ita ſervetis, itaque illi pareatis, ut veſtram, quemadmodum ſperamus, erga Nos & Sedem Apoſtolicam devotionem, & debitam obedientiam agnoſcere, & in Domino collaudare poſſimus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum die xx. Junii MDLVII. anno III.

XV.

Concedit quod Fratres recipiant Conventum in oppido Rochæ-Contratæ. Regeſt. Ciſm. fol. 182.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. HOneſtis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Univerſitas & homines Terræ Rocchæ Contratæ, Senogallien. diœceſis, quod dudum per ſel. rec. Paulum Papam III. prædeceſſorem noſtrum accepto, quod iidem Univerſitas & homines ob ſingularem, quem ad Ordinem dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia devotionis gerebant affectum, ac uberes animarum fructus, quos ex eorumdem Fratrum exemplari vita, & aſſidua divinorum celebratione proventuros ſperabant, terrena in cœleſtia ſelici commercio commutare ſatagentes, ſuis expenſis in aliquo congruo loco & convenienti, prope aut intra dictam Rochæ-Contratæ Terram, ſub invocatione ſancti Antonii de Padua unam domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, horto, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſive conſtrui & ædificari facere ſummopere cupiebant, & propterea pro parte dictorum Univerſitatis & hominum eidem Paulo humiliter ſupplicato, ut tam honeſtæ & religioſæ petitioni annuere de benignitate Apoſtolica dignaretur, idem Prædeceſſor, qui Divini cultus augmentum ubique, & præſertim ejus temporibus internis deſideriis peroptabat, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, eidem Univerſitati & hominibus in loco congruo, & ſub invocatione, ut ſupra, unam domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis

nis Provinciæ Marchiæ erigendi, ædificandi, conſtruendi, ſeu erigi, ædificari & conſtrui faciendi, & eiſdem Fratribus illam recipiendi & habitandi, ac Fratribus pro tempore in ea morantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, favoribus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis & indultis, tam ſpiritualibus, quam temporalibus, aliis domibus & Fratribus dicti Ordinis in genere per Sedem Apoſtolicam conceſſis, & impoſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſent & valerent, auctoritate Apoſtolica, jure Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, licentiam conceſſit & indulſit, prout in litteris præfati Pauli prædeceſſoris deſuper etiam in forma Brevis confectis plenius dicitur contineri.

§. II. Et ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, licet in prædictis litteris per errorem, vel alias expreſſum fuerit, quod Univerſitas & homines hujuſmodi unam domum cum Eccleſia, ſub invocatione ſancti Antonii de Padua in eadem Terra conſtrui facere deſiderabant, attamen Eccleſiam ipſam, ſub invocatione ſancti Martini, non autem ſancti Antonii, ut in prædictis litteris expreſſum fuit, nuncupari facere cupiunt, quare Univerſitas & homines præfati nobis humiliter ſupplicari fecerunt, quatenus eorum deſiderio annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur præfatos Univerſitatem & homines ſpiritualibus favoribus & gratiis proſequi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem quod Eccleſiam prædictam, ſub invocatione ſancti Martini perpetuo nuncupare & nuncupari facere libere & licite poſſint & valeant auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus, & ita per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, judicari debere; necnon quidquid ſecus ſuper his a quocumque, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane auctoritate & tenore prædictis decerninus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxiii. Junii MDLVII. Pontificatus noſtri anno III.

XVI.

Confirmat electionem Angeli de Averſa in Vicarium Generalem. Regeſt. Ciſmontan. fol. 180. a tergo.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, alias dilecto filio noſtro Clemente titulo beatæ Mariæ in Aracœli Presbytero Cardinali de Monelia nuncupato, tunc totius Ordinis Fratrum Minorum Miniſtro Generali, Divina miſeratione ad Cardinalatus ſublimitatem aſſumpto, & officio Miniſteriatus Generalis dicti Ordinis, per liberam ceſſionem dicti Clementis Cardinalis in Congregatione ipſius Ordinis, proximis diebus elapſis, in domo ejuſdem ſanctæ Mariæ de Aracœli de Urbe dicti Ordinis, de mandato præfati Clementis Cardinalis celebrata, ſponte factam vacante, in hujuſmodi Congregatione per eos, ad quos id ſpectabat, pro ipſius Ordinis, & illius Regularis Obſervantiæ manutenentia, & conſervatione uſque ad ipſius Ordinis Generale Capitulum, tempore in illius ultima celebratione præfixo celebrandum, in dicti Ordinis Vicarium Generalem, juxta ipſius Ordinis morem & ſtatuta, alias canonice electus fueris, & Nobis humiliter ſupplicari fece-

ce-

ceris, ut pro liberiori exercitio Vicariatus Generalis hujuſmodi, præfatæ electioni robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, & alias ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos ipſius Ordinis proſperum & tranquillum ſtatum, ac felicem ſucceſſum paterno zelantes affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, electionem hujuſmodi, ac omnia & ſingula illam concernentia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, & firmiter obſervari debere decernimus; ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & inſuper tibi quoſcumque Commiſſarios nationales in Regno Galliæ, aut alibi a dicto Clemente Cardinale tunc Miniſtro Generali de mandato noſtro inſtitutos & deputatos, & auctoritate præfata confirmatos, & de novo conſtitutos uſque ad dictum Generale Capitulum ſuſpendendi, & per particulares Commiſſarios, vel per te ſingulariter dictæ Galliæ Provincias viſitandi, & ipſius Ordinis profeſſores, errores ſuos recognoſcentes, & de eis pœnitentes, ab excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quas incurrerint, ſi id humiliter petierint, abſolvendi, alias vero pœnas per eos incurſas, ſi tibi videbitur, eis remittendi, aut illas commutandi, vel ad Capitulum Generale, ſeu aliud commodius tempus reſervandi, ſeu profeſſores ipſos debita animadverſione puniendi, corrigendi, caſtigandi, ac omnia & ſingula alia in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi & exequendi, necnon omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, facultatibus, immunitatibus & indultis dudum per ſel. rec. Julium Papam III. prædeceſſorem noſtrum præfato Clementi Cardinali tunc Miniſtro Generali conceſſis, quorum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, in omnibus, & per omnia, prout idem Clemens Cardinalis tunc Generalis Miniſter uti potuit, utendi plenam, & liberam licentiam, & facultatem concedimus.

§. III. Mandantes omnibus & ſingulis utriuſque ſexus dicti Ordinis Religioſis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna per quemlibet contravenientem incurrenda, ut tibi in iis, quæ officium prædictum, ac decorem & venuſtatem dictæ Religionis, & illius manutentionem concernunt, humiliter intendant et pareant cum effectu.

§. IV. Non obſtantibus quibuſvis aliis facultatibus, quibuſvis aliis perſonis dicti Ordinis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentibus hactenus conceſſis, & impoſterum concedendis, quas, illarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, in quantum officio tuo præjudicent, aut te in hujuſmodi exercitio tuo impediant, harum ſerie revocamus, caſſamus & annullamus, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. V. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides erit facienda, deferri, volumus, & præfata auctoritate decernimus, quod earum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo tui Vicariatus officii ſignatis ea prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi ſorent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XII. Julii MDLVII. Pontificatus noſtri anno III.

XVII.

Declarat Fratres poſſe Confeſſiones audire, & Sacramenta miniſtrare. Regeſt. Ultram. fol. 169.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm, ſicut exponi Nobis nuper feciſti, nonnulli Rectores Parochialium Eccleſiarum, tam Brixien., quam Bergomen., ac Cremonen., & diverſarum aliarum Civitatum, & diœceſ., ſub dicta Brixien., necnon Mediolanen., ac Bononien., & ſancti Antonii Provinciis nuncupatis, in quibus Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ plures Conventus ſeu domos, juxta morem dicti Ordinis in divinis deſervire ſolent, habent exiſtentes, diverſas moleſtias, ſeu lites aut controverſias ſuper Confeſſionibus audiendis a Chriſtifidelibus, & Sacramento Euchariſtiæ illis adminiſtrando, tamquam juris ignari, ſeu alias malitioſe, aut de facto pluries excitare & movere, eoſdemque Fratres deſuper moleſtare & impedire conantur, dicentes, quod præfati Fratres aliorum quam illorum, qui ad domos ſuas hujuſmodi veniunt, etiam ſi infirmi exiſtant, & pro illis mittant, nullatenus confeſſiones audire poſſunt, eo prætextu, quod in aliquibus confirmationibus ſeu novis conceſſionibus privilegiorum a Sede Apoſtolica Fratribus, ſeu Ordini Minorum ſuper confeſſionibus utriuſque ſexus Chriſtifidelium audiendis, hujuſmodi conceſſorum, hæc clauſula eſt appoſita videlicet, ad eos pro tempore recurrentium, quam ad illos ſolum, qui, ut præfertur, ad eaſdem domos veniunt pro ſimilibus confeſſionibus audiendis, & non ad alios, etiam ſi infirmi ſint, & pro eis miſerint, ut præfertur, extendi debere, Rectores ipſi aſſerere non verentur, exinde fit, ut tam ipſorum Chriſtifidelium animarum ſaluti, quam eorumdem Fratrum conſolationi, & commoditatibus parum conſulatur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi cavillationibus & moleſtiis, ac controverſiis de cætero obviare, ac in eis, quæ dubia ſunt, vel eſſe poſſunt, pro conſervanda pace & tranquillitate quorumcumque, præcipue Religioſarum perſonarum ſub jugo Regularis Obſervantiæ poſitarum, mentem noſtram declare volentes, quod de cætero, tam dictarum, quam aliarum quarumcumque Provinciarum, Civitatum, & diœc. per totum Orbem, omnium utriuſque ſexus Chriſtifidelium, pro tempore dicti Ordinis Fratres a ſuis Superioribus, ut moris eſt, deputati Confeſſores, confeſſiones & infirmorum ubilibet etiam extra domos & habitacula eorumdem Fratrum audire, eoſque in caſibus & cenſuris, quibus eis per privilegia Sedis Apoſtolicæ hujuſmodi hactenus conceſſum eſt, poſſe abſolvere, & ipſi hactenus abſolvere conſueverunt, abſolvere, & pœnitentiam ſalutarem injungere, ac omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ Sacramentum Euchariſtiæ, tam illis, quam aliis quibuſvis perſonis licite miniſtrare poſſint, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium indulgemus, ac decernimus & declaramus; mandantes dilectis filiis Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori in Urbe, necnon Brixien., & Cremonen. in ſpiritualibus Vicariis generalibus, quatenus ipſi, vel unus eorum per ſe vel per alium, ſeu alios auctoritate noſtra faciant præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri, Rectores ipſos, ſive alios pro tempore Parochialium Eccleſiarum hujuſmodi, & quoslibet alios contradictores & rebelles, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant, etiam per quaſcumque, de quibus eis placuerit, cenſuras & pœnas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, etiam in-

vo-

vocato deſuper auxilio brachii ſæcularis, ſi opus ſit. Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, de una, & in Concilio Generali de duabus dietis edita, dummodo ultra tres dietas aliquis ad judicium auctoritate præſentium non trahatur, aliiſque Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus aliis, quæ in præfatis privilegiis, ſive eorum confirmationibus, aut novis conceſſionibus, etiam per Nos factis conceſſum eſt, non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. III. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus forte opus eſſet, deferri, volumus, & pariter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu Curiæ Eccleſiaſticæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die XX. Julii MCLVII. Pontificatus noſtri anno III.

XVIII.

Joannes Penarius præficitur Eccleſiæ Cyrenenſi. Ex Act. Conſiſtorialibus autographis in Tabulario ſecretiori Vaticano aſſervatis tom. 3. fol. 209.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Mercurii VI. *Octobris* MDLVII. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Cardinali Decano

SAnctiſſimus Dominus noſter Paulus, Divina providentia Papa IV., providit Eccleſiæ Cyrenenſi in partibus infidelium, per obitum Joannis Epiſcopi Cyrenenſis vacanti, de perſona Domini Joannis Penarii Ordinis Fratrum Minorum, cum facultate exercendi Pontificalia in Eccleſia, & Civitate, ac diœceſi Colonienſi dumtaxat, de conſenſu R. P. D. Antonii Electi, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Colonienſis, & de ejus ſpeciali licentia, reſervata eidem Joanni Electo penſione annua ducentorum florenorum ſuper Menſæ Archiepiſcopalis Colonienſis fructibus, quæ cum aliis medietatem fructuum non excedit de conſenſu dicti Antonii, necnon Capituli dictæ Eccleſiæ, & cum clauſulis &c.

XIX.

Franciſcus de Coreſma præficitur Eccleſiæ Tingenſi. Ex Act. Conſiſtorialibus autographis in Tabulario ſecretiori Vaticano aſſervatis tom. 3. fol. 215.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Mercurii XV. *Novembris* MDLVII. *fuit Conſiſtorium, in qua*

Referente Reverendiſſimo Decano

SAnctiſſimus Dominus noſter Paulus, Divina providentia Papa IV., providit Eccleſiæ Tingenſi, tunc per translationem R. P. D. Condiſalvi, olim Epiſcopi Tingen. ad Eccleſiam Viſenſem dudum factam, vacanti, de perſona Domini Franciſci de Coreſma Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia profeſſoris, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit & Paſtorem, cum clauſulis &c.

XX.

Conſtituit Inquiſitorem ſuper libros prohibitos in Regnis Hiſpaniarum Bernardum Freſnenſem Minoritam. Ex Regeſt. Brevium Pauli IV. tom. 11. fol. 53. num. 38.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

SIncerítas fidei & pietatis, ſuper qua apud Nos plurium fide dignorum teſtimonio commendaris, Nos inducit, ut opera tua in his, quæ ad ipſam fidem pertinent, libenter utamur. Hinc eſt, quod Nos cupientes libros ſuſpectos & hæreſi infectos tolli, & penitus aboleri, tibi, qui etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici Confeſſor exiſtis, & de cujus ſana doctrina plurimum in Domino confidimus, ut libros, qui iſthic & ubivis locorum, in quibus præfatum Philippum Regem degere contigerit, venales exponentur, aut alias quomodolibet reperientur, an ſint Catholici, vel de hæreſi ſuſpecti cognoſcere & judicare, & quos de hæreſi ſuſpectos eſſe cognoveris & judicaveris, damnare & reprobare, eorumque lecturam, necnon emptionem & venditionem, ac apud quaſvis perſonas retentionem, pœnis, de quibus tibi videbitur, interdicere ac comburi facere libere & licite poſſis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxiii. Januarii MDLVIII. Pontificatus noſtri anno III.

XXI.

Joannes Henricus præficitur Eccleſiæ Damaſcenæ. Ex Act. Conſiſtorialibus autographis in Tabulario ſecretiori Vaticano aſſervatis tom. 3. fol. 221.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Mercurii XXIII. *Martii* MDLVIII. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Cardinali Decano

SAnctiſſimus Dominus noſter Paulus, Divina providentia Papa IV., providit Eccleſiæ Damaſcenæ in partibus infidelium, per obitum Joannis Bothiani Epiſcopi Damaſceni vacanti, de perſona Joannis Henrici Ordinis Fratrum Minorum, cum indulto de non accedendo ad dictam Eccleſiam, ac facultate exercendi Pontificalia in Civitate & diœceſi Lugdunenſi tantum, de conſenſu Reverendiſſimi de Turnone dictæ Eccleſiæ perpetui Adminiſtratoris, reſervata ſibi penſione annua quatuor centum librarum Turronenſium ſuper Menſæ Epiſcopalis Lugdunenſis fructibus, cum clauſulis &c.

XXII.

Concedit, Philippo Hiſpaniarum Rege petente, ut Cuſtodia ſancti Andreæ erigatur in Provinciam, eique proprius aſſignetur Miniſter. Ex Regeſt. Brevium Pauli IV. tom. 11. fol. 327. num. 220.

Cariſſime in Chriſto Fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſti, quod, cum diverſæ domus, & alia regularia loca reformata Ordinis Fratrum Minorum Cuſtodiæ Arthe-
ſien., juxta morem dicti Ordinis, in inferiori Germania tibi ratione Patrimo-

monii tui ſubjecta conſiſtentia, ab Ordinariis locorum ſint exempta, & eorum Superiores, ad quos domus & regularia loca hujuſmodi, eorumque perſonas viſitandi, corrigendi & reformandi officium, ex eorum inſtitutione, aut antiqua prærogativa, vel alias pertinet, non in Germania, ſed in Regno Franciæ degant, & exinde fiat, ut dicti Superiores domos, & regularia loca, & perſonas hujuſmodi ſtatutis temporibus ob bella, quæ in partibus illis fere continue vigent, non viſitent, & quando ea viſitant, id non per ſe, ſed per alios, quibus vices ſuas committunt, faciant. Et ſi domus, & regularia loca Cuſtodiæ hujuſmodi, illorumque Prælati, & perſonæ ab omni ſuorum Superiorum, extra dominia ſibi ſubjecta degentium viſitatione & correctione liberarentur & eximerentur, ac dicta Cuſtodia in Provinciam ſancti Andreæ nuncupandam pro uno Miniſtro Provinciali adinſtar aliarum Provinciarum ejuſdem Ordinis erigeretur & inſtitueretur, profecto pluribus inconvenientibus ob id evenientibus occurreretur, ac Religio, & Chriſtifidelium devotio creſceret, ac Divinus cultus augeretur cum ſpirituali Populorum illarum partium conſolatione. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut domos, & regularia loca hujuſmodi, ut præfertur, eximere & liberare, dictamque Cuſtodiam in Provinciam dicti Ordinis erigere & inſtituere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Ordinem prædictum, & ejus domos & perſonas proſpere dirigi, & ſalubriter gubernari ſinceris deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes & ſingulas domos, & regularia loca dicti Ordinis in eadem Cuſtodia conſiſtentia, cum illorum Prælatis & perſonis ab omni cura, regimine, viſitatione, correctione, juriſdictione, obedientia & poteſtate quorumcumque ſuorum Superiorum in dicto Regno Franciæ, & extra dominia tibi ſubjecta degentium, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo eximimus, & totaliter liberamus, ipſamque Cuſtodiam cum domibus, locis, Prælatis & perſonis præfatis in Provinciam ſancti Andreæ nuncupandam, adinſtar aliarum Provinciarum ejuſdem Ordinis, pro uno Miniſtro Provinciali, juxta ſtatuta & ordinationes ejuſdem Ordinis eligendo & confirmando, qui ſingulas domos, & loca ejuſdem Provinciæ, illorumque perſonas hujuſmodi viſitet, corrigat & reformet, ac in illis, & ſuper eis eamdem, quam alii dicti Ordinis Provinciales in eorum Provinciis, juxta regularia ipſius Ordinis inſtituta habent, & habere poſſunt, juriſdictionem, poteſtatem & auctoritatem habeat; necnon omnia & ſingula alia, quæ alii ejuſdem Ordinis Provinciales in eorum Provinciis facere & exercere ſolent, facere & exercere libere & licite valeat, cum Guardianis & Patribus in dictis aliis Provinciis haberi ſolitis, erigimus & inſtituimus, ac illi ſic erectæ domos, & loca regularia Cuſtodiæ hujuſmodi, illorumque perſonas concedimus & aſſignamus, ac domos & loca, illorumque perſonas hujuſmodi curæ, regimini, viſitationi, correctioni, juriſdictioni, obedientiæ & poteſtati pro tempore exiſtentis ipſius ſic erectæ Provinciæ Miniſtri Provincialis etiam perpetuo committimus & ſubjicimus; ac eidem ſic erectæ Provinciæ, illiuſque Miniſtro Provinciali, Guardianis & Fratribus, ac perſonis, quod omnibus & ſingulis privilegiis, prærogativis, exemptionibus, antelationibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus aliæ Provinciæ dicti Ordinis, illarumque Miniſtri & Vicarii Provinciales, ac Guardiani, Fratres & perſonæ quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere poſſint, ipſeque Miniſter Provincialis in dicti Ordinis Comitiis Generalibus, & aliis locis, uti & quando opus fuerit, duo ſuffragia, juxta regularia inſtituta dicti Ordinis, & morem aliarum illius Provinciarum habere libere & licite valeat, auctoritate & teno-

tenore præmiſſis, de ſpeciali gratia indulgemus, ac ſi, & prout alii Miniſtri Provinciales dicti Ordinis habere conſueverunt, habeat.

§. III. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis, editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Ordinis, & Provinciarum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, etiam per ſelicis recordationis Nicolaum IV., & alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos & Sedem Apoſtolicam Ordini, Provinciis, Miniſtris, Vicariis, Superioribus, Fratribus & perſonis præfatis, ac quibuſvis aliis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficaciſſimis & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & aliis decretis quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod ſimiles ſeparationes, exemptiones, liberationes, erectiones, inſtitutiones, ſubjectiones & ſubmiſſiones extra Capitulum Generale dicti Ordinis, & abſque conſenſu Miniſtrorum, Vicariorum, Fratrum, & aliarum perſonarum ipſius Capituli, & per Sedem eamdem nullatenus fieri poſſint, & pro tempore factæ nullius ſint roboris vel momenti. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, præſentibus pro inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. IV. Ceterum, quia difficile foret, præſentes litteras ad ſingula loca, in quibus de eis fides facienda foret, deferre, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi ſorent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Auguſti MDLVIII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXIII.

Bernardo Freſnenſi præcipit, ut primum celebret Capitulum in Provincia ſancti Andreæ noviter erecta, eique proprium aſſignet Miniſtrum. Ex Regeſt. Brevium Pauli IV. tom. 1. fol. 235. num. 219.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Religionis zelus, ſuper quo apud Nos plurimum commendaris, facit, ut in iis, quæ ſalubrem Ordinis tui Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ directionem concernunt, opera tua libentiſſime utamur.

§. II. Hinc eſt, quod Nos, qui hodie cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici ſupplicationibus inclinati, inter alia, omnes & ſingulas domos, & omnia regularia loca ipſius Ordinis Cuſtodiæ Artheſien., juxta morem ejuſdem Ordinis in inferiori Germania ipſi Philippo Regi ſibi ratione ſui Patrimonii ſubjecta conſiſtentia, cum illorum Prælatis & perſonis, ab omni cura, regimine, viſitatione, correctione, juriſdictione, obedientia & poteſtate quorumcumque ſuorum Superiorum in Regno Franciæ,

ciæ, & extra dominia eidem Philippo Regi ſubjecta degentium, per alias noſtras in forma Brevis litteras perpetuo exemimus, & totaliter liberavimus, ipſamque Cuſtodiam cum domibus, locis, Prælatis & perſonis præfatis in Provinciam ſancti Andreæ nuncupandam, adinſtar aliarum Provinciarum ejuſdem Ordinis, pro uno Miniſtro Provinciali, juxta ſtatuta & ordinationes ejuſdem Ordinis eligendo & confirmando, cum Guardianis & Patribus in aliis Provinciis prædictis haberi ſolitis, ereximus et inſtituimus, et illi ſic erectæ domos et loca regularia Cuſtodiæ hujuſmodi, illorumque perſonas conceſſimus et aſſignavimus; necnon domos et loca, ac illorum perſonas hujuſmodi curæ, regimini, viſitationi, correctioni, juriſdictioni, obedientiæ et poteſtati pro tempore exiſtentis ipſius ſic erectæ Provinciæ Miniſtri Provincialis etiam perpetuo commiſimus & ſubjecimus, prout in eiſdem litteris continetur.

§. III. Cupientes Capitulum Provinciale Provinciæ ſancti Andreæ hujuſmodi, quod de proximo celebrandum erit, alias rite & recte celebrari, tibi, qui etiam ipſius Philippi Regis Confeſſor exiſtis, & de cujus integritate, bonitate, doctrina, & pietate plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus & mandamus, quatenus quantocius commode fieri poſſit, Capitulum Provinciale hujuſmodi, in ea de qua tibi videbitur ipſius Ordinis domo, per tuas patentes litteras, aut alias modo & forma per te ſtatuendis, indicas, determines, ac juxta morem aliarum ejuſdem Ordinis Provinciarum, celebrari mandes & facias, ac dilectos filios modernos Prælatos & Superiores, aliaſque Perſonas ejuſdem Provinciæ ſancti Andreæ & alios in Capitulis vocem habere ſolitos, in virtute ſanctæ obedientiæ; & ſub pœna privationis eorum Prælaturarum & officiorum, auctoritate noſtra moneas & requiras, ut tempore per te ſtatuto, Capitulum Provinciale hujuſmodi in dicta domo, de qua tibi viſum fuerit, rite & recte celebraturi convenire, & ſe congregare ſtudeant & procurent; Nos enim, ut Capitulum ipſum ad Dei laudem & dicti Ordinis profectum concordibus votis celebretur, tibi eidem Capitulo nomine noſtro præſidendi, & electioni Provincialis Miniſtri dictæ Provinciæ aſſiſtendi, omniaque & ſingula alia, quæ in ſimilibus Capitulis a nobis deputati præſidentes facere, dicere, mandare, & exequi poſſunt, faciendi, dicendi, mandandi, & exequendi plenam & liberam, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus facultatem & poteſtatem.

§. IV. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, necnon omnibus illis, quæ in litteris noſtris prædictis conceſſum ſuit non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Auguſti MDLVIII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXIV.

Bernardo Freſnenſi ſubſtituit pro celebrando primo Capitulo in Provincia ſancti Andreæ noviter erecta, Franciſcum Paccechum, vel Angelum Caſtellanum. Ex Regeſt Brevium Pauli IV. Tom. II. fol. 347. num. 235.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Superioribus diebus cum Domos, & alia regularia loca Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Cuſtodiæ Artheſien. juxta morem ipſius Ordinis, in inferiori Germania cariſſimo in Chriſto filio noſtro Phi-

Philippo Hiſpaniarum Regi catholico, ratione ſui Patrimonii ſubjecta, conſiſtentia a cura & obedientia ſuorum Superiorum extra dominia ipſius Philippi Regis degentium, per quaſdam exemiſſemus & liberaviſſemus, ipſamque Cuſtodiam in Provinciam ſancti Andreæ nuncupandam erexiſſemus, ac domos & loca hujuſmodi, eorumque perſonas curæ & obedientiæ pro tempore exiſtentis ipſius Provinciæ Miniſtri Provincialis ſubjeciſſemus: Nos tibi per alias noſtras in forma Brevis litteras dedimus in mandatis, ut Capitulum Provinciale Provinciæ ſancti Andreæ hujuſmodi in ea, de qua tibi videretur ipſius Ordinis domo indiceres & convocares, ac juxta morem aliarum ejuſdem Ordinis Provinciarum celebrari mandares, & certa alia tunc expreſſa faceres; tibique inter alia eidem Capitulo nomine noſtro præſidendi, & electioni Miniſtri Provincialis dictæ Provinciæ aſſiſtendi, ac certa alia etiam tunc expreſſa faciendi facultatem conceſſimus, prout in ſingulis litteris prædictis plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut accepimus, facile contingere poſſit, ut tu, qui etiam ejuſdem Philippi Regis Confeſſor exiſtis, corporis indiſpoſitione, aut alio legitimo impedimento detentus, eidem Capitulo præſidere, & electioni hujuſmodi aſſiſtere nequeas. Nos, ne propterea celebratio Capituli, & electio Miniſtri hujuſmodi plus debito protrahantur, tibi quod, ſi legittime impeditus fueris, alterum ex dilectis filiis Franciſco Paccecho, & Angelo de Caſtello ipſius Ordinis profeſſoribus, loco tui ad præmiſſa omnia ſubſtituere & ſubdelegare poſſis, plenam & liberam Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, concedimus poteſtatem & facultatem. Non obſtantibus omnibus, quæ in ſingulis litteris prædictis voluimus non obſtare, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die IV. Octobris MDLVIII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXV.

Concedit Indulgentias ad modum Jubilæi Viſitantibus Eccleſiam ſancti Bernardini in Civitate Aquilana tempore Capituli Generalis. Regeſt. Ciſm. fol. 186. a tergo.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. A Supremo Patrefamilias, meritis licet imparibus, in domo Domini diſpenſatores conſtituti, theſaurum Dominicum Nobis divinitus creditum ſic diſpenſare fatagimus, ut illius erogatione, Chriſtifideles Domino acceptabiles, et bonorum operum ſectatores reddere valeamus. Cum igitur, ſicut accepimus, dilectus filius modernus Vicarius Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, et ipſius Ordinis profeſſores pro electione novi Miniſtri Generalis ejuſdem Ordinis, et conſervatione religioſæ vitæ, juxta regulam, et conſtitutiones dicti Ordinis, ſuum Capitulum Generale in domo ſancti Bernardini Aquilan. prædicti Ordinis in feſto Pentecoſtes proxime futuro more ſolito, ſint celebraturi; & ad celebrationem Capituli hujuſmodi multi ipſius Ordinis profeſſores zelo Religionis pleni, ac ſcientia, morumque probitate præditi, ex quibuſcumque Mundi partibus, altiſſimo favente, acceſſuri, & ad eorum ſuſtentationem copioſa Chriſtifidelium ſuffragia admodum neceſſaria eſſe dignoſcantur: Nos, ut Chriſtifideles prædicti ad hoc promptiores reddantur, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus

auctoritate confili, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui prædicti ſancti Bernardini in Pentecoſtes, qui vero Neapolitan., aut Licien., ſeu Cuſentin., vel Meſſanen., aut Panormitan., ſeu Venetiarum, vel Genuen., aut Mediolanen., ſeu Averſan. Ordinis, & Obſervantiæ prædictorum domorum Eccleſias in Palmarum proxime futuris Dominicis diebus a primis veſperis uſque ad occaſum Solis eorumdem dierum incluſive devote viſitaverint, & pias inibi ad Deum preces pro exaltatione Fidei Catholicæ effuderint, & ad præmiſſa aliquas eleemoſynas de bonis ſuis eorum arbitrio erogaverint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam & remiſſionem, tenore præſentium concedimus & elargimur.

§. II. Et ut ipſi Chriſtifideles indulgentiæ & remiſſionis hujuſmodi capaciores reddantur, eidem Vicario & Guardianis ſingularum domorum prædictarum, nonnullos ejuſdem Ordinis profeſſores, qui dicto tempore eorum Chriſtifidelium confeſſiones audire, & eis diligenter auditis, ipſos Chriſtifideles ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis contentis in Bulla, quæ legitur in Cœna Domini, abſolvere, eiſque pœnitentiam ſalutarem injungere, necnon vota quæcumque per eos emiſſa, ultramarino, viſitationis liminum Apoſtolorum Petri & Pauli de Urbe, ac ſancti Jacobi in Compoſtella, necnon caſtitatis & religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare poſſint, eligendi & deputandi, plenam & liberam Apoſtolica auctoritate per præſentes tribuimus facultatem & poteſtatem.

§. III. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, necnon ſimilium indulgentiarum, etiam pro Cruciata ſancta, aut Fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, ſuſpenſionibus, limitationibus & revocationibus per Nos & dictam Sedem pro tempore factis, ſub quibus præſentes litteras minime comprehendi, ſed ab illis exceptas eſſe, & poſt eoſdem dies minime valere volumus.

§. IV. Cæterum volumus, quod earumdem præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ea prorſus fides in omnibus & per omnia adhibeatur, quæ ipſis præſentibus litteris adhiberetur, ſi exhiberentur vel oſtenderentur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xv. Octobris MDLVIII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXVI.

Philippus de Arighettis præficitur Eccleſiæ Nebienſi in Corſica. Ex Reg. 48. Epiſt. ſecret. Pauli IV. fol. 41.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto filio Philippo de Arighettis Electo Nebien., ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Apoſtolatus officium meritis licet imparibus Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini, Divina diſpoſitione, præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut, cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ curæ commiſſum, ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare,

commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant, auctore Domino, ſalubriter regere & gubernare. Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum omnium, tunc vacantium & inantea vacaturarum, ordinationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Et deinde Eccleſia Nebien., cui bonæ memoriæ Andreas Epiſcopus Nebien. dum viveret, præſidebat, & ad quam alias tunc per obitum dicti Andreæ Epiſcopi extra Romanam Curiam defuncti vacantem regreſſui, ſeu acceſſui & ingreſſui dudum etiam bon. mem. Hieronymo ſanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali de Auria nuncupato, ipſo Andrea decedente, & in certos alios eventus Apoſtolica auctoritate conceſſo pro eodem Hieronymo Cardinale eo tunc in humanis agente, locus factus extitit, regreſſu ſeu acceſſu & ingreſſu aut facultate juris regrediendi ſeu accedendi & ingrediendi per obitum dicti Hieronymi Cardinalis, qui poſſeſſione ſeu quaſi, regiminis & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ, per eum non habita, extra dictam Curiam debitum naturæ perſolvit, ceſſantibus & extinctis, adhuc per Andreæ Epiſcopi obitum hujuſmodi Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem. Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſorem, de legitimo matrimonio procreatum, in ætate legitima, & Presbyteratus Ordine conſtitutum, litterarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, de perſona tua Nobis & Fratribus ipſis, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ſimili conſilio, dicta auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum præfecimus & paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias, & largitur premia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia ſub tuo felici regimine regetur utiliter & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod Eccleſia ipſa Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; tuque præter æternæ retributionis premium, noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Quocirca dilectis filiis Capitulo dictæ Eccleſiæ ac Clero & Populo Civitatis & diœceſis Nebien., necnon Vaſſallis ejuſdem Eccleſiæ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Capitulum tibi tamquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ac Clerus te pro noſtra & Sedis Apoſtolicæ reverentia benigne recipientes, & honorifice pertractantes, tua ſalubria monita & mandata

ſu-

ſuſcipiant humiliter, & effieaciter adimplere procurent: Populus vero te tamquam Patrem & Paſtorem animarum ſuarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, tuis monitis & mandatis ſalubribus humiliter intendant; ita quod tu in eis devotionis filios, & ipſi in te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis. Vaſſalli autem præfati te debito honore proſequentes, tibi fidelitatem ſolitam, necnon conſueta ſervitia & jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam reſpective in rebelles rite tuleris ſeu ſtatueris, ratam habebimus & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Rogamus quoque & hortamur attente cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Henricum Francorum Regem Chriſtianiſſimum Inſulæ Corſicæ in temporalibus Dominum, ac venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Januenſem, ipſi Archiepiſcopo per eadem ſcripta mandantes, quatenus te & præfatam Eccleſiam dicti Archiepiſcopi ſuffraganeam habentes, pro noſtra & dictæ Sedis reverentia propenſius commendatos, in ampliandis & conſervandis ejuſdem Eccleſiæ juribus ſic te benigno favore proſequantur, quod tu eorum ſultus præſidio, te poſſis in commiſſo tibi ejuſdem Eccleſiæ regimine utilius exercere, ac eidem Henrico Regi a Deo perennis vitæ præmium, & a Nobis condigna proveniat actio gratiarum. Ipſeque Archiepiſcopus provide Divinam miſericordiam, ac noſtram, & ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam valeat uberius promereri.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo, xvii. Kalendas Januarii Pontificatus noſtri anno iv.

Anno Christi 1559. Pauli IV. anno 4.

XXVII.

Petrus Maldonado præficitur Eccleſiæ Mindonienſi. Ex Actis Conſiſtorialibus autographis in Tabulario Secretiori Vaticano aſſervatis Tomo 3. fol. 232.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Lunæ xviii. *Januarii* mdlix. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Decano

Sanctiſſimus Dominus noſter Paulus, Divina providentia Papa IV., providit ad præſentationem Regis Catholici Eccleſiæ Mindonienſi vacanti per translationem R. P. D. Franciſci ad Eccleſiam Segobienſem, de perſona Petri Maldonado Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſoris, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit & Paſtorem, reſervatis penſionibus infraſcriptis 200. Domino Didaco del Camino: 200. Ludovico de Granatea: 100. Petro de Lara: 100. Joanni de Fuentes, & 100. ducat. monetæ Hiſpaniæ Franciſco Prez ſuper fructibus dictæ Eccleſiæ, etiamſi aliæ penſiones annuæ aſſignatæ eſſent, dummodo tertiam partem fructuum non excedant, quæ tranſeant ad ſucceſſores cum derogatione conſtitutionis de præſtando conſenſu, ac Lateranenſis Concilii, & cum clauſulis &c.

XXVIII.

Confirmat & innovat Conſtitutionem Clementis VII. de non promovendis ad gradus & dignitates Ordinis ſanguine maculatos. Regeſt. Ciſm. fol. 188.

PAULUS PAPA IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

In corpore ad an. 1558.

§. I. CUm ex Apoſtolatus officio Nobis meritis licet imparibus divinitus credito, cura Dominici gregis Nobis immineat generalis, ad ea libenter intendimus, per quæ Religionis puritatem ab omnibus his, quæ illi detrimentum aliquod ferre poſſunt, quantum cum Deo poſſumus, tueamur; & religioni deditos, & præſertim Ordinis Fratrum ſancti Franciſci, qui Mundo mortui ſoli Deo vivunt, ab omnibus his, quæ eorum pias mentes aliquando ſubvertere poſſent, ita cuſtodiamus, ut creſcente in eis quotidie Dei obſequii zelo, uberiores fructus in vinea Domini afferre valeant, neque ex Miniſtrorum, aut aliorum quorumcumque culpa aut indecentia, gravamina & diſpendia patiantur. Cum itaque fel. rec. Clemens Papa VII. prædeceſſor noſter, conſiderans Miniſtros & Provinciales Fratrum Ordinis prædicti de Obſervantia in ſuis Provinciis, ex ſpeciali privilegio, tamquam Inquiſitores hæreticæ pravitatis ſuorum ſubditorum exiſtere, & in ipſos ſubditos officium Inquiſitionis exercere; volenſque a perſonis religioſis, præſertim aliis præſidentibus, quæ contraria fidei, honeſtati & ordini exiſterent, ad Dei laudem, & Religionis decentiam, & animarum ſalutem, ſubmovere: Motu proprio, ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica ſtatuerit & ordinaverit, quod de cætero in Regnis Hiſpaniarum tantum, aliqui Fratres Minores Ordinis de Obſervantia, a Judæis ſeu Hæreticis, quorum Parentes & Progenitores *paterni ſeu materni* viventes, ſeu defuncti uſque ad quartam generationem incluſive, hæretici declarati, & tales condemnati, ac illorum, quorum corpora & oſſa, vel ſtatuæ igni traditæ fuerint, originem trahentes ſeu tranſcendentes, ad quæcumque dignitates & officia Eccleſiaſtica obtinenda & exercenda, præmiſſis non obſtantibus, ſufficienti diſpenſatione ſeu indulto ſuffulti, in Miniſtros Provinciales, ſeu Guardianos: nec etiam ſæculares ſimili modo à Judæis, ſeu Hæreticis originem trahentes ſeu deſcendentes in Fratres Ordinis Obſervantiæ hujuſmodi nullatenus eligi, aſſumi & recipi, nec Provincialatus, aut alia officia quæcumque gerere & exercere quoquo modo poſſent, diſtrictius inhibendo Generali & Provincialibus Miniſtris, ac Guardianis & Fratribus eorum dicti Ordinis & Obſervantiæ, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, eo ipſo, ſi contra fecerint, incurrenda, ne aliquos ex dictis Judæis ſeu Hereticis, uſque ad quartam generationem origiginem trahentes ſeu deſcendentes, ut præfertur, in Miniſtros Provinciales, ſeu ad alia officia; neque de cætero ſæculares in Fratres in dicto Ordine eligere, & aſſumere, & recipere vel admittere, ſeu electos confirmare & inſtituere quomodolibet præſumerent, decernens irritum & inane quidquid ſcienter attentari contigiſſet, prout in ejuſdem Prædeceſſoris litteris in forma Brevis expeditis, ſub datum diei 19. Martii 1528. plenius continetur: Quas tamen litteras cum omnibus & ſingulis ſecutis, cum ex certis tunc expreſſis cauſis fel. rec. Julius III. prædeceſſor noſter ex certa ejus ſcientia, & Apoſtolica auctoritate revocaverit, caſſaverit & annullaverit, illaſque nullius roboris & momenti, & pro infectis haberi voluerit, ac, nulla originis ſeu ſtatus conſideratione habita, quoſcumque Fratres in Miniſtros, ſeu Guardianos aſſumi, & ſæculares in Fratres hujuſmodi Ordinis recipi libere & licite

poſſe

poſſe voluerit, cum decreto irritante, & aliis clauſulis, prout latius in litteris ejuſdem Julii prædeceſſoris in forma Brevis expeditis, ſub data diei 10. Octobris 1550. continetur.

§. II. Nos conſiderantes non ſolum eos, qui orthodoxæ fidei contemptores exiſtunt, a ſacris Canonibus pœnis graviſſimis plecti, verum etiam eos, & eorum deſcendentes a dignitatibus, officiis & beneficiis Eccleſiaſticis arceri, & quod non decet eos, qui ad docendum alios verbo & exemplo in Miniſtros aſſumuntur, vel ad obſequium Deo præſtandum in Ordine Fratrum Religionis ſancti Franciſci, qui, ut præfertur, ſoli Deo vivunt, & pro univerſali Eccleſia preces ad Deum effundendas recipiuntur, ſuſpicione aliqua laborare vitæ, qua ipſi mala imbuti doctrina, viæ vitiorum Parentum imitatores exiſtant; unde alios Fratres dicti Ordinis eorum tabe maximo cum ſcandalo & periculo inficere poſſint: volentes, ubi majus eſt periculum, ibi plenius providere, tenores & compendia ſupradictarum litterarum, tam fel. record. Clementis, quam Julii prædeceſſorum noſtrorum, ut præmittitur, omniaque & ſingula in eis contenta pro plene & ſufficienter expreſſis habentes: motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, & Apoſtolica auctoritate, eaſdem litteras Clementis, non obſtante revocatione, caſſatione & annullatione Julii prædeceſſoris præfata, approbantes & innovantes, ac perpetuo obſervari volentes, in viridi obſervantia reponentes & reducentes, litteras ejuſdem Julii prædeceſſoris præfatarum litterarum revocatorias revocantes, caſſantes & annullantes; illaſque nullius roboris & momenti, ac pro infectis quoad omnia haberi, plenius in præmiſſis providere volentes.

§. III. Motu, ſcientia & auctoritate prædictis, tenore præſentium perpetuo ſtatuimus & ordinamus, quod de cætero nullus ſæcularis, qui Judæus ſeu Hæreticus fuerit, ſeu a Judæis ſeu Hæreticis, quorum Parentes ſeu Progenitores paterni ſeu materni, viventes ſeu defuncti, uſque ad quartam generationem inclusive hæretici declarati, & ut tales condemnati, ac illi ſeu eorum corpora & oſſa vel ſtatuæ igni traditæ fuerint, originem trahat, ſeu ex deſcendentibus prædictorum Judæorum, & Hæreticorum uſque ad quartam generationem inclusive fuerit vel ſit, in totius ſancti Franciſci dicti Ordinis Fratres, in quibuſcumque locis & mundi partibus, ubi Religio & Ordo Fratrum hujuſmodi fuerit, aliquo modo, ſub quovis prætextu & quæſito colore, ſub pœnis infraſcriptis eo ipſo per ipſos recipientes & admittentes abſque declaratione incurrendis, recipi & admitti poſſit, & ſi aliquo tempore datæ præſentium inter Fratres Minores totius dicti Ordinis ſancti Franciſci in quibuſcumque locis & Mundi partibus, ubi Religio & Ordo Fratrum hujuſmodi ſimiliter fuerint, qui olim Judæi ſeu Hæretici fuerint, ſeu a ſimilibus Judæis ſeu Hæreticis, quorum ſimiliter Parentes & Progenitores paterni ſeu materni, viventes ſeu defuncti uſque ad quartam generationem inclusive Hæretici declarati, & ut tales condemnati, ac illi ſeu eorum corpora & oſſa vel ſtatuæ igni traditæ fuerint, originem trahentes ſeu deſcendentes uſque ad quartam generationem inclusive, etiam ad quæcumque dignitates, beneficia, & officia Eccleſiaſtica obtinenda & exercenda, præmiſſis non obſtantibus, ſufficienti diſpenſatione, ſeu indulto ſuffulti, recipiantur, in Miniſtros Generales, ſeu Provinciales, ac Commiſſarios Generales, ſeu quoſcumque alios Commiſſarios, ſeu Guardianos, aut Prædicatores, etiamſi alias aſſumpti fuerint, ad hujuſmodi officia Generalatus, Commiſſariatus Generalis, & in quocumque alterius Commiſſariatus, Provincialatus ſeu Guardianatus, & Prædicationis, eligi & aſſumi, ſeu recipi nullatenus de cætero poſſint. Alias electio & aſſumptio ſeu receptio de ipſis facta ad officia prædicta, ſi fieri contigerit, nullius ſit roboris vel momenti, & tamquam non facta habea-

beatur. Neque vigore electionis, aſſumptionis ſeu receptionis prædictæ, illi ſic electi aliquid adminiſtrare, ſeu prædicare poſſint, ſed omnia & ſingula per eos ſic electos & aſſumptos, de facto adminiſtrata & geſta viribus careant, & nullam prorſus firmitatem obtineant, neque alicui tribuant.

§. IV. Nullique Fratres totius dicti Ordinis ſancti Franciſci, etiamque per eos in Generales Miniſtros, Commiſſarios Generales, & alios quoſcumque Commiſſarios, Provinciales, & Guardianos vel Prædicatores elegiſſent ſeu recepiſſent, eiſdem ſic contra hujuſmodi mandata noſtra electis & aſſumptis obedire, ſed incontinenti ab eorum obedientia recedere, eiſque prædicationis officium interdicere, & ad alios Miniſtros Generales, Commiſſarios etiam Generales, & alios quoſcumque Commiſſarios, Provinciales Miniſtros, & Guardianos, & Prædicatores loco prædicto relinquendo procedere, unde acſi prædicti nullatenus electi ſeu aſſumpti forent, ſub pœnis inſraſcriptis teneantur & debeant: & ulterius, ſi contigerit, tempore Datæ præſentium aliquem ex dictis olim Judæis ſeu Hæreticis exiſtentibus, ſeu a Judæis ſeu Hæreticis uſque ad quartam generationem incluſive, ut ſupra, deſcendentibus in aliquibus ex dictis officiis Generalatus, Commiſſariatus Generalis, & alterius cujuſcumque Commiſſariatus, Provincialatus, ſeu Guardianatus vel Prædicationis electum & aſſumptum, confirmatum & inſtitutum etiam in quaſi poſſeſſione dictorum officiorum exiſtere, reperiri, ille ſic electus & aſſumptus, confirmatus & inſtitutus, & in quaſi poſſeſſione exiſtens, repertus, vigore præſentium intelligatur, & ſit eo ipſo, & abſque alia deſuper declaratione facienda, dictis officiis deſtitutus & privatus, nihilque dictorum officiorum vigore gerere ſeu adminiſtrare vel etiam prædicare poſſit, geſtaque & adminiſtrata per ipſum poſt præſentium publicationem in Capitulo Generali dicti Ordinis faciendam, viribus careant, nullamque prorſus obtineant firmitatem; nullique Fratres ei in dictis officiis contra hujuſmodi mandata exiſtenti, obedire, ſed incontinenti, quamprimum potuerint, poſt præſentium publicationem in dicto Capitulo Generali, ut ſupra, faciendam, ab eorum obedientia recedere, illiſque prædicationis officium interdicere, & ad alium loco prædicti in aliquo ex dictis officiis exiſtenti, eligendum tamquam ad officium vere vacans procedere ſub pœnis infraſcriptis teneantur.

§. V. Diſtrictius inhibentes Generali Miniſtro, Commiſſario Generali, aliis Commiſſariis quibuſcumque, Provincialibus Miniſtris, ac Guardianis & Fratribus totius dicti Ordinis, & in quibuſcumque Mundi partibus, & locis exiſtentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & privationis Generalatus, Commiſſariatus Generalis, & alterius cujuſcumque Commiſſariatus, Provincialatus, & Guardianatus, aliorumque officiorum & dignitatum dicti Ordinis, & inhabilitatis ad illa impoſterum obtinenda, pœnis eo ipſo, ſi contra fecerint, incurrendis, ne aliquos ex dictis, qui olim Judæi ſeu Hæretici fuerint, ſeu a dictis Judæis & Hæreticis, ut præfertur, uſque ad quartam generationem incluſive, originem trahentes ſeu deſcendentes exiſtant, in Fratres totius dicti Ordinis in quibuſcumque locis & Mundi partibus, ſeu in Miniſtros Generales, Commiſſarios Generales, alios quoſcumque Commiſſarios, Provinciales Miniſtros, ſeu Guardianos, vel Prædicatores recipere, admittere, eligere & aſſumere, ſeu electos confirmare & inſtituere, vel jam tempore Datæ præſentium electis & aſſumptis, inſtitutis & confirmatis, etiam in quaſi poſſeſſione dictorum officiorum, ſeu alicujus ipſorum exiſtentibus, obedientiam aliquam præſtare, ſeu a tali obedientia non recedere, & ad alios, ut præmittitur, loco prædictorum eligendos non procedere, illiſque officium prædicationis non interdicere, ut præfertur, quomodolibet ſub quovis quæſito colore & prætextu audeant

deant vel præſumant; decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, ſicque per quoſcumque quavis auctoritate fungentes Judices & perſonas, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere.

§. VI. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, & quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac dictis litteris Julii III. prædeceſſoris noſtri, ut præmittitur in forma Brevis expeditis, præfato Ordini conceſſis, necnon privilegiis & indultis, & litteris Apoſtolicis Ordini, Miniſtro Generali, Commiſſario Generali, & aliis quibuſcumque Commiſſariis, Provincialibus Miniſtris, Guardianis, Prædicatoribus, ac Fratribus præfatis, & aliis quibuſvis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac quibuſvis litteris etiam derogatoriis derogantibus, & decretis, etiam motu ſimili conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus, etiam ſi de eis, & alicujus eorum toto tenore habenda eſſet mentio ſpecialis ſeu individua, de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, eorum omnium veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis habentes, ad effectum præſentium hac vice dumtaxat, harum litterarum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, illaſque adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxiv. Aprilis mdlix. Pontificatus noſtri anno iv.

XXIX.

Philippo Hiſpaniarum Regi commendat Franciſcum de Zamora Miniſtrum Generalem Ordinis. Ex Reg. Brevium Pauli IV. a menſe Januarii per totum Auguſtum, tom. 12. fol. 230. num. 193.

Cariſſime in Chriſto Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Dilectus filius Franciſcus Zamora totius Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Miniſter Generalis, qui ad Serenitatem tuam dedita opera, pro rebus ad ejus Ordinem ſpectantibus proficiſcitur, exponet tibi nonnulla nomine noſtro, quæ ei dedimus in mandatis. Quapropter eamdem Serenitatem tuam hortamur, ut ipſi Franciſco eamdem fidem habeat, quam Nobis haberet, ſi tecum ipſi coram loqueremur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxv. Junii mdlix. Pontificatus noſtri anno v.

XXX.

Bernardo Freſnenſi commendat fratrem Salvatorem Epiſcopum Cluſinum Minoritam Nuncium Apoſtolicum. Ex Regeſt. Brevium Pauli IV. a menſe Januarii per totum Auguſtum tom. 12. fol. 245. num. 205.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quibus rebus cariſſimus in Chriſto filius noſter Sereniſſimus iſte Rex adducitur, ut te omni officii genere complectatur, & apud ſe plurimum poſſe permittat, iiſdem & qui te non norunt, ut te ament, quadam quaſi impel-

pelluntur neceſſitate. Summa nempe & in Deum obſervantia, & in homines caritas, quæ maximæ pulcherrimæque virtutes, præter communem illum, quo Chriſtifideles omnes proſequimur, paternum amorem, præcipuam quoque noſtram in te benevolentiam eliciunt, qua impulſi, venerabilem fratrem Salvatorem Epiſcopum Cluſinum, quem noſtrum & Apoſtolicæ Sedis Nuncium in Hiſpania deſtinatum iſthuc mittimus, ſalutem tibi nuntiare noſtro nomine juſſimus, & cum tuam erga Nos voluntatem ex noſtra erga te metiamur, tuumque Catholicæ Fidei integre incorrupteque ubique ſervandæ ſingulare ſtudium non ignoremus, eidem mandavimus, ut, rebus iis tecum communicatis, quas non magis Nos, quam ipſa Religio, atque juſtitia a Rege poſtulat, tuam in iis obtinendis gratiam atque auctoritatem requirat. Cui, ut præſto ſis, & omni tuo ſtudio faveas, fidemque præſtes magnopere in Domino petimus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die x. Julii MDLIX. Pontificatus noſtri anno v.

PIUS IV.

Creatus VIII. *Kalendas Januarii* MDLIX. *Coronatus* VII. *Idus Januarii*.

Anno Christi 1559. Pontificatus anno 1.

I.

Georgius Xinchonich præficitur Eccleſiæ Segnienſi. Ex Regeſto Epiſt. ſecret. Pii IV. 69. fol. 171.

Dilecto filio Georgio Xinchonich electo Segnien., ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Apoſtolatus officium meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini, Divina diſpoſitione, præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut, cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ curæ creditum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant, auctore Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Sane Eccleſia Segnien. in Hillirico, cui bonæ memoriæ Franciſcus Xinchonich Epiſcopus Segnien. dum viveret, præſidebat, per obitum ejuſdem Franciſci Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem & felicem, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem: Demum ad te Ordinis ſancti Franciſci Fratrum Minorum de Obſervantia, in ſacra Theologia doctorem, de legitimo matrimonio procreatum, in Presbyteratus Ordine, ac ætate legitima conſtitutum, quem cariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ratione Regni Hungariæ, cujus etiam Rex exiſtit, vigore privilegiorum Apoſtolicorum pro tempore exiſtenti Regi Hungariæ deſuper conceſſorum, quibus non eſt hactenus in aliquo derogatum, Nobis ad hoc per ſuas litteras nominavit, & cui apud Nos de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritua-

lium

lium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, de perſona tua Nobis & eiſdem Fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ de ipſorum Fratrum conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias, & largitur præmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia ſub tuo feliei regimine regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas, ſollicite, fideliter & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſum; tuque, præter æternæ retributionis præmium, noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Quocirca dilectis filiis Capitulo dictæ Eccleſiæ, ac Clero & Populo Civitatis & Diœceſis Segnien., necnon Vaſſallis ejuſdem Eccleſiæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Capitulum tibi tamquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ac Clerus te pro noſtra & Sedis prædictæ reverentia benigne recipientes, & honorifice pertractantes, tua ſalubria monita & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tamquam Patrem & Paſtorem animarum ſuarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, tuis monitis & mandatis ſalubribus humiliter intendant, itaquod tu in eis devotionis filios, & ipſi in te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis. Vaſſalli autem præfati te debito honore proſequentes, tibi fidelitatem ſolitam, necnon conſueta ſervitia [& jura tibi ab eis debita, integre exhibere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam reſpective in rebelles rite tuleris ſeu ſtatueris, ratam habebimus & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Rogamus quoque & hortamur Ferdinandum Imperatorem præfatum, ac venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Spalaten., ipſi Archiepiſcopo per eadem ſcripta mandantes, quatenus te & præfatam Eccleſiam dicti Archiepiſcopi ſuffraganeam habentes, pro noſtra & dictæ Sedis reverentia propenſius commendatos, in ampliandis & conſervandis ejuſdem Eccleſiæ juribus ſic te benigno favore proſequantur, quod tu eorum fultus præſidio, te poſſis in commiſſo tibi ejuſdem Eccleſiæ regimine utilius exercere, ac eidem Ferdinando Imperatori a Deo perennis vitæ præmium, & a Nobis condigna proveniat actio gratiarum; ipſeque Archiepiſcopus provide Divinam miſericordiam, ac noſtram & ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam valeat uberius promereri. Præterea ad ea, quæ tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tibi ut a quocumque malueris Catholico Antiſtite, gratiam & communionem dictæ Sedis habente, aceitus, & in hoc aſſiſtentibus duobus vel tribus aliis Catholicis Epiſcopis ſimiles gratiam & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas. Ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius a te noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolito juramento, juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum auctoritate noſtra impendere li-

cite tibi poſſit, plenam & liberam auctoritate prædicta, tenore præſentium concedimus facultatem. Volumus autem, & eadem auctoritate ſtatuimus & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Antiſtitem prædicto juramento, idem Antiſtes munus ipſum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeris, dictus Antiſtes a Pontificatus officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo; ac etiam volumus, quod formam juramenti a te tunc præſtiti, Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras, tuo ſigillo munitas, per proprium Nuncium quantocitius deſtinare procures. Quodque per hoc præfato Archiepiſcopo nullum impoſterum præjudicium generetur: forma autem juramenti per te præſtandi talis eſt: Ego Georgius electus Segnien. ab hac hora &c. Evangelia.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo vii. Idus Februarii, Pontificatus noſtri anno 1.

II.

Clemens Monilianus ex Obſervantibus Cardinalis præficitur Eccleſiæ Fulginatenſi. Ex Regeſt. 64. Epiſt. diverſ. Pii IV. fol. 46.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto filio Clementi, tituli beatæ Mariæ in Aracœli Presbytero Cardinali de Monelia nuncupato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Regimini univerſalis Eccleſiæ meritis licet imparibus, diſponente Domino, præſidentes, de univerſis Orbis Eccleſiis, & illarum Paſtoribus pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo, ſollicite, quantum Nobis ex alto conceditur, cogitamus, ſed illa propenſius ſollicitudo Nos urget, ut Eccleſiis, quæ ſuis ſunt Paſtoribus deſtitutæ, ne in ſpiritualibus & temporalibus detrimenta ſuſtineant, de ſalubri remedio, prout Eccleſiarum ipſarum neceſſitas, & temporum qualitates exigunt, conſulamus. Sane Eccleſiæ Fulginaten. quam dilectus filius noſter Joannes Antonius, tituli ſancti Georgii Presbyter Cardinalis, tempore proviſionis & præfectionis de perſona ſua Eccleſiæ Novarien., certo tunc expreſſo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, per Nos hodie, de Fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolica auctoritate factarum, ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica in adminiſtrationem obtinebat, adminiſtratione hujuſmodi, ex eo quod Nos illam per proviſionem & præfectionem prædictas, duntaxat per alias noſtras litteras ceſſare decrevimus, ceſſante, adhuc eoquod, dum ipſe Joannes Antonius Cardinalis illi adminiſtrator deputatus fuit, vacabat, modo Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos verum & ultimum dictæ Eccleſiæ Fulginaten. vacationis modum, etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Fulginaten. celerem & felicem, ne illa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Fulginaten. perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem. Demum ad te, tituli beatæ Mariæ in Aracœli Preſbyterum Cardinalem, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Generalem Miniſtrum, conſideratis grandium virtutum meritis, quibus perſonam tuam illarum largitor Altiſſimus inſignivit, & quod tu pro

meritorum eorumdem excellentia Cardinalatus honore fulges, eamdem Eccleſiam Fulginaten. ſcies, voles & poteris, auctore Domino, ſalubriter regere & feliciter gubernare, direximus oculos noſtræ mentis; intendentes igitur tam ipſi Eccleſiæ Fulginaten, quam ejus gregi Dominico ſalubriter providere, eidem Eccleſiæ Fulginaten. de perſona tua, de Fratrum eorumdem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Fulginaten. tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; ita tamen quod propter hoc, dicti tituli beatæ Mariæ in Aracœli Presbyter Cardinalis eſſe non deſinas, ſed ejuſdem tituli Presbyter Cardinalis exiſtens, ipſius Eccleſiæ Fulginaten. verus Præſul & Paſtor exiſtas, firma ſpe fiduciaque conceptis, quod, gratia Domini tibi aſſiſtente propitia, dicta Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam & ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & poſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Quocirca eidem circumſpectioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus curam & adminiſtrationem prædictas ſic te per te vel alium ſeu alios ſollicite geras, & feliciter proſequaris, quod Eccleſia ipſa Fulginaten. Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, ac bonæ famæ tuæ odor ex laudabilibus tuis actibus latius diffundatur; tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis: necnon dilectis filiis Capitulo & Vaſſallis dictæ Eccleſiæ Fulginaten., necnon Clero & Populo Civitatis & diœceſis Fulginaten., ut Capitulum tibi tamquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ac Clerus te pro noſtra & dictæ Sedis reverentia benigne recipientes, & honorifice pertractantes, tua ſalubria monita & mandata humiliter, & efficaciter adimplere procurent: Populus vero te tamquam Patrem & Paſtorem animarum ſuarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, tuis monitis & mandatis ſalubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, & ipſi in te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis. Vaſſalli autem præfati te debito honore proſequentes, tibi fidelitatem ſolitam & conſueta ſervitia, ac jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam reſpective in rebelles rite tuleris ſeu ſtatueris, ratam habebimus & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari, & inſuper ut ſtatum tuum, juxta Cardinalatus ſublimitatem decentius tenere, & expenſarum onera, quæ te jugiter de neceſſitate ſubire oportet, facilius perferre valeas, Motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, tecum quod, etiam poſtquam in vim proviſionis & præfectionis prædictarum, pacificam poſſeſſionem, ſeu quaſi regiminis & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ Fulginaten., & illius bonorum ſeu majoris partis eorum aſſecutus fueris, & munus conſecrationis ſuſceperis, omnia & ſingula Monaſteria, etiam Conſiſtorialia, & beneficia Eccleſiaſtica cum cura & ſine cura ſæcularia, & quorumvis ordinum regularia, quæ ex quibuſvis conceſſionibus & diſpenſationibus Apoſtolicis in titulum ſeu commendam, aut adminiſtrationem, vel alias obtines, necnon in quibus, & ad quæ jus tibi quomodolibet competit, quæcumque, quotcumque & qualiacumque ſint, etiam ſi ſæcularia, Canonicatus & Præbendæ, dignitates etiam majores, & principales perſonatus, adminiſtrationes, vel officia etiam curata & electiva in Cathedralibus etiam Metropolitanis, & Collegiatis Eccleſiis, regularia vero beneficia hujuſmodi, Monaſteria, Conciſtorialia, Prioratus, Præpoſituræ, dignitates, etiam Conven-

tuales perſonatus, adminiſtrationes vel officia etiam clauſtralia, ac curata & electiva, ac tam ſæcularia, quam regularia beneficia hujuſmodi de jure patronatus Laicorum, ac inter te & quoſcumque alios litigioſa exiſtant, ut prius quoad vixeris, etiam una cum dicta Eccleſia Fulginaten., quamdiu illi præfueris, retinere, ac jus tibi in illis vel ad illa competens proſequi, & non deductum deducere, necnon regreſſibus & acceſſibus, ac regrediendi & accedendi ad Monaſteria, Prioratus, Præpoſituras, ac alia beneficia quæcumque, etiam, ut præfertur, qualificata, & conferendi, ac fructus, reditus & proventus, & penſiones transferendi, necnon quibuſvis aliis facultatibus, conceſſionibus, gratiis, diſpenſationibus & indultis, necnon ſpecialibus reſervationibus ſeu mandatis, etiam de providendo, ac unionibus tibi conceſſis, uti & ſub illis comprehenſa, necnon, ſi illa evincas, litigioſa beneficia hujuſmodi conſequi, ac in titulum, Commendam & adminiſtrationem, ut prius quoad vixeris, ut prætertur, retinere, ac officia & beneficia conferre, & de illis etiam diſponere, necnon fructus, reditus & proventus Eccleſiaſticos, & penſiones transferre, juxta facultatum & indultorum hujuſmodi tenorem, necnon quoſcumque reditus & proventus Eccleſiaſticos loco penſionum annuarum, ac quaſcumque penſiones annuas ſuper ſimilibus fructibus, reditibus & proventibus tibi reſervatas & aſſignatas, quorum & quarum qualitates, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum & beneficiorum prædictorum fructuum, redituum & proventuum veros annuos valores, illorumque qualitates, denominationes, invocationes, ſituationes Diœceſis, ordines & dependentias, necnon ipſorum litigioſorum beneficiorum ſtatus, litium & regreſſuum & acceſſuum, ac aliarum facultatum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, etiam quoad vixeris, ut præfertur, percipere & levare libere & licite valeas; generalis Concilii & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, etiam de exprimendo valore beneficiorum per promotos ad Eccleſiarum regimina obtentorum, in diſpenſationibus ſibi concedendis ſuper retentione illorum, ac Eccleſiarum, etiam in quibus ſæcularia, necnon Monaſteriorum, ſeu aliorum regularium locorum, in quibus regularia beneficia hujuſmodi forſan exiſtunt, aut quibus ipſa regularia beneficia dependent, & ordinum, quorum illa ſunt, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate prædicta, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus. Decernentes propterea Eccleſias, Monaſteria, & beneficia, ac jus non vacare, & Commendas non ceſſare, necnon regreſſus & acceſſus, ac regrediendi & accedendi, ac alias facultates & indulta non expirare, necnon reſervationes fructuum, & penſiones hujuſmodi extinctas non eſſe, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Proviſio quod propterea Monaſteria in ſpiritualibus non lædantur, & in temporalibus detrimenta non ſuſtineant, ac beneficia hujuſmodi debitis non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eis, ſi qua illis immineat, nullatenus negligatur, ſed eorum, & Monaſteriorum prædictorum, ac dilectorum filiorum Conventuum eorumdem congrue ſupportentur onera conſueta.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo III. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno I.

III.

Concedit, ut Fratres de Obſervantia recipere poſſint Conventum ſanctæ Mariæ Vallis Stignani. Regeſt. Ciſm. fol. 197. a tergo.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilectis filiis Guardiano, & Conventui domus ſanctæ Mariæ Vallis Stignani, Lucerien. diœceſis, Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt Nos facilem præbere aſſenſum, & vota, quæ a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere: Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, Domum, ſeu Monaſterium ſanctæ Mariæ Vallis Stignani, Lucerienſis diœceſis prædictam cum ejus juribus & pertinentiis, quam vos canonice præponitis adeptam, ſicuti eam juſte poſſidetis, & quiete, auctoritate Apoſtolica confirmamus & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus.

§. II. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX. III. Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno 1.

IV.

Confirmat privilegia a ſuis Prædeceſſoribus conceſſa Patribus Capuccinis. Boverius ad an. 1560. Rodulphus fol. 201.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Paſtoralis officii cura, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſa, Nos excitat & inducit, ut circa piorum locorum quorumlibet, ac perſonarum in eis Divinis obſequiis vacantium, ſtatum proſpere dirigendum, & feliciter conſervandum & manutenendum, noſtræ vigilantiæ partes ſolertius impendamus: ac iis, quæ propterea proceſſiſſe comperimus, ut illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidium impertiamur.

§. II. Dudum ſiquidem ſel. record. Paulo Papæ III. prædeceſſori noſtro pro parte tunc Vicarii, & dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum Capuccinorum nuncupatorum, expoſito, quod, poſtquam piæ mem. Clementi Papæ VII., etiam prædeceſſori noſtro pro parte nonnullorum tunc expreſſorum Fratrum Ordinis Minorum expoſitum fuerat, ſe deſiderare pro animarum ſuarum ſalute, ac Dei gloria, eremiticam vitam ducere, & quantum humana patiebatur fragilitas, Regulam beati Franciſci obſervare: & eum Mag. Provincialis Provinciæ Marchiæ Anconitanæ Ordinis Minorum Con-

Convent. nuncupatorum ad Romanam Curiam accedendi, & ab ipſo Clemente prædeceſſore, ac Sede Apoſtolica quæcumque ad animarum ſuarum ſalutem, ac Dei gloriam petendi & impetrandi licentiam eis conceſſerat, ac bon. mem. Andreas tituli ſanctæ Priſcæ, dum viveret, Presbyter Cardinalis, & dicti Ordinis Protector, tunc in humanis agens, eis, ut ſimilem impetrationem facerent; ita tamen quod unum ex eorum conſortio omnium ipſorum nomine, Magiſtro Provinciali, ſeu Capitulo Provinciæ dictorum Fratrum Convent. nuncupatorum, in qua habitarent, ſingulis annis in ſignum ſubjectionis præſentare tenerentur, & ipſe Magiſter, ſi ſibi videretur, ſemel in anno, & non ultra eos viſitare, & ſi ipſos inveniret Regulam prædictam non obſervare, ad eam plenius obſervandam eos monere, ac debitis modis compellere poſſet: præter id autem, nec eos de loco ad locum transferre, nec aliquid aliud eis injungere, aut ab eis exigere valeret, ſed potius eos tueri & defendere conaretur, ut in pace poſſent Altiſſimo famulari, prout in Protectoris & Magiſtri Provincialis prædictorum patentibus litteris deſuper confectis plenius dicebatur contineri. Idem Clemens prædeceſſor litteras prædictas, & in eis contenta quæcumque pro expreſſis habens, ipſorum Fratrum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, eis, ut ſecundum Regulam prædictam, vitam eremiticam ducere, & habitum cum caputio quadrato geſtare, necnon omnes tam Clericos ſæculares, & Presbyteros, quam laicos ad eorum conſortium recipere; ac tam ipſi, quam alii ſic recipiendi, barbam deferre, & ad eremitoria, ſeu loca alia quæcumque eum conſenſu Dominorum eorumdem locorum ſe conferre, & in eis habitare, vitamque auſteram & eremiticam inibi agere, & in quibuſcumque locis mendicare, necnon omnibus & ſingulis privilegiis, indultis & gratiis Ordini Fratrum Minorum prædictorum, ac Eremo Camaldulenſium beati Romualdi, illiuſque Eremitis in genere, vel in ſpecie eatenus conceſſis, & impoſterum concedendis æque principaliter uti, potiri & gaudere libere & licite valerent, per ſuas tam ſub plumbo, quam in forma Brevis litteras facultatem conceſſerat, prout in illis plenius continetur, & in eadem expoſitione eidem Paulo predeceſſori facta.

§. III. Subjuncto quod litterarum prædictarum vigore, nonnulli Clerici ſæculares, regulares, ac laici ab ipſis Fratribus, ut præfertur nominatis, vel uno ex eis ac ab aliis de ipſorum commiſſione recepti, Congregationem Fratrum Ordinis Minorum Capuccinorum nuncupatorum conſtituerant, ipſique Fratres cupiebant litteras prædictas, quoad infraſcripta confirmari & extendi; & propterea eidem Paulo Prædeceſſori humiliter ſupplicari fecerunt, ut hujuſmodi eorum votis annuere de benignitate Apoſtolica dignaretur, idem Prædeceſſor attendens uberes fructus, quos Ordo ipſe Minorum in agro Militantis Eccleſiæ eatenus produxerat, & impoſterum producturum ſpe firma ſperabat, ac dignum cenſens, ut circa ea quæ ipſius Ordinis incrementum concernebant, benignos favores impenderet, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, litteras Clementis Prædeceſſoris hujuſmodi, quarum tenores haberi voluit pro expreſſis, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſua ſcientia approbans, & confirmans, illas nunc & pro tempore exiſtenti Vicario Generali Congregationis Capuccinorum hujuſmodi, ac ipſius Congregationis Fratribus, perinde ac ſi illæ eiſdem Congregationi & Fratribus directæ fuiſſent, quo ad omnia & ſingula in ipſis litteris contenta ſuffragari debere decrevit, & nihilominus auctoritate & ſcientia ſimilibus per ſuas ſub plumbo confectas litteras ſtatuit & ordinavit, quod ex tunc deinceps Vicarius Generalis ipſorum Fratrum Capuccinorum circa finem trienni, ex quo ad officium Vicariatus hujuſmodi electus foret, vel etiam prius aut poſterius, juxta præfatæ Regulæ tenorem, ac ipſorum Fratrum laudabiles Conſtitutiones,

Vica-

Vicarios, Diſcretos, & Cuſtodes vocem Congregationis habentes quarumlibet Provinciarum, & Cuſtodiarum ſibi ſubditarum, in loco per ipſum Vicarium Generalem deputando, ad Capitulum convocare poſſet, quorum ſi qui legitimo impedimento detenti, ipſi Capitulo intereſſe non poſſent, per nuncios ab eis deputatos, vel ſuppletis votis, eorum juxta ipſorum conſuetudinem præſentia ſuppleretur; qui ſic congregati omnia & ſingula, quæ alii Fratres dicti Ordinis in eorum Generali Capitulo de jure vel conſuetudine, & ex privilegiis poſſent, faciendi, ordinandi & diſponendi, & potiſsime eligendi unum Religioſum ejuſdem Ordinis ac Congregationis in eorum ſimilem Vicarium Generalem, facultatem haberent, & ipſius Vicarii electionem ſi a majori parte eligentium celebraretur, quam primum commode fieri poſſet, Generali Magiſtro dictorum Fratrum Conventualium nuncupatorum, ſicut eatenus ſervatum fuerat, donec aliud deſuper ordinatum a Sede Apoſtolicæ fuiſſet, præſentarent, ſeu præſentari facerent, ipſeque Generalis Magiſter intra triduum a præſentatione ſibi facta, ipſum electum Vicarium confirmare teneretur, concedendo ei, & committendo plenarie vices ſuas, tribuendo videlicet liberam poteſtatem & auctoritatem, ac omnimodam facultatem ſuam ſuper omnes & ſingulos Fratres ejuſdem Ordinis Capuccinos nuncupatos, etſi alio quovis nomine nuncuparentur, tam in capitibus, quam in membris, publice, & privatim viſitandi Congregationes in Provinciis, & Cuſtodiis omnibus eis ſubjectis, ſive pro electione Vicariorum, Diſcretorum, Cuſtodum, & Guardianorum, ſive pro aliis utilibus negotiis, faciendi, ſive fieri faciendi nova loca, Conventus ſeu eremitoria recipiendi, Fratres ſubditos corrigendi & puniendi, excomunicandi & abſolvendi, incarcerandi, & a carceribus liberandi, contradictores & rebelles per Cenſuras Eccleſiaſticas & alia juris, & dicti Ordinis remedia, etiam per invocationem brachii Sæcularis, vel Eccleſiaſtici, ſi opus fuerit, compeſcendi, ſpecialiterque omnia & ſingula circa Fratres, Conventus, Domos, loca & eremitoria hujuſmodi faciendi, exercendi & diſponendi, ordinandi, adminiſtrandi, & ſtatuendi, quæ Generalis Magiſter dicti Ordinis circa Fratres, Domos, loca, Conventus & eremitoria Fratrum Conventualium nuncupatorum facere poſſet, ſi perſonaliter adeſſet, vel intereſſet, ac eaſdem auctoritatem, poteſtatem, gratias & facultates per ipſum Magiſtrum Generalem eidem Vicario Generali conceſſas, vel earum partem aliis Fratribus, quos ad hæc judicaret idoneos, committendi & concedendi, necnon per ipſos prædicti Vicarii Commiſſarios committi & concedi faciendi, & triduo elapſo, & Electo non confirmato, idem Electus pro confirmato Sedis Apoſtolicæ auctoritate, cum plenaria poteſtate hujuſmodi uſque ad electionem Succeſſoris haberetur, & intra hoc tempus officio ſuo ſine ſcitu omnium Vicariorum & Diſcretorum Provincialium, aut majoris partis eorundem renunciare nequiret; poſſet tamen convocare omnes Vicarios, & Diſcretos ſibi ſubjectos, infra tempus officii ſui in loco per ipſum deputando, quoties ſibi opus viſum foret. Si vero Generalis Vicarius infra officii ſui tempus ex hac luce migraret, ſeu alias ab officio ammotus foret, Vicarius, in cujus Provincia mori, vel amoveri contingeret, nunciaret quam citius poſſet, omnibus Definitoribus Capituli Generalis immediate præcedentis, & omnibus Vicariis Provincialibus, & de conſilio atque conſenſu duorum Vicariorum proximiorum determinaret locum & tempus, niſi fuiſſent per Generale Capitulum, vel per præfatum Vicarium ante obitum ipſius, & amotionem deputata, & convocaret qui forent evocandi pro ſucceſſoris Vicarii electione celebranda, quo vacationis tempore, auctoritate Sedis prædictæ exerceret officium Vicariatus hujuſmodi primus Definitorum prædictorum, vel ipſo deficiente ſecundus, & ſic

& ſic de aliis ſucceſſive cum plenaria poteſtate præmiſſa; & hoc idem cenſeretur de Vicariis Provincialibus, cum eos mori vel amoveri contingeret, ac Provincias regi & gubernari per primum, & alios Definitores ſucceſſive Capituli Provincialis immediate præcedentis, prout ſupra de Vicario Generali ſtatutum exiſteret, ſalva ſemper & reſervata prædicti Vicarii Generalis, ut præmittitur, poteſtate. Generalis vero, ac tam Magiſter prædictus, quam Miniſter Ordinis Minorum hujuſmodi, aut quiſquam Miniſtrorum, ſeu Magiſtrorum Provincialium, ſeu aliorum Fratrum dicti Ordinis, tam Conventualium, quam de Familia, ſive de Obſervantia nuncupatorum, donec aliter per Sedem prædictam ordinatum ſoret, prædicto Vicario Generali, ſeu cæteris Vicariis, vel cuipiam Fratri ejuſdem Congregationis de Capuccinis nuncupatæ, moleſtiam ſeu impedimentum aliquod inferre non auderet, nec præſumeret ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, privationis officii, omniumque actuum legitimorum, niſi quod præfatus Magiſter Generalis, donec aliter per ipſam Sedem ordinatum ſoret, per ſe dumtaxat perſonaliter viſitare & corrigere poſſet & valeret prædictum Vicarium Generalem, ſeu Fratres, domum, locum & Eremitorium eorumdem Fratrum Capuccinorum nuncupatorum, pie, benigne & caritative ad meliorem frugem provocando. Et ſi quemquam reperiret criminoſum, ipſum Vicarium de conſilio, & aſſenſu majoris partis Vicariorum præmiſſorum, cæteros vero de conſilio majoris & ſanioris partis Fratrum domus, Eremitorii, loci vel Conventus Viſitatorum, in eodem loco, & non extra, corrigere valeret & punire, pœnitentiare & emendare, ſecundum quod delicti qualitas exigeret faciendum.

§. IV. De regimine vero & cura prædictorum Fratrum Capuccinorum nuncupatorum, ſe aliter non intromitteret, diſtrictius inhibens quibuſcumque perſonis, cujuſcumque conditionis exiſterent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna eo ipſo incurrenda, ne habitum per eos deferri ſolitum, niſi ſub præfati Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis obedientia & cura permanerent, geſtare quoquomodo præſumerent.

§. V. Inſuper idem Paulus prædeceſſor, veſtigiis recolendæ memoriæ Pii Papæ II., ſimiliter prædeceſſoris noſtri in ea parte inhærendo, qui alias ex certis cauſis, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia in favorem familiæ de Obſervantia interpretatus erat, & declaraverat, quod cum Apoſtolica Sedes, Generalem totius Ordinis Minorum Miniſtrum Generalem, & Provinciales Vicarios Miniſtrorum loco, certis piis & ſanctis reſpectibus eſſe voluiſſet & decreviſſet, Vicarii ipſi, qui illis præeſſent, & quibus ipſi ex debito eorum profeſſionis obedirent, veri & indubitati ipſorum Miniſtri, cum tales beatus Franciſcus dicti Ordinis Inſtitutor eos eſſe intendiſſet; quoad uſque præfata Sedes, in cujus arbitrio conſiſtebat, aliud alio reſpectu ordinare ſtatuiſſet, eſſent & perpetuo ſorent, differentes a prædictis Miniſtris ſolo nomine, eoſque, qui dictis Vicariis obedirent, ſecundum dictæ Sedis determinationem, eorum Regulæ, & præcipue in ea parte, ubi ait: *Præcipio firmiter Fratribus univerſis, ut obediant ſuis Miniſtris*: plene & integre ſatisfacere, auctoritate & ſcientia prædictis declaraverat, & decreverat, quod donec aliter ſuper præmiſſis per præfatam Sedem ordinatum ſoret, Fratres Capuccini prædicti, eorum Vicariis, prout de Vicariis Familiæ per dictum Pium prædeceſſorem, ut præfertur, ſtatutum fuerat, obediendo, plene & integre præfatæ Regulæ ſatisfacerent, prout in litteris dicti Pauli prædeceſſoris prædictis plenius continetur: Pro parte eorumdem Fratrum Capuccinorum nuncupatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut litteras Pauli prædeceſſoris hujuſmodi, & in eis contenta quæcumque approbare & confirmare, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. VI.

§. VI. Nos igitur, qui perſonarum Eccleſiaſticarum quarumlibet, præſertim vitam eremiticam degentium profectui, & ſelici ſucceſſui, prout poſſumus, libenter conſulimus, ſingularum litterarum prædictarum, ac quarumcumque ſcripturarum aliarum, occaſione præmiſſorum forſan confectarum tenores, præſentium pro expreſſis habentes, necnon per felicis memoriæ Julium Papam III. pariter prædeceſſorem noſtrum, dilectis filiis fratribus Hieronymo Lancæ Siculo, & ejus ſociis, aſſerentibus ſe Capuccinos exiſtere, conſimilemque modo præmiſſo habitum deferre in non modicum ſcandalum, & deformitatem Ordinis & Congregationis hujuſmodi, etiam in forma Brevis, & quaſcumque alias litteras quibuſvis aliis in quibuſcumque Mundi partibus & locis commorantibus, dictum habitum, vel præfato modo conſimilem, extra obedientiam Superiorum ejuſdem Congregationis, & nulla habita licentia, earumdem litterarum vigore geſtantibus & deferentibus, conceſſas revocantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras Pauli prædeceſſoris hujuſmodi, ac omnia & ſingula in eis contenta, ita quod nullus, cujuſcumque conditionis exiſtat, non ſolum eorum habitum, juxta litterarum Pauli prædeceſſoris hujuſmodi tenorem, verum etiam nec ita conſimilem, quod propter eum poſſit credi Frater eorum Congregationis, niſi ſub præfati Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis obedientia & cura permaneat, ſub ſimili pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quoquomodo geſtare præſumat, Apoſtolica auctoritate prædicta, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ac omnia & ſingula in eiſdem litteris dicti Pauli prædeceſſoris contenta, prædicta de novo concedimus.

§. VII. Quocirca univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis; necnon dilectis filiis Abbatibus, Prioribus & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum per ſe, vel per alium ſeu alios, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Fratrum Capuccinorum prædictorum, ſive alicujus eorum, fuerint deſuper requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta hujuſmodi firmiter obſervari, ac ſingulos, quos illæ concernunt, eis pacifice gaudere, non permittentes eos deſuper per quoſcumque contra præſentium tenorem quomodolibet indebite inquietari ſeu perturbari, contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras & pœnas ipſas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una & duabus, non tamen tribus dietis, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon quibuſvis privilegiis, & indultis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, quæ adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragari volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi Hieronymo, & aliis ejus ſociis præfatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. VIII. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, conceſſionis & vo-

luntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX. IV Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri anno I.

V.

Eximit Clariſſas aliaſque Moniales a ſolutione decimarum, ſubſidiorum, aliorumque onerum. Bullar. Rom. Tom. 2. fol. 5. Roderic. fol. 403.

§. I. DE ſtatu Eccleſiarum, & Monaſteriorum quorumlibet curæ noſtræ, Divina diſpoſitione commiſſorum paterna diligentia cogitantes, ad ea, per quæ illorum, ac perſonarum præſertim fœminei ſexus, in illis ſub regulari caſtimonia Altiſſimo famulantium ſtatui, & opportunæ ſubventioni valeat ſalubriter provideri, ipſæque perſonæ, ſemotis perturbationibus univerſis, in pacis & quietis amœnitate Divinis officiis liberius vacare valeant, libenter attendimus, ac in iis noſtri Paſtoralis officii partes favorabiliter impertimur.

§. II. Hinc eſt, quod Nos, motu proprio, non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, omnes & ſingulas Abbatiſſas, Prioriſſas, Miniſtras, Moniales, & Sorores quorumcumque Monaſteriorum, domorum, & regularium locorum Monialium, & Sororum quorumvis Ciſtercien. Præmonſtraten. ſanctæ Claræ, necnon ſancti Benedicti, & ſancti Auguſtini, ac Tertii Ordinis ſancti Franciſci, & aliorum quorumvis Ordinum, etiam ſub cura & regimine, ac ſecundum regularia inſtituta Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, & Eremitarum ejuſdem ſancti Auguſtini degentium, in Lombardia, & quibuſcumque aliis Italiæ partibus conſiſtentium, ipſaque Monaſteria & domos & loca, deductis quatuordecim ducatis auri de camera pro victu cujuslibet Monialis ſeu Sororis, alios reditus non habeutia, eorumque poſſeſſiones, & alia quæcumque bona mobilia & immobilia, a quarumcumque decimarum, & ſubſidiorum, ac aliorum onerum quomodolibet nuncupatorum, per Nos & Sedem Apoſtolicam, ſeu ejus Legatos, & Nuncios, aut quoſcumque alios, quavis auctoritate ſungentes, etiam pro expeditione contra Turcas, vel Fidei tuitione, ac Fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, aut quavis alia urgentiſſima cauſa pro tempore impoſitorum ſolutione, ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium in perpetuum prorſus eximimus & liberamus.

§. III. Et nihilominus omnibus & ſingulis Collectoribus, Subcollectoribus, ac Commiſſariis, necnon quibuſcumque aliis ad decimarum & ſubſidiorum hujuſmodi exactionem deputatis, & pro tempore deputandis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub noſtræ indignationis, ac excommunicationis latæ ſententiæ pœna diſtrictius inhibemus, ne Abbatiſſas, Prioriſſas, Miniſtras, Moniales, & Sorores, domos & Monaſteria & loca prædicta, etiam vigore quarumque litterarum a Nobis vel Sede prædicta pro tempore emanatarum, etianſi in eiſdem contineatur, quod ad quævis exempta, & non exempta domos, Monaſteria & loca ſe extendant, vel alterius cujuſcumque tenoris exiſtant, ipſius Sedis ſibi conceſſæ facultatis, niſi de præſentibus earumque toto tenore, ac de dictis Ordinibus, & nomine eorum, quibus dictorum Ordinum cura, gubernatio & protectio pro tempore commiſſa fuerint, plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales

les idem importantes, fecerint mentionem, ad ſolvendum decimas, ſeu ſubſidia aut onera hujuſmodi quovis modo cogere aut compellere, ſeu alias, præmiſſorum occaſione, eas moleſtare ſeu inquietare præſumant.

§. IV. Quocirca dilectis filiis Cameræ Apoſtolicæ Locumtenenti, ac Almæ Urbis noſtræ Vicario in ſpiritualibus Generali, necnon univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis, & etiam dilectis filiis eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, cæteriſque Eccleſiarum Prælatis per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios eiſdem Abbatiſſis, Prioriſſis, Miniſtris, Monialibus, & Sororibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, eaſdem præſentes, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter obſervari faciant; non permittentes eas ac domos, Monaſteria & loca hujuſmodi per Collectores, aut Subcollectores, & Commiſſarios præfatos, ſeu quoſcumque alios contra earumdem præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis, ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. V. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſel. record. Boniſacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali de duabus dietis edita, dummodo non ultra tres dietas, vigore præſentium ad judicium quis trahatur, & aliis conſtitutionibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, aut aliis quibuſcumque per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos, & Sedem prædictam, cum quibuſvis irritativis, annullativis, revocativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, aut derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, etiam pluries, ac alias quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiam ſi talia forent, quod pro eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. VI. Volumus autem, quod earumdem præſentium tranſumptis ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX. Nonis Aprilis, Pontificatus noſtri anno 1.

VI.

Præcipit Epiſcopo Britonoriensi ut diligenter inquirat de miraculo, quod evenit in conflagratione Eccleſiæ Conventus Muri-Vallium. Ex Regeſt. Brevium Pii IV. an. 1560. Tom. XIII. fol. 175. n. 118.

Venerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Allatum nuper ad nos fuit, quod certe mirabile dictum eſt, & omnia in virtute potentiſſimi fieri credere debemus, die Martis poſt Paſcha Reſurrectionis Dominicæ proxime præteritæ, in Eccleſia Monaſterii Fratrum Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, in territorio oppidi Murri-Vallium Provinciæ noſtræ Marchiæ Anconitanæ conſiſtentis, caſu quodam incendium adeo magnum exortum fuiſſe, ut ex eo Eccleſia ipſa tota conflagraverit, pauciſque poſt diebus, dum Altare majus ejuſdem Eccleſiæ in locum coopertum reduceretur, cinereſque, quo id facilius fieret, dimoverentur, inter cineres hujuſmodi, & fragmenta prægrandis marmorei lapidis Altari ſuperſtare ſoliti, fervoreque ignis ac violentia, in centum & amplius partes disjecti, ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, quod in tabernaculo argenteo deaurato a flammarum impetu conſumpto & penitus liquefacto reconditum antea manebat, ſuper ipſo corporali, ubi collocatum fuerat, ſalvum, integrum, illeſumque repertum eſſe ad Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti laudem & gloriam ſempiternam.

§. II. Nos igitur, tali tantoque nuntio audito, ſtatim rei magnitudine ac gravitate permoti, aliquem virum Religione, integritate, prudentia, atque doctrina præditum nobis deligendum duximus, quem pro hujus miraculi certa & indubitata veritate habenda ad locum, in quo virtus Altiſſimi ſeſe ita aperte manifeſtavit, mitteremus. Itaque fraternitati tuæ per præſentes mandamus, ut quamprimum ad terram Murri-Vallium prædictam ac Monaſterium ipſum te perſonaliter conferas, ibique omnia, quæ in tali caſu videnda, inquirenda & conſideranda fuerint, majori, quo poteris, conſilio, ſtudio, ſollicitudine alte & mature perpendas, inſpicias & conſideres; necnon quaſcumque perſonas, quæ admirabili ac vere divino huic facto interveneruntt, & quoſvis alios ſucceſſus rei conſcios & participes, quos ad teſtimonium perhibendum idoneos & opportunos eſſe cognoveris, pro indaganda & habenda veritate, ad te evocare ſtudeas, & eos, quemadmodum res ipſa geſta fuerit, idque quo pacto viderint, aut ſciant, diligenter interroges, ſcruteris & examines, illorumque dicta, ipſis formiter examinatis, in ſcriptis redigas, cætera quoque ad hoc neceſſaria exequaris, & denique ſuper his omnibus proceſſum in forma valida & probante formes & facias, illudque ſic per te confectum, & manu Notarii publici ſubſcriptum ad Nos quantocitius referre procures, ut eo inſpecto & facti veritate cognita, atque comperta, pro eximia noſtra pietate ac propenſione, in Deum Redemptorem noſtrum devotione, ea celeriter deliberare & providere valeamus, quæ pro tantæ tamque memorabilis rei pondere agenda, providenda, explicandaque nobis eſſe viddebuntur.

§. III. Super præmiſſis enim omnibus & ſingulis tibi plenam & amplam facultatem & auctoritatem concedimus per eaſdem præſentes. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VII. Maii MDLX. Pontificatus noſtri anno I.

VII.

VII.

Concedit, ut Conventu extra Civitatem Parmenſem diruto, novas intra ejuſdem urbis menia Obſervantibus conſtruatur. Regeſt. Ciſin. fol. 231. a tergo.

§. I. SUpremi diſpoſitione conſilii, in ſupereminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, meritis licet imparibus, conſtituti, circa ea perque domus & alia loca perſonarum quarumlibet, præſertim in illis ſub ſuavi Religionis jugo altiſſimo famulantium, celerius perfici, & commodius manuteneri queant, juxta paſtoralis officii debitum ſollicite vigilantes, nonnulla plerumque, etiam beneficiis Eccleſiaſticis in illis conſiſtentibus ſupprimimus, aliaque diſponimus, prout locorum, temporum & perſonarum qualitate penſata, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§. II. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & inantea vacatura collationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque poſtmodum perpetua Vicaria Parochialis Eccleſiæ ſanctorum Gervaſii & Protaſii Parmen. per liberam reſignationem dilecti filii Jo. Antonii Majorini nuper ipſius Eccleſiæ perpetui Vicarii, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus noſtris ſponte factam, & per nos admiſſam, apud Sedem prædictam vacaverit, & vacet ad præſens, nulluſque de illa præter Nos hac vice diſponere potuerit, ſive poterit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, & ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum domus ſancti Franciſci Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, petitio continebat, quod poſtquam alias cl. mem. Petrus Aloyſius Farneſius, pro fortificatione Civitatis Parmen. dictam domum una cum illius Eccleſia ſub invocatione beatæ Mariæ Annunciationis, S. Annuntiatæ nuncupatæ, extra & prope muros Parmen. conſiſtentem, dirui fecerat, & Guardianum, ac Fratres ipſos intra dictam Civitatem in præfata Eccleſia ſanctorum Gervaſii & Protaſii, & illius pro tunc ejus Rectorem ipſis Fratribus cum onere certæ ſibi per eos dandæ recompenſæ, conceſſis domibus, ſive caſamentis antiquis reduci juſſerat, ac fel. rec. Paulus Papa III. Prædeceſſor noſter, illos, ac dictam domum dirutam ad Eccleſiam ſanctorum Gervaſii, & domos conceſſas hujuſmodi ſub certis modo, & forma tranſtulerat, ac eidem domui invocationem Beatæ Mariæ Virginis impoſuerat, necnon in ipſa Eccleſia ſanctorum Gervaſii, & Protaſii unam perpetuam Vicariam pro uno perpetuo Vicario, qui inibi curam animarum dilectorum filiorum illius Parochianorum exerceret, erexerat.

§. III. Cumque fabricæ dictæ domus fructus, reditus & proventus adeo tenues exiſtant, quod ad illius ædificiorum, quæ ſatis ample conſtrui, & adaptari cœpta ſunt, perfectionem & manutentionem non ſufficiant, & ſi dicta Vicaria perpetuo ſupprimeretur & extingueretur, illiuſque fructus, reditus, & proventus eidem fabricæ perpetuo applicarentur & appropriarentur, necnon animarum cura illi imminens per unum, ſeu plures ex ſe ipſis, vel alium idoneum Capellanum, etiam ſæcularem ad eorumdem Guardiani, & Fratrum nutum amovibilem exerceretur, ex hoc profecto jurgiorum, & diſſentionum, quæ inter ipſos, & dictum Joannem Antonium, ac Vicariam præfatam pro tempore obtinentes, circa exercitium celebrationis Divinorum Officiorum, ac adminiſtrationis Sacramentorum Eccleſiaſticorum hujuſmodi

modi oriri contingunt, via omnino præcluderetur, & auctis prædictæ fabricæ ſructibus, dicti Fratres ædificia eadem celerius & commodius perfici, & manuteneri curarent, nec propterea cura animarum, & onus celebrationis dictorum Officiorum, ac adminiſtrationis Sacramentorum prædictorum omitterentur, verum Guardianus & Fratres præfati circa illa vigilanter lubentius intendere, ac in dicta Eccleſia Divinis beneplacitis commodius vacare poſſent cum ſpirituali ipſorum, & dictorum parochianorum, ac aliorum ejuſdem Civitatis Chriſtifidelium ad Eccleſiam ipſam confluentium conſolatione.

§. IV. Quare pro parte Guardiani & Fratrum prædictorum aſſerentium fructus, reditus & proventus Vicariæ hujuſmodi.... Duc. aur. de Cam. ſecundum communem exiſtimationem val. annuum non excedere, Nobis ſuit humiliter ſupplicatum, quatenus Vicariam prædictam perpetuo ſupprimere & extinguere, ac eoſdem illius fructus, reditus & proventus, necnon proprietates, domos, hortos, cenſus, decimas, jura, obventiones, res, & bona quæcumque eidem fabricæ applicare & appropriare, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignarentur. Nos igitur, qui, dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem ſecundum exiſtimationem præfatam, etiam beneficii cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus commiſſio fieret ad partes, vocatis quorum intereſſet, quique Divini cultus augmentum ubique adaugeri, & litium occaſiones ſubmoveri noſtris potiſſimum temporibus ſincero deſideramus affectu, Guardianum & Fratres prædictos a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ac fabricæ, & aliorum beneficiorum forſan ei annexorum, fructuum, redditnum & proventuum verum annuum valorem præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; Vicariam prædictam ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut etiam alterius cujuſcumque perſonæ, ſeu per ſimilem reſignationem dicti Jo. Antonii, vel cujuſvis alterius de illa in Romana curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, aut conſtitutionem ſel. rec. Joannis Papæ XXII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Eccleſiis*, vel aſſequutionem alterius beneficii Eccleſiaſtici, quavis auctoritate collati vacet; etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem eamdem ſit legitime devoluta, ipſaque Vicaria diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel alias generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad Nos hac vice pertineat, ac ſtatum illius, necnon in dicta Eccleſia ſanctorum Gervaſii & Protaſii nomen, & ſtatum perpetui Vicarii, dummodo Ordinarii loci ad id expreſſus accedat aſſenſus, Apoſtolica auctoritate prædicta, tenore præſentium perpetuo ſupprimimus & extinguimus, necnon omnia & ſingula dictæ ſuppreſſæ Vicariæ, & illius annexorum proprietates, domos, hortos, cenſus, decimas, fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, res, & bona quæcumque ſint, eidem fabricæ pro ejus dote, ſeu augumento illius; ita quod liceat Guardiano & Fratribus præfatis per ſe, vel alium, ſeu alios corporalem poſſeſſionem, ſeu quaſi eorumdem proprietatum, domorum, hortorum, cenſuum, decimarum, fructuum, redituum, proventuum, jurium, obventionum & bonorum Apoſtolica auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illaſque in dictæ fabricæ uſus & utilitatem convertere, eiſdem auctoritate Apoſtolica, & tenore etiam perpetuo applicamus & appropriamus; necnon Vicaria ſuppreſſa & extincta, illiuſque fructus, reditus, proventus, proprietates, domos, hortos, jura, obventiones, & alia bona prædicta eidem fabricæ applicata & appropriata,

ut

ut præfertur, perpetuo eſſe & cenſeri; necnon Guardianum & Fratres præfatos, ipſis in id ex nunc per certum illorum ad hoc per eos ſpecialiter conſtitutum præſentem, expreſſe conſentientibus, ac per ſeipſos, vel unum, ſeu duos, aut plures ex eis, ſeu alium idoneum Capellanum, etiam ſæcularem ad ipſorum nutum ponendum & amovendum, curam exercendum, & Sacramenta præfata adminiſtrandum, ſicut præmittitur, aliaque omnia & ſingula onera, ad quæ ipſe Joannes Antonius ratione dictæ Vicariæ tenetur, & obligatus exiſtit, teneri, ac efficaciter obligatos fore & eſſe; necnon ſuppreſſionem, extinctionem, applicationem, appropriationem, cæteraque præmiſſa, ac præſentes litteras nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, ſeu quopiam alio defectu notari, vel impugnari poſſe, nec ſub ullis etiam illorum totum tenorem in ſe continentibus revocationibus, ſuſpenſionibus, modificationibus, limitationibus & derogationibus, quorumcumque ſimilium, vel diſſimilium gratiarum, etiam per Nos, ſucceſſoreſque noſtros Romanos Pontifices, aut dictam Sedem ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſcumque clauſulis, & decretis, ac Cancellariæ Apoſtolicæ relatis, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus editis & edendis comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quotiens illæ emanabunt, totiens in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de novo conceſſas eſſe & cenſeri. Et ſic per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, necnon prout eſt, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel impoſterum contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

§. V. Non obſtantibus priori voluntate noſtra præfata, ac Lateranen. Concilii noviſſime celebrati, uniones perpetuas, nili in caſibus a jure permiſſis fieri prohibentis, necnon piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquis ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in partibus illis ſpeciales, vel generales ſanctæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetravit; etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel abſque quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem litteras & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſequuta quæcumque ad dictam Vicariam volumus non extendi; ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari. Et quibuſvis aliis privilegiis, indulgentiis & litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri. Et de quibus quorumque totis tenoribus habenda eſſet in noſtris litteris mentio ſpecialis. Volumus autem quod propter ſuppreſſionem, extinctionem, applicationem & appropriationem hujuſmodi Divinus cultus in eadem Eccleſia non minuatur, neque curæ animarum hujuſmodi negligatur. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum VIII. Kalendas Julii anno 1.

VIII.

VIII.

Concedit Patribus Conventualibus, ut ædificare poſſint Conventum in Civitate Maſſilienſi. Ex autographo in noſtra Collect.

Dilecto filio Officiali Arelaten. ſalutem.

§. I. AD decorem ſacræ Religionis, ſub qua viri ſtudio piæ vitæ &c. roboris firmitatem. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Conſulum & hominum Civitatis Maſſilien., ac Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſæ & Conventus Monaſterii Monialium ſancti Salvatoris Maſſilien. Ordinis ſancti Benedicti petitio continebat, quod alias, poſtquam pro tutela dictæ Civitatis contra validiſſimum exercitum, quem quondam Carolus Borbonus Dux in Provincia Provinciæ ad oppugnandam ipſam Civitatem tunc temporis deducebat, olim domus ſancti Ludovici dicti Ordinis Fratrum Minorum prope & extra muros Maſſilien. cum illius Eccleſia & ædificiis, jubente cl.me. Franciſco Francorum Rege, de facto everſa, & propterea Guardianus ac Fratres, qui tunc in ea erant, illam, & d. Civitatem, ac Legata olim ipſi domui a Chriſtifidelibus, cæteraque bona & proventus ejuſdem non ſine maximis incommodis & calamitatibus relinquere coacti fuerunt, confecto hujuſmodi bello, præfati Conſules, ac quamplurimi alii ex primoribus Civibus ipſius Civitatis, conſiderantes majores ſuos pro fundatione d. domus ad honorem Dei, & Divini cultus augmentum congruos reditus donaſſe, & multa defunctorum corpora ibidem requieſcere, ac Religioni Chriſtianæ plurimum utile fore, ſi domus ipſa reſtitueretur, ſiquidem illi, qui olim ad dictam Eccleſiam everſam, ob frequentem atque honorificam celebrationem Miſſarum, & aliorum divinorum officiorum in eadem, confluebant lætitiæ reſtitutionis hujuſmodi, ſi fieret, affecti, & eorum exemplo alii Chriſtifideles domum & Eccleſiam prædictas precibus & orationibus devotius frequentaret: poſt publicum conſilium inter eoſdem Conſules & Cives pro ipſa reſtitutione habitum, litteras Regias de ſtatuendo ad hoc loco idoneo in dicta Civitate decen. obtinuerunt, & deinde cum litterarum ipſarum executio in lungum protraheretur, ſimilis memoriæ Henricus Francorum Rex reſtitutionem præmiſſam optimam fore ratus, motu proprio, per ſuas litteras de menſe Martii anni proxime præteriti prædictis Conſulibus, etiam de facto dedit in mandatis, ut dictis Fratribus Parochialem Eccleſiam beatæ Mariæ de Acolis Maſſilien. ad prædictum Monaſterium legitime pertinentem, pro loco prædicto, ſatisfacta tamen parte, aſſignaret, & poſtmodum habita ſuper executione ſecundo dictarum litterarum matura deliberatione, de Peritorum conſilio Abbatiſſa, & Conventus, necnon Procurator prædicti pro effectu præmiſſorum ſub noſtro & Apoſtolicæ Sedis beneplacito, nec aliter mutuo conventionem fecerunt, per quam inter alia Abbatiſſa & Conventus dictam Eccleſiam, & illius domum clauſtralem nuncupatam, ac omnia jura ſibi in illis vel ad illa quomodolibet competentia, cum eorum dependentiis & reditibus dilectis filiis Miniſtro Generali, & toti Ordini Fratrum Minorum hujuſmodi conceſſerunt & remiſerunt, nihil aliud ſibi præter nominationem ſeu præſentationem per ſe ad eamdem Eccleſiam, ſeu illius Vicariam pro tempore vacantem reſervando, Miniſter vero & Fratres prædicti pro hujuſmodi ceſſione & remiſſione certam tunc expreſſam penſionem dictis Abbatiſſæ & Conventui perpetuis futuris temporibus, ſeu donec illius cenſus ſeu reditus annuus ad æquivalentiam penſionis hujuſmodi in fundis & proprietatibus a regimi-

gimine assignatus fuisset, quo casu dicta pensio extincta esset, cum effectu persolvere, ac pro divini cultus augmento in dicta Ecclesia sexdecim Presbyteros celebrantes ad minus tenere, & quasdam Missas, & certa alia divina officia celebrare, nonnullaque alia tunc expressa facere & observare tenerentur, prout in instrumento publico desuper confecto plenius continctur.

§. II. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, Consules & homines, ac Abbatissa & Conventus, necnon Procurator prædicti cupiant conventionem hujusmodi pro illius subsistentia firmiori dictæ Sedis munimine roborari, pro parte illorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsi petitioni annuere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Religiosorum locorum quorumlibet restitutionem & propagationem libenter procuramus, de præmissis certam notitiam non habentes, ac Consules & homines, necnon Abbatissam & Conventum, ac Procuratorem prædictos, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis &c. censentes, necnon dicti instrumenti veriorem, ac forsan aliarum scripturarum desuper confectarum tenores præsentibus pro expressis haberi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, cum Civitas prædicta & diœcesis Massilien. venerabili fratri nostro Archiepiscopo Arelaten. Metropolitano jure subesse dignoscantur, per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, per te ipsum, sine alicujus præjudicio, conventionem & instrumentum prædicta, ac omnia & singula alia in ipso instrumento, aliisque scripturis præmissis contenta, ac inde secuta quæcumque, licita & honesta approbare & confirmare, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicere, necnon omnes & singulos juris & facti defectus, si qui intervenerint in eisdem supplere, illaque valida & efficacia fore, & inviolabiliter observari, ac singulos prædictos, ac quoscumque alios, quos ea concernunt, ad illorum observationem compelli, atque per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & interpretari debere, ac irritum & inane &c. attentari decernere, auctoritate nostra procures, faciens approbationem & conservationem hujusmodi, necnon quidquid decreveris in præmissis per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter observari.

§. III. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii & Ordinum prædictorum juramento &c. roboratis statutis & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno MDLX. x. Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno I.

IX.

Petrus Ragnemis præficitur Ecclesiæ Rovanensi. Ex Actis Consistorialibus autographis in Tabulario secretiori Vaticano asservatis Tomo 2. fol. 262., & Tom. 4. fol. 23. &c.

Apud sanctum Petrum Romæ die Mercurii XXVI. *Junii* MDLX. *fuit Consistorium, in quo*

Referente Reverendissimo Romano

SAnctissimus Dominus noster Pius, Divina providentia Papa IV. providit Ecclesiæ Rovanensi in partibus infidelium consistenti, tunc per obitum bon. mem. Guidonis extra Romanam Curiam defuncti, vacanti de persona

Domini Petri Ragnemis Ordinis Fratrum Minorum, & ſacræ Theologiæ profeſſoris, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit & Paſtorem, cum indulto de non accedendo, & ejus deputatione in ſuffraganeum Eccleſiæ Andegavenſis, quæ ex indulto Apoſtolico Suffraganeum habere conſuevit, & facultate exercendi Pontificalia in Civitate & diœceſi Andegavenſi dumtaxat, & cum aſſignatione penſionis ducatorum 200. ſuper fructibus Menſæ Epiſcopalis Andegavenſis de conſenſu R. P. D. Gabrielis Epiſcopi, quæ tranſeat ad Succeſſores, & eum clauſulis &c.

X.

Præcipit Miniſtro Generali Ordinis, ne permittat, quod Religioſi ſibi ſubditi, & Moniales virtute Cruciatæ, aut Confeſſionalium, ſive alterius cujuſcumque privilegii Confeſſarios ſibi eligant, abſque ſuorum Superiorum facultate, neve Moniales intra Monaſteriorum ſepta Mulieres recipiant. Roder. fol. 353.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſti, quod, licet alias fel. rec. Paulus Papa III. prædeceſſor noſter per ſuas in forma Brevis litteras tunc exiſtenti Generali Miniſtro Ordinis Minorum directas, ſtatuerit & ordinaverit, quod nullus ex Guardianis vel Præſidentibus, aut Fratribus vel aliis Religioſis Ordinis hujuſmodi, ac Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus Monaſteriorum ſanctæ Claræ, ac tertiæ regulæ ſancti Franciſci Provinciarum Hiſpaniæ ſub dictorum Fratrum cura & inſtitutis degentibus, vigore Cruciatæ, aut prætextu cujuſcumque privilegii, aut Indulti Apoſtolici, vel Confeſſionalis, ſeu aliarum litterarum & indultorum, etiam motu proprio ab Apoſtolica Sede eatenus conceſſorum, vel impoſterum concedendorum, ſi, & poſtquam de litteris Pauli prædeceſſoris hujuſmodi notitiam haberent, niſi de ſpeciali licentia petita & obtenta ſuorum Superiorum, Confeſſorem ſibi eligere, & ab eo abſolutionem recipere poſſet, idque in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub certis pœnis inibi expreſſis, tam Guardianis & Præſidentibus, alliſque Fratribus & Religioſis, necnon Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus hujuſmodi, ac eorum ſingulis, ut illis quomodolibet uti, illorumque prætextu Confeſſorem ſibi eligere, & ab eo abſolutionem recipere, quam Confeſſoribus ſic electis præfatis, ſub ſimilibus pœnis eo ipſo incurrendis, præter quam, ut præfertur, de licentia petita & obtenta dictorum Superiorum, ut confeſſiones hujuſmodi audire, ac pœnitentiam injungere, & abſolutionis munus impertiri nullatenus auderent vel præſumerent, diſtrictius inhibendo mandaverit, irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari, decreverit, prout in Pauli prædeceſſoris litteris hujuſmodi, datis Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die decimo quarto Novembris, milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo, Pontificatus ſui anno decimo quinto deſuper expeditis plenius dicitur contineri.

§. II. Nihilominus, cum ſicut accepimus, poſt prædictarum Pauli prædeceſſoris hujuſmodi litterarum conceſſionem, quamplurima confeſſionalia ſeu privilegia aut ſimilia aut diſſimilia, indulta, & aliæ litteræ Apoſtolicæ, necnon ſpecialiter litteræ Apoſtolicæ in Regnis Hiſpaniæ hujuſmodi, in eis, aut earum ſingulis reſpective forte revocando, aut ad effectum illarum ſuſpendendum, tam nuper a Nobis, quam a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus no-

noſtris, & Sede Apoſtolica ſimiliter reſpective conceſſa fuerint, quarum vigore nonnulli tam ex Guardianis vel Præſidentibus, & aliis Fratribus, quam etiam ex præfatæ ſanctæ Claræ, ac Conceptionis, & tertiæ regulæ ſancti Franciſci, in Congregatione degentibus Ordinum Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus ſub tuis cura & inſtitutis, ut præfertur, degentibus, propriis eorum Confeſſoribus per eorum reſpective Miniſtros Provinciales, ſeu alios Superiores deputari ſolitis, dimiſſis, in illorum forſan contemptum; Confeſſores pro ſuo libito voluntatis nonnumquam Clericos ſæculares, quandoque etiam aliorum Ordinum Fratres eligere, illiſque peccata ſua confiteri, & ab eis abſolutionem petere & recipere, ipſique Confeſſores ſic electi confeſſiones hujuſmodi audire, & pœnitentiam ſalutarem deſuper injungere, ac abſolutionis beneficium, etiam de caſibus illorum Prælatis & Superioribus reſpective ſpecialiter reſervatis, forſan indiſtincte impertiri ſoliti ſunt, ſtatutis & conſuetudinibus dictorum Ordinum de facto contraveniendo; ac etiam tam litterarum Cruciatæ, quam confeſſionalium, & aliorum privilegiorum & indultorum Apoſtolicorum hujuſmodi vigore ſæpe ſæpius, quam plures Domicellæ & aliæ Mulieres Monaſteria Monialium & Sororum præ licta, ſub clauſura & cura Fratrum Minorum hujuſmodi degentium ingredi, & cum eis refectionem corporalem ſumere, ac Mulieres hujuſmodi, ſeu pro eis agentes, Superiores prædictos ad conſenſus ſuos, quoad ingreſſum Monaſteriorum hujuſmodi illis præſtandos compellere conantur; unde variæ moleſtiæ, & ſpiritus diſtractiones, necnon mentis inquietudo perſæpe eiſdem Monialibus & Sororibus inferuntur, ita ut contingat propterea illas a Divino officio, cui horis quaſi ſingulis aſſiſtunt, avertere & perturbare, in animarum ſuarum periculum, pernicioſum quoque exemplum & ſcandalum plurimorum.

§. III. Quare pro parte Franciſci Generalis Miniſtri hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis de opportuno remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, quibus ex Apoſtolatus officio, Nobis, meritis licet imparibus, divinitus credito, cura Dominici gregis generalis imminet, cupientes tam univerſos Fratres, quam Moniales & Sorores hujuſmodi, quos omnes in viſceribus caritatis habemus, ut, ſpretis mundanis illecebris, ſub Religionis jugo, & caſtitatis lilio Redemptori noſtro Jeſu Chriſto famulentur, ac vota per eos omnes reſpective emiſſa in ſpiritu pacifico facilius Dei gratia adimplere poſſint, ac etiam, ne ſub prætextu facultatis eligendi Confeſſores hujuſmodi, ad illicita prolabantur, & regularis diſciplinæ inde ſequatur diſſolutio, providere volentes: hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod de cætero nullus ex Guardianis ſeu Præſidentibus, aut Fratribus vel aliis Religioſis Fratrum Minorum, ac Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus in dictis Regnis tuæ curæ commiſſis, ſi, & poſtquam de præſentibus litteris notitiam habuerint, prætextu ſeu vigore litterarum Cruciatæ, vel confeſſionalium, aut aliorum quorumcumque privilegiorum, vel indultorum Apoſtolicorum, vel aliarum gratiarum, etiam motu proprio a Nobis ſeu Sede Apoſtolica hactenus in favorem cujuſcumque perſonæ quantumvis qualificatæ, & ad cujuſvis inſtantiam, aut alias quomodolibet conceſſorum, vel impoſterum concedendorum, niſi de ſpeciali præfati Franciſci, ſeu pro tempore exiſtentis Generalis, ſeu Provincialis Miniſtri Ordinis Minorum hujuſmodi licentia petita & obtenta, Confeſſorem ſibi eligere, & ab eo abſolutionem recipere poſſit. Mandantes, ac diſtrictius inhibentes tam ipſis Guardianis & Præſidentibus, aliiſque Fratribus & Religioſis, necnon Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus hujuſmodi, ac eorum ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub offi-

ciorum per ipſos obtentorum privationis & inhabilitatis ad illa & alia impoſterum obtinenda, pœnis eo ipſo incurrendis, ut litteris Cruciatæ vel confeſſionalium, aut aliis quibuſcumque privilegiis, indultis Apoſtolicis, ſeu aliis gratiis hujuſmodi, quoad id quomodolibet uti, & tam Confeſſoribus, quam Religioſis, quam Presbyteris ſæcularibus ſic pro tempore electis præfatis, ut etiam illorum prætextu ipſi ſub ſimilibus, necnon ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſuorum Ordinum pœnis eo ipſo ſimiliter incurrendis, niſi de Generalis ſeu Provincialis Miniſtri, ut præfertur, licentia petita & obtenta, confeſſiones Fratrum & Monialium ſeu Sororum hujuſmodi audire, & pœnitentiam illis injungere, & abſolutionis munus impertiri nullatenus audeant vel præſumant, decernentes de cætero poſt præſentium notitiam hujuſmodi, quaſcumque confeſſiones, alias quam ut præmittitur faciendas, & inde obtentas abſolutiones, & pœnitentiarum impoſitiones ipſis confitentibus minime ſuffragari poſſe aut debere, præterquam in caſu neceſſitatis, ac ſimiliter quod tam litterarum Cruciatæ, quam confeſſionalium, & quarumcumque aliarum facultatum, & indultorum Apoſtolicorum hujuſmodi vigore, quibuſvis perſonis cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ exiſtant, quoad ingreſſum Monialium & Sororum hujuſmodi eis hactenus conceſſorum, & impoſterum concedendorum, præterquam per noſtras in forma Brevis litteras, pro tempore conceſſorum, etiam cum quibuſvis clauſulis, & decretis ac cenſuris & pœnis, nunc & pro tempore in eis appoſitis, Abbatiſſas & Moniales ac Sorores ipſas ingreſſum illis in dictis Monaſteriis minime præbere, nec ad id teneri obligatas eſſe, ſine ſuorum Generalis aut Provincialium Miniſtri hujuſmodi licentia in ſcriptis habita, ingreſſumque hujuſmodi præfatis perſonis abſque aliquo cenſuræ Eccleſiaſticæ, aut alterius pœnæ vinculo, ſeu conſcientiarum ſuarum ſcrupulo, niſi ad id, ut præfertur, dictorum Miniſtri Generalis vel Provincialis licentia in ſcriptis habita prius acceſſerit; denegare libere & licite poſſe concedimus, eoſdemque Miniſtrum Generalem vel Provincialem in Domino hortamur, ut eiſdem ſæcularibus perſonis facultates ingrediendi Monaſteria Monialium & Sororum hujuſmodi a Sede Apoſtolica nunc & pro tempore habentibus, ne Moniales & Sorores ipſæ a tranquillitate mentium divertantur, conſenſum ſive licentiam hujuſmodi, quo rarius & parcius fieri poterit, concedant, & inſuper cenſuras & pœnas prædictas, in aliquo Abbatiſſas, Moniales ac Sorores, earumque Superiores præfatos, & eorum ſingulos, quoad præſtationem licentiæ, ſeu conſenſus hujuſmodi obligare non poſſe, & debere.

§. IV. Et ſic per quoſcumque Judices, & Commiſſarios quacumque auctoritate fulgentes, pronunciari & definiri debere, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate & tenore prædictis decernimus & declaramus.

§. V. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, necnon Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus, conſtitutionibus & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis ſupradictis, etiam Cruciatæ hujuſmodi, & aliis ſub quacumque forma, & cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus & inſolitis clauſulis irritantibus, & aliis decretis per Sedem eamdem hactenus conceſſis, & impoſterum concedendis, quibus, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut nonniſi ſub certis modo & forma in eis expreſſis derogari poſſit, illorum omnium tenores & formas, ac ſi de verbo

ad

ad verbum, & non per clauſulas generales idem importantes, expreſſa mentio facta, aut alia exquiſita forma, ad id requiſita ſervata fuiſſet, nihil penitus omiſſo, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. VI. Volumus etiam, & eadem auctoritate decernimus, quod præſentium tranſumptis, ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis in judicio, & extra judicium, eadem fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die x. Julii MDLX. Pontificatus noſtri anno I.

XI.

Proſperum Epiſcopum Chiſamenſem commendat Bernardo de Freſneda Minoritæ. Ex Regeſto autographo Epiſtolarum ad Viros Principes, & alios Pii Papæ IV. Brev. 261. Tom. numero x.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Venerabili Fratri Proſpero Epiſcopo Chiſamenſi ſacri noſtri Auditorii Rotæ Judici primario, quem ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Regem Catholicum miſimus, de quibuſdam noſtris, & Sedis Apoſtolicæ negotiis, in mandatis dedimus, ut devotionem tuam, quam ipſius virtutis cauſa, & erga ſanctam Sedem inſignis benevolentiæ paterne diligimus, noſtris verbis ſalutet, eique nonnulla noſtro nomine exponat; ejus orationi, ut fidem habeas, & ut quæ poteris, ei officia præſtes, abs te petimus, id valde nobis gratum erit.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die v. Julii MDLX. Pontificatus noſtri anno I.

XII.

Gaſparem ab Eccleſia Calvenſi tranſfert ad Metropolitanam Rhegienſem. Ex Actis Conſiſtorialibus autographis in Tabulario Secretiori Vaticano aſſervatis Tomo 2. fol. 266., & Tomo 4. fol. 26. &c.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Veneris XV. *Julii* MDLX. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo de Carpo

Sanctiſſimus Dominus noſter Pius divina providentia Papa IV. abſolvit Gaſparem Epiſcopum Calvenſem a vinculo &c. ipſumque ad Eccleſiam Metropolitanam Rhegienſem, tunc per obitum bonæ memoriæ Auguſtini Cayſagnæ extra Romanam Curiam defuncti, vacantem tranſtulit, ipſumque illi in Archiepiſcopum præfecit, & Paſtorem ſalvis remanentibus penſionibus antiquis, & cum derogationibus &c. ac clauſulis &c.

XIII.

XIII.

Julius Magnanus præficitur Eccleſiæ Calvenſi. Ex Regeſt. 77. Epiſt. diverſar. Pii IV. fol. 9.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum dei.

Dilecto filio Julio Magnano Electo Calvenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

APoſtolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini, Divina diſpoſitione præſidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino, cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, & cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui populum ſuæ curæ creditum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant, auctore Domino ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum omnium vacantium tunc, & inantea vacaturarum ordinationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper hiis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſiæ Calven. ex eo quod Nos hodie venerabilem fratrem noſtrum Gaſparem Epiſcopum nuper Calven. in Archiepiſcopum Reginen. electum, a vinculo quo dictæ Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolvimus, & ad Eccleſiam Reginen. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutam, de ſimili conſilio Apoſtolica auctoritate tranſtulimus, præficiendo ipſum illi in Archiepiſcopum & Paſtorem, per translationem hujuſmodi apud Sedem prædictam Paſtoris ſolatio deſtitutam, Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Calven. celerem & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa Calven. longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Calven. perſonam utilem & etiam fructuoſam cum eiſdem Fratribus habuimus diligentem: demum ad te Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, & in ſacra Theologia profeſſorem, de legitimo matrimonio procreatum, in ætate legitima, & in Presbyteratus ordine conſtitutum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis inſignitum direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, de perſona tua Nobis & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ Calven. de ipſorum Fratrum conſilio, dicta auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Calven. ſuper cujus menſæ Epiſcopalis fructibus, reditibus & proventibus penſio annua ducentorum Ducatorum auri de Camera dilecto filio Leoni Vaſco Clerico illam annuatim percipienti, dicta auctoritate reſervata exi-

exiſtit, quam ſalvam eſſe volumus, tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia Calven. ſub tuo felici regimine regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod Eccleſia ipſa Calven. Gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & Apoſtolicæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Quocirca dilectis filiis Capitulo & Vaſſallis dictæ Eccleſiæ Calven. ac Clero & Populo Civitatis & Diœceſis Calven. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Capitulum tibi tamquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ac Clerus te pro noſtra & dictæ Sedis reverentia benigne recipientes, & honorifice pertractantes, tua ſalubria monita & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tamquam Patrem & Paſtorem animarum ſuarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, tuis monitis & mandatis ſalubribus humiliter attendant. Ita quod tu in eis devotionis filios, & ipſi in te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis. Vaſſalli autem præfati te debito honore proſequentes, tibi fidelitatem ſolitam, ac conſueta ſervitia, necnon jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent. Alioquin ſententiam ſive pœnam, quam reſpective in rebelles rite tuleris ſeu ſtatueris, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Rogamus etiam & hortamur attente venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Capuan. ei per eadem ſcripta mandantes, quatenus te, & prædictam Eccleſiam dicti Archiepiſcopi Suffraganeam habens, pro noſtra & Sedis prædictæ reverentia, propenſius commendatos in ampliandis & conſervandis juribus ſuis ſic te benigni favoris auxilio proſequatur, quod tu ejus fultus præſidio, in commiſſo tibi curæ paſtoralis officio, Deo propitio, proſperari poſſis. Ipſeque Archiepiſcopus provide Divinam miſericordiam, ac noſtram, & ejuſdem Sedis benedictionem ac gratiam uberius valeat promereri.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX. XVI. Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno 1.

XIV.

Ludovicum Hornam Eccleſiæ Martyrienſi præficit, eique Pontificalia exercendi in Civitate & Diœceſi Colimbricenſi facultatem largitur. Ex Actis Conſiſtorialibus autographis, in Tabulario Secretiori Vaticano aſſervatis Tomo 2. fol. 266. & Tomo 4. fol. 27.

Apud ſanctum Petrum Romæ XVII. *Julii* MDLX. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo de Carpo

SAnctiſſimus Dominus noſter Pius Divina providentia Papa IV. providit Eccleſiæ Martyrienſi in partibus Infidelium de perſona R. P. Ludovici Hornam Ordinis Minorum de Obſervantia, & ſacræ Theologiæ profeſſoris, cum licentia exercendi Pontificalia in Civitate & Diœceſi Colimbrienſi, ſi ad hoc per R. P. D. Joannem modernum & pro tempore exiſtentem Epiſcopum Colimbrienſem requiſitus foret, ac de ejus ſpeciali licentia, reſervata eidem

eidem Ludovico electo penſione annua 200. Ducatorum auri de Camera, ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis Colimbrien. dummodo omnes penſiones medietatem fructuum prædictæ menſæ non excedant, & de dicti Joannis conſenſu, quæ tranſeat ad Succeſſores &c. cum clauſulis &c.

XV.

Indulgentiam largitur viſitantibus Eccleſiam Conventus Fratrum Minorum terræ Muri-Vallium. Ex Autographo.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Sacroſancta Romana Eccleſia Chriſtianæ Religionis puritatem ſuper omnia deſiderans, quemadmodum vigiliis nititur continuis, ne prodigioſa impiorum figmenta in ea ad gregis Dominici perniciem uſpiam irrrumpant, ita maxime invigilat, ut eorum, quæ Redemptor noſter pro ſua erga humanum genus miſericordia interdum operari dignatur, pia & devota memoria inter Chriſtifideles ad illius laudem & gloriam, & Catholicæ fidei exaltationem propagetur in ævum.

§. II. Itaque cum ſuperioribus menſibus ad noſtrum perveniſſet auditum, ex cauſali conflagratione Eccleſiæ domus ſancti Franciſci oppidi Muri Vallium Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, Firmanæ Diœceſis, Provinciæ noſtræ Marchiæ Anconitanæ, quæ quintodecimo Kalendas Maij proxime præteriti noctu ingruerat, ſanctiſſimi Corporis Chriſti Sacramentum, quod ſuper Altare majus dictæ Eccleſiæ recondebatur, Divina virtute illibatum remanſiſſe, ac Chriſtifideles ad illud tamquam miraculum in dies magis magiſque concurrere. Nos, etſi omnibus in rebus, potiſſimum tamen in cauſa fidei non temere credendum fore exiſtimantes, venerabili fratri noſtro Ludovico Epiſcopo Britorienſi, viro integro & prudenti dedimus in mandatis, ut ad dictum oppidum ſe conferret, factique veritatem inquirere diligenter, ac quæcumque hac in re comperiſſet, ad Nos fideliter referenda curaret; qui accepto mandato noſtro, ad Oppidum ipſum accedens, rem omnem ſubtili indagine perquiſivit, indeque formatum legitime proceſſum Nobis retulit; Noſque negotium hujuſmodi venerabili fratri noſtro Rodulpho Epiſcopo Portuenſi Carpen. & dilectis filiis noſtris Joanni Michaeli ſanctæ Anaſtaſiæ Saraceno, & Jacobo ſanctæ Mariæ in Via Puteo, ac Joanni Baptiſtæ ſancti Clementis Cicade nuncupatis, & Clementi ſanctæ Mariæ de Aracæli titulorum Presbyteris Cardinalibus ſummæ integritatis & doctrinæ viris, cognoſcendum & Nobis referendum commiſimus. Qui dicto proceſſu diligenter viſo & examinato, ac habita alias plena informatione de præmiſſis, Nobis retulerunt Sacramentum ipſum tempore conflagrationis ipſius, ab ea conſumpto ligneo tabernaculo, ac liquefacto vaſe argenteo, in quo ſervabatur, nihilominus vere ſalvum & illæſum remanſiſſe, quodque quinto Kalendas ejuſdem menſis Maii, cum Guardianus dicti Monaſterii dilectum filium Baptiſtam de Aſculo Fratrem dicti Ordinis, ac in eadem domo degentem, virum, ut etiam aliorum fide dignorum teſtimoniis accepimus, bonum & ſimplicem, ac optimæ vitæ, integritatis, ac famæ, qui in die Sabbati Sancti tunc proxime præteriti ad idem Altare celebrando, eamdem ſacroſanctam Euchariſtiam conſervaverat, & in dictis tabernaculo & vaſe repoſuerat; quique dudum antea, cum de parentibus Hebræis natus eſſet, adhuc puer, Divina

præve-

præveniente gratia, a Judaica cœcitate & perfidia ad veram Chriſti fidem converſus, & ſtatim Ordinem prædictum profeſſus fuerat, ac ejus exemplo, doctrina, & ſanis ſuaſionibus viginti duos Hebræos ad eamdem fidem Catholicam reduxerat, ad Altare prædictum ruderibus purgandis, una cum alio ejuſdem Domus Fratre deputaſſet, & dictus Baptiſta operi hujuſmodi accinctus, conſcenſo Altari, ingens fragmentum tabulæ marmoreæ, quæ illius violentia ignis disjecta erat, inde amovere tentans, deflexis oculis ſacram Euchariſtiam in concavo muri, qui prius ipſi tabulæ ſuberat, vidit, ac magno ſtupore perterritus, & Dei miſericordiam profuſis lacrymis implorans, miraculum exclamavit; ac his auditis, repente ejus ſocius prædictus, moxque reliqui Fratres dictæ domus, ac denique Oppidani omnes eo concurrentes, ſacram Hoſtiam ſuper coroprali, & fragmento panni linei combuſti jacentem modico cinere conſperſam, alioquin illæſam pariter viderunt & adoraverunt, magnaque animi devotione, & religione Omnipotenti Deo gratias egerunt.

§. III. Nos conſideratis præmiſſis, & aliis, quæ a præfatis Cardinalibus, & Ludovico Epiſcopo de hac re audivimus & percepimus, rem ipſam ab omni dolo & fraude alienam, ac præter omnem naturalem rationem contigiſſe, ac propter eam cauſam pro indubitato miraculo, de eorumdem Fratrum noſtrorum voto & aſſenſu, cenſuimus & judicavimus: & ne tantum miraculum Dei benignitate noſtris temporibus, quibus, humani generis hoſte inſtigante, hoc tantum Sacramentum ab Hæreticis potiſſimum impugnatur & laceratur, non ſine myſterio, ad firmamentum fidei & credulitatis noſtræ Nobis patefactum, debito careat præconio, illud ſic per univerſos Chriſtifideles amplectendum, ac toto corde & animi affectu celebrandum nuncia mus: ac ut Chriſtifideles ad illud celebrandum per amplius invitentur, eiſdem omnibus & ſingulis utriuſque ſexus vere pœnitentibus & confeſſis, ſeu ſtatutis a jure temporibus confitendi propoſitum habentibus, qui dictam Eccleſiam ſancti Franciſci prædictis diebus conflagrationis, & manifeſtati miraculi, quibus in ea officium Corporis Chriſti ab Eccleſia inſtitutum ſolemniter perpetuo celebrari mandamus, a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis ipſorum dierum devote viſitaverint, necnon Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui pro ejus immenſa pietate, tantum nobis miraculum oſtendere dignatus extitit, devotas preces effuderint, ſingulis diebus prædictis, quibus id fecerint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem, perpetuis futuris temporibus duraturam, miſericorditer in Domino elargimur.

§. IV. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ nunciationis, mandati, & elargitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLX. XIII. Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno I.

XVI.

Andream Sarlati præficit Eccleſiæ Rogobenſi, eique facultatem largitur Pontificalia exercendi in Civitate & Diœceſi Claramontenſi. Ex Actis Conſiſtorialibus autographis in Tabulario Secret. Vaticano aſſervatis Tomo 2. ſol. 275. tergo.

Apud ſanctum Petrum Romæ XX. *Octobris* MDLX. *fuit Conſiſtorium, in quo*

REverendiſſimus Ferrarienſis propoſuit proviſionem Eccleſiæ Rogobenſis in partibus Infidelium, in favorem Domini Andreæ Sarlati Ordinis Fratrum Minorum, cum facultate exercendi Pontificalia in Civitate & Diœceſi Claramontenſi, ac reſervatione certæ penſionis annuæ, ſed expeditio fuit remiſſa ad aliud Conſiſtorium.

Anno Christi 1561. Pii IV. anno 1.

XVII.

Fratribus de Obſervantia concedit ut recipere poſſint Conventum & Eccleſiam omnium Sanctorum in Civitate Florentiæ. Regeſt. Ciſm. ſol. 204.

PIUS PAPA IV.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. EX commiſſo Nobis deſuper paſtoralis officii debito, domorum & Religioſorum locorum quorumlibet proſpero & felici ſucceſſui favorabiliter intendentes, ea, quæ propterea facta fuiſſe noſcuntur, ut firma & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolico munimine roboramus.

§. II. Cum itaque, ſicut dilecti filii Guardianus & Fratres Domus ſancti Salvatoris Florentiæ Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, necnon Vincentius perpetuus Commendatarius Præpoſituræ omnium Sanctorum, etiam Florentin. Ordinis Humiliatorum, ac Nobilis Vir Coſmus Dux Florentiæ, Nobis nuper exponi fecerunt: alias pro eorum parte tunc Vicario venerabilis fratris Archiepiſcopi Florentin. expoſito, quod dicta Domus ſancti Salvatoris, quæ magnis ſumptibus & expenſis conſtructa & ædificata fuerat, jam quadraginta annis, vel circa decurſis, eo quod male, ſive in loco lubrico fundata, aquis ſubterraneis illius fundamenta debilitata erant, ubique per totam dictam Domum & ejus ædificia in parietibus, clauſtris & teſtudinibus, ſive voltis, tam ſuperioribus, quam inferioribus fatiſcere, aperiri, & magnas ſciſſuras ruinam indicantes facere, & modo in uno, modoque in alio dicti ædificii locis collabi, & ruinam ſunditus minari cœperat; adeo quod tantummodo dictæ Domus ſancti Salvatoris Eccleſia firma exiſtebat. Quodque dicti Guardianus & Fratres præfatæ Domus ſancti Salvatoris in maximo eorum vitæ periculo ibidem permanebant, & a dicta ruina comminata obruī dubitabant, ac quod ipſi adhibita prius debita diligentia, cum interventu & conſilio peritorum Architectorum, qui in Florentina Civitate ſatis abundabant, ut dictæ minatæ ruinæ obviarent, cum nullum ſuper hoc remedium invenire poſſent, Eccleſiam ſanctæ Catarinæ menſæ Capitulari Cathedralis Eccleſiæ Florentin. unitam, a Capitulo & Canonicis dictæ Eccleſiæ cum Sedis Apoſtolicæ beneplacito obtinuerant, & dictam Domum ſancti Salvatoris fere in totum, ut tantum evidens repentinæ mortis periculum evitarent ... deſiderantes, ad prædictam ſanctæ Catarinæ Eccleſiam & ejus domos ſe contulerant, & inibi etiam tunc degebant & habitabant, eorum quoque Conventum

fa-

faciebant, prout degunt & faciunt; Ac quod poſtmodum, vigentibus tunc bellorum turbinibus, ipſiſque magis in dies creſcentibus, pro fortificatione dictæ Civitatis, & ejus propugnaculorum, Monaſterium ſancti Miniatis Congregationis Montis Oliveti, Ordinis ſancti Benedicti fere dictæ Domui ſancti Salvatoris contiguum arci inibi noviter conſtructæ incorporatum, præfataque Domus ſancti Salvatoris a Guardiano & Fratribus prædictis pro derelicta fere habita fuerat, & dictus Coſmus Dux ſpoliis, & lignaminibus, ac aliis materiis ejuſdem Domus ſancti Salvatoris in ulteriori munitione & fortificatione prædicta, ad id urgente neceſſitate compulſus, uti intendens, pro infraſcriptorum executione, dictum Vincentium Commendatarium, & dilectos filios Fratres Præpoſituræ Domus omnium Sanctorum hujuſmodi, pro aliqua recompenſatione relevare ſe obtulerat, & offerebat. Et quod cum Domus omnium Sanctorum, & illius Fratres præfati pluribus debitis, partim ex victu quotidiano, partim decimarum occaſione, & aliorum onerum in Ducatu Florentin. Apoſtolica auctoritate impoſitorum, pro majori parte a Prædeceſſoribus dicti Vincentii Commendatarii contractis gravati eſſent, ſi eorum creditoribus ſatisfacere cogerentur, majorem partem bonorum immobilium dictæ Domus omnium Sanctorum alienare, & inde mendicare aſtringerentur.

§. III. Quodque dictus Vincentius Commendatarius habito cum Guardiano & Fratribus Domus ſancti Salvatoris hujuſmodi, qui in ſatis magno numero exiſtebant, prout exiſtunt, ſuper his caritativo colloquio, conſiderantes, quod ſi Domus ipſa omnium Sanctorum, in qua pauci Fratres degebant & morabantur, adeo quod ultra numerum Fratrum in ea tunc degentium, amplior & vaſtior exiſtebat, cum illius Eccleſia, horto & pomario eiſdem Guardiano & Fratribus pro eorum Domo, ac Vincentio Commendatario moderno, Fratribuſque præfatis dicta Eccleſia ſanctæ Catarinæ cum illius domo & pomario, quæ licet arctior, Fratrum tamen dictæ Domus omnium Sanctorum capax exiſtebat, perpetuis futuris temporibus, ſalvo Sedis Apoſtolicæ beneplacito, reſpective aſſignarentur, darentur & concederentur, præfatus Dux eoſdem Vincentium Commendatarium & Fratres Domus omnium Sanctorum hujuſmodi a ſolutione decimarum, & aliorum onerum, ac debitorum hujuſmodi relevare, & magis dictæ Domus omnium Sanctorum utilitati, quam ſi bona illius immobilia, ut præfertur, alienarentur, conſuleretur, his tamen conditionibus & pactis adjectis, videlicet: Quod dicti Guardianus & Fratres omnia onera, Miſſas, & alia Divina Officia, ac anniverſaria, tam Vincentio Commendatario & Fratribus Domus omnium Sanctorum hujuſmodi, ſibi ipſis Guardiano & Fratribus vigore quorumcumque legatorum, vel aliarum diſpoſitionum incumbentia, ſuis ſumptibus & expenſis, remanentibus tamen eiſdem Guardiano & Fratribus emolumentis & eleemoſynis in eiſdem legatis contentis, in prompta pecunia, & non in bonis aut livellis & poſſeſſionibus, adimplere & celebrare, ac unum idoneum Sacerdotem ad curam animarum Domui omnium Sanctorum hujuſmodi incumbentem ad eorum nutum amovibilem, de conſenſu tamen loci Ordinarii juxta formam ſacrorum Canonum, eorum expenſis nominare, & deputare tenerentur. Ipſe vero Vincentius Commendatarius Sacerdoti ſic pro tempore nominato & deputato, unam domunculam Eccleſiæ Domus omnium Sanctorum hujuſmodi contiguam, in qua commode habitare poſſet, abſque ſolutione alicujus penſionis pro tempore exiſtenti Præpoſito dictæ Præpoſituræ ſolvendæ de primis Domibus, quæ ad dictam Eccleſiam Domus omnium Sanctorum reverti quomodolibet contingeret, in perpetuum concedere etiam tenerentur; Præpoſitus autem ſive Commendatarius pro tempore exiſtens, & Fratres Domus omnium Sanctorum hujuſmodi a ſupportatione dictorum onerum, ac Miſſa-

rum, & aliorum prædictorum celebratione immunes & liberi exiſterent; & in eadem expoſitione, ſubjuncto, quod ſi translatio, & permutatio domorum hujuſmodi fieret, ut præfertur, Vincentii Commendatarii & Fratrum Domus omnium Sanctorum hujuſmodi utilitati, eo maxime quod ab hujuſmodi ſolutione, ac aliis oneribus eis incumbentibus liberarentur, & tam ſua, quam dictorum Guardiano & Fratrum, qui omnes habebant domos capaces & ſufficientes ad eorum uſum, commoditatibus, popularium, & parochianorum dictæ Eccleſiæ omnium Sanctorum animarum ſaluti plurimum conſuleretur, ac Divinus cultus in dicta Eccleſia omnium Sanctorum, quæ celebris exiſtit, magis in dies augeretur; eidemque Vicario, tam pro parte Vincentii Commendatarii Domus omnium Sanctorum, quam Guardiani & Fratrum Domus ſancti Salvatoris, ac Ducis prædictorum humiliter ſupplicato, ut dictis Guardiano & Fratribus dictæ Domus ſancti Salvatoris, cum omnibus & ſingulis calicibus & ornamentis Eccleſiaſticis, ac Sanctorum Reliquiis, necnon ſuppellectilibus, cæteriſque bonis & rebus ſuis, tam quæ in ſancti Salvatoris, quam quæ in ſanctæ Catarinæ Domibus præfatis intra dictam Civitatem Florentin. habebant & tenebant, ac ad eos ſpectabant & pertinebant, ſe ad dictam Domum omnium Sanctorum tranſportare, & inibi ſub eorum habitu, & Ordine, ac Inſtitutis regularibus ſancti Franciſci de Obſervantia commorari perpetuo libere & licite poſſent; Ipſis vero Vincentio Commendatario dictæ Præpoſituræ omnium Sanctorum, & Fratribus præſentibus & futuris cum omnibus & ſingulis calicibus & ornamentis Eccleſiaſticis, Reliquiis Sanctorum, necnon ſupellectilibus, cæteriſque bonis & rebus ſuis ad dictam Domum ſanctæ Catarinæ ſe transferre, & inibi ſub habitu & inſtitutis regularibus Ordinis Humiliatorum commorari perpetuo libere & licite poſſent plenam & liberam licentiam concedere: Et quod Domus omnium Sanctorum cum Eccleſia & hortis ad Guardianum & Fratres Ordinis Minorum, ac domus & hortos ſanctæ Catarinæ ad Præpoſitum & Fratres Domus omnium Sanctorum hujuſmodi ex cauſa permutationis, ac cum oneribus ſuperius expreſſis perpetuo transferentur, & ad eos eorumque ſucceſſores reſpective ſpectarent & pertinerent, & ab eis reſpective perpetuo poſſiderentur, & gubernarentur, auctoritate ſua ordinaria, & ſalvo Sedis præfatæ beneplacito, ſtatuere & decernere, aliaſque in præmiſſis opportune providere dignaretur. Idem Vicarius de præmiſſis omnibus & ſingulis diligenter, & ex oculari inſpectione informatus, ac omnia & ſingula præmiſſa narrata vera fuiſſe & eſſe, ac veritate fulciri reperiens, hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, Guardiano & Fratribus domus ſancti Salvatoris, & ſeu ſanctæ Catarinæ, ut a domibus præfatis, quas intra dictam Civitatem Florentin. habebant & tenebant, & ad eos ſpectabant & pertinebant, ſe ad dictam domum omnium Sanctorum transferre, & inibi ſub eorum habitu & ordine ac inſtitutis regularibus Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum; Vincentio autem Commendatario, & Fratribus præpoſituræ domus omnium Sanctorum hujuſmodi præſentibus tunc & futuris, ac cum omnibus & ſingulis calicibus & ornamentis Eccleſiaſticis, Sanctorum Reliquiis, necnon ſuppellectilibus, cæteriſque eorum rebus & bonis ad eos ſpectantibus ad dictam domum ſanctæ Catarinæ ſe transferre, ac inibi ſub habitu & inſtitutis regularibus Ordinis Humiliatorum perpetuo reſpective commorari libere & licite poſſent & valerent, plenam & liberam facultatem conceſſit. Quodque domus omnium Sanctorum cum Eccleſia & hortis ad Guardianum & Fratres domus ſancti Salvatoris, ſeu ſanctæ Catarinæ, ac domus & hortos ſanctæ Catarinæ cum Eccleſia & Præpoſitura, ad Fratres omnium Sanctorum ex cauſa permutationis, & cum onere dictis Guardiano & Fratribus, quod omnia onera, miſſas & divina officia, ac

anniverſaria tam Præpoſito & Fratribus domus omnium Sanctorum, quam ſibi ipſis Guardiano & Fratribus domus ſancti Salvatoris hujuſmodi, vigore quorumcumque Legatorum, vel aliarum diſpoſitionum incumbentia, ſuis ſumptibus & expenſis, remanentibus tamen Guardiano & fratribus hujuſmodi emolumentis & eleemoſynis in eiſdem Legatis contentis, in prompta pecunia, & non in bonis, livellis & poſſeſſionibus adimplere & celebrare tenerentur. Ita quod Præpoſitus, ſive Commendatarius & Fratres domus omnium Sanctorum hujuſmodi a ſupportatione onerum, & celebrationibus hujuſmodi liberi & immunes exiſterent, & inſuper dicti Guardianus & Fratres unum Sacerdotem idoneum ad curam animarum Præpoſito & Fratribus domus omnium Sanctorum hujuſmodi incumbentem, ad eorum nutum amovibilem, de conſenſu dicti loci Ordinarii, juxta formam ſacrorum Canonum nominare & deputare, & præfatus Vincentius Commendatarius Sacerdoti ſic pro tempore nominato & deputato unam domunculam Eccleſiæ domus omnium Sanctorum hujuſmodi contiguam, in qua dictus Sacerdos commode habitare poſſit, abſque ſolutione alicujus penſionis ipſi Vincentio, vel pro tempore exiſtenti Præpoſito dictæ præpoſituræ ſolvendæ, de primis, quæ ad Eccleſiam domus omnium Sanctorum hujuſmodi quoquomodo reverti contingeret, in perpetuum concedere & aſſignare reſpective tenerentur. Dictæque domus ſancti Salvatoris, & ſeu ſanctæ Catarinæ ad Vincentium Commendatarium, & pro tempore exiſtentem Præpoſitum & Fratres omnium Sanctorum; ac omnium Sanctorum ad Guardianum & Fratres Ordinis Minorum, eorumque ſucceſſores perpetuo reſpective ſpectare & pertinere, & ab eis reſpective ſub eorum reſpective Ordinibus, inſtitutis & regulis perpetuo poſſideri & gubernari deberent, dicta ſua auctoritate, & omni meliori modo, via, jure, cauſa & forma, quibus magis & melius potuit & debuit, ſalvo ſemper Sedis prædictæ beneplacito, ſtatuerit, decreverit & ordinaverit: Ita quod deinceps omnium Sanctorum ſancti Salvatoris Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, & ſanctæ Catarinæ omnium Sanctorum Ordinis Humiliatorum domus reſpective nuncuparentur, & illæ ab eis reſpective regerentur & gubernarentur, perinde, ac ſi a principio ſub eiſdem reſpective Ordinibus domus ipſæ erectæ & inſtitutæ fuiſſent, ac voluerit, quod per dictum Ducem pro habendis dictis ſpoliis & cæmentis ruinæ & demolitionis dictæ domus ſancti Salvatoris, Collectoribus decimarum, & ſtudio Piſan., & aliis creditoribus dictæ domus omnium Sanctorum uſque ad ſummam octingentorum ſcutorum auri ſolverentur. Ipſeque Vincentius Commendatarius & Fratres domus omnium Sanctorum hujuſmodi ab oneribus & debitis præfatis per eumdem Ducem uſque ad dictam ſummam relevari deberent, & alias, prout in ipſius Vicarii patentibus litteris deſuper confectis dicitur plenius contineri.

§. IV. Cumque firmiora ſint ea, quibus Apoſtolica auctoritas intercedit, tam Guardianus, & Fratres, quam Vincentius Commendatarius, & Dux præfati cupiant aſſignationem, dationem, conceſſionem, permutationem, ſtatutum, decretum & ordinationem, ac omnia alia & ſingula præmiſſa pro eorum majori ſubſiſtentia & firmitate, Apoſtolicæ confirmationis munimine roborari: Nos eorumdem Guardiani & Fratrum, ac Vincentii Commendatarii, necnon Ducis prædictorum ſupplicationibus in hac parte inclinati, aſſignationem, dationem, conceſſionem, permutationem, ſtatutum, decretum & ordinationem, ac omnia alia & ſingula præmiſſa in dictis litteris contenta, & inde ſequuta quæcumque, licita tamen & honeſta, Apoſtolica auctoritate prædicta, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac illis firmitatis, cum quorumcumque defectuum & ſolemnitatum ſubſtantialium ſuppletione, ſine alio ipſorum Fratrum conſenſu, robur adjicimus, eaque omnia & ſingula

la-

la valida & efficacia fore, ac ſuos plenarios effectus ſortiri, & ab illis nullo unquam tempore reſilire poſſe, ſed inviolabiliter ab omnibus obſervari; ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis auctoritate ſungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi & definiendi facultate & auctoritate, judicari, interpretari & definiri debere, necnon ſi ſecus ſuper his a quoque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

§. V. Quocirca venerabili fratri Archiepiſcopo Piſan., & dilectis filiis Alexandro Strozii Canonico Eccleſiæ Florentin., ac Vicario venerabilis fratris Archiepiſcopi Florentin. in ſpiritualibus generali per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium, ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Guardiani & Fratrum ſancti Salvatoris, ſeu ſanctæ Catarinæ, ac Vincentii Commendatarii & Fratrum omnium Sanctorum domorum hujuſmodi fueriot requiſiti, ſolemniter publicantes, ac eis & eorum ſingulis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque firmiter obſervari, ac Guardianum & Fratres ſancti Salvatoris, ſeu ſanctæ Catarinæ, & alios ſupradictos, & eorum ſingulos illis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos deſuper per eorum alterum, ſeu quoſcumque alios quomodolibet indebite moleſtari; contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac ſententias, cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus aggravaodo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. VI. Non obſtantibus, ſi opus ſit, Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri Fratribus Ordinis Minorum hujuſmodi, ne alia loca de novo acquirere valeant prohibente, & quibuſcumque aliis Apoſtolicis, ac in Proviucialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, Præpoſituræque & Ordinum, ac domorum prædictorum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus, & Prælatis, & Generalibus ſub quibuſcumque verborum formis & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, fortioribus & inſolitis irritantibuſque, & aliis decretis, etiam in præjudicium præſentis, vel ſimilium gratiarum, etiam in forma Brevis, pro tempore per quoſcumque Romanos Pontifices, & Sedem præfatam, etiam recentiſſime quomodolibet conceſſis, confirmatis, etiam iteratis vicibus innovatis, etiam mari magno, aut Bulla aurea, vel alias nuncupatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari noo poſſiot, per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1. Januarii MDLXI. Pontificatus noſtri anno 1.

XVIII.

Andream Inſulanum Ordinis jam Generalem Miniſtrum mandat ad Concilium Tridentinum. Ex Regeſt. Brevium Pii IV. Tom. 15. fol. 23. num. 15.

PIUS PAPA IV.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EX multorum gravium & magnæ auctoritatis virorum ſermone intellexi-mus virtutem, probitatem, eximiamque tuam in ſacris litteris doctri-nam, atque iis agendarum rerum experientiam, Catholicæque Religionis zelum, & in omni vita prudentiam eſſe conjunctam, teque præſtantes haſce animi tui dotes tum ſæpe in ſacris concionibus per te non minus erudite, quam pie habitis, tum vero in ſummis tui Ordinis Magiſtratibus non medioeri cum laude per te alias adminiſtratis, facile omnibus declaraſſe. Quamobbrem, cum hoc potiſſimum tempore talibus, Divinæ ſcilicet Scripturæ peritioribus viris, qualis tu ipſe es, maxime opus ſit, tuumque ingenium, ſcientiam, ac præcipuum erga orthodoxam fidem ſtudium in Concilio generali, quod nuper pro univerſa Chriſtiana Republica pacificanda & tranquillanda Tridenti celebrandum indiximus, non parum profuturum exiſtimemus, te hortamur in Deo Domino, tibique mandamus, ut, cæteris rebus ac negociis poſtpoſitis, quamprimum te ad iter compares, & una cum Regni Portugalliæ Prælatis, Tridentum ad ipſum Concilium proficiſcaris, ibi manſurus, donec Nos aliud tibi dederimus in mandatis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VII. Februarii MDLXI. Pontificatus noſtri anno II.

XIX.

Confirmat donationem factam a Patribus Tertii Ordinis Fratribus de Obſervantia Conventuum Sicli, & Spacafurni in Provincia Siciliæ. Regeſt. Ciſm. fol. 206. a tergo.

PIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali, & Fratribus Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia Inſulæ Siciliæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm a Nobis petitur, quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum.

§. II. Sane pro parte veſtra fuit propoſitum coram Nobis, quod alias Miniſter & Guardianus & Fratres Tertii Ordinis ejuſdem ſancti Franciſci, Tertiarii nuncupati, ob maximam dilectionem, quam vobis gerunt, & ut Divinus cultus in dicti Ordinis domibus frequentius obſervetur, & in dies ſuſcipiat incrementum, de diligentia veſtra confiſi, aliiſque legitimis de cauſis ad id eorum animos moventibus, ſufficienti facultate ſuffulti, unam eorum in Terra Sicli, & alteram in Terra Spaccafurni, Siracuſan. dioeceſis conſiſtentes Eccleſias ſub invocatione ſanctæ Mariæ della Croce, juxta ſuos notos & veros con-

confines conſiſtentes, una cum omnibus & ſingulis earum juribus & pertinentiis univerſis, certis modo & forma tunc expreſſis, dederunt, donaverunt & conceſſerunt, ac alia fecerunt, prout in inſtrumento, ſeu aliis publicis vel privatis ſcripturis, deſuper forſan confectis, latius & plenius dicitur contineri, quæ omnia pro illorum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolico a Nobis petiſtis munimine roborari.

§. III. Nos itaque veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, dationem, donationem & conceſſionem præfatas, ac omnia alia & ſingula ſuper præmiſſis geſta, rata & grata habentes in Domino, ſicuti pie & provide facta, & ſponte ab utraque parte ſuſcepta fuerunt, Apoſtolica auctoritate confirmamus & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus.

§. IV. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXI. pridie Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno 1t.

XX.

Confirmat omnia Privilegia a ſuis Prædeceſſoribus tribus Ordinibus conceſſa.
In noſt. Collect. ex lib. Pontif. Conſtit. fol. 39.

PIUS PAPA IV.

§. I. EX clementi Sedis Apoſtolicæ proviſione, necnon perſonarum Deo devotarum profectu, ſub regulari caſtimonia Domino militantium pia devotione provenire dignoſcitur, ut Romanus Pontifex quandoque per prædeceſſores ſuos Romanos Pontifices, pro Religionis conſervatione & augmento, ac perſonarum earumdem quiete & commodo conceſſa, approbet & innovet, ac approbata & innovata, Apoſtolica auctoritate communiat, ut ea firmiora perſiſtant, quæ ſæpius fuerint ejuſdem Sedis auctoritate circumfulta.

§. II. Sane pro parte dilecti filii Franciſci de Zamora Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ Nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod, cum inter operarios, qui ad excolendum vineam Domini Sabaoth, Dei gratia, Ordo ipſe magnos probitatis & doctrinæ, ac animarum ſalutis fructus ſemper olim attulerit, & quotidie afferre conetur, ac exinde pro ſuis ſanctis ſtudiis honeſtiſque laboribus, proque ſalute animarum ab Apoſtolica Sede, cujus continue pacem, & dignitatem Ordo idem fortiter tutatus eſt, tam ſpiritualia, quam temporalia ſubſidia, ornamentaque acceperit & accipiat, quibus & ſancta ſua officia, ac vitam ſuam regularem facilius, atque expeditius exequi & tranſigere poſſit, & cæteræ religioſæ perſonæ, Ordineſque alii, exemplo ipſorum promptiores alacrioreſque ad ſua officia perſolvenda reddantur. Cumque etiam ex ipſius Sedis proviſione, ac benigna dignatione provenire dignoſcatur, ut Romanus Pontifex quandoque prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum geſta innovet, ac innovationem, ac revocationem reſtauret, & Apoſtolica auctoritate innovata & reſtaurata muniat & ſulciat, ac in priſtinum ſtatum reponat & reducat.

§. III. Et propterea nonnulli Romani Pontifices prædeceſſores noſtri nonnullas gratias, conceſſiones, indulgentias, peccatorum remiſſiones, abſolu-

ſolutiones etiam plenarias, libertates, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, ac omnia & ſingula privilegia, & indulta tam ſpiritualia, quam temporalia, etiam per ſolam ſignaturam, aut per oracula vivæ vocis, vel alias, etiam contra apoſtatas, tam pro foro conſcientiæ, quam pro foro fori, tam prædictis Fratrum Minorum, quam ſanctæ Claræ, ac Tertio, de Pœnitentia nuncupato, Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monialibus & Sororibus, ac utriuſque ſexus perſonis, & Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque dictorum Ordinum, nunc & pro tempore exiſtentibus in genere, vel in ſpecie, etiam per modum communicationis, vel extenſionis privilegiorum inter ſe, ac etiam cum aliis quibuſcumque Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, & ſel. rec. Gregorius IX. Bonifacius VIII. Alexander IV. Nicolaus III. Clemens V. Eugenius etiam IV. Leo X. Clemens VII. Paulus ſimiliter III. ac Julius etiam III. ac alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, & Sedes Apoſtolica tam ſuper exemptionibus, etiam ab Ordinariorum locorum, & Legatorum etiam de latere, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitorum juriſdictione, viſitatione & correctione, quam etiam ab omni impoſitione, collecta, decima, ſubſidio, quarta & quinta funeralium, & legatorum partibus, pedagiis, & gabellis, ac alio quocumque gravamine, per Sedem eamdem pro tempore impoſitis, & aliis rebus reſpective conceſſerint. Ac piæ memoriæ Paulus Papa IV. ſimiliter prædeceſſor noſter, ut Fratres Minorum hujuſmodi, excluſis quibuſcumque ſollicitudinibus, liberius & quietius divinis poſſent vacare obſequiis, & animarum ſaluti peramplius proficere, ne offerentium, donantium & concedentium, aut in ultima voluntate relinquentium Ordini prædicto, vel Fratribus Ordinis Minorum hujuſmodi aliquid propter Deum, pia intentio fraudaretur, ac hæredum & executorum negligentiis obviaretur; ac ut ipſi Fratres ſecundum modos licitos & congruos ipſi Ordini, relictis ſibi in teſtamentis mobilibus & immobilibus bonis, & aliis etiam pecuniariis, ſibi quomodolibet oblatis, conceſſis, legatis & donatis pro tempore, etiam pro Miſſis, & aliis Divinis officiis, eleemoſynis, & aliis rebus non fraudarentur, quod Generalis de per ſe in toto Ordine, ac ſinguli Provinciales Miniſtri, ac Cuſtodes univerſi pro tempore exiſtentes, ipſius Ordinis Fratrum Minorum, in ſuis Provinciis & Cuſtodiis reſpective, & ad hoc ab eis reſpective deputati Fratres pro tempore, poſſent nominare ſpeciales perſonas, quæ non eſſent de dicto Ordine Minorum, pro locorum indigentia ſingulorum, quando & quoties opus fuerit, in ſingulis eorum Conventibus, quas perſonas per ipſos taliter nominatas pro tempore, in iis adminiſtrationem legitimam & generalem ac liberam gerere, & ipſos veros & legitimos Adminiſtratores, Œconomos, Syndicos & Actores eſſe, & de plenitudine poteſtatis conſtituendo, auctoritate Apoſtolica decrevit, qui res ipſas, & rerum prædictarum pretium, & prædictas eleemoſynas, nomine Romanæ Eccleſiæ, ad quam rerum omnium mobilium & immobilium, quibus Fratres hujuſmodi uti poſſunt, jus, proprietas & dominium nullo medio ſpectat, reciperent, & recipere poſſent, per eoſdem in Fratrum ipſorum utilitates, etiam pro victu & veſtitu eorum, ac aliis neceſſitatibus tunc expreſſis, pro tempore convertenda, ſicut & quando a dictis Generali in toto Ordine, & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus prædictis, & eorum ſingulis pro tempore in Provincia ſeu Cuſtodia ſibi decreta, vel ab eiſdem Fratribus, de aſſenſu eorum extitiſſent requiſiti, etiam dando eis, & eorum ſingulis reſpective facultatem revocandi perſonas eaſdem, & earum quamlibet, & alias ſubrogandi vel nominandi loco earum, per ſupradictum modum nomioationis, quoties opportunum foret, quæ eamdem in prædictis, vel ſimilem ha-

berent poteſtatem plenam & liberam, aliaſque & alia facere poſſent & deberent, eadem auctoritate Apoſtolica conceſſit. Nec propterea Fratres Minores hujuſmodi contra Regulam ſancti Francifci, quam profeſſi ſunt & profitebuntur in futurum, ſive contra Statuta regularia ſui Ordinis hujuſmodi in aliquo facere, ſed ſana conſcientia, ſine alieujus conſcientiæ ſcrupulo, quo ad id, ſic in poſterum vivere, decrevit & declaravit.

§. IV. Et inſuper, ut omnium quarumcumque Provinciarum, Civitatum & Dioeceſum per totum Orbem, omnium utriuſque ſexus Chriſtifidelium pro tempore dicti Ordinis Minorum Fratres, a ſuis Superioribus, ut moris eſt, deputati Confeſſores, confeſſiones etiam infirmorum ubilibet, etiam extra domos & habitacula eorumdem Fratrum, ac etiam ad eos pro tempore recurrentium audire, eoſque etiam in caſibus & cenſuris, quibus eis per privilegia Sedis Apoſtolicæ prædictæ, etiam per modum communicationis & extenſionis quorumcumque Ordinum etiam Minimorum hactenus conceſſum eſt, poſſe abſolvere, & ſinguli Ordines etiam Minimorum, quorum privilegia eidem Ordini Minorum ſunt communicata & extenſa, abſolvere conſueverunt, abſolvendi, & pœnitentiam ſalutarem injungendi, ac omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, Sacramentum Euchariſtiæ, tam illis, quam aliis quibuſvis perſonis licite miniſtrandi, dicta Apoſtolica auctoritate indulſit, ac de novo conceſſit, ac etiam decrevit & declaravit per diverſas ſuas litteras in forma Brevis expeditas: Necnon idem Leo prædeceſſor Sacramentum Euchariſtiæ hujuſmodi, ut præfertur, adminiſtrandum omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ, dieque hujuſmodi, in quo celebratur feſtum Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, dumtaxat, ſine Rectoris Parochialis ac Dioeceſani licentia vivæ vocis ejus oraculo declaravit.

§. V. Et inſuper bo. me. Julius II. ſimiliter prædeceſſor noſter Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Pœnitentiæ Jeſu Chriſti, & Carmelitarum, ac ſancti Auguſtini, & Monialibus ſanctæ Claræ, aliorumque Ordinum in paupertate fundatorum, ac omnibus mulieribus prædictorum Ordinum, aut aliorum quorumcumque, ne aliquod Monaſterium, Eccleſiam aut Oratorium ædificare ſeu conſtruere præſumant, infra ſpatium trecentarum cannarum ab Eccleſiis Fratrum Minorum menſurandarum per aerem, etiam ubi alias recte menſurari loci diſpoſitio non permittit. Nulli quoque ſæculari, vel Religioſo cujuſcumque profeſſionis, voluit licere Eccleſiam, vel Monaſteria, ſeu Oratorium jam ædificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis infra ſpatium prædictarum trecentarum cannarum, & quamlibet iſtarum cannarum voluit octo palmorum longitudinem continere, non obſtante varia locorum conſuetudine ſive privilegiis & litteris quibuſcumque a Sede Apoſtolica, ſub quacumque verborum forma conceſſis, ſeu etiam concedendis, quæ de præſentibus ſpecialem & expreſſam non feciſſent mentionem, prohibuit. Statuendo etiam, ut quidquid contra hujuſmodi ordinationis & inhibitionis tenorem, ex tunc in antea ædificatum foret, dirueretur.

§. VI. Necnon tam ſuper nominatione Procuratorum ſeu Syndicorum pro locorum indigentia ſingulorum Ordinis Minorum hujuſmodi, ut præfertur, facienda, quam etiam ſuper confeſſionibus pro tempore audiendis tam ſæcularium perſonarum quarumcumque, quam etiam Fratrum Minorum hujuſmodi, necnon abſolutionis beneficio illis impendendo, ac diſpenſando reſpective, & Sacramento Euchariſtiæ adminiſtrando, aliaque deſuper neceſſaria faciendo, dictis Generali ac Provincialibus, & aliis Fratribus Ordinis Minorum hujuſmodi reſpective pro tempore exiſtentibus, tam Paulus IV. ut præmittitur, quam etiam Martinus IV. & Martinus V. ac Eugenius IV. ac

Ni-

Nicolaus V. & Sixtus IV. & diverſi alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, reſpective per diverſas eorum litteras ac conceſſiones, etiam vivæ vocis oraculo factas, reſpective ac diverſimode, & diverſis temporibus, eadem auctoritate Apoſtolica facultatem conceſſerunt, prout in ſingulis conceſſionibus & litteris eorumdem Prædeceſſorum plenius dicitur contineri.

§. VII. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ea, quæ ſæpius Apoſtolica auctoritate præfata munita exiſtunt, majorem obtineant roboris firmitatem, dictus Franciſcus Miniſter cupiat privilegia, facultates, conceſſiones, indulta, diſpenſationes, ac ſingulas alias gratias hujuſmodi, etiam per Nos approbari, innovari & confirmari, pro parte ejuſdem Franciſci Miniſtri, Nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut iiſdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conſervatoriis, declarationibus, facultatibus, diſpenſationibus, gratiis, conceſſionibus, indulgentiis, & indultis, pro illorum obſervantia viridiori, noſtræ approbationis robur adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. VIII. Nos igitur, qui omnium votis, præſertim illis, quibus ſub ſuavi Religionis jugo, Divinis laudibus, & Chriſtianæ proſeſſionis augmento incumbentium perſonarum tranquillitati, commoditatibus, & honori conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præmiſſa, ac omnia & ſingula alia privilegia, immunitates, exemptiones, etiam ab Inquiſitoribus præfatis, libertates, prærogativas, favores, conſervatorias, declarationes, facultates, diſpenſationes, gratias, conceſſiones, indulgentias, & indulta ſpiritualia & temporalia, etiam per modum communicationis & extenſionis inter ſe, & cum aliis Ordinibus Mendicantibus & non Mendicantibus, eiſdem Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ, ac ſanctæ Claræ & de Pœnitentia Tertio Ordinibus, etiam in Congregatione ſub trium votorum ſubſtantialium proſeſſione, & eorumdem Superiorum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ hujuſmodi obedientia degentibus, ipſorumque Superiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac utriuſque ſexus, etiam ſæcularibus perſonis, necnon Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis quibuſcumque in genere & in ſpecie, etiam per ſolam ſignaturam, etiam vivæ vocis oraculo, ut præfertur, aut alias, tam per præfatos, ac quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Sedem prædictam, quam Imperatores, Reges, & alios Principes ſub quacumque forma & expreſſione verborum conceſſa, ac etiam iteratis vicibus approbata, necnon cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, decretis & declarationibus, ſingulas deſuper confectas litteras, & in eis contenta, etiam prout largius in aliquibus earum eis conceſſum eſt, interpretando, & inde ſecuta quæcumque, illorum omnium tenores & formas, datas, effectus, & decreta in illis appoſita, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, dicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine confirmamus & innovamus, ac perpetuam roboris firmitatem obtinere, & firmiter obſervari; necnon Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, & ſanctæ Claræ, ac Tertio de Pœnitentia nuncupato, etiam in Congregatione ſub obedientia Fratrum Minorum Obſervantiæ hujuſmodi degentibus, Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis, Sororibus, perſonis, Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, & locis præfatis, etiam per modum communicationis, & extenſionis hujuſmodi ſuffragari, illiſque frui, uti & gaudere, quando, & quoties opus fuerit, poſſe & debere, in judicio, & extra, ac etiam in foro conſcientiæ in omnibus & per omnia, per inde, ac ſi ſpecialiter, & expreſſe eiſdem Fratrum Minorum & Sanctæ Claræ,

& Tertio de pœnitentia nuncupato Ordinibus, conceſſa fuiſſent, decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. IX. Et nihilominus pro potiori cautela, & ampliori dono gratiæ, illa omnia & ſingula, juxta ampliorem & favorabiliorem illorum intelligentiam & interpretationem, ut præfertur, & præſertim, ut pro tempore a ſuis ſuperioribus, ut moris eſt, deputatos Confeſſores Fratres Ordinis Minorum Obſervantiæ hujuſmodi, omnium quarumcumque Provinciarum, Civitatum, & Diœceſium, per totum Orbem; omnium utriuſque ſexus Chriſtifidelium pro tempore confeſſiones etiam infirmorum ubilibet, etiam extra domos & habitacula eorumdem Fratrum, ac etiam ad eos pro tempore recurrentium audire, eoſque etiam in caſibus & cenſuris, quibus eis per privilegia Sedis Apoſtolicæ prædictæ, etiam per modum communicationis & extenſionis, quorumcumque Ordinum etiam Minimorum hactenus conceſſum eſt, poſſe abſolvere, ſicut ſinguli Ordines etiam Minimorum, quorum privilegia eidem Ordini Minorum ſunt communicata & extenſa, abſolvere, conſueverunt, abſolvendi, ac pœnitentiam ſalutarem injungendi, & omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ dum taxat, juxta ante dictam Leonis Prædeceſſoris hujuſmodi declarationem, Sacramentum Euchariſtiæ, tam illis, quam aliis quibuſvis perſonis, licite miniſtrandi, indulgemus, ac de novo concedimus in omnibus & per omnia: ita quod Ordines, Superiores, Fratres, Moniales, Sorores, Perſonæ, Monaſteria, Domus, Eccleſiæ, & loca prædicta, illis, tam in genere quam in ſpecie conceſſis, ut præfertur, uti, potiri & gaudere poſſint & debeant. Ac ab ipſis Inquiſitoribus, impoſitionibus, gravaminibus, oneribus, decimis, quarta & quinta etiam funeralium, & aliorum quorumcumque eis legatorum, oblatorum & conceſſorum pro tempore, necnon pedagiis & gabellis, ac omnibus & ſingulis aliis ſupradictis, libera penitus, immunia & exempta exiſtere, auctoritate & tenore prædictis, etiam concedimus & indulgemus, ac ſtatuimus & ordinamus.

§. X. Et nihilominus Venerabili Fratri Archiepiſcopo Rothomagenſi, & Dilectis filiis Præceptori Monaſterii per Præceptorem gubernari ſoliti, Beatæ Mariæ de Mercede Ordinis Redemptionis captivorum Compluten. Toletanen. diœc. ac Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium ſeu alios, faciant auctoritate noſtra præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque plenum effectum ſortiri, illiſque omnes, quos concernunt, pacifice frui & gaudere. Non permitentes quemquam deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet & rebelles, etiam per quaſcumque de quibus eis videbitur cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras ipſas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis.

§. XI. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus: *Super Cathedram*, Bonifacii, &: *Dudum* Viennen. Concilii, ac Clementina: *Religioſi*, de privilegiis, &: *Dudum* de ſepulturis, ac etiam: *Ex frequentibus*, de ſententia excommunicationis, ac extravagante: *Ad Conditorem* Joannis XXII. cum aliis conſtitutionibus, eamdem materiam prædictæ extravagantis tangentibus ſeu concernentibus, ac regulis Cancellariæ Apoſtolicæ jam editis, & in futurum edendis, ac piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali de duabus dietis editis; dum-

dummodo ultra tres dietas aliquis vigore præſentium, ad judicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis, ac Provincialibus, capitularibus, generalibus, & ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, etiam in ultimo generali Concilio Lateranen. celebrato, & aliis Conciliis editis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, per Leonem X. Clementem VII. Paulum III. Julium III. præfatos, ac quoſcumque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Sedem eamdem, etiam motu proprio, ac ſcientia, & poteſtatis plenitudine, ſimilibus, ac cum quibuſvis irritativis, annullativis, caſſativis, etiam privilegiorum eorumdem revocativis, reſtrictivis, præſervativis, exceptivis, reſtitutivis, declarativis, mentis atteſtativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, quomodolibet etiam pluries conceſſis, confirmatis & innovatis, quibuſvis perſonis & Ordinibus in contrarium forſan conceſſis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non niſi, ſub certis modo & forma derogari poſſit, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. XII. Verum, quia difficile foret præſentes litteras, ad ſingula quæque loca, in quibus forte opus eſſet, deferri, volumus, & pariter Apoſtolica auctoritate decernimus, quod illarum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſeu curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxvii. Aprilis mdlxi. Pontificatus noſtri anno ii.

XXI.

Octavianum Præconium ab Eccleſia Monopolitana tranſfert ad Eccleſiam Arianenſem. Ex Act. Conſiſtorialibus autographis in Tabulario ſecretiori Vaticano aſſervatis tom. 3. fol. 288. & tom. 4. fol. 49.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Veneris xiii. *Junii* mdlxi. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Domino Cardinali Sanctæ Floræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario.

Sanctiſſimus Dominus noſter Pius divina providentia Papa IV. abſolvit R. P. D. Octavianum Epiſcopum Monopolitanum a vinculo &c. quo dictæ Eccleſiæ tenebatur, ipſumque ad Eccleſiam Arianen. tunc per Obitum Diamendis Cardinalis Arianenſis apud Sedem Apoſtolicam defuncti, tranſtulit, cum

cum clauſulis &c. fuit facta gratia prædicto R. P. D. Octaviano in totum pro expeditione ſua.

XXII.

Bonifacio Ragufino ſacri Montis Sion jam Guardiano facultatem concedit infidelibus prædicandi Verbum Dei, ampliamque largitur poteſtatem. Regeſt. Ciſ. fol. 208.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Religionis zelus, vitæ morumque tuorum honeſtas, ac ſinceræ devotionis affectus, quam ad Nos & Romanam Eccleſiam, ac Terram Sanctam, Sanctiſſimumque Domini noſtri Jeſu Chriſti ſepulcrum gerere comprobaris, non indigne promerentur, ut te ſpecialibus favoribus & gratiis proſequamur.

§. II. Exponi ſiquidem Nobis nuper feciſti, quod tu, qui dictæ Terræ Sanctæ per ſexennium vel circa in ſpiritualibus Gubernator & rector fuiſti, munuſque tibi injunctum hujuſmodi in Dei laudem, quantum humana permiſit infirmitas, ſedulo exercuiſti, ut majores in Dominicum horreum manipulos, Divina tibi aſſiſtente gratia, congerere poſſis, ad Ungariæ, Tranſilvaniæ, Poloniæ, & Moſcoviæ partes, quarum vulgare idioma intelligis, & intelligibiliter loqueris, gratia verbum Dei inibi prædicandi, animaſque Hæreticorum venenoſis perſuaſionibus a via veritatis abſtractas, in ſemitas Domini pro viribus reducendi, aliaque pietatis opera exercendi, de Ven. Fratris noſtri Rodulphi Epiſcopi Portuen. Protectoris, & dilecti Filii noſtri Clementis, tituli B. Mariæ de Aracœli Presbyteri, olim Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatarum, quem expreſſe profeſſus es, S. R. E. Cardinalium licentia, proficiſci, ibique, Divina bonitate tibi ſuffragante, crebris concionibus & colloquiis, aliiſque bonis operibus tuis, te tamquam antemurale pro domo Iſrael adverſus peſtifera Lutheranorum, aliorumque Hæreticorum dogmata viriliter opponere, illaque impugnare, gentes illorum erroribus imbutas, in agnitionem veritatis reducere, eaſque, & alios Chriſtifideles ad undique imminenti Turcicæ poteſtati reſiſtendum, excitare deſideras, ac propterea nobis humiliter ſupplicare feciſti, quatenus tibi illuc proficiſcenti benedictionem noſtram impertiri, ac alias tibi in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur tuum hoc laudabile propoſitum plurimum in Domino collaudantes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi ad opus pium hujuſmodi propediem, ut aſſeris, profecturo, paterna caritate, & auctoritate Apoſtolica per præſentes benedicimus, ſpecialemque benedictionem Apoſtolicam impertimur, ac liberam ad prædictas, & quaſcumque alias Mundi partes accedendi, inter illarum Populos, etiam Hæreticos, Schiſmaticos, & Infideles converſandi, illis verbum Dei prædicandi, cum Hæreticis & Infidelibus colloquendi, refectionem corporalem ſumendi, diſputandi, quoſcumque utriuſque ſexus Hæreticos & Schiſmaticos ad unionem Fidei, Sanctumque Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ gremium redeuntes, & pœnitentes, a quibuſvis ſuis hæreſibus & erroribus, poſt tamen debitam illorum abjurationem, ac tam illos, quam quaſvis utriuſque ſexus perſonas, tam eccleſiaſticas, quam ſæculares, cujuſcumque ſtatus, ordinis vel conditionis fuerint, Confeſſionibus illorum diligenter auditis, ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam talibus, quod ſuper eis Sedes Apoſtolica merito conſulenda eſſet,

eſſet, ac quibuſvis Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis per eas propterea quomodolibet incurſis, contentis in Bulla in Cœna Domini legi ſolita, dumtaxat exceptis, eadem auctoritate Apoſtolica abſolvendi, & illis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungendi, illis vota quæcumque, ultramarino, Romano, & Compoſtellano, ac Religionis, & caſtitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi, & juramenta quæcumque ſine alicujus præjudicio, relaxandi, aliaque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi, plenam & liberam facultatem eadem auctoritate, tenore præſentium concedimus & indulgemus; ac abſolutiones hujuſmodi ex nunc, prout ex tunc, poſtquam illas, ut præfertur, conceſſeris, ratas & gratas, ac ſi a Nobis immediate proceſſiſſent, habemus, & alia præmiſſa, ac præſentes litteras ſub quibuſvis ſuſpenſionibus, derogationibus, vel limitationibus ſimilium, vel diſſimilium gratiarum a Nobis, & Sede Apoſtolica pro tempore emanatis, nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de novo conceſſas ſore & cenſeri, tibique, & ipſis fidelibus ſuffragari debere decernimus, ac quibuſvis locorum Ordinariis, aliiſque perſonis, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, vel Patriarchali dignitate præfulgeant, ne te in præmiſſorum executione directe vel indirecte, quovis quæſito colore vel ingenio moleſtare, perturbare vel impedire, ſeu quidquid a te, illorum occaſione, quoquo modo exigere præſumant, ſub indignationis noſtræ, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ pœna, diſtrictius inhibemus.

§. IV. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ regulis editis & edendis, ac quorumcumque Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorum, & Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, illis, eorumque Prælatis & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam contra tales conceſſiones & gratias, etiam per Nos, & Sedem prædictam quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, veriores illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris die x. Julii MDLXI. Pontificatus noſtri anno II.

XXIII.

Joannes Mabuſius præficitur Eccleſiæ Daventrienſi. Ex Act. Conſiſtorialibus autographis in Tabulario ſecretiori Vaticano aſſervatis tom. 2. fol. 291. & Tomo 4. fol. 55.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Veneris VIII. *Auguſti* MDLXI. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Borromeo

SAnctiſſimus Dominus noſter Pius Divina providentia Papa IV. providit Eccleſiæ Daventrien. a primæva illius erectione vacanti, de perſona Religioſi

ligioſi viri Fratris Joannis Mahuſii Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, ipſumque cum reſervatione penſionis annuæ 2500. Ducatorum ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis Palentinæ, illi in Epiſcopum præfecit & Paſtorem, cum clauſulis &c.

XXIV.

Joannes Ruffius præficitur Eccleſiæ Gronningenſi, ſive Grimingenſi. Ex Act. Conſiſtorialibus autographis in Tabulario ſecretiori Vaticano aſſervatis Tomo 2. fol. 291. a tergo, & Tomo 4. fol. 55.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Veneris VIII. *Auguſti* MDLXI. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Cardinali Decano

SAnctiſſimus Dominus noſter Pius Divina providentia Papa IV. providit Eccleſiæ Grimingenſi a primæva ſua erectione vacanti, de perſona Domini Joannis Ruffii Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia profeſſoris, ipſumque illi in Epiſcopum præfecit & Paſtorem, cum clauſulis &c.

XXV.

Jacobo de la Caya Civi Licienſi facultatem concedit ædificandi Monaſterium Sororibus Clariſſis ſub titulo ſancti Antonii Patavini in urbe Licienſi. Regeſt. Ciſm. fol. 210.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. SUperna diſpoſitione, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in ſupereminenti Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, meritis licet imparibus, conſtituti, ad ea, per quæ Monaſteria Monialium, & alia puellarum Virginum pia loca cum Religionis propagatione, & animarum ſalute utiliter conſtruantur, ac jam conſtrui cæpta perficiantur, ac perfecta ſalubriter regantur, ac perſonæ omnipotenti Deo, & Nobis, ac Apoſtolicæ Sedi devotæ id ferventius exoptantes, & ad id opportuna auxilia exigentes a Nobis, gratias & favores reportaſſe lætentur, intendimus, ac in his noſtri officii partes favorabiliter impertimur, prout, locorum, & temporum qualitate penſata, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.

§. II. Sane pro parte dilecti filii Joannis Jacobi de la Caya Civis Licien. nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod cum alias ipſe zelo devotionis accenſus, necnon ob ſingularem quem ad S. Claram ejuſque Ordinem gerebat devotionis affectum, cupienſque terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ac pro ſua, & Conjugis, ac progenitorum, necnon ſucceſſorum ſuorum animarum ſalute recogitans, de bonis ſibi a Deo collatis, ad Dei laudem & gloriam, ac ob dictæ S. Claræ reverentiam, ejuſque ſacræ Religionis propagationem, ac divini cultus augumentum, unum Monaſterium Monialium, Urbaniſtarum nuncupatarum ejuſdem Ordinis S. Claræ in certo ſuo Palatio in Civitate Licien. conſiſtente, pro ſororibus ipſius S. Claræ, & puellis Virginibus, ac certis aliis perſo-

perſonis ſub certis modo & forma, ac cum certis conditionibus, & pactis in Monaſterio hujuſmodi recipiendis & admitendis, rite conſtrui & ædificari facere cœperit, ac de præſenti conſtrui & ædificari faciat, illudque tam a dilectis filiis Provinciali Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ S. Nicolai in Civitate Tarrantina celebrata, quam, & a dilecto filio Angelo de Averſa Fratre ejuſdem Ordinis, & Commiſſario Generali in ipſius Provinciali Congregatione Barletæ facta, ad quos id ſpectat, acceptum ſit, dictus Joannes Jacobus cupit dictum Monaſterium perficere, ſi Noſtra, & Sedis præfatæ licentia ſibi ad id ſuffragetur. Quare pro parte ejuſdem Joannis Jacobi Nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi in dicto Palatio Monaſterium præfatum ſic conſtrui & ædificari cœptum pro uſu & habitatione unius Abbatiſſæ, & certarum Puellarum virginum, cum dignitate Abbatiali, ac cœmeterio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis conſtrui, ædificari & perfici, ac erigi faciendi licentiam & facultatem concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Religionem, & pia loca ubique propagari noſtris præſertim temporibus ſinceris exoptamus affectibus, eumdem Joannem Jacobum a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ac ejus pio propoſito favorabiliter annuentes, eidem Joanni Jacobo ſine alicujus præjudicio in dicto Palatio unum Monaſterium Monialium Urbaniſtarum nuncupatarum, dicti Ordinis ſanctæ Claræ, ut præfertur, conſtrui & fabricari, ac ædificari cœptum prædictum cum dignitate Abbatiali, ac loco, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, horto, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu & habitatione unius Abbatiſſæ, & certarum Sororum & Puellarum virginum, ac aliarum perſonarum, aliiſque neceſſariis, Eccleſiis, & Abbatiſſis, ac Sororibus dicti Ordinis ſanctæ Claræ concedi ſolitis, ſub cujus Monaſterii una & eadem clauſura duæ partes habitationum exiſtant, in quorum una Abbatiſſa & Sorores ſanctæ Claræ cum iiſdem Inſtitutis Regularibus, quibus aliæ Abbatiſſæ & Sorores ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ in partibus Italiæ vivunt & vivere ſolent, vivere ac omnia & ſingula ad illarum profeſſionem neceſſaria habere: In altera vero habitationum hujuſmodi partibus, decem vel quindecim, aut viginti virgines orphanæ, pauperes, ac neceſſitatibus oppreſſæ commorari, ac pariter omnia ad illarum uſum & commoditatem tenere, ea tamen conditione, quod in ipſo Monaſterio omnes in communi, prout Fratres dicti Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, vivunt, vivere debeant, conſtrui & ædificari, ac perfici & erigi, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita: Et inſuper unam Eccleſiam cum campanili & campana ipſi Monaſterio conjunctam, ſub invocatione ſancti Antonii de Padua de novo conſtrui & ædificari, ac erigi faciendi, necnon Altare ſitum in dicto ſuo Palatio rite inſtitutum, quod de jurepatronatus ejuſdem Joanpis Jacobi, & familiæ de la Caya exiſtit, ac ſuper quo Miſſæ pro mulierum commoditate quandoque celebrari conſueverunt, & pro quarum celebratione duodecim ducati auri dudum aſſignati fuerunt, ad quemcumque alium locum per dictum Joannem Jacobum eligendum, ſalvo tamen ſemper, & retento dicto jurepatronatus, transferendi plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem.

§. IV. Præterea quod in eodem Monaſterio decem Sorores gratis, & abſque aliqua dote recipiendæ, & de ejuſdem Jo. Jacobi bonis propriis dotandæ, ac quod Puellæ virgines prædictæ in ſexto ſuæ ætatis anno conſtitutæ, Monaſterium hujuſmodi ingredi, & per unam ex converſis Sororibus ejuſdem Monaſterii ad decimum annum uſque in quadam parte ejuſdem Monaſterii ipſis

Puellis virginibus deſtinanda, cum victus & amictus, aliarumque rerum neceſſariarum ſuppeditatione, regi & gubernari, & completo dicto decimo anno, ad Monaſterium hujuſmodi denigrare, ac inibi cum illius Sororibus in Divino cultu inſtruendæ, donec deciuum quintum ejuſdem ætatis annum attigerint, etiam permanere, & ex illis ſic in decimo quinto ſuæ ætatis anno conſtitutis, ſingulis annis tres matrimonio collocari, ſeu nuptui tradi, ac competenti dote per eumdem Joannem Jacobum, ſeu ipſo defuncto, ejus propinquiorem hæredem, juxta earumdem Puellarum virginum conditionem & qualitatem, ne illas in præcipitium ruere, aut animæ & corporis jacturam facere contingat, dotari, & in illarum locum aliæ tres recipi & admitti poſſint, ac circa dictarum Sororum & Puellarum virginum electionem, Miniſtri Provincialis dictæ Provinciæ ſecundum morem ipſius Ordinis Minorum, & Abbatiſſæ dicti Monaſterii votum, ac tam prædicti Joannis Jacobi, quam poſt illius obitum, illius propinquorum de domo ſua de la Caya, tamquam fundatorum dicti Monaſterii interventus concurrere ſeu accedere, ac in Procuratores Monaſterii hujuſmodi Viri probi, & timentes Deum eligi & deputari debeant; ac ejuſdem Joannis Jacobi Uxor & Filiæ, tanquam fundatrices, devotionis cauſa, Monaſterium ipſum ingredi, ac tot Sorores, quot Monaſterium ipſum capax fuerit, dotem, ſeu eleemoſynam pro victu & amictu ſecum portantes nunc, & in perpetuum in ipſo Monaſterio recipi & confirmari valeant, & quoties aliqua ex dictis Sororibus deceſſerit, quæ ex dictis Puellis virginibus, Spiritu Sancto inſpirata nuptui tradi renuntiaverit, ſeu noluerit, & Monialis effici voluerit, aliis præferri debeat. Quodque Monaſterium & Eccleſia, ac Abbatiſſa, Sorores, & Virgines, ac Converſæ, pro tempore exiſtenti Miniſtro Generali & Provinciali dicti Ordinis Minorum, ac illorum Viſitatori, necnon Confeſſori eis deſtinato ſubjectæ ſint, ac eis, necnon ſtatutis & ordinationibus jam forſan factis & pro tempore faciendis, in omnibus & ſingulis Generalibus ac Provincialibus Capitulis ipſius Ordinis Minorum, parere & obedire, & nonniſi Fratres domus ſanctæ Mariæ *del Tempio* nuncupatæ, Licien. aut alios ejuſdem Ordinis Minorum, qui propterea fructus, reditus & proventus dicti Altaris percipere, exigere, levare, ac in ſuos uſus & utilitatem convertere licite & libere poſſint, Miſſas, & alia Divina Officia in Eccleſia Monaſterii hujuſmodi, ac etiam in dicto Altari transferendo, celebrare, ac Eccleſiaſtica Sacra Abbatiſſæ, Sororibus virginibus, & Converſis celebrare valeant, nec per alios, quam per illos ibidem prædicari poſſit, auctoritate & tenore prædictis ſtatuimus, ordinamus & indulgemus, necnon omnia & ſingula legata, dotes & bona, tam cauſa mortis, quam inter vivos, cum quibuſcumque pactis & conditionibus, ordinationibus, articulis & capitulis per ipſum Joannem Jacobum ex hinc in ſuo teſtamento aut ultima voluntate, ſeu alias relicta & relinquenda, eiſdem Monaſterio, & Eccleſiæ conſtruendis hujuſmodi aſſignata & aſſignanda ex nunc prout ex tunc, & e contra ex tunc prout ex nunc, & e contra, poſtquam aſſignata fuerint, applicamus, appropriamus, ac quæcumque alia, quæ ipſi Joanni Jacobo placuerit in vita, ſeu in mortis articulo, pro dicti Monaſterii conſtruendi erectione, & bene eſſe, de conſenſu Miniſtri Provincialis, & Capituli dictæ Provinciæ, ſtatuere & ordinare, poſtquam ſic ſtatuta & ordinata fuerint, approbamus & confirmamus; ac eiſdem Abbatiſſæ & Sororibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, indultis & gratiis, quibus alia ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ Monaſteria utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere poſſint & valeant, ſimiliter indulgemus; decernentes Abbatiſſam & Sorores ac Virgines, & alias perſonas hujuſmodi in præmiſſis, ſeu aliquo præmiſſorum a quoque mo-

moleſtari, impediri & perturbari reſpective non poſſe, & ita in præmiſsis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis auctoritate fulgentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his a quoque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. V. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque & indultis & litteris Apoſtolicis ſanctæ Claræ & Minorum Ordinibus præfatis, illorum quoque Domibus, Monaſteriis & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam iteratis vicibus, etiam motu proprio conceſſis, approbatis & innovatis: Quibus omnibus, etſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quavis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque quibuſcumque contrariis.

§. VI. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, ſtatuti, ordinationis, indultorum, applicationis, approbationis, confirmationis, decreti & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXI. Nonis Septembris Pontificatus noſtri anno II.

XXVI.

Confirmat donationem Eccleſiæ ſanctorum Cornelii & Cypriani Triultii factam Patribus Tertii Ordinis. Bordonus ex Archivo Conventus Triultii.

PIUS SERVUS &c.

Dilecto filio fratri Archangelo Buccio Reg. Tertii Ordinis ſancti Franciſci, ſeu de Pœnitentia Regularis Obſervantiæ Lombardiæ in habitu Eremitico degenti profeſſori, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm a Nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum reducatur effectum. Sane pro parte tua fuit propoſitum coram Nobis, quod dudum, ſive nuper dilectus filius Antonius Scaruffius Archipresbyter Parochialis Eccleſiæ ſanctorum Cornelii & Cypriani loci Trivoltii, Papienſis Diœceſis, poſtquam tu & nonnulli Fratres dicti Ordinis, cui & illius Fratribus felicis recordationis Julius II. & Clemens VII. prædeceſſores noſtri, ut privilegiis & indultis, quæ cæteri Fratres Mendicantes a Sede Apoſtolica obtinuerant, gaudere & frui poſſint & valeant, conceſſerunt, & inter alia illud potiſſimum, quo Fratres Eremitani ſancti Auguſtini utuntur, ut quæcumque loca, domos & Eccleſias Parochiales ipſis oblatas capere, & ad uſum eorum retinere poſſint & valeant abſque alia dictæ Sedis Apoſtolicæ conceſſione, indultum ſit; in vim privilegiorum hujuſmodi, in dicta Eccleſia, & illius domibus per triennium & ultra, non ſine magna Parochianorum

ſatisfactione, & cultus Divini augmento, ac verbi Dei prædicatione, ex ſua permiſſione habitaveratis, & inibi ædificare cœperatis, de tuæ & Fratrum hujuſmodi vitæ, ac morum honeſtate certioratus & informatus, conſiderans, nullum alium locum, in quo in dicto loco Trivultii habitare poſſetis, commodiorem dicta Eccleſia, & illius domibus exiſtere, & ut in dicta Eccleſia cultus Divinus, ſuam in hac parte conſcientiam exonerando, in dies magis magiſque augeretur, omni cura & ſtudio providere deſiderans, maturo conſilio, maturaque deliberatione præhabitis, & ex ipſius certa ſcientia, cum præſentia tamen, auctoritate & decreto Ordinarii loci, ſeu ejus Vicarii, & ſub Noſtro & Sedis prædictæ beneplacito, eamdem Eccleſiam ſanctorum Cornelii & Cypriani, cum omnibus & ſingulis ejus domibus, ædificiis, melioramentis, horto, campanili & cœmeterio, aliiſque omnibus, quibus in Eccleſia præfata pro tempore exiſtens Vicecuratus uti, frui & gaudere potuiſti & conſueviſti in dicto loco Trivultii ſub ſuis cohærentiis, ſitis, necnon cum paramentis dictæ Eccleſiæ, vel ornamentis, quæ de præſenti reperiebantur, ac omnibus & ſingulis honoribus, oneribus & incumbentiis, & aliis quibuſcumque ad dictam Eccleſiam pertinentibus & ſpectantibus dicto Vicecurato incumbentibus, tibi nomine, & vice Congregationis ſupradictæ Syndico & Procuratori, per ipſius Ordinis Generalis Miniſtri & Provincialis litteras ſpecialiter electo, tunc præſenti & recipienti pro te tuiſque in dicta Congregatione ſucceſſoribus: reſervatis tamen etiam per pactum expreſſum juribus Epiſcopalibus, ſibique ſuiſque ſucceſſoribus in dicto Archipresbyteratu omnibus & ſingulis bonis, juribus & proprietatibus dicti Archipresbyteratus, ac cenſibus eidem Archipresbyteratui debitis, ſeu quomodolibet impoſterum debendis, necnon fructibus, reditibus & proventibus ac emolumentis ad eumdem quomodolibet ſpectantibus & pertinentibus: & tam tunc, quam in futurum conceſsionum, alienationum & devolutionum quarumcumque bonorum & emolumentorum, proprietatum dicti Archipresbyteratus, & inveſtituram de iis, quæ ad ipſius Archipresbyteratus uſum & utilitatem ſpectant & pertinent, aliiſque rebus in inſtrumento deſuper confecto latius expreſsis & ſpecificatis, dedit & conceſsit.

§. II. Ita & taliter quod tu & Fratres tecum moraturi, & ſucceſſores tui in, & ex ipſa Congregatione pro tempore exiſtentes, in reditibus & proventibus hujuſmodi, ac juribus & emolumentis quorumcumque bonorum aliorum dicti Archipresbyteratus non conceſsis, ut ſupra, nullo unquam tempore, quavis ratione vel cauſa aut occaſione, directe vel indirecte, te & ſeſe intromittere aut immiſcere; ac per ipſum Scaruffum, vel ejus in dicto Archipresbyteratu ſucceſſores ex dicta Eccleſia, aliiſque ut ſupra datis & conceſſis expelli, ejici, aut alias quomodolibet deſuper directe vel indirecte, quovis quæſito colore vel ingenio, & ſub prætextu alicujus læſionis, & in integrum reſtitutionis, eum quibuſcumque derogationibus & clauſulis impediri, moleſtari, & inquietari non poſsitis, nec valeatis, ſed Eccleſiam prædictam, & illius domos propriis veſtris ſumptibus & expenſis reparare, & in decenti & habitabili ſtatu manutenere; & in recognitionem ſingulis annis præfato Archipresbytero & ejus ſucceſſoribus in feſto ſanctorum Cornelii & Cypriani mediam libram ceræ laboratæ ſolvere debeatis: necnon omnes eleemoſynæ, celebrationes, ac omnia legata, quæ fieri contingeret in dicta Eccleſia, tibi & Fratribus prædictis tecum degentibus, tuiſque in dicta Congregatione ſucceſſoribus, ut ſupra, intuitu & contemplatione dictæ Eccleſiæ & bonorum conceſſorum, ut ſupra, quavis occaſione vel cauſa, ſint & eſſe debeant, ac remaneant, & remanere debeant tibi, tuiſque ſucceſſoribus; tuque, prout promiſiſti, libras octoginta ſeptem Imperiales Vicecurato in præfata Eccleſia pro omnibus & ſingulis

gulis per eum ibi factis melioramentis exburſares, & a Capitulo Generali tuo ratificationem & confirmationem dicti contractus impatrare tenereris, quam, ut publico inſtrumento conſtat, impetraſti & obtinuiſti, ac alias et alia capitula, pacta, conventiones, proteſtationes et promiſsiones hinc inde cum dicti loci Ordinarii præſentia, auctoritate et decreto, ac ſub beneplacito præfato, ut perfeciſtis, prout in eodem inſtrumento, ac capitulis et pactis in eo contentis latius continetur. Quæ omnia et ſingula pro illorum ſufficientia firmiori, quo ſupra nomine, Apoſtolico a Nobis petiſti munimine roborari.

§. III. Nos itaque tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, dationem et conceſsionem de Eccleſia præfata, ut præmittitur, factas, et alia præmiſſa, ac omnia et ſingula in dicto inſtrumento contenta, et inde ſecuta quæcumque, licita tamen et honeſta, ſicut rite et provide facta fuerunt, et in illorum pacifica et quieta poſſeſsione tu, aliique Fratres tecum morantes hactenus fuiſtis, et eſtis de præſenti, rata et grata habentes, tibi et Fratribus tuis tecum morantibus, tuiſque in et ex dicta Congregatione ſucceſſoribus, Apoſtolica auctoritate confirmamus et approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus.

§. IV. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis et communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXI. anno II. Idibus Septembris.

XXVII.

Largitur Indulgentias viſitantibus Eccleſiam Montis Alvernæ tempore Congregationis Generalis. Regeſt. Ciſm. fol. 209. Gubern. tom. 2. fol. 350. col. 1.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. A Superno Patre familias, meritis licet imparibus, in domo Domini diſpenſatores conſtituti, Theſaurum Dominicum nobis divinitus creditum, ſic diſpenſare ſatagimus, ut illius erogatione Chriſtifideles Domino acceptabiles, & bonorum operum ſectatores reddere valeamus.

§. II. Cum igitur, ſicut accepimus, dilectus filius modernus Commiſſarius Generalis in partibus Ciſmontanis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, & ipſius Ordinis profeſſores pro electione novi Comiſſarii Generalis in dictis partibus Ciſmontanis, & conſervatione religioſæ vitæ, juxta Regulam & Conſtitutiones dicti Ordinis, ſuam Congregationem Generalem in domo ſancti Franciſci Montis Alvernæ, prædicti Ordinis in feſto Pentecoſtes proxime futuro, more ſolito ſint celebraturi, & ad celebrationem Congregationis hujuſmodi, multi ipſius Ordinis profeſſores zelo Religionis pleni, ac ſcientia, morumque probitate præditi, ex quibuſcumque Italiæ partibus, altiſſimo favente, ſint acceſſuri, & ad eorum ſuſtentationem copioſa Chriſtifidelium ſuffragia admodum neceſſaria dignoſcantur. Nos ut Chriſtifideles prædicti ad hoc promptiores reddantur: De Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui prædicti ſancti Franciſci in Pentecoſtes, qui vero Neapolitan. aut

aut Licien., ſeu Cuſentin., vel Meſſanen., aut Panormitan., ſeu Catanien., vel Siracuſan., aut Baren., ſeu Averſan. Ordinis & Obſervantiæ prædictorum domorum Eccleſias in Palmarum proxime futuris Dominicis diebus, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis eorum dierum incluſive devote viſitaverint, & pias inibi ad Deum præces pro exaltatione fidei Catholicæ effuderint, & ad præmiſſa aliquas eleemoſynas de bonis ſuis eorum arbitrio erogaverint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem, tenore præſentium concedimus & elargimur. Et ut ipſi Chriſtifideles indulgentiæ, & remiſſionis hujuſmodi capaciores reddantur, eidem Commiſſario, & Guardianis ſingularum domorum prædictarum, nonnullos ejuſdem Ordinis profeſſores, qui dicto tempore eorum Chriſtifidelium confeſſiones audire & eis diligenter auditis, ipſos Chriſtifideles ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus, & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam in eaſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, exceptis contentis in Bulla, quæ legitur in Cœna Domini, abſolvere, ejſque pœnitentiam ſalutarem injungere, necnon vota quæcumque per eos emiſſa, ultramarino, viſitationis liminum Apoſtolorum Petri, & Pauli de Urbe, ac ſancti Jacobi in Compoſtella, necnon caſtitatis, & Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare poſſint, eligendi & deputandi plenam & liberam, Apoſtolica auctoritate, per præſentes tribuimus facultatem, & poteſtatem.

§. III. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, necnon ſimilium indulgentiarum, etiam pro Cruciata, Terra Sancta, aut fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe ſuſpenſionibus, limitationibus & revocationibus per Nos, & dictam Sedem pro tempore factis, ſub quibus præſentes litteras minime comprehendi, ſed ab illis exceptas eſſe, & poſt eoſdem dies minime valere volumus; cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterum volumus, quod earumdem præſentium tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in omnibus, & per omnia adhibeatur, quæ ipſis præſentibus litteris adhiberetur, ſi exhiberentur, vel oſtenderentur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxvi. Septembris mdlxi. Pontificatus noſtri anno ii.

XXVIII.

Concedit Fratribus Provinciæ Albaniæ ut quædam bona immobilia poſſint poſſidere. Regeſt. Ciſm. fol. 209. a tergo.

Dilecti Filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm ſicut nobis nuper exponi feciſtis, vos qui inter inhumaniſſimos & ſeviſſimos Tureas, ac in ſuo eorum dominio degitis, eleemoſynas, unde vos ſubſtentare poſſitis, vix reperiatis, & nonnulli in Civitate Alexien, & Terræ Sebaſte Croyanen. dioec. commorantes & habitantes, quorum numerus exiguus exiſtit, ob nummorum, ſeu denariorum, aliarumque rerum penuriam, eleemoſynas pro animarum ſuarum ſalute in vita dare non valentes, ac in eorum ultima voluntate, & mortis articulo teſtamenta condentes, certas pecias Terrarum, ut pro eorum animarum ſalute hujuſmodi Miſſas, & alia divina officia ſingulis annis celebretis, relinquant; & ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, vos ſecundum veſtra regularia inſtituta nihil proprii habere, nec terras ipſas, tanquam bonorum temporalium incapa-

capaces, poſſidere valeatis, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ne fame pereatis, vitamque regularem relinquere, ac domos hujuſmodi exire cogamini, vobis, ac ſtatui veſtro in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur qui ſubventionem quorumlibet præſertim Religioni deditorum, & divinis officiis mancipatorum libenter procuramus, vos & veſtrum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quommodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati vobis, ut divinis officiis liberius vacare, & vota veſtra Altiſſimo Jeſu Chriſto commodius perſolvere poſſitis: Dilectos filios Marcum Diaſſi, Joannem Dionami, & Bardum Ducagnini Cives Alexien. domorum veſtrarum hujuſmodi Syndicos & Œconomos, ad noſtro & Sedis Apoſtolicæ nomine vineam, ſeu vineas & terras, ac omnia & ſingula alia bona, tam vobis hactenus relicta, quam in poſterum relinquenda, ac quas & quæ vos, & domus veſtræ nunc legitime habetis & poſſidetis, ac in ſuturum habebitis & poſſidebitis, regendum, gubernandum, & adminiſtrandum, illaque arrendandum, locandum, & dislocandum, necnon fructus, reditus & proventus exinde provenientes percipiendum, exigendum, & conſervandum, ac in veſtrum, necnon domorum præfatarum, ac in Eccleſiarum veſtrarum fabricas, & reparationes convertendum, ita tamen quod Œconomi, & Syndici præfati ſingulis annis rationem, & computum de per eos, occaſione præmiſſorum, adminiſtratis venerabili Fratri Archiepiſcopo Antibaren., ſeu ejus Vicario in ſpiritualibus Generali ſub excommunicationis aliiſque cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, reddere teneantur, & ad id per ſimiles cenſuras & pœnas, ac alia juris remedia opportuna per Archiepiſcopum, ſeu Vicarium hujuſmodi cogi, & compelli poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium conſtituimus & deputamus; ac eiſdem Syndicis & Œconomis, ſic deputatis omnia & ſingula, quæ ad Œconomorum & Syndicorum officium de jure vel conſuetudine, aut alias qoomodolibet pertinent, & quæ Œconomi & Syndici per Sedem præfatam pro tempore deputati, facere, gerere & exercere conſueverunt, ac quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, faciendi, gerendi, procurandi, exercendi & exequendi, ſibique ipſorum, aut alicujuis eorum abſentia, vel alio impedimento ſuperveniente, loco ſui alium, ſeu alios Œconomum & Syndicum, ſeu Œconomos & Syndicos ponendi & deputandi, ac amovendi & deſtituendi, plenam & liberam, eadem auctoritate licentiam, & facultatem reſpective concedimus & elargimur.

§. III. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac domorum & Ordinis præfatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis domibus & Ordinibus præfatis, ac vobis & dilectis filiis ipſarum domorum Superioribus, & quibuſvis aliis perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, & alias incontrarium quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis; quibus omnibus, & ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerentur, præſentibus pro ſuffi-

ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die x. Octobris MDLXI. Pontificatus noſtri anno II.

XXIX.

Franciſcus de Torral præficitur Eccleſiæ Jucatanenſi. Ex Act. Conſiſtorialibus autographis in Tabulario ſecretiori Vaticano aſſervatis tom. 2. fol. 297. et tomo 4. fol. 61. a tergo.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Mercurii XIX. *Novembris* MDLXI. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Cardinali Sanctæ Floræ S. R. E. Camerario.

SAnctiſsimus Dominus noſter Pius Divina providentia Papa IV. erexit Oppidum de Jucatan, in Provincia in Catanen. et Cocomel in Inſulis Indiarum Maris Oceani in Civitatem Jucatanen. et Cocumel nuncupan. et in ea Civitate unam Eccleſiam Cathedralem ſub invocatione beatæ Mariæ, et dictæ Eccleſiæ a ſua primæva erectione vacanti, cum dote 200. Ducatorum per Sereniſſimum Dominum Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicum aſſignanda, providit de perſona Domini Franciſci de Torral Ordinis Fratrum Minorum, et ipſum illi in Epiſcopum præfecit et Paſtorem, cum clauſulis &c.

Anno Christi 1562. Pontificatus anno 3.

XXX.

Octavianum Præconium ab Eccleſia Arianenſi transfert ad Archiepiſcopalem Panormitanam. Ex Actis Conſiſtorialibus autographis in Tabulario ſecretiori Vaticano aſſervatis Tomo 2. fol. 300., & Tomo 4. fol. 68. &c.

Apud ſanctum Petrum die Mercurii XVIII. *Martii* MDLXII. *fuit Conſiſtorum, in quo*

Referente Reverendiſſimo Sancti Angeli ſummo Pœnitentiario.

SAnctiſſimus Dominus noſter Pius divina providentia Papa IV. abſolvit R. P. D. Octavianum Præconium Epiſcopum Arianenſem a vinculo Eccleſiæ Arianenſis, quo tenebatur, & tranſtulit eum ad Eccleſiam Panormitanam per obitum Franciſci Droſchi vacantem, cum reſervatione penſionis 500. Ducatorum pro Domino Franciſco de Vargas Clerico Toletano, & penſionis 500. Ducatorum pro Domino Hieronymo de Ceras Clerico Salamantino ſuper fructibus menſæ Archiepiſcopalis Panormitanæ, & cum clauſulis &c.

XXXI.

XXXI.

Bernardum de Freſneda minoritam præficit Eccleſiæ Conchenſi. Ex Regeſt. 76. Epiſt. diverſarum Pii IV. fol. 150.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto filio Bernardo de Freſneda electo Conchen. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

APoſtolatus officium meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini, divina diſpoſitione, præſidemus, utiliter exequi coadiuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ curæ creditum ſciant non ſolum Doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant auctore Domino, ſalubriter regere & feliciter gubernare. Sane Eccleſia Conchen, quæ de jure patronatus Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, eſſe dignoſcitur, & cui bonæ memoriæ Petrus Epiſcopus Conchen, dum viveret, præſidebat, per obitum dicti Petri Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos vacatione hujuſmodi fidedignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem & felicem, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam idoneam, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem: Demum ad te Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, & Theologiæ profeſſorem, dicti Philippi Regis Confeſſorem & Conſiliarium, ac verbi Dei Prædicatorem, quem ipſe Philippus Rex Nobis per ſuas litteras præſentavit, & cui apud Nos de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fidedigna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatinne penſatis, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat cnnſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, de perſona tua Nobis & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ de Fratrum eorumdem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, ſuper cujus menſæ Epiſcopalis fructibus, reditibus nonnullæ penſiones annuæ ad ſummam quatuor millium & ducentorum Ducatorum auri largorum valoris, & qualitatis in Regnis Hiſpaniarum pro tempore curſum habentium, aſcendentes, certis perſonis Eccleſiaſticis illas annuatim percipiendi dicta auctoritate reſervatæ exiſtunt, tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo. Non obſtantibus ſelicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac Eccleſiæ & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque, in illo qui dat gratias,

& largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia ſub tuo felici regimine regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod ipſa Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram ac dictæ Sedis benedictionem, ac gratiam exinde uberius conſequi merearis. Quocirca dilectis Filiis Capitulo & vaſſallis dictæ Eccleſiæ ac Clero, necnon Populo Civitatis & diœceſis Conchen per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Capitulum tibi tanquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam, & reverentiam debitas & devotas, ac Clerus te pro noſtra & dictæ Sedis reverentia benigne recipientes, & honorifice pertractantes, tua ſalubria monita & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tamquam Patrem & Paſtorem animarum ſuarum devote ſuſcipientes, ac debita honorificentia proſequentes, tuis monitis & mandatis ſalubribus humiliter intendant, itaquod tu in eis devotionis filios, & ipſi in te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis. Vaſſalli autem præfati te debito honore proſequentes, tibi fidelitatem ſolitam, necnon conſueta ſervitia, & jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam reſpective rite tuleris ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Rogamus quoque & hortamur attente præfatum Philippum Regem, necnon venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Toletan. ipſi Archiepiſcopo per eadem ſcripta mandantes, quatenus te & præfatam Eccleſiam dicti Archiepiſcopi ſuffraganeam habentes, pro noſtra & dictæ Sedis reverentia propenſius commendatos, ſic te benigni favoris auxilio proſequantur, quod tu eorum fultus præſidio, in commiſſo tibi curæ paſtoralis officio poſſis Deo propitio, proſperari; ac eidem Philippo Regi a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum, ipſeque Archiepiſcopus proinde divinam miſericordiam ac noſtram, & ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam exinde valeat uberius promereri. Præterea ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi ut a quocumque malueris Catholico Antiſtite gratiam & communionem dictæ Sedis habente accitus, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus vel tribus Catholicis Epiſcopis ſimiles gratiam & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti ut munus ipſum, recepto prius per eum noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine a te fidelitatis debitæ ſolito juramento, juxta formam præſentibus annotatam, auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam & liberam concedimus earumdem tenore præſentium, facultatem. Volumus autem ac ſtatuimus, & Apoſtolica auctoritate prædicta decernimus, quod ſi dictus Antiſtes non recepto a te per eum præfato juramento, munus prædictum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, Antiſtes præſatus a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea etiam volumus quod formam a te tunc præſtiti juramenti hujuſmodi nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo ſigillo munitas, per proprium Nuntium quantocitius deſtinare procures, quodque per hoc præfato Archiepiſcopo in Eccleſia ipſa Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum imposterum præjudicium generetur. Forma autem juramenti quod præſtabis,

hæc

hæc eſt. Ego Bernardus electus Conchen ab hac hora inantea fidelis & obediens ero beato Petro, ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, ac Domino noſtro Domino Pio Papæ IV. ſuiſque ſucceſſoribus Canonice intrantibus, non ero in conſilio, conſenſu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, ſeu capiantur, aut in eos manus violenter quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæſito colore: Conſilium vero, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut Nuntios, ſeu litteras, ad eorum damnum, me ſciente, nemini pandam. Papatum Romanum & regalia ſancti Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem: Legatum Apoſtolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo: jura, honores, privilegia, & auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, Domini noſtri Papæ & ſucceſſorum præfatorum conſervare, defendere, augere, & promovere curabo; nec ero in conſilio, facto, vel tractatu, in quibus contra ipſum Dominum noſtrum vel eamdem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra, vel præjudicialia perſonarum, juris, honoris, ſtatus, & poteſtatis eorum machinentur: & ſi talia a quibuſcumque procurari novero, vel tractari, impediam hoc pro poſſe, & quantocitius potero commode, ſignificabo eidem Domino noſtro, vel alteri, per quem ad ipſius notitiam pervenire poſſit: Regulas ſanctorum Patrum, Decreta, Ordinationes, ſententias, diſpoſitiones, reſervationes, proviſiones, & mandata Apoſtolica totis viribus obſervabo, & faciam ab aliis obſervari: Hæreticos, Sciſmaticos, & rebelles Domino noſtro, & ſucceſſoribus præfatis propoſſe perſequar & impugnabo: Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione: Apoſtolorum limina, Romana Curia exiſtente citra, ſingulis annis, ultra vero Montes, ſingulis biennis viſitabo per me aut per meum Nuntium, niſi Apoſtolica abſolvar licentia: poſſeſſiones non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo inſeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice: ſic me Deus adjuvet, & ſancta Dei Evangelia.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXII. Nonis Maii, Pontificatus noſtri anno III.

XXXII.

Ut interponat ſe inter Lovanienſes, & Fratres Ordinis ſancti Franciſci, ne diſputent, neque concionentur de quibuſdam articulis, ſed eorum definitionem ad Concilium rejiciant. Ex Regeſt. Autographo Epiſtolarum ad viros Principes & alios: Pii Papæ IV. Brev. 265. tom. numero XI.

Dilecte fili noſter, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Accepimus litteras tuas, una cum litteris & ſcripto illorum ſacræ Theologiæ in Lovanienſi univerſitate profeſſorum: Non potuimus autem non moleſte ferre, tam alieno tempore ortam eſſe controverſiam ſuper articulis, & propoſitionibus illis, & diſſentire de iis tales noſtros, & Eccleſiæ Catholicæ filios, quo tempore Univerſitates omnes, & Religioſorum Ordines ad expugnandas horum temporum hæreſes ſumma inter ſe concordia debeant conſentire. Sed æquiore animo hoc ferentes, quod utramque partem ſcimus non contentionis ſtudio commotam, ſed veri exquirendi cupiditate adductam eſſe: eique, quod definitum fuerit, acquieſcere paratam fore, rejiciendam eam rem ad ſacrum Œcumenicum Concilium duximus, ut ſuo tempore propoſitiones eas diſcutiat & debita cum diligentia, Sancto Spiritu aſſiſtente, quid de illis ſentiendum ſit, ſtatuat, atque decernat: proinde ne diſſidium

id creſcat, quod augeri ſine ſumma offenſione Catholicorum omnium non poſſet, providere volentes, circumſpectioni tuæ pro tua nobis ſpectata virtute, fide, prudentiaque mandamus, ut utrique parti voluntatem noſtram proponas, eoſque noſtro nomine vehementer moneas, ac ſub cenſuris etiam, ſi opus fuerit, denuncies, ut quoniam de Controverſis eorum ſacra Synodus cognitura, & Deo auctore ſententiam latura eſt, interim ipſi quieſcant, nec de propoſitionibus illis ullo modo inter ſe diſputent, vel concionentur, ſed æquo animo ipſius Synodi judicium expectent, ſtaturi ei, ſicut Catholicos viros decet, quod ipſa decreverit. Hortare vero Lovanienſes ipſos, ut aliquem, ſeu aliquos ex ſuis Theologis delectos Tridentum mittant, ſicut Univerſitate tam nobili, & de Religione Catholica ita omni tempore merita dignum eſt; Quod cum nobis pergratum erit, tum ii, qui mittentur, idoneo tempore de illis ipſis propoſitionibus, quæ in controverſiam venerunt, agere poterunt.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVIII Maii MDLXII. Pontificatus noſtri anno III.

XXXIII.

Paulum Odeſcalcum commendat Bernardo de Freſneda Minoritæ. Ex Regeſto autographo num. XI. Epiſtol. ad Principes Viros, & alios Pii IV. Brev. 257.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

QUarum rerum cauſa mittendum iſthuc duxerimus dilectum filium Magiſtrum Paulum Odeſcalcum Notarium & familiarem noſtrum valde acceptum & probatum, ex ipſius relatione cognoſces: In mandatis enim ei dedimus, ut de ipſis rebus tecum loquatur, & ad eas tractandas & conficiendas auctoritate & gratia tua nitatur, minime dubitantes, quin ſtudioſe illi, & libenter pro tua inſigni devotione affuturus ſis; quod ut facias, abs te petimus & rogamus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXV. Maii MDLXII. Pontificatus noſtri anno III.

XXXIV.

Franciſcum Aretinum ſubſtituit & declarat Commiſſarium Generalem Ciſmontanæ Familiæ. Ex Reg. Brevium Pii PP. IV. an. 1562. tom. 17. fol. 269. num. 154.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm ſicut dilectus filius Franciſcus de Zamora totius Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Generalis Miniſter Nobis nuper exponi fecit, celebratio Capituli Generalis Fratrum Ciſmontanorum ejuſdem Ordinis, quæ in feſto Pentecoſtes proxime præterito, ac loco de la Verna nuncupato, Burgi Sancti Sepulchri Diœceſis, fieri debebat, propter ipſius Franciſci Generalis Miniſtri ac aliorum Fratrum ejuſdem Ordinis, qui ſacro œcumenico & generali Concilio nuper indicto interſunt, abſentiam, de mandato noſtro ad annum propagata fuerit, ac officium Commiſſariatus generalis dicti Ordinis, quod dilectus filius frater Angelus de Averſa nuper dicti Ordinis Commiſſarius generalis exercebat, in ipſo feſto, juxta tenorem litterarum felicis recordationis Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri deſuper emanatarum, ceſſaverit, prout ceſſat & vacat ad præſens, ipſeque

que Franciſcus Generalis Miniſter ob ejus abſentiam hujuſmodi, domos & loca dicti Ordinis ac illius Fratres viſitare nequeat.

§. II. Nos igitur, ne ob longæ vacationis dicti officii incommodum, præfatus Ordo detrimenta aliqua ſuſtineat, providere, illiuſque ſalubri directioni, regimini & adminiſtrationi, quantum cum Deo poſſumus, conſulere volentes, necnon de tuis Religionis zelo, prudentia, probitate, diligentia, longaque in rebus gerendis experientia, ex ipſius Franciſci Miniſtri Generalis, & multorum aliorum fide dignorum relatu ad plenum edocti, ſperantes, quod ea, quæ tibi a Nobis injuncta fuerint, ad Dei laudem ac Religionis conſervationem & manutentionem probe, fideliter & prudenter exequeris, ipſius Franciſci Miniſtri Generalis ſupplicationibus inclinati, te Commiſſarium Generalem Ciſmontanorum Fratrum Ordinis hujuſmodi, cum omnibus honoribus, oneribus, prærogativis, juriſdictionibus & præeminentiis, quibus alii ejuſdem Ordinis Ciſinontani Commiſſarii Generales hactenus uſi, potiti & gaviſi ſuerunt, uſque ad proximum generale Capitulum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium conſtituimus & deputamus; mandantes omnibus & ſingulis ejuſdem Ordinis Provincialibus, Guardianis, Fratribus, & aliis ad quos ſpectat & ſpectabit, quavis auctoritate & præeminentia fungentibus & functuris, ſub noſtræ indignationis ae excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ut te in Commiſſarium Generalem ejuſdem Ordinis prompte, omni mora ceſſante, recipiant & admittant, tibique in iis, quæ ad hujuſmodi Commiſſariatus officium ſpectant, etiam in viſitandis domibus, locis, Provinciis & Fratribus hujuſmodi, pareant & obediant: Et nihilominus diſtrictius inhibentes eiſdem ſub pœnis præfatis, ne te circa hujuſmodi Commiſſariatus officii exercitium debitum, quoquo modo, colore vel ingenio moleſtare, vexare, perturbare, inquietare vel impedire audeant ſeu præſumant, ac decernentes te, cui ſuper hoc plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus, contra rebelles & non parentes, cenſuras, ſententias & pœnas per Commiſſarios Generales ejuſdem Ordinis contra tales promulgari ſolitas, promulgare & infligere, ac corrigere & viſitare poſſe. Et ita per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſeu eorum Locatenentes, ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interprætandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane quidquid ſecus ſuper iis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. III. Non obſtantibus quibuſdam litteris dicti Leonis prædeceſſoris Unionis nuncupatis, & conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Ordinis hujuſmodi ſtatutis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis eiſdem Fratribus & Ordini, ac illorum Superioribus, & aliis quibuſcumque, ſub quibuſvis clauſulis & decretis, in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio, etiam Conſiſtorialiter concceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die xii. Junii mdlxii. Pontificatus noſtri anno iii.

xxxv.

XXXV.

Præcipit ut Patres Alcantarenſes recipiantur ſub obedientia Miniſtri Generalis Ordinis. Ex Archivo Secreto Vaticano tomo 75. Diverſ. Secretor. fol. 273.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Venerabili fratri Epiſcopo Murant. & dilectis filiis Compoſtellan. ac Abulen. Officialibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. HOdie a Nobis emanarunt litteræ tenoris ſequentis: *Pius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In ſuprema Militantis Eccleſiæ ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino, conſtituti, inter multiplices, quibus aſſidue premimur curas, illud potiſſimam mentem noſtram excitat, ut qui ſub voluntariæ paupertatis habitu, ſpirituque humilitatis Religioſum Altiſſimo famulatum impendunt, id, omnibus ſubtractis impedimentis, commodius exequantur, ac ut illorum concordiæ, tranquillitatique conſulatur, officii noſtri partes libenter interponimus, & alias ſuper his diſponimus, prout ipſorum ſtatu perpenſato, conſpicimus in Domino ſalubriter expedire.*

§. II. *Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Franciſci de Zamora Generalis Miniſtri totius Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, & modernorum Generalis Commiſſarii, Magiſtri Provincialis, Cuſtodum ac Definitorum Fratrum Minorum Conventualium, Reformatorum nuncupatorum, Provinciæ ſancti Joſeph in Hiſpaniis, exhibita petitio continebat, quod menſibus præteritis ipſi Generalis Commiſſarius, Magiſter Provincialis, Cuſtodes & Definitores, totumque Capitulum Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum hujuſmodi, Capitulariter, ut moris eſt, congregati, provide conſiderantes, quod ſi dicta ſua Provincia Deſtremadura nuncupat. quæ quatuordecim Conventus, videlicet ſancti Iſidori de Loriana, & Conceptionis beatæ Mariæ Virginis ac del Pedroſo, necnon ſancti Joannis Baptiſtæ de la Vitioſa, & ſanctæ Mariæ de Roſario, ac ſancti Andreæ del Monte oppidi Ebrenarum, necnon ſanctæ Mariæ Magdalenæ oppidi ſancti Michaelis de la Ribera Flantineros, & ſanctorum Simonis & Judæ de Redendela, ac ſancti Franciſci de Bajona, necnon ſanctæ Marthæ de Vigo, & ſancti Spiritus de Tui Miranda, ac ejuſdem ſancti Joſeph de Elche, necnon ſanctæ Mariæ Lauretanæ de Monteforte, duabuſque Cuſtodiis, una videlicet de * Olche, altera vero Galitiæ nuncupat. ac forſan aliis Conventibus per eos hactenus acceptatis, potiſſimum conſiſtit, ipſiuſque Provinciæ, Cuſtodiæ, Conventibus & perſonæ ad meliorem vitæ frugem ſi ſub tutela & obedientia Franciſci præfati, & pro tempore exiſtentis Generalis Miniſtri ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, modo & forma infraſcriptis ſupponerentur & ſubjicerentur, ex hoc felici ejuſdem ſuæ Provinciæ, ſingulorumque illius Conventuum & perſonarum adminiſtrationi & incremento non mediocriter conſuleretur; ipſi tandem ad hunc effectum dilectum filium Bartholomæum de ſancta Anna Magiſtrum Provincialem ejuſdem Provinciæ cum mandato & commiſſione ad hoc ſufficienti, ad Almam Urbem, dictumque Franciſcum deſtinaverunt; qui Bartholomæus tam ſuo, quam Commiſſarii, Cuſtodum & Definitorum, Capitulique prædictorum ex una, necnon Franciſcus Miniſter Generalis præfati ſuo, ſuorumque in officio Miniſteriatus Generalis*

* De Ekhe.

ralis Ordinis hujuſmodi ſucceſſorum nominibus, ſub noſtro & Apoſtolicæ Sedis beneplacito certam ſuper hujuſmodi ſubjectionem faciendam, aliiſque infraſcriptis concordiam, ſaltem verbotenus inierunt, & ut eadem ſubjectio liberius commodiuſque fieret, ipſe Bartholomæus, quo ſuperius dictum eſt, nomine, univerſis & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, facultatibus & aliis gratiis, ſibi dictæque Provinciæ, ac ejus Superioribus & perſonis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos & Sedem Apoſtolicam hactenus quomodolibet conceſſis ac innovatis, quoad ea videlicet dumtaxat, quæ ſubjectioni & ſuppoſitioni hujuſmodi, ac Regularibus inſtitutis univerſi Ordinis Fratrum Minorum, privilegiiſque ſuis aliquatenus adverſarentur, aut alias contrariarentur, renunciavit.

§. III. *Quare pro parte tam Franciſci, quam Bartholomæi, necnon Commiſſarii Generalis, Cuſtodum & Definitorum eorumdem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus concordiæ & renunciationi præmiſſis, pro firmiori ſubſiſtentia, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac eamdem Provinciam Franciſco & pro tempore exiſtenti Miniſtro Generali præfato ſubjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſubjectionem hujuſmodi non ſolum utrique parti, ſed etiam univerſo Ordini, eunctæque Religioni Franciſcanæ, etiam ex venerabilis fratris noſtri Rodulphi Epiſcopi Oſtien. Cardinalis de Carpo nuncupati, totius Ordinis prædicti Protectoris relatione Nobis ſuper hoc facta, non mediocriter conducibilem fore exiſtimantes, ac Franciſcum & Bartholomæum, necnon Generalem Commiſſarium, Cuſtodes & Definitores præfatos & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, necnon inſtitutionis Provinciæ ſancti Joſeph, ac privilegiorum exemptionum, immunitatum, facultatum, & aliarum gratiarum eidem Provinciæ per Sedem prædictam conceſſarum, concordiæque & renunciationis præfatarum, ac literarum & aliarum ſcripturarum deſuper confectarum tenores pro expreſſis habentes præſentibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordiam prædictam, ac prout illam concernunt omnia & ſingula in literis & ſcripturis prædictis contenta, licita tamen & honeſta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ac omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, & nihilominus univerſum Ordinem Fratrum Conventualium Reformatorum nuncupatorum Provincia ſancti Joſeph in Hiſpanlis, ac illius omnes & ſingulos, Generalem Commiſſarium, Cuſtodes, Definitores & alios Fratres & perſonas, nunc & pro tempore exiſtentes, ac Provinciam & Cuſtodias, Conventuſque & loca univerſa, curæ, obedientiæ & tutelæ ejuſdem Franciſci & pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ad aliarum ejuſdem Ordinis Provinciarum inſtar & pariformiter, & abſque ulla differentia, auctoritate & tenore præmiſſis, ex certa ſcientia, perpetuo ſupponimus & ſubjicimus; & ne quid impedimenti vel incommodi ex privilegiorum Apoſtolicorum Provinciæ, illiuſque Fratribus & perſonis conceſſorum hujuſmodi parte reſultet, omnia & ſingula Provinciæ ſancti Joſeph, ſuorumque Conventus & perſonarum, ac illis in genere vel in ſpecie quomodolibet etiam per Nos, etiam motu proprio conceſſa privilegia, prærogativas, exemptiones, immunitates, facultates, indulta, & alias gratias Regularibus inſtitutis univerſi Ordinis Fratrum Minorum, privilegiiſque illi, ac ejus Miniſtro Generali pro tempore conceſſis aliquatenus adverſantia, vel alias cum illis incompatibilia, attenta renunciatione per*

ipſum

ipſum Bartholomæum; ſic, ut præmittitur, facta, eiſdem auctoritate & tenore revocamus, caſſamus & annullamus, ac eorum revocatorum, caſſatorum & annullatorum loco, cætera dicto univerſo Ordini conceſſa privilegia Provinciæ, ejuſque Cuſtodiis, Conventibus & perſonis communicamus, ac eaſdem duas Cuſtodias erectas, prædicta nihilominus Provincia ſancti Joſeph cum ſuis quatuordecim Conventibus, & aliis ab eadem acceptatis, integra remanente, ſimiliter approbamus; necnon unam Galitiæ videlicet ſub ſanctorum Simonis & Judæ; Reliquam vero Cuſtodiam hujuſmodi ſub beati Joannis Baptiſtæ nominibus cenſeri volumus & ordinamus, ac earum utramque ex nunc, prout ex tunc cum decem Conventus ſortita fuerit, in Provinciam erigimus, conſtituimus & deputamus. Ita tamen, quod primus cujuslibet Cuſtodiæ in Provinciam erectæ hujuſmodi, Miniſter futurus a Patribus, totoque Capitulo dictæ Provinciæ ſancti Joſeph eligatur, reliqui vero deinceps futuri Proviaciarum earumdem Miniſtri a Patribus & Capitulo quilibet in ſua Provincia, ut in ipſa Religione fieri ſolet, libere eligantur, necnon ſancti Joſeph, & ſanctorum Simonis & Judæ, atque ſancti Joannis Baptiſtæ Provinciis & Cuſtodiis prædictis, earumque Superioribus, quod Fratres ad ſe venientes recipere & retinere valeant, juxta indulta a felicis recordationis Paulo Papa III. prædeceſſore noſtro ſibi conceſſa; necnon Conventus & loca quæcumque acceptare & recipere eo modo, quo cæteræ dicto Miniſtro Generali ſubditæ Provinciæ acceptare poſſunt, ac privilegiis, exemptionibus, aliiſque gratiis, non tamen revocatis prædictis, tam ſibi, quam univerſo Ordini Fratrum Minorum, ejuſque Superioribus & perſonis in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſis & approbatis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, eiſdem auctoritate & tenore concedimus & indulgemus; ac præſentes litteras nullo unquam tempore, quovis quæſito colore vel ingenio de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio ſeu intentionis noſtræ defectu notari vel impugnari, neque per partes ipſas a ſubjectione, aliiſque præmiſſis quavis de cauſa reſilire poſſe, ſed ad eorumdem præmiſſorum omnium & ſingulorum obſervationem & præſtationem teneri & efficaciter obligatas fore, cenſuriſque & pœnis Eccleſiaſticis, & aliis juris & facti remediis ad id compelli poſſe, ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes; ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ac quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus: eidem Franciſco & pro tempore exiſtenti Miniſtro Generali in virtute ſanctæ obedientiæ districtæ præcipiendo mandantes, quatenus Provinciam ſancti Joſeph & Cuſtodias, earumque Provinciales, Perſonas, Conventus & loca modo prædicto ſub ſua cura, protectione & obedientia in viſceribus charitatis fraterne recipiat & admittat, illorumque curam fideliter gerat & exerceat; ac illa privilegiis, indultis, aliiſque gratiis prædictis in omnibus & per omnia, prout cæteræ ipſius Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ, Conventus & perſonæ ubicumque locorum utuntur, potiuntur & gaudent, uti, frui & gaudere permittat, faciat atque procuret.

§. IV. *Non obſtantibus præmiſſis & quibuſve aliis Apoſtolicis ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac univerſi Ordinis Fratrum Minorum, & Provinciæ ſancti Joſeph prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis illis, eorumque Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis ac irritantibus, &*

aliis

aliis decretis, etiam motu ſimili, ac conſiſtorialiter, ac alias etiam iteratis vicibus quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, etiam Mari Magno, & Bulla aurea *nuncupatis; quibus omnibus & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, vel aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda eſſet, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, ac forma in illis tradita obſervata, inſererentur, præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.*

§. V. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, confirmationis, approbationis, ſuppletionis, ſuppoſitionis, ſubjectionis, revocationis, caſſationis, annullationis, communicationis, approbationis, ordinationis, erectionis, conſtitutionis, deputationis, conceſſionis, indulti, mandati, derogationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ* MDLXIII. *octavo Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno* IV.

§. VI. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum per vos, vel alium ſeu alios litteras ipſas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Miniſtri Generalis & Magiſtri Provincialis, Cuſtodum & Definitorum Fratrum Minorum Reformatorum pro tempore exiſtentium, prædictorum deſuper fueritis requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque & eorum ſingulis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciatis, auctoritate noſtra illos confirmatione, approbationibus, ſuppletione, ſubjectione, ſuppoſitione, communicatione, voluntate, ordinatione, conſtitutione, erectione & deputatione, aliiſque præmiſſis juxta litterarum earumdem continentiam & tenorem, pacifice frui & gaudere; non permittentes eos, vel eorum aliquem deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari; contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas, quoties opus fuerit, aggravando, invocato etiam, ſi ad hoc opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtan. felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ Diœceſis ad judicium evocetur; ſeu ne Judices a Sede Apoſtolica deputati extra Civitatem & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alio vel aliis vices ſuas committere præſumant, ac de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo quiſpiam vigore præſentium ultra tres dietas non trahatur, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon omnibus illis, quæ in dictis litteris voluimus non obſtare, contrariis quibuſcumque; ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXIII. VIII. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno IV.

XXXVI.

Confirmat electiones & acta in Congregatione Generali habita in Conventu Montis Alvernæ. Regeſt. Ciſm. fol. 216. a tergo.

Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm ſicut accepimus, ſuperioribus diebus dilecti Filii Capitulum Generale Ciſmontanum nuncupatum, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ in domo ſancti Franciſci Montis Alvernæ in Tuſcia, Aretin. diœc. dicti Ordinis congregati in unum, ut moris eſt, habitis prius & ſervatis ſolemnitatibus in ſimilibus ſervari ſolitis, te in ejuſdem Ordinis Commiſſarium Generalem Ciſmontanum, juxta regularis ipſius Ordinis inſtituta, & privilegia Apoſtolica illi deſuper conceſſa, majori & ſaniori vocalium in ea aſſentientium Fratrum hujuſmodi parte, elegerint tuque electioni hujuſmodi de te factæ conſenſeris, & exinde ipſi Capitulum, nonnulla ſpiritualem profectum & quietem, ac augmentum præfati Ordinis non ſolum ad Fratrum hujuſmodi, verum etiam Monialium, & Sororum ſanctæ Claræ, ac Tertiariarum ſancti Franciſci, etiam in Congregatione viventium nuncupatarum, Ordinis hujuſmodi utilitatem concernentia, matura deliberatione præhabita, ſtatuerint & ordinaverint, prout in diverſis deſuper confectis documentis publicis, ſeu aliis ſcripturis dicitur plenius contineri.

§ II. Nos, qui Ordinem hujuſmodi ſingulari benevolentia proſequimur, ſperantes, quod tam illius Fratres, quam Moniales, & Sorores Tertiariæ Ciſmontanæ Familiæ hujuſmodi, ob ferventem eorum zelum, per tuæ ſollicitudinis ſtudium pie, & religioſe regentur & gubernabuntur, electionem de te factam, ac quæcumque ſtatuta & ordinationes, necnon ſententias, decreta, pœnitentias, ac quæcumque alia per Capitulum acta, ac prout illa concernunt, omnia etiam alia & ſingula in documentis ſeu ſcripturis hujuſmodi contenta, & inde ſecuta quæcumque, quatenus ſacris Canonibus non contrarientur, Apoſtolica auctoritate per præſentes approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robore communimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, tibique quod officium Commiſſariatus Generalis Ordinis hujuſmodi Ciſmontanæ Familiæ integre & abſque eo quod prætextu aliquarum facultatum ſeu auctoritatum quibuſvis perſonis, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, ordinis vel conditionis exiſtentibus, hactenus quomodolibet conceſſarum & imposterum concedendarum, quas ex nunc in quantum officio tuo præjudicent, aut te in illius exercitio quovis modo impediant, harum ſerie revocamus & annullamus, impediri aut perturbari poſſis, etiam noſtra auctoritate exercere, & quæ tibi videbuntur dicti Ordinis Provincias ſubjectas tibi, pro earum & dicti Ordinis pace, etiam ſimul unire, ac omnia alia, quæ Capitulum Generale dicti Ordinis in eiſdem Provinciis tam ex ſua ordinaria, quam ex Apoſtolica auctoritate agere & facere poſſet, in ipſis Provinciis facere, exercere & exequi, ac omnibus & ſingulis immunitatibus, facultatibus, privilegiis, indultis & gratiis Commiſſariis Generalibus Ciſmontanis dicti Ordinis, qui hactenus fuerunt per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos tam vivæ vocis oraculo, quam in ſcriptis quomodolibet conceſſis, uti, frui, gaudere libere & licite valeas, dicta auctoritate Apoſtolica concedimus & indulgemus; mandantes univerſis & ſingulis utriuſque ſexus perſonis, tibi ratione hujuſmodi officii ſubditis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna per eos incurrenda, ut tibi, & cuilibet tuo-

tuorum in his, quæ prædictum officium concernunt, ac omnibus aliis, quæ contra animam ſuam, & inſtitutum ſuum non ſunt, humiliter intendant & pareant cum effectu, nec tibi in aliquo contradicere quovis modo, aut refragari audeant vel præſumant.

§. III. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Verum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis facienda erit fides, deferri, volumus, & prædicta auctoritate Apoſtolica decernimus, quod earum tranſumptis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ea prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxv. Junii MDLXIII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXXVII.

Eccleſiæ Marianenſi præficit Jacobum de Liſcaris. Ex Act. Conſiſtorialibus autographis in Tabulario Secretiori Vaticano aſſervatis tom. 2. fol. 313. & tom. 4. fol. 105. a tergo.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Veneris xxx. *Julii* MDLXIII. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Borromæo

Sanctiſſimus Dominus noſter Pius Divina providentia Papa IV. Eccleſiis Marianen. & Tribuncenen. jam unitis, quæ per obitum Thomæ Cervini extra Romanam Curiam defuncti vacabant, dedit in Epiſcopum Jacobum de Liſcaris Fratrem Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, in quinquageſimo ſuæ ætatis anno, & in Presbyteratus ordine conſtitutum, ipſumque illis in Epiſcopum præfecit & Paſtorem, cum clauſulis &c.

Anno Christi 1564. Pontificatus anno 5.

XXXVIII.

Antonius Sanmiguel præficitur Eccleſiæ Chiappenſi, ſive Civitatis Imperialis. Ex Act. Conſiſtorialibus autographis, in Tabulario Secretiori Vaticano aſſervatis tomo 2. fol. 319.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Mercurii xxii. *Martii* MDLXIV. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Gonzaga

Sanctiſſimus Dominus noſter Pius Divina providentia Papa IV. erexit oppidum Civitatis Imperialis nuncupat. in partibus Indiarum, in Civitatem, & ejus Eccleſiam in Cathedralem ad ſupplicationem Regis Catholici, qui promiſit aſſignare 200. Ducatos aureos annuos de bonis ſuis pro dote dictæ Eccleſiæ, donec illius menſæ Epiſcopali fructus ad 200. aureos ſimiles aſſecuti fuerint; & propterea fuit ſibi reſervatum jus patronatus & præſentandi ad dictam Eccleſiam, & eidem Eccleſiæ, ſic a primæva ejus erectione vacanti providit de perſona Religioſi viri Antonii de Sanmiguel Ordinis Fratrum ſancti Franciſci.

XXXIX.

Indulget quod in quibuſdam Provinciis, Galliarum præſertim & Hiſpaniarum Definitores eligi poſſint in Guardianos. Ex originali.

PIUS PAPA IV.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Franciſcus Zamora Generalis Miniſter totius Ordinis Fratrum Minorum, quod alias fel. rec. Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter providæ Fratrum Minorum, Obſervantium nuncupatorum, directioni, ſicut illa tempora poſtulare videbantur, conſulere volens, per ſuas ſub annulo Piſcatoris die XXIV. menſis Aprilis anni Domini MDLIX. Pontificatus ſui anno IV. datas litteras ſtatuit & ordinavit, quod inter ipſos Fratres Minores Obſervantes, nullus, qui Definitoris officio fungeretur, in Guardianum alicujus Conventus ejuſdem Ordinis eligi ſeu deputari poſſet, idque ne fieret, ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis forſan prohibuit, prout in dictis litteris plenius dicitur contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, in pluribus dicti Ordinis Provinciis, præſertim Gallicæ, Hiſpanicæque nationum, non ea ſit Fratrum Obſervantium, quæ ſolebat eſſe frequentia, ac propterea plurimum expedire videatur, Definitores ipſos aliquando pro locorum, perſonarumque exigentia, ad dictum Guardianatus officium eligi poſſe. Idcirco præfatus Franciſcus Miniſter Nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui præfati Ordinis profectum ſincero deſideramus affectu, litterarum prædictarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Franciſco, & pro tempore exiſtentibus Miniſtro, etiam & Commiſſario Generalibus dicti Ordinis, ac eorum utrique, quod deinceps perpetuis futuris temporibus, Miniſtris Provincialibus prædictarum, & quarumcumque aliarum Provinciarum ſibi reſpective ſubjectarum, in ſuis Provincialibus Capitulis, quando & quoties obſequium Altiſſimi, ſpiritualiſque Provinciæ utilitas id exigere videbitur, Definitores quoslibet in Conventuum Guardianos eligendi, vel eligi faciendi ac inſtituendi, necnon ſic electis & inſtitutis officium Guardianatus hujuſmodi exercendi, abſque ullo cenſurarum vel pœnarum prædictarum incurſu, plenam & liberam facultatem & licentiam auctoritate noſtra concedere & elargiri libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

§. III. Non obſtantibus ſtatuto, ordinatione & prohibitione præmiſſis, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon ipſius Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Cæterum cum difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque Capitula & alia loca, quorum interereit, circumferre, volumus & eadem auctoritate decernimus, quod earumdem præſentium tranſumptis, alicujus Notarii publici manu ſubſcriptis, & ipſius Miniſtri vel Commiſſarii Generalis, ſeu alterius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis plena & indubia, ac eadem prorſus fides ubique locorum adhibeatur, quæ ipſismet originalibus adhibenda eſſet, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XV. Aprilis MDLXIV. Pontificatus noſtri anno V.

XL.

Julium Ruvereum Cardinalem de Urbino nuncupatum, Vice-Protectorem Patrum Capuccinorum designat. Bullar. PP. Capuc. tom. 1. fol. 28.

Dilecte fili noster, salutem & Apostolicam benedictionem.

§. I. EXhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum Minorum de pœnitentia Capuccinorum nuncupatorum petitio continebat, quod ipsi considerantes venerabilem fratrem nostrum Rodulphum Pium S. R. E. Cardinalem de Carpo nuncupatum, qui officium Protectoris Fratrum prædictorum ab Apostolica Sede sibi commissum hactenus laudabiliter exercuit, ob frequentes ejus ægritudines officium hujusmodi deinceps non satis commode exercere posse, ac propterea, & certis aliis de causis cuperent te, de cujus prudentia, religione, ac in Deum pietate plurimum in Domino confidunt, sibi pro ipso Rodulpho Pio Episcopo Cardinali, quamdiu vixerit, in suum, eorumque Religionis Vice-Protectorem, & deinde, si dictum Rodulphum Pium Episcopum Cardinalem prærnori contigerit, ex nunc, prout ex tunc, & e contra in Generalem Ordinis, & Religionis eorumdem in Romana Curia Protectorem constitui & deputari. Quare pro parte dictorum Fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus piis eorum votis annuere, & alias in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui singulos quosque Ordines Regulares, & ipsorum Ordinum personas, & loca salubriter dirigi, & prospere gubernari sinceris exoptamus affectibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, te, pro ipso Rodulpho Pio Episcopo Cardinali, quamdiu vixerit, illius ad hoc accedente consensu, Vice-Protectorem Fratrum prædictorum, suæque Religionis hujusmodi, & deinde, si dictum Rodulphum Pium Episcopum Cardinalem prærnori contigerit, ex nunc, prout ex tunc, & e contra in Generalem Ordinis, & Religionis prædictorum in dicta Curia Protectorem, cum omnibus & singulis honoribus, oneribus, jurisdictionibus & facultatibus per alios aliorum Ordinum Protectores, ratione suæ protectionis haberi solitis, auctoritate Apostolica, tenore præsentium constituimus & deputamus, ac ex nunc in Rodulphi Episcopi Cardinalis præfati locum, quoad officium Protectoris hujusmodi substituimus & subrogamus, necnon te etiam ex nunc, prout ex tunc ad hujusmodi officium, ejusque liberum exercitium, ac honores, onera, jurisdictiones & facultates prædictas in locum dicti Rodulphi Episcopi Cardinalis recipiendum & admittendum esse, ac recipi & admitti debere decernimus, ac tibi omnia ea, quæ ad salubrem ipsorum Ordinis & Religionis directionem, & prosperum statum pertinere cognoveris, statuendi & ordinandi, ac Fratres Ordinis hujusmodi tibi in præmissis non obtemperantes, sententiis, censuris & pœnis Ecclesiasticis compescendi, omniaque & singula alia, quæ ad officium Protectoris hujusmodi de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet opportuna fuerint, faciendi, exercendi & exequendi plenam & liberam, auctoritate & tenore prædictis, concedimus facultatem: mandantes eisdem Fratribus, eorumque Superioribus, & personis, ac aliis, ad quos spectat, in virtute obedientiæ, ut ex nunc te ad Vice-Protectoris, ac etiam ex nunc, prout ex tunc, & e contra, si dictum Rodulphum Episcopum Cardinalem prærnori contigerit, ad hujusmodi Protectoris officium, ejusque liberum exercitium, necnon honores, onera, jura, jurisdictiones, facultates, & emolumenta hujusmodi recipiant & admittant, tibique obedientiam & reverentiam

rentiam debitas & devotas exhibentes, tua ſalubria monita & mandata in his, quæ ad officium Protectoris pertinent, humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent.

§. III. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis & Religionis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & litteris Apoſtolicis, illis, necnon Fratribus, eorumque Conventibus, Superioribus, & perſonis hujuſmodi, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, cum quibuſcumque clauſulis & decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Aprilis MDLXIV. Pontificatus noſtri anno v.

XLI.

Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii Dominæ noſtræ del Spino Provinciæ Burgenſis concedit relaxationem a quodam juramento. MSS. auth. ejuſdem Provinciæ fol. 40.

PIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Venerabili fratri Epiſcopo Burgenſi, vel dilecto filio ejus in ſpiritualibus Vicario ſeu Officiali Generali, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. EXhibita Nobis nuper pro parte dilectarum filiarum modernæ Abbatiſſæ & Monialium Monaſterii beatæ Mariæ del Spino Ordinis ſanctæ Claræ loci Vibar del Cid, Burgenſis Diœceſis petitio continebat, quod, poſtquam alias quidam Don Hieronymus de Padilla Miles Militiæ ſancti Jacobi de Spata ob ſingularem, quem erga dictum Monaſterium gerebat devotionis affectum, in ejus, quod de bonis ſuis ultimo loco condidit teſtamento & voluntate, ſummam quinquaginta millium Morapetinorum, Alquitar nuncupatorum, & ducentarum triginta menſurarum ſanegarum nuncupatarum, frumenti, quæ ſuper nonnullis poſſeſſionibus in annuis reditibus obtinebat & poſſidebat, Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii, cum pacto tamen & conditione inter alia, quod in præfato Monaſterio quatuor per dictum Hieronymum, & illius forſan ſucceſſores, ſeu ex nonnullis familiis, & locis tunc expreſſis nominentur, & in eo ſemper viginti quinque Moniales eſſe deberent, et ſi aliquam aliam in dictum Monaſterium Monialem eædem Abbatiſſa & Moniales recipere vellent, illam abſque dote mille Ducatorum, citra alia ſupellectilia, pittantias, & jura per eaſdem ſolita; qui quidem Ducati in emptione tot bonorum ſtabilium, convertantur, non reciperent, ac cum aliis tunc expreſſis pactis & conditionibus relinquere decreverat, idem Hieronymus cum præfata Abbatiſſa & Monialibus, de earum Superioris expreſſa licentia & conſenſu, præmiſſa tractavit & concordavit, & illam ad eadem obſervanda & adimplenda medio juramento, & aliis cautelis obligari fecit; contra quod aliquo tempore non facere Abbatiſſa & Moniales ipſæ promiſerunt & ſe obligarunt, prout in quodam ſeu quibuſdam publico, ſeu publicis inſtru-

inſtrumento & inſtrumentis & aliis tractatibus deſuper confecto, ſeu confectis latius continetur, quæ omnia ut perpetua, firma & illibata perſiſtant, per Sedis Apoſtolicæ tunc in partibus illis Nuncium approbata & confirmata fuerunt & reperiuntur: & dictorum quinquaginta millium Morapetinorum, & ducentarum & triginta menſurarum tritici in annuis reditibus poſſeſſione habita, ædem Abbatiſſa & Moniales prouiſſionem & ſingula in earum Monaſterio obſervari procurarunt.

§. II. Et licet, ſicut eadem ſubjungebat petitio, hactenus eidem Monaſterio utile & proficuum fuerit, nihilominus, quia pro temporum varietate mutantur terrena, pro majori Divini cultus in eodem Monaſterio augmento, & cori ſervitio, ac ejuſdem Monaſterii Monialium ſervitute & infirmitatibus gravatarum ſublevamine, numerum Monialium creſcere, & ad majorem in dicto Monaſterio quadraginta, non modicum conveniens, & neceſſarium ſit: Et ſi dictis exponentibus, quod juramento prædicto, & allis, præmiſſis non obſtantibus, alias mulieres ſæculares dicti Monaſterii Moniales effici deſiderantes in eodem Monaſterio, & cum minori mille Ducatorum dote in Moniales recipiendi, & dotem hujuſmodi partim in emptionem bonorum ſtabilium, & partim in domorum & ædificorum dicti Monaſterii reparationem, dicti quondam Hieronymi voluntatem in & quo ad hoc commutando, licentia per Sedem Apoſtolicam concederetur; ex hoc profecto dicti Monaſterii ſalubri directioni, & earumdem Abbatiſſæ & Monialium ſublevamini, & majori commoditati non modicum conſuleretur. Quare pro parte dictarum Abbatiſſæ & Monialium Nobis fuit humiliter deprecatum, ut eiſdem in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur ſingulorum inſtrumentorum & tractatuum prædictorum, ac litterarum confirmatarum dicti Nuncii Apoſtolici veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, dictaſque exponentes a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet inodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclitati, fraternitati tuæ, Frater Epiſcope ſeu diſcretioni tuæ fili Vicarie, ſeu officialis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem exponentibus, & cuilibet earum, juramentum per eas, & quamlibet earum, ut præfertur, præſtitum ad effectum præſentium relaxes, eiſque, ut quaſcumque alias mulieres ſæculares, juxta dicti Monaſterii ſtatuta & ordinationes qualificatas, ejuſdem Monaſterii Moniales effici volentes, & ultra numerum vigintiquinque, dummodo quadraginta in omnibus non excedat, etiam abſque minori dote mille ducatorum, ſed pro inter ſe convenienda & concordanda dote, quæ partim in emptionem aliorum bonorum ſtabilium, & partim in reparationem domorum, & ædificiorum dicti Monaſterii, juxta temporum exigentiam & neceſſitatem converti debeat, recipere & admittere libere & licite, & abſque alicujus, ſive cenſuræ vel pœnæ, aut perjurii reatus incurſu poſſint & valeant, dicti quondam Hieronimi voluntatem in & quo ad hoc commutando, perpetuo concedas & indulgeas, ac licentiam & facultatem impertiri procures.

§. IV. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. Quibus omnibus, illorumque tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ MDLXIV. XVII. Kalendas Julii Pontificatus noſtri anno IV.

XLII.

XLII.

Angelum de Bictonio, ſive Betonia cum Sociis ad infideles mittit, eiſque indulgentias largitur & gratias. Regeſt. Ciſm. fol. 218.

Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUm, ſicut Nobis exponi feciſtis, ad partes Infidelium, D. O. M. coadjuvante, quamprimum commode poteritis, de veſtri Superioris licentia, vos conferre intendatis, cupiatiſque, ut ad ipſum Deum, ejuſque fidem ſanctam Catholicam veſtris prædicatione & aliis operibus pro tempore converſorum animas eidem Omnipotenti Deo lucrifacere poſſitis, aliqua ſpiritualia dona per vos ipſis converſis elargienda a Nobis obtinere. Nos vos in hujuſmodi tam pio & laudabili deſiderio confovere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet veſtrum, ut quamdiu in dictis Infidelium partibus fueritis, illis & aliis illud audire volentibus, verbum Dei prædicare & explanare, ac ipſos Infideles tantum, poſtquam opera veſtra converſi fuerint, baptizare, & eorum confeſſiones audire, eoſque ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſſibus & delictis, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Nobis & Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ac etiam in Bulla in Cœna Domini legi ſolita contentis, & in locis, ubi Ordinarii non fuerint, abſque; in aliis vero, ubi fuerint, de eorum licentia in ſcriptis prius obtenta, abſolvere, & eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere, ac vota quæcumque, Ultramarino, & viſitationis liminum Apoſtolorum Petri & Pauli de Urbe, ac ſancti Jacobi in Compoſtella, religionis & caſtitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare, libere & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, ac licentiam & facultatem impertimur, & inſuper in præmium laborum, quos in præmiſſis ad ejuſdem Omnipotentis Dei laudem & honorem, ac orthodoxæ Fidei exaltationem ſubire parati eſtis, vobis & cuilibet veſtrum, quamdiu apud Infideles manebitis, ut poſtquam inter vos confeſſi & contriti fueritis, ac Eucariſtiæ Sacramentum ſuſceperitis, ſeu Miſſam celebraveritis, ter ſingulis annis plenariam omnium peccatorum veſtrorum indulgentiam, & remiſsionem in forma Jubilæi, & Eccleſiæ conſueta, conſequamini, & quilibet veſtrum conſequatur, miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XIII. Julii MDLXIV. Pontificatus noſtri anno V.

XLIII.

Confraternitatem ſanctiſſimi Sacramenti in Eccleſia XII. Apoſtolorum Urbis erectam confirmat, & privilegiis ſpiritualibus ornat. Bul. Rom. Tom. 1. conſt. 90. fol. 98.

§. I. IN Apoſtolicæ dignitatis culmine, meritis licet imparibus, divina diſpoſitione conſtituti, ad ea noſtræ conſiderationis aciem libenter dirigimus, per quæ noſtræ proviſionis auxilio divinus cultus cum animarum ſalute, ubilibet activum ſuſcipiat incrementum; & his quæ propterea ex pia Fidelium devotione inſtituta & ordinata dicuntur, ut firma perpetuo & inconcuſſa permaneat, cum a nobis petitur, Apoſtolici muniminis præſidium propenſius impertimur, ac fideles ipſos ſpiritualium gratiarum muneribus pro-

proſequimur, ut exinde divinæ gratiæ aptiores reddantur, & caritatis devotio in eis per amplius augeatur.

§. II. Sane dilecti filii Confratres Confraternitatis ſub invocatione duodecim Apoſtolorum in Eccleſia Conventus eorumdem Sanctorum XII. Apoſtolorum de Urbe Ordinis Fratrum Minorum, Conventualium nuncupatorum inſtitutæ, Nobis nuper exponi fecerunt, quod alias nonnulli Chriſtifideles pia devotione ducti, conſiderantes ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum inter cætera Eccleſiæ Sacramenta, præcipuis honore, reverentia, & veneratione dignum, præſertim dum ad Infirmos defertur, a nonnullis, vel paucis admodum Chriſtifidelibus minus quam deceat, honorifice comitari, idque ægre ferentes, & ſingulari zelo devotionis cupientes, ut eidem Sacramento debitus cultus, honor & veneratio exhiberentur, quantum in eis erat, providere, unam utriuſque ſexus Chriſtifidelium Confraternitatem, ſub invocatione præfata ad Omnipotentis Dei, ſacratiſſimique Corporis Dominici laudem, gloriam & honorem inſtituerunt & ordinaverunt: ac pro ejus ſalubri directione & incremento, piorumque operum exercitio, inter alia, nonnullos ex eis, qui curam & regimen Monaſterii Monialium domus piæ nuncupati, regionis ſancti Euſtachii de Urbe, ſub Regula ſanctæ Claræ dicti Ordinis, mulierumque ibi pro tempore degentium noviter erecti, & ab ipſa Confraternitate trahentis originem, haberent, & alios, qui Chriſtifidelium eleemoſinas perquirerent, ut exinde pauperibus erubeſcentibus, & miſerabilibus perſonis in ſuis neceſſitatibus eorumdem Chriſtifidelium ope ſecrete, & alias ſubveniretur, alios vero, qui alia pietatis & caritatis opera erga quoſcumque pauperes ope deſtitutos, ac indigentia, paupertate & litibus, & aliter oppreſſos illis conſulendo, & Judicibus pro juſtitia commendando ac viſitando, & ex eorum & aliorum Chriſtifidelium eleemoſynis quantum poſſent, eis ſubveniendo exercerent, conſtituerunt & deputarunt.

§. III. Necnon dilectum filium noſtrum Vitellotium, ſanctæ Mariæ in Via lata Diaconum Cardinalem Vitellium nuncupatum, S. R. E. Camerarium, in ſuum, & dictæ Confraternitatis Confratrem & Protectorem elegerunt & receperunt, prout in inſtrumentis ſeu capitulis, aut aliis documentis deſuper forſan confectis, plenius dicitur contineri.

§. IV. Quare pro parte Confratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus inſtitutioni Societatis, ac conſtitutioni, deputationi, electioni & receptioni præfatis, pro firmiori illarum ſubſiſtentia, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. V. Nos igitur, qui pia & ſalubria fidelium vota, ex quibus Divinus cultus propagatur, & ſalus animarum provenire dignoſcitur, pii Patris affectione libenter proſequimur, & ut optatum ſortiantur effectum, operam efficacem attentius impendimus, ac tam venerabile Sacramentum a cunctis Chriſtifidelibus, ut per hoc eorum deſideratam ſalutem conſequi valeant, peramplius honorari, venerari, laudari & magnificari ſinceris exoptamus deſideriis, ac Omnipotenti Deo, quod tam ſalubria, neceſſaria & utilia opera exerceantur, immenſas gratias agentes, & ut illa perpetuo frequententur, ac Chriſtifideles ipſi eis ferventibus inſiſtent, quo Nos erga eos amplioribus & ſpecialioribus gratiis liberales eſſe, ſeque propterea majori cœleſtis gratiæ devotione refici poſſe cognoverint, quantum cum Deo poſſumus, providere volentes, necnon veriores præmiſſorum inſtrumentorum, & aliorum documentorum deſuper confectorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, inſtitutionem & ordinationem Confraternitatis, necnon conſtitutionem & deputationem, ac Protectoris electionem

nem & receptionem hujuſmodi, aliaque omnia & ſingula per eoſdem Confratres circa præmiſſa geſta, ſtatuta & ordinata, ac prout illa concernunt, reliqua in inſtrumentis ſeu capitulis, aut aliis documentis prædictis contenta, & inde ſecuta quæcumque, licita tamen & honeſta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac illa omnia & ſingula Apoſtolici muniminis præſidio roboramus, omneſque & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem ſupplemus. Et nihilominus eumdem Vitellotium Cardinalem, & quemcumque, qui ad id per ipſos Confratres pro tempore electus fuerit, in ejuſdem Confraternitatis Protectorem conſtituimus & deputamus.

§. VI. Et inſuper eiſdem Confratribus quæcumque ſtatuta, ordinationes, capitula & decreta felix regimen & gubernium dictæ Confraternitatis concernentia, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, edendi, condendi & faciendi, quæ poſtquam edita, condita, facta, alterata, mutata, & pro tempore per exiſtentem Vicarium Almæ Urbis approbata fuerint, eo ipſo dicta auctoritate approbata ſint & eſſe cenſeantur. Seque in dicta Eccleſia congregandi, & congregationem faciendi, ac dilectis filiis Fratribus dicti Conventus Confraternitatem, ſuoſque Confratres hujuſmodi in dicta Eccleſia recipiendi & admittendi, ac inibi congregari permittendi, plenam, liberam & omnimodam poteſtatem, licentiam & facultatem eiſdem auctoritate & tenore concedimus & impertimur.

§. VII. Et inſuper, ut Eccleſia, & Confraternitas in ea inſtituta hujuſmodi, congruis frequententur honoribus, ac Confratres ipſi, aliique Chriſtifideles ad præfatum Euchariſtiæ Sacramentum, dum proceſſionaliter, ac alias ad infirmos defertur, devote & honorifice comitandum alliciantur, & etiam, ut ſe eo promptiores ad id exhibeant, quo ſe exinde æternæ vitæ præmia facilius conſequi ſperaverint, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis ipſius Confraternitatis Confratribus pro tempore exiſtentibus, & illam pro tempore ingredientibus, cæteriſque utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ſeu ſtatutis a jure temporibus confitendi propoſitum habentibus, qui dictam Eccleſiam in ſingulis diebus feſtivitatum duodecim Apoſtolorum annis ſingulis devote viſitaverint, ac proceſſionaliter cum eiſdem Confratribus dictum Euchariſtiæ Sacramentum, dum illud tam ad infirmos, quam alio pro tempore deferetur, honorifice, ac cum debitis reverentia & honore, Deum orando, & mente recolendo, piaſque preces ad eum effundendo comitati fuerint; ac qui Miſſæ ultimo quoque die Dominico cujuslibet menſis in dicta Eccleſia alta voce, & alias ſolemniter celebrandæ interfuerint, vel inibi confeſſi & corde contriti ipſum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac præmiſſa adimpleverint, & quoties Orationem quadraginta horarum nuncupatam, per eoſdem Confratres fieri contigerit, in dicta Eccleſia, ſeu eorum Capella interfuerint, toties ſuorum peccatorum indulgentiam & remiſſionem in forma Jubilæi ſancti, auctoritate & tenore præfatis, miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Ac inſtitutionem Confraternitatis, ac conſtitutionem, electionem & receptionem Protectoris, capitulaque, & alia per eoſdem Confratres geſta hujuſmodi, perpetuis futuris temporibus obſervari debere.

§. VIII. Necnon indulgentias, & alia præmiſſa ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus aut derogationibus ſimilium vel diſſimilium indulgentiarum & gratiarum nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis excepta fore & cenſeri, dictoſque Confratres, ſuoſque Officiales, aut eorum aliquem ſuper præmiſſis, ſeu eorum aliquo a quoquam quovis prætextu, etiam

pro

pro informatione Curiæ, tam ex officio, quam ad inſtantiam Fiſci quomodolibet moleſtari ſeu perturbari non poſſe.

§. IX. Et ſic per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere. Ac quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

§. IX. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Conventus, Monaſterii & Ordinis præfatorum, juramento & confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis irritantibus, & aliis decretis per quoſcumque Romanos Pontifices etiam prædeceſſores noſtros, ac Nos & Sedem prædictam, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & alias quomodolibet, etiam iteratis vicibus concceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. XI. Volumus autem quod tranſumptis præſentium, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii ipſius Confraternitatis ſubſcriptis, & ſigillo prædictæ Confraternitatis, ſeu Protectoris illius, aut alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur & adhiberi debeat, quæ litteris ipſis originalibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xvi. Novembris mdlxiv. Pontificatus noſtri anno v.

XLIV.

Bonifacius Raguſinus præficitur Eccleſiæ Stagnenſi. Ex Actis Conſiſtorialibus autographis in Tabulario Secretiori Vaticano aſſervatis Tomo 2. fol. 336. & Tomo 4. fol. 178.

Apud ſanctum Petrum Romæ die Veneris xvii. *Novembris* mdlxiv. *fuit Conſiſtorium, in quo*

Referente Reverendiſſimo Borromæo

Sanctiſſimus Dominus noſter Pius divina providentia Papa IV. providit Eccleſiæ Stagnenſi vacanti per obitum Petri extra Romanam Curiam defuncti, de perſona Religioſi viri fratris Bonifacii Raguſini Ordinis Minorum de Obſervantia, ipſumque in Epiſcopum præfecit & Paſtorem cum clauſulis &c.

XLV.

Fratribus Provinciæ Boſnæ Argentinæ eadem concedit Privilegia, quibus fruuntur Fratres degentes in locis Terræ Sanctæ. Regeſt. Ciſm. fol. 219.

Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Circa Religionum quarumlibet, præſertim Ordinis Fratrum Minorum, eorum ſcilicet, qui in illo tantum, qui dixit ſe mundum viciſſe, confiſi, tanquam oves inter Lupos ad gentes, quæ Dominum Jeſum Chriſtum Deum non agnoſcunt, & ad ſubtractionis filios, qui ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non obediunt, & illis ad viam veritatis agnoſcendam perducere in luce ſermonis, & rectitudine operis procurent, miniſterium proſpere dirigendum, ſtudiis invigilantes aſſiduis, his quæ a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris in eorumdem Fratrum commodum proceſſiſſe dicuntur, ut firmiora perſiſtant, cum a nobis petitur, Apoſtolici muniminis præſidium libenter impertimur.

§. II. Exponi ſiquidem nobis nuper feciſtis, quod dudum ſel. rec. Clemens Papa VII. prædeceſſor noſter, attendens in Provincia Boſnæ Argentinæ, in qua plures domus Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ſecundum morem dicti Ordinis, ſub Dominio Turcarum conſiſtebant, nullum Catholicum Epiſcopum habitare, magnamque ibi penuriam Catholicorum Presbyterorum vigere, motu proprio & ex certa ſcientia ſua, quod Fratres dictarum domorum tunc, & pro tempore exiſtentes, ad inſtar Fratrum domus Hieroſolymitan. dicti Ordinis, a quocumque vellent Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, omnes etiam ſacros & presbyteratus Ordines, etiam extra tempora a jure ſtatuta ſuſcipere, & illis dictus Antiſtes ipſos Ordines conferre poſſent, necnon pro domibus præfatis & eorum, ac domorum & locorum ſub dominio Turcarum hujuſmodi conſiſtentium uſu, quæcumque neceſſaria, & opportuna ab eiſdem Turcis, vel aliis ſub Chriſtianorum dominio conſiſtentibus emere, & quicumque defectum natalium quomodolibet patientes, qui in domibus præfatis, vel earum aliqua habitum dicti Ordinis ſuſcepiſſent, & profeſſionem per eoſdem Fratres emiti ſolitam emiſiſſent Regularem, quæcumque officia, & dignitates Provinciæ, & Ordinis prædictorum, ad quæ juxta Conſtitutiones dicti Ordinis illegitimi incapaces exiſtebant, habere & exercere, ac ad illa eligi, & aſſumi valerent, habileſque & capaces exiſterent, per ſuas in ſimili Brevis forma litteras facultatem conceſſit, & ſucceſſive piæ mem. Paulus Papa III. etiam prædeceſſor noſter veſtris in ea parte ſupplicationibus inclinatus, facultatem, & deſuper confectas litteras prædictas, ac omnia & ſingula in eis contenta approbavit & confirmavit, ac inſuper vobis, & hujuſmodi ſacros videlicet ſubdiaconatus, diaconatus & presbyteratus Ordines, etiam unico Dominico, vel alio ſolemni die ſuſcipere, dictoſque Antiſtes Ordines hujuſmodi vobis conferre, necnon omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, facultatibus, exemptionibus, conceſſionibus, & indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, quibus alii dicti Ordinis Fratres in quibuſcumque domibus tam in Regno Boſnen., ſeu illius Provincia, quam in toto Turcarum, & aliorum Infidelium dominio commorantes utebantur, potiebantur & gaudebant, ſeu uti, potiri & gaudere poterant quomodolibet in futurum, pariformiter, abſque ulla differentia, uti, potiri & gaudere, & etiam pro domibus præfatis & eorum, ac domorum & locorum ſub dominio Turcarum

earum hujuſmodi conſiſtentium neceſſario uſu, quæcumque inſtrumenta ferrea a quibuſcumque ſub Chriſtiannrum dominio conſiſtentibus emere libere, & licite valeretis per ſuas litteras indulſit, prout in dictis litteris plenius dicitur contineri.

§. III. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, plerumque contingat, vos, aut aliquem veſtrum ad loca, in quibus nulla Eccleſia, vel locus ſacer reperitur, divertere, in quibus, ſi vobis Miſſas ſuper Altari portatili celebrare liceret, ſpirituali veſtræ, aliorumque ibi habitantium Chriſtianorum conſolationi, & animarum ſaluti non mediocriter conſuleretur. Quare pro parte veſtra nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut præfatis prædeceſſorum noſtrorum litteris noſtræ confirmationis robur adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur, qui piis Chriſtifidelium votis, quantum cum Deo poſſumus, libenter annuimus, veriores litterarum prædictarum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, facultatem & indultum vobis per prædeceſſores præfatos, ut præmittitur, conceſſa, necnon deſuper confectas litteras, omniaque & ſingula alia non expreſſa, in illis contenta, licita tamen & honeſta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Et inſuper vobis, ut veſtrum cuilibet liceat habere Altare portatile, cum debitis reverentia & honore, ſuper quo in quibuſcumque etiam infidelium, ad quos vos declinare, aut in quibus verſari contigerit, alias tamen congruentibus & honeſtis, ſi ibi nulla Eccleſia fuerit, Miſſas etiam in quorumvis tam fidelium, quam aliorum præſentia celebrare, corpus Dominicum conſecrare, & Chriſtifidelibus contritis, & confeſſis illud petentibus in ſuorum Rectorum, aut ſpiritualium Paſtorum abſentia, quocumque tempore illud ſanctiſſimum Sacramentum miniſtrare libere & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, & tenore præfatis, de ſpeciali gratia, perpetuo, juſtis de cauſis & neceſſariis, ac reipublicæ Chriſtianæ utilibus animum noſtrum ad id moventibus, indulgemus.

